12
32 S
16

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
55
8 II
9 K

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

15. e

8 8
G F
18 14

[illegible]


EVANGELIVM
VNDVM MATTHAEVM
ADOXIS ILLVSTRATVM
ALEXANDRO PELLEGRINO
SOCIETATE IESV
TOM II.
Augustinum Griseum 1645 Superiorum permissu

INDEX
PARADOXORVM.

IN CAPVT SEPTIMVM.

1 QVI alios iudicat, ſeipſum damnat ſtultitiae. pag. 4.
2 Culpa lethalis vera Circe. 11.
3 Oratio iuſti omnipotens. 17.
4 Iuſtorum via longè facilior, quam peccatorum. 23.
5 Vir iuſtus laborando roboratur, quieſcendo defatigatur. 29
6 Humani cordis ſecretum non poteſt abſcondi. 35.
7 Vir obediens obedientia fit multiplex. 42.
8 Infenſiſſimi virtutis inimici, quò acerbiùs virtute præditum oppugnant, eò tutius propugnant. 49.
9 Diabolus, ſuis tentationibus, dum expugnare, & nocere conatur, propugnat, & iuuat. 54.

IN CAPVT OCTAVVM.

1 DEVS erga homines benefiens, non tam nobis, quàm ſibi ipſi benefacere putat. 63.
2 Sacerdotes, Dij inter homines. 69.
3 Silentium ſermone præſtantius. 76.
4 Vita præſens fabula eſt, & homines mundi perſonati. 82.
5 Homines mundi perſonati. 90.
6 Supplicia huius vitae, miſerentis Dei beneficia ſunt. 99.
7 Nullus theſaurus virtute ditior: opulentiſſimus eſt conten[...]tor diuitiarum. 105.
8 Opulentiſſim[...] eſt contemptor diuitiarum. 110.
9 Cupiditas diui[...]arum, veriſſima inſania eſt. 115.
10 Sanctorum virorum, & ſceleſtorum communis eſt ſors, vt viuant mortui. 120.
11 Peccator viuens, mortuus eſt. 124.
12 Lacryma mors peccati, peccatoris vita. 130.
13 Quò grauiores ſunt afflictiones, eò teneriores ſunt Dei conſolantis blanditiæ. 136.
14 Acerbiſſima infortunia pro Deo tolerata praenuntiant huius vitae felicitatem. 141.
15 Quae peccantem iucundius delectant, acerbius cruciant. 149.

IN CAPVT NONVM.

1 CALAMITAS magiſtra morum, & diuini index amoris. 162.
2 Fides, ſicut ordine prima, ita inter virtutes dignitate præcipua eſt. 168.
3 Voluptatem vincere, fugere, reſpuere, voluptas eſt maxima. 174.
4 Miſericordia præcellentiam Deo tribuit, & nobilitatem: Donat homini cum Deo conſortium, & quaſi aequalitatem. 181.
5 Miſericordia donat homini cum Deo conſortium, & aequalitatem. 186.
6 Opus chriſtianae vitae, quò perfectiùs, eò facilius. 191.
7 Oratio iuſti eſt mortalis vitae paradiſus. 200.

IN CAPVT DECIMVM.

1 CHRISTI ſectator ſemper debet eſſe diſcipulus, ſimul et magiſter. 211.
2 Sola virtus eſt præmium virtutis. 216.
3 Beneficus in pauperes, dum dare videtur, accipit. 221.
4 Violentia ineluctabilis, & monſtroſa metamorphoſis, ex conſuetudine improborum. 226.
5 Homini nil nocentius homine. 231.
6 Deus quouis miraculo certius et expreſſius manifeſtat ſe ipſum ſermone. 236.
7 Deum nulla re aptiùs, quàm lingua homines manifeſtant. 241.
8 Patientia, præſidium, & dulce decus Chriſtianorum 246.
9 Timor, cauſa, & indicium fortitudinis. 251.
10 Pax Chriſtianorum armata, & bellatrix. 255.

IN CAPVT VNDECIMVM.

1 SOLITVDO, aſperitas, & aduerſitas hominem faciunt in hac vita beatum. 265.
2 Labor, aſperitas, aduerſitas hominem faciunt in hac vita beatum 273.
3 Mundanæ felicitates, & magnitudines, pueriles ludi. 280.
4 Vitia ſunt ſchola virtutum. 285.
5 Dei beneficia impijs collata, ſupplicia ſunt 291.
6 Prærogatiuæ præſtantiores, demiſſioris humilitatis cauſæ et incitamenta. 296.
7 Deus noſter Deus eſt Paruulorum. 301.
8 Deus noſter Deus eſt Paruulorum. 309.
9 Deus noſter Deus eſt Paruulorum. 314.
10 Nil peccato laborioſius. 319.
11 Dignitatum cupiditas, vilium animorum affectus. Humilitas generoſæ mentis effectus. 324.
12 Humilitas generoſæ mentis effectus. 329.

Index Paradoxorum.

IN CAPVT DVODECIMVM.

1 IN ſeruis Dei, quæ apparent imperfectiones, præclara ſunt opera virtutis. 341.
2 Hypocrita ſtultiſſimus mortalium. 346
3 Spiritus Sanctus implet ſolummodò quod inuenit plenum. 351.
4 Mundus eò inſipientior, quò ſe putat ſapientiorem. 355.
5 Dedocendus eſt mundus vt ſapiat, ſolo elinguium linguarum magiſterio erudiendus 365.
6 Nullus in mundo amor, nulla vita ſi Spiritus Sanctus abſit. 375.
7 Nulla in mundo vita, ſi Spiritus Sanctus abſit. pag. 385.
8 Concordia Chriſtianos armat, Dæmones expugnat. 391.
9 Sibi & rebus ſuis optime proſpicit, qui amore Dei ſe, & Sua maximè deſpicit. 396.
10 Modeſtia virtutis decor, & vis. 404.
11 Ad nutum alienæ Voluntatis gubernari maxima libertas; Summa felicitas eſt. 410.

IN CAPVT DECIMVM TERTIVM

1 DIVITIÆ, voluptates, honores mundum nobis reddunt exoſum. 424.
2 Honor & voluptas mundum nobis reddunt exoſum. 432.
3 Peccatum ſemper cum timore, peccator nunquam timidus. 438.
4 Societas Sceleſtorum non nocet, ſed prodeſt iuſtis. 443.
5 Praecipua Chriſti laus ab vtero Virginis. 448.
6 Dei filius humana vilitate exaltatus. 457.

IN CAPVT DECIMVM QVARTVM

1 SERVVS Dei inter vincula maximè liber, & expeditus ad praeclara perficienda facinora. 470.
2 Superbia hoſtis ſaeuiſſimus, ſimul & ſuauiſſimus. 476.
3 Luxurioſus, hydrus vitiorum. 481.
4 Libidinoſus fit per luxuriam monſtrum, Idololatra, Haereticus, Atheus. 486.
5 Adulatio maga, adulatores magicam artem exercent. 490.
6 Oratio ſpirituale certamen, in quo vincit qui ſolus eſt: auditur, qui cordis ſecretiore ſilentio loquitur. 497.
7 Vis omnis, & efficacia orationis ab afflictione orantis. 505.

F I N I S.

IN-

SANCTVM
IESV CHRISTI
EVANGELIVM
SECVNDVM MATTHAEVM
PARADOXIS

Et monitis moralibus illuſtratum

A B

ALEXANDRO PELLEGRINO MATILICATE

SOCIETATIS IESV.

TOMVS SECVNDVS.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA

VIRGINI MAGNAE,
PATRONÆ OPTIMÆ
MARIAE
MAXIMAE MATRI
IESV
VOLVMEN ALTERVM

Argumentum qualecunque mentis addictæ

SED

Monumentum ære perennius aucti Beneficiis animi

Voti reus ſimul et Compos

Alexander Pellegrinus è Societate IESV

D. D. D.

Carolus Sangrius Societatis IESV Vicarius Generalis.

CVM Tomum Secundum PARADOXORVM in Euangelium S. Matthæi P. Alexandri Pellegrini noſtrae Societatis Sacerdotis, tres eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, facultatem concedimus vt Typis mandetur ſi ijs, ad quos pertinet, videbitur. Datum Romae 6. Ianuarij 1645.

Carolus Sangrius.

EX mandato Perilluſtris, ac Reuerendiſſimi Domini Camilli Androtij Vicarij Generalis, perlegi Secundum Tomum PARADOXORVM in Sanctum IESV CHRISTI EVANGELIVM Secundum Matthaeum, Auctore R. P. Alexandro Pellegrino Societatis IESV Theologo: in quo tantum abeſt, vt aliquid Eccleſiae Catholicae dogmatibus contrarium, aut bonis moribus inimicum potuerim inuenire; vt potius eximiam Auctoris pietatem, ac ſingulare ingenij acumen vbique deprehendam in SS. Patrum Sententijs aptiſſimè combinandis, nec non moralibus inſtitutionibus ingenioſè permiſcendis: adeo vt non modicam vtilitatem allaturus videatur. Quapropter digniſſimum iudico, qui Typis euulgetur. Laureti in Collegio noſtro 20. Septembris 1645.

Henricus Lindanus Societatis Ieſu.

Imprimatur.

Camillus Androtius Vicarius Generalis Laureti.

TOmum hunc PARADOXORVM in Sanctum IESV CHRISTI EVANGELIVM Secundum Matthaeum, ex mandato Perilluſtris Domini Archidiaconi Gaſparis Luſignani Sancti Officii Laureti Vicarij, perlegi; nec inueni quod Catholicis Doctoribus, pijſque moribus conſentaneum non ſit: Quin imò mira eruditione, Sanctorumque Patrum placitis perquam ſelectis refertum reperio. Quapropter luce dignum, vtpote lecturis vtilem admodum, ac periucundum iudico. Laureti 10. Septembris 1645.

Ego Marcus Lima Societatis Ieſu.

Imprimatur.

Gaſpar Luſignanus Archidiaconus, Vicarius Sancti Officij Laureti.

INDEX CONCIONATORIVS.

ADVENTVS.

DOMINICA prima Aduentus. Horrifica extremi iudicij diem præcedentia ſigna enumerantur Lucæ cap. 21. nu. 25. *Erunt ſigna in Sole, Luna, & Stellis, &c.* vt deterriti homines conſulant ſibi. Verùm ex S. Auguſtino: *qui vult ferire, non dicit caue.* Videlicet Chriſtus Dominus dum minatur, miſeretur. Imò ſupplicia huius vitæ miſerentis Dei beneficia ſunt: iuxta Paradoxum 6. in Cap. 8. pag. 99.

Val certè Eccleſia Sancti Spiritus edocta magiſterio, timorem incutit Christi fidelibus Dominica prima Aduentus, vt corda hominum imbecilla; reddat fortia aduerſus conatus inimicorum humanæ ſalutis; timor etenim cauſa eſt, & indicium fortitudinis ex Paradoxo 9. cap. 10. pag. 251.

Dominica ſecunda Aduentus. Habes Paradoxum 1. in Cap. 11. pag. 265. & Paradoxum 2. pag. 273.

Num. 7. *Illis autem abeuntibus, cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne; &c.* Singularem beneuolentiam erga Ioannem, humiliter de ſe ſentientem, demonſtrat Chriſtus Dominus, quia Deus noſter, Deus eſt paruulorum ex Paradoxo 7. in hoc Cap. pag. 301. & Paradoxo 8. pag. 307.

Ioannes in vinculis. Ex Paradoxo 1. in Cap. 14. Seruus Dei inter vincula maximè liber, & expeditus ad præclara perficienda facinora pag. 470.

Dominica 3. Aduentus. Sacerdotes, & Leuitæ Iudæorum nuncij miros tribuunt Ioanni honores, prophetam conſalutant, Eliam prædicant, tanquam Chriſtum venerantur, ignari: ſolam virtutem eſſe præmium virtutis, ex Parad. 2 in Cap. 10. pag. 216.

Ego vox. Inter tot laudes ſeſe tantoperè demiſit Ioannes: quia prærogatiuæ præſtantiores demiſſioris humilitatis cauſæ, & incitamenta. pag. 296.

Dominica 4. Aduentus. Horrore perfuſi refugiunt permulti pœnitentiam, ſed immeritò: Solitudo quippe, aſperitas, & aduerſitas, hominem faciunt in hac vita beatum, ex 1. & 2. Parad. in Cap. 11. pag. 265. & 273. Peccatum potius horrere deberent: quia nil peccato laborioſius pag. 319.

In Natiuitate Domini. Chriſto naſcente canunt Angeli canticum pacis, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax:* cum tamen Chriſtus Dominus profiteatur palam: *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Hinc ſanè patet veritas Paradoxi 10. in Cap. 10. Pax Chriſtianorum armata, & bellatrix. pag. 255.

Inter ſtabuli ſordes Deum ſe maximè demonſtrat Chriſtus Dominus, quia diues in miſericordia: Miſericordia enim præcellentiam Deo tribuit & nobilitatem. pag. 181.

Hymnus gloriæ reſonat in Cælo; vel quia ex parad. 5. in Cap. 13. Præcipua Chriſti laus ab vtero Virginis pag. 448. vel quia ex Parad. ſeq. Dei filius humana vilitate exaltatur. pag. 457.

In feſto S. Stephani Protomartyris. *Vidit Ieſum ſtantem:* Videlicet quo grauiores ſunt afflictiones, eò teneriores ſunt Dei conſolantis blanditiae, iuxta Parad. 13. in Cap. 8. pag. 136. Orat inter lapidum ictus Stephanus, & ideò exauditur: Etenim vis omnis, & efficacia orationis ab afflictione orantis, ex Parad. vlt. in Cap. 14 pag. 505.

In feſto S. Ioannis Euangeliſtæ. Ioannes omnia ſanctitatis decora complectitur, Martyr idem & Virgo, Propheta & Confeſſor, Doctor & Solitarius, Euangeliſta & Apoſtolus. Fuit id peculiare, & admirabile Ioannis priuilegium, quod ſoli datum fuit ſupra pectus Domini in Cœna recumbere. Coniungo ſimul placidè dormientis ſomnum; & titulos omnes ſanctitatis, quos explet Ioannes, eiuſque exêplo diſco opus Chriſtianæ vitæ quò perfectius, eò eſſe faciliùs. Nil perfectius ea ſanctitate, quæ omnes ſanctitatis numeros explet: Nil faciliùs placida quiete, & ſomno tranquillo. Vide Parad. 6. in Cap. 9. pag. 191.

Si velimus conſiderare Ioannem in Inſula Patmos diuinis rebus vacantem, & iugi orationis ſtudio mentem ad Deum ſedulò eleuantem, deprehendemus: orationem iuſti eſſe mortalis vitæ paradiſum, ex Parad. 7. in Cap. 9. pag. 200.

Dominica infra octauam Natiuitatis. Prædicuntur à Simeone aſpera, prænunciantur anguſtiæ, labores, vulnera, hiſce porrò non deterret familiam tam ſanctam; ſed alacriorem facit, ac fortiorem: Quippè vir iuſtus laborando roboratur, quieſcendo defatigatur, ex Parad. 5. in Cap. 7. pag. 29. Vel iuxta parad. 1. in Cap. 9. Calamitas magiſtra morum, & Diuini index Amoris. pag. 162.

In feſto Circumciſionis Domini. Sanguinem fundens reparator ſanctiſſimus, nomen Ieſus, nomen videlicet glorioſum, & ſuper omne nomen vſurpat; quia Deus erga homines beneficus non tam nobis, quam ſibi ipſi benefacere putat, ex Parad 1. in Cap. 8. pag. 63.

In Epiphania Domini. Herodes elatione ſua cruciatur, eandem nempe qua tantoperè delectatur, carnificem experitur. Sic ſe res habet: quæ peccantem iucundius delectant, acerbiùs cruciant ex Parad. 15. in Cap. 8. pag. 149.

Omnis Ieroſolyma cum Herode turbatur. Nimirum violentia ineluctabilis, & monſtroſa metamorphoſis ex conſuetudine improborum pag. 226.

& ex

Index Concionatorius.

& ex ſequenti Parad. 5. in Cap. 10. Homini nil nocentius homine pag. 231.

Dominica infra octauam Epiphaniae. Inter virtutes praeſtantiſſimas, & planè diuinas Chriſti Domini ſola memoratur obedientia; fortaſſe quia obedientia vna cùm ſit, omnes amplectitur ex Parad. 7. in Cap. 7. pag. 42.

Fit ſubditus hominum Rex Regum, & Dominus dominantium. Scilicet humilitas generoſae mentis effectus. pag. 329.

Dom. 2. poſt Epiphaniam. Nuptiales inter delicias deficit vinum. Deludit ſectatores ſuos mundus deficiens. Nimirum ex Parad. 3. in Cap. 11. Mundanae feliciatates, & magnitudines puerlles ludi. pag. 280.

Virgo Sanctiſſima repulſam patitur, & tolerat patienter. Non poterat opportunius afferre remedium egeſtati continuantium; quia ex Parad. 8. in Cap. 10. Patientia praeſidium, & dulce decus Chriſtianorum. pag. 246.

Dom. 3. poſt Epiphaniam. Centurio ea qua pollebat dignitate ſpectabilis, & Chriſti Domini laudibus exornatus, de ſe tam humiliter ſentit. Fallor niſi conſentit veritati Parad. 6. in Cap. 11. Praerogatiuae praeſtantiores, demiſſioris humilitatis cauſae, & incitamenta pag. 296.

Habes Paradoxa in hoc caput à pag. 63. & deinceps.

Dom 4. poſt Epiphan. Vide Paradoxa in hoc caput à pag. 136. & deinceps.

Dom. 5. poſt Epiphan. Habes Paradoxa in hoc caput à pag. 438. & deinceps.

Dom. 6. poſt Epiphan. Paradoxa in hunc textum vide pag. 448. & deinceps.

Dominica ſeptuageſimae. Bonus Paterfamilias ab vrbis auocat frequentia, & ad colendae vineae labores inuitat, vt percipiamus veritatem Parad. 1. & 2. in Cap. 11. Solitudo, aſperitas, & aduerſitas hominem faciunt in hac vita beatum. pag. 265. & pag. 273.

Vltimæ horæ operarij largiorem expectant mercedem lucri cupiditate capti; ſed ignorant nullum theſaurum virtute ditiorem; & opulentiſſimum eſſe, qui diuitias contemnit ex Parad. 7. & 8. in Caput 8. pag. 105. & 110.

Dominica ſexageſimæ. Facit ſatis Cœleſti Agricolæ ſemen gratiæ ſeminanti, fructus multiplex bonorum operum. Et tu non aliud expectas virtutis præmium ob virtutum exercitationem, quàm ipſam actionum Sanctarum multiplicitatem: Sola quippe virtus eſt præmium virtutis ex Parad. 2. in Cap. 10. pag. 216.

Cùm tot, ac tanta à diuitijs manent incommoda, an non cupiditas diuitiarum veriſſima inſania eſt? Ex Parad. 9. in cap. 8. pag. 115.

Dominica quinquageſimae. Cæcus tam illuſtri miraculo Chriſti Domini manibus illuminatur. Sic ſe res habet: Acerbiſſima infortunia pro Deo tolerata prænunciant huius vitæ felicitatem, ex Parad. 14. in Cap. 8. pag. 141.

Quid acerbius cæcitate? quid iucundius quàm Dei ipſius manibus illuminari? Nempè: quò grauiores ſunt afflictiones, eò teneriores ſunt Dei conſolantis blanditiæ? Ex Par. 13. in Cap. 8. Pag. 136.

QVADRAGESIMA.

FERIA 4. Cinerum. Opportunè poſt Bacchanalia monemur deponere fictae hypocriſis perſonam. Mundus quippè fabula eſt, & homines mundi perſonati ex Parad. 4. & 5. in Cap. 8. pag. 82 & pag. 90.

Inuehitur morum Magiſter Chriſtus Dominus in hypocritas, & meritò: Etenim Hypocrita ſtultiſſimus mortalium, ex Parad. 2. in Cap. 12. pag. 346. Stultiſſimus planè, quia non intelligit, humani cordis ſecretum non poſſe abſcondi, ex Parad. 6. in Cap. 7. pag. 35.

Sumpta ex Bacchanalium dierum licentia occaſione, poſſent comparari duo vitae genera Sceleſtorum ſcilicet, & iuſtorum, demonſtrando iuſtorum viam longè faciliorem eſſe, quàm peccatorum, ex Parad. 4. in Cap. 7. pag. 23. Praeterea Sanctorum virorum eò faciliorem eſſe viam, quò perfectiorem, explicat Par. 6. in C. 9 pag. 191.

Feria 5. poſt cineres. Habes peculiare Paradoxum huic textui accommodatum. pag. 99. Et videri poteſt Paradoxum 2. in Cap. 9. Fides ſicut ordine prima, ita inter virtutes dignitate praecipua eſt. pag. 168.

Feria 6. poſt Cineres. De hoſtibus facilè bene meretur, qui intelligit beneficentiam donare homini diuinitatem, iuxta Par. 5. in Ca. 9. pag. 186.

Deum imitari debemus inimicis benefaciendo. Deus enim erga homines beneficus non tam nobis, quàm ſibi ipſi benefacere putat, ex Parad. 1. in cap. 8. pag. 63. Hoc pacto erimus filij Dei: *Vt ſitis filij patris veſtri*.

Qui ſe excuſant dicentes, difficillimum eſſe inimicis parcere; ignorant quod explicatur Parad. 6. in cap. 9. Opus Chriſtianae virtutis quò perfectiùs, eò faciliùs. 191.

Dom. 1. Quadrag. Diabolus offert diuitias ignorans quod proſequor Parad. 7. 8. & 9. in cap. 8. Nullus theſaurus virtute ditior: opulentiſſimus eſt contemptor diuitiarum. Cupiditas diuitiarum veriſſima inſania eſt, à pag. 105. ad pag. 120.

Feria 2. poſt Dominicam primam. Plerique hominum ſuperbia decepti ſe ſe in parte dextera collocant, in hac vita: hos ad ſiniſtram compellet iuſtus iudex in extremo iudicio, in quo collocabuntur in dextera, qui ſiniſtram ſibi in hac vita delegerunt. Deus quippe Deus eſt paruulorum, iuxta Parad. 7. in cap. 11. pag. 301. Si dexterum latus appetis, eſto humilis; quia dignitatum cupiditas vilium animorum affectus. Humilitas generoſae mentis effectus ex Parad. 11. & 12. in c. 11. à pag. 324. & deinceps. Verè beneficus in pauperes, dum dare videtur, accipit, ex Parad. 3. in cap. 10. pag. 221. quandoquidem donantur beatitu-

Index Concionatorius.

titudine, & regno caeleſti, qui fuerunt erga miſeros miſericordes.

Feria 3. poſt Dominicam primam. Nummulariorum menſas, & cathedras vendentium euertit. Sic ipſa quibus abundant bona ſceleſti, afferunt poſſeſſoribus perniciem. Videlicet Dei beneficia impiis collata ſupplicia ſunt, ex Parad. 5. in Cap. 11. pag. 291.

Feria 4. poſt Dominicam primam. Habes Parad. in hunc textum à pag. 396. & deinceps, & à pag. 404.

Feria 5. poſt Dominicam primam. Oratio iuſti omnipotens, Parad. 3. in Cap. 7. pag. 17 Oratio iuſti mortalis vitae paradiſus, Parad. 7. in Cap. 9. pag. 200.
Vide infra Dom. 5. poſt Paſcha.

Feria 6. poſt Dominicam primam. In multitudine magna languentium caecorum, &c. peccatores agnoſce: Quia quae peccantem iucundius delectant, acerbius cruciant, ex Parad. 13. in Cap. 8. pag. 147. Diſce itaque ex Paradoxo. 3. in Cap. 9. Voluptatem vincere, fugere, reſpuere voluptatem eſſe maximam, pag. 174.

Hominem non habeo. Haec vna ratio eſt cur tòt inter languidos, hic ſanitati reddatur, felix qui omni humana deſtitutus ope, ſoli Deo fidit. Scilicet ſibi & rebus ſuis maximè proſpicit, qui ſe & ſua maximè deſpicit, ex Parad. 9. in Cap. 12. pag. 396.

Dominica 2. Quadrag. In montem ducuntur excelſum, & ab hominum ſegregantur conſortio tres diſcipuli vt beatitudine perfruantur: nempe ex Parad. 1. & 2. in Cap. 11. Solitudo, aſperitas, & aduerſitas hominem faciunt in hac vita beatum, pag. 265. Qui creduntur montes praerupti & inacceſſi ſternunt aditum ad beatitatem.

Petrus figere vellet ſtationem tot inter felicitates, ignorans mundanas felicitates, & magnitudines pueriles ludos, ex Parad. 3. in Cap. 11. Si ſecunda ſunt omnia, ſi proſpera & felicia, caue ne capiant animum: nequaquam bonum eſt nos hic eſſe; quærenda nobis æterna felicitas, deſpicienda temporalis tanquam ludicra.

Feria 2. Miſerrima ſceleſtorum infelicitas quod non poſſint incedere per viam ſalutis: *Quo ego vado, vos non poteſtis venire.* Sed coguntur vias ambulare difficiles, cùm veriſſimum ſit quod confirmatur Parad. 4. in Cap. 7. Iuſtorum via longè facilior quàm peccatorum, pag. 23.

Peccatores iuſti nomen affectant, & ſimulant quærere Ieſum, cum re vera nolint illum inuenire: Sed iſtorum nequitia manifeſta eſt. *Vos de deorſum eſtis, ego de ſurſum. Vos de mundo hoc eſtis.* Verè laborant in caſſum qui impium cor abſcondere ſatagunt, cum humani cordis ſecretum non poſſit abſcondi, ex Parad. 6. in Cap. 7. pag. 35.

Feria 3. ſummo in honore habendi Sacerdotes, quia ſunt Dij inter homines, ex Parad. 2. in Cap. 8. pag. 69. *Quæcunque dixerint vobis ſeruate, & facite*, ex Parad. 7. in Cap. 7. Vir obediens obedientia ſit multiplex, pag. 42.

Feria 4. Ab ambitioſa petitione diſce quanto affectu quærendæ ſint primæ ſedes in regno Chriſti; vt hoc pacto vitia ſint ſcholæ virtutum, ex Parad. 4. in Cap. 11. pag. 285. *Poteſtis bibere calicem.* Diſce quod explicat Parad. 6. in Cap. 8. ſupplicia huius vitae miſerentis Dei beneficia eſſe, pag. 99.

Feria 5. Confer Lazarum & Epulonem, & vtrumque inuenies mortuum; illum quidem mortuum mundo; hunc verò mortuum inter peccata; & vide Parad. 10. in Cap. 8. Sanctorum virorum, & ſceleſtorum communis eſt ſors, vt viuant mortui, pag. 120. & pag. 124.

Agnoſce in Epulone luxurioſum, & vide Parad. 3. in Cap. 14 luxurioſus hydrus vitiorum, pag. 481. & Paradox. 4. in idem Cap. Libidinoſus fit per luxuriam monſtrum, Idololatra, Hæreticus, Atheus, pag. 486.

Feria 6. Ex veteri prouerbio (Deorum dentes tardè molunt, ſed bene comminuunt) expectat Dei miſericordia impios, ſed vt grauiore puniat ſupplicio, quod huius Euangelij parabola inſinuat. Nimirum iuxta Paradoxum 5. in Cap. 11. Dei beneficia impijs collata ſupplicia ſunt, pag. 291.

Agricolis terram colentibus comparantur impij: quia nil peccato laboriobus, ex Parad. 10. in Cap 11. pag 319.

Dominica 3. Quadrag. *Erat eijciens dæmonium, & illud erat mutum.* Licet lingua indomitum ſit animal; licet plena peſtifero veneno, & maximè noxia: tamen Dei dono ſoluta lingua nil ſanctius, aut perfectius: tum quia Deum nulla re aptius, quàm lingua homines manifeſtant. Ex Parad. 7. in Cap. 10. pag. 241. tum etiam quia Deus ipſe quouis miraculo certius & expreſſius manifeſtat ſe ipſum ſermone, ex Parad. 6. in Cap. 10. pag. 236.

Feria 2. Integer vitae vir ſecurior inter hoſtes viuit, iuxta Parad. 8. in Cap. 7. Inſenſiſſimi virtutis inimici, quò acerbius virtute præditum oppugnant, eò tutius propugnant, pagina 49. Vel vide Parad. 6. in Cap. 8. Supplicia huius vitæ miſerentis Dei beneficia ſunt, pag. 99.

Feria 3. poſt Dominicam 3. Diligentia ſumma adhibenda pro impediendis proximorum peccatis, quia nobis maximè nocent, iuxta Parad. 5. in Cap. 10. Homini nil nocentius homine, pag. 231. Imò vim inferunt ſceleſti ſua conſuetudine, ex Parad. proximè præcedente: violentia ineluctabilis, & monſtroſa metamorphoſis ex conſuetudine improborum, pag. 226.

Feria 4. Ne ſimus faciles in ferenda de alijs ſententia: quoniam ex Parad. 1. in Cap. 7. Qui alios iudicat ſe ipſum damnat ſtultitiae, pag. 4. Præſertim verò cauendum ne probos viros dam-

nemus, licet videantur in aliquo vituperandi: Etenim ex Parad 1 in Cap. 12. In ſeruis Dei, quae apparent imperfectiones, præclara ſunt opera virtutis, pag. 341.

Fer. 5. Soerus Simonis magnis febribus laborans hoſpite Chriſto gaudet, & fit incolumis. Sic ſe res habet; Acerbiſſima infortunia pro Deo tolerata prænuntiant huius vitæ felicitatem, ex Parad. 14. in Cap. 8. pag 141. Vel certè, ex Parad. 1. in Cap. 9. Calamitas magiſtra morum, & diuini index amoris, pag. 162.

Feria 6. Aquas fluxarum rerum, & fallacium cupiditatum potum, reſpuendum ſuadet Chriſtus Dominus, aquas offerens ſalientes in vitam æternam. Videlicet ſerui Dei non perdunt, ſed permutant voluptates, ex Parad. 3. in Cap. 9. Voluptatem vincere, fugere, reſpuere voluptas eſt maxima, pag. 174.

Petit aquam Chriſtus Dominus à Samaritana, quaſi ab ipſa reficiendus. Nimirum Deus erga homines beneficus, non tam nobis, quàm ſibi ipſi benefacere putat, pag. 63.

Dom. 4. Quadrag Felix qui cum turbis, omnibus relictis, oblitus ſui, & rerum ſuarum, Chriſtum ſequitur, & diuinæ ſe ſe prouidentiæ committit; tum quia ex Parad. 11. in Cap. 12. Ad nutum alienæ voluntatis gubernari maxima libertas, ſumma felicitas eſt, pag. 410. tum etiam, quia ex Parad. 9. in idem Cap. 12. Sibi, & rebus ſuis optimè proſpicit, qui amore Dei ſe, & ſua maximè deſpicit, pag. 396.

Fugit Ieſus cùm vellent illum facere regem; quaſi dicere velit: Solam virtutem eſſe præmium virtutis, non ſceptra, non regna. Vide pagina 216.

Fer. 2. Facto flagello Chriſtus Dominus æquà pulſat manu tàm oues, & boues, quàm homines; imò non homines quos peccatum deformauit in belluas; ideòque fortaſſe è templo eijcit, & inter belluas reponit. Conſule Parad. 2. in Cap. 7. Culpa lethalis vera Circe, pag. 11.

Attende quò euadat auaritia: eò ſcilicet vt nil ſanctum, ac religioſum ducat, ſed omnia proterat, atque conculcet An non igitur cupiditas diuitiarum veriſſimâ Inſania eſt? Ità ſanè ex Parad. 9. In Cap. 8. pag. 115.

Feria 3. Doctrina Chriſti non intellectus perſpicacia, ſed voluntatis bonitate perdiſcitur. *Si quis voluerit voluntatem eius facere: cognoſcet de doctrina.* Hanc ideò Iudaei & peccatores non percipiunt, quia prauæ ſunt voluntatis. Itaque ſi volueris, ſtatim doctus euades in ſchola Chriſti, cuius diſcipuli ſtatim fiunt magiſtri ex Parad. 1. in Cap 10. pag. 211. quod ſi perciperent Iudaei, non mirarentur dicentes: *quomodo hic litteras, ſcit cum non didicerit?* Nondum didicit, & tamen ſcit; quia perfectè ſcire, & ſemper diſcere, quod ignaris conuenit, proprium eſt eorum, qui diuinæ ſapientiæ dant operam.

Feria 4. Caecum illuminatum ſuo iterum dignatur alloquio Ieſus; quia contumelijs affectum, vexatum, eiectum à Iudaeis non poterat non recipere humaniſſimè Pater conſolationis. Nimirum ex Paradoxo 13. In Cap. 8. Quò grauiores ſunt afflictiones, eò teneriores ſunt Dei conſolantis blanditiae, pag. 136.

Quanta tolerat felix hic cœcus, neque vllum inuenit patronum, ne parentes quidem; vt intelligas quàm appoſitè explicetur Parad. 8. in Cap. 10. Patientia praeſidium, & dulce decus Chriſtianorum, pag. 246.

Feria 5. Non eſt lacrymis proſequenda mors temporalis. *Noli flere.* Vita enim quam ducimus miſerrima eſt, ex Parad. 4. & 5. in Cap. 9. Vita praeſens fabula eſt, & homines mundi perſonati, pag. 82.

Feria 6. Lacrymatur Ieſus Lazarum in vitam reuocaturus: ſcilicet ex Parad. 12. in Cap. 8. lacryma mors peccati, peccatoris vita, pag. 130. & quia Lazarus pro ſymbolo peccatorum accipi ſolet. Vide Parad. proximè praecedens: Peccator viuens mortuus eſt, pag. 124.

Dominica Paſſionis. Quae tanta hominum ſceleſtorum dementia, vt audeant cum ſapientia Dei in contentionem venire! Enimuerò mundus eò inſipientior, quò ſe putat ſapientiorem, ex Parad. 4. in Cap. 12 pag. 355. & ex Parad. ſequenti. Dedocendus eſt mundus vt ſapiat, pag. 365.

Feria 2. Phariſaei quaerunt facere captiuum Dominum Ieſum, quaſi verò vincula, & carceres impedire poſſint vim atque efficaciam redemptoris. Toto caelo profectò abberrant; cum veriſſimum ſit Parad. 1. in Cap 14. Seruus Dei inter vincula maximè liber, & expeditus ad praeclara perficienda facinora, pag. 470.

Feria 3. Miſeri plane Chriſti perſecutores, timent, & non timent: etenim propter metum Iudæorum timent palam loqui; & tamen Deum non timent eum contra ius faſque, non modò ſeductorem appellent filium Dei: ſed etiam quaerant interficere. Ita eſt: Peccatum ſemper cum timore, peccator nunquam timidus, ex Parad. 3. in Cap. 13. pag. 438.

Feria 4. Circumdant Iudaei Chriſtum Dominum, vnde fit vt enucleatiùs de ſua diuinitate diſſerat Ieſus, & confutet pluribus errores inimicorum ſuorum. Nimirum ex Parad. 4. in Cap. 13. Societas ſceleſtorum non nocet, ſed prodeſt iuſtis, pag. 443.

Feria 5. Res mira, vt Magdalena profiteatur odio ſe habere mundum, vt declaret ſibi conuerſis ſtudijs voluptates eſſe inuiſas; inter conuiuantium delicias ab vnguento pretioſo, ab oſculis, à capillorum pompa pœnitentiae ſuae ducit exordium. Nunquid blanditiæ, & mundi muliebris oblectamẽta effœminatam animam auocant à peccatis? Enimuerò Parad. 1. & 2. in C. 15.

expli-

explicăt opportunè quo pacto diultiæ, voluptates, honores mundum nobis reddant exoſum, pag. 424. & pag. 432.

Magdalena dicitur peccatrix, quia omnium fons peccatorum libido, ex Parad. 3. & 4. in Cap. 14. Luxurioſius Hydrus vitiorũ, pag. 481. &, Libidinoſus fit per luxuriam monſtrum, Idololatra, Hæreticus, Atheus, pag. 486.

Fer. 6. Concilium malignantium quid non molitur vt perdat Ieſum: verum dum conantur perdere, exaltant: Ipſe ſanè mortem crucis exaltationem appellat. *Ego ſi exaltatus fuero à terra*. Et certè exaltatum humana vilitate Dei filium probat Parad. vlt. in Cap. 13. pag. 457. Ergo infenſiſſimi virtutis inimici quò acerbius virtute præditum oppugnant, eò tutius propugnant, ex Parad. 8. in Cap. 9. pag. 45.

Superbia Iudæorum ne regni faciant iacturam, vitæ auctorem decernunt è medio tollere, ex quo extrema Iudæorum ſtrages atque pernicies: ſuperbo homini nil ſuauius, & ſimul etiam nil pernicioſius quàm proterere, & perdere hoſtes gloriæ ſuæ. Vide Parad. 2. in Cap. 14. ſuperbia hoſtis ſæuiſſimus, ſimul & ſuauiſſimus, pag. 476

Dominica Palmarum. Triumphat Ieſus aſino vectus. Quid tam ignobile animal commune habet cum pompa triumphantia? Verùm more ſuo Chriſtus Dominus apparet humana vilitate exaltatus, ex Parad. 6. in Cap. 13. pag. 457.

Iudæi qui odio proſequuntur Chriſtum Dominũ hodie occurrunt ouantes, quaſi triumpho efferre velint, quem poſt paucas horas morte damnabunt. Vides quam verè dicatur adulatio maga, adulatores magicam artem exercere, ex Parad. 5. in Cap. 14. pag. 490.

Videlicet Adulatio præſtigijs ſuis inimicos mutat in obſequentes, & hominem, imò Natum Deo mille preſſum aduerſitatibus facit triumphatorem.

Dominica Reſurrectionis Chriſtus Dominus reſurgit immortalis, & ſacris impreſſa vulneribus caro, nona quaſi teſſera indigitat, verum eſſe: Iuſtum laborando roborari; ex Parad. 5. in Cap. 7. pag. 29. Non nocent vulnera ei, qui Chriſto compatitur: labores quippe robur addunt, non adimunt.

Feria 2. Duo Diſcipuli præ cæteris mœrore confecti Chriſto comitante, & colloquente leniuntur amore. Vide Parad. 13. in Cap. 8. Quò grauiores ſunt afflictiones, eò teneriores ſunt Dei conſolantis blanditiæ. pag. 136.

Feria 3. *Pax vobis*. Nimirum ſola pax eſt, quæ Chriſtianos armat, Dæmones expugnat, ex Parad. 8. in Cap. 12. pag. 391.

Vulnera praebet videnda, & pacem nunciat. Quid habent commune vulnera tam fera, cum amica pace? At fallor: imò inter vulnera pax vera; quia pax Chriſtiana armata, & bellatrix, ex Parad. 10. in Cap. 10. pag. 255.

Dominica in Octaua Paſcæ. Vnde obſecro, tam monſtroſa mutatio? Fit Thomas ex Apoſtolo incredulus. Diſce quo pacto culpa lethalis fit vera Circe, ex Parad. 2. in Cap. 7. pag. 11.

Dominica ſecunda poſt Paſcha. Appellat ſe *Paſtorem bonum* Chriſtus Dominus, quaſi hoc officio, & nomine glorietur. Ita eſt, gloriatur; tum quia miſericordia præcellentiam Deo tribuit, ex Paradoxo 4. in Cap. 9. pag. 181. Tum etiam, quia Deus erga homines beneficus non tam nobis, quàm ſibi ipſi benefacere putat, ex Parad. 1. in Cap. 8. pag 63.

Dom. 3. poſt Paſcha; Gaudij mundi lacrymæ, & triſtitia Sanctorum opponuntur; quia iucundiores ſunt mœrores ſeruorum Dei, quàm tripudia impiorum, iuxta Parad. 3. in Cap. 9. Voluptatem vincere, fugere, reſpuere, voluptas eſt maxima, pag. 174.

Dominica 4. poſt Paſcha. *Triſtitia impleuit cor veſtrum*. At quod ſolamen ad ſedandos afflictos Diſcipulos? quod leuamentum dolorum? Eſt in promptu, ipſa malorum tolerantia. Vide Parad. 8. in Cap. 10. Patientia præſidium, & dulce decus Chriſtianorum; pag. 246.

Dominica 5. poſt Paſcha. *Petite, & accipietis*. Habes Parad 5. in Cap. 14. Oratio Spirituale certamen, in quo vincit, qui ſolus eſt; auditur, qui cordis ſecretiore ſilentio loquitur, pag. 497. & Paradoxũ proximè ſequens: vis omnis, & efficacia orationis ab afflictione orantis, pagina 505.

In die Aſcenſionis. *Euntes in Mundum vniuerſum*. Mittuntur in regiones remotas, ac barbaras; quia iuſti laborando roborantur, ex Parad. 5. in Cap 7. pag 29.

Aſcendente Chriſto, par eſt vt diſcamus deſpicere terrena, & amare Cæleſtia; præſertim cum mundanæ felicitates, & magnitudines ſint pueriles ludi, ex Parad 3. in Cap. 11. pag. 280.

Dominica inf. Octauam Aſcenſionis. Seruis Dei prædicuntur aduerſa: Deus autem patrocinator eſt laborantium inter calamitates. Diſce tua deſpicere, vt tibi proſpicias, ex Parad. 9. in Cap. 12. pag. 396.

Dominica Pentecoſtes. Habes Parad. 3. 4. 5. 6. 7. in Cap. 12. à pag. 351. & deinceps.

Dominica 1. poſt Pentecoſten. Vide Parad. 5. in Cap. 9. Miſericordia donat homini cum Deo conſortium, & quaſi æqualitatem, pag. 181. & Parad. 3. in Cap. 10. Beneficus in pauperes dum dare videtur accipit, pag 221.

Dominica 2. poſt Pentecoſten. Qui vocantur à Deo, inuitantur ad Cœnam, & putant ſe vocari ad aſpera. Via iuſtorum longè facilior, quàm peccatorum in Parad. 4. in Cap. 7. pag. 23.

Qui ſe excuſant, quod non poſſint venire, palam faciunt, quàm dura ſeruitus ſit, quàm ſeruiunt peccatores. Contra qui ſe ſubdunt amore Dei, maximam experiuntur libertatem, ex Parad. 11. in Cap. 12. pag. 410.

Dom. 3. Homines qui iuſtificantur & appellan-

tur peccatores, & dicuntur gaudium afferre Angelis Dei: nimirum perfectæ virtutis eſt, actibus pœnitentiæ gaudium parere Angelis; & à peccatorum ſordibus recedere, incipientium eſt. Hinc diſce quod docet Parad. 1. in Cap. 10. Chriſti ſectator ſemper debet eſſe incipiens, & perfectus; ſemper diſcipulus, ſimul & magiſter, pag. 211. Phariſæi & Scribæ malè iudicant de Chriſto. Vide Parad. 1. in Cap. 7. Qui alterum iudicat ſe ipſum damnat ſtultitiæ pag. 4.

Dom. 4. *In verbo autem tuo laxabo rete*. Vir obediens obedientia fit multiplex, ex Parad. 7. in Cap. 7. pag. 42. & Parad. 11. in Cap. 12. Ad nutum alienæ voluntatis gubernari maxima libertas, ſumma felicitas eſt. pag. 410.

Petrus tot auctus bonis, tot cumulatus donis procidit in genua, quia ex Parad. 6. in Cap. 11. Prærogatiuæ præſtantiores, demiſſioris humilitatis cauſæ, & incitamenta. pag. 296.

Dom. 5. A vitijs Phariſæorum & Scribarum occaſionem ſumit Chriſtus Dominus docendi diſcipulos ſuos Euangelicam perfectionem: quia ſæpe vitia ſunt ſcholæ virtutum ſeruo Dei, ex Parad. 4. in Cap. 11. pag. 285.

Dom. 6. Turbis beneficentiæ ſuæ largitatem oſtendit Chriſtus, non principibus & dynaſtis: quia ex Parad. 7. 8. 9. in Cap. 11. Deus noſter, Deus eſt paruulorum à pag. 301. & deinceps. Vide Dom. 4. Quadrag.

Dom. 7. Habes Parad. 6. in hunc textum. Humani cordis ſecretum non poteſt abſcondi pag. 35. Poteſt etiam videri Parad. 5. in Cap. 8. Homines mundi perſonæ, pag. 90.

Dom. 8. occaſione huius Diuitis demonſtrari poteſt quo pacto cupiditas diuitiarum veriſſima inſania ſit, ex Parad. 9. in Cap. 8. pag. 115. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*; ex Parad. 3. in Cap. 10. Beneficus in pauperes dum dare videtur accipit. pag. 221.

Dom. 9. *Videns ciuitatem fleuit*, quia ex Parad. 12. in Cap. 8. Lacryma mors peccati, peccatoris vita. pag. 130 Memorat collata in Ieruſalem beneficia cum lacrymis: quia ex Parad. 5. in C. 11. Dei beneficia impijs collata ſupplicia ſunt pag. 291.

Dom. 10. Publicanus non audet oculos attollere, ideo iuſtificatur, ideo cælum expugnat & monſtra vitiorum trucidat, ex fœdo pulcher. Scilicet ex Parad. 10. in Cap. 12. Modeſtia virtutis decor, & vis pag. 404. *Percutiebat pectus ſuum*: Ideo Exauditur, iuxta Parad. 7. in Cap 14. Vis omnis & efficacia orationis ab afflictione orãtis, pag. 505. E contrario Phariſæus de ſe magnificè ſentiens, in ſuis ſordibus ſordeſcit magis. Sic videlicet ex Parad. 2. in Cap. 14. Superbia hoſtis ſæuiſſimus, ſimul & ſuauiſſimus. pag. 476.

Dom. 11. Chriſtus Dominus laudes deſpicit humanas, præcipiens ne indicet tam illuſtre miraculum. Sapit is cui videntur mundanæ felicitates, & magnitudines, pueriles ludi, ex Parad. 3. in Cap. 11. adeoque deſpicit quid quid offert mundus fallax. Vide pag. 280. & pag. 324. Parad. 11. in Cap. 11. Dignitatum cupiditas vilium animorum affectus. Humilitas generoſæ mentis effectus. Vide Dom. 3. Quadrag.

Dom. 12. In homine tot confoſſo vulneribus, & ſemiuiuo relicto, peccatorem agnoſce, & attende num verum ſit quod explicatur Parad. 10. in Cap. 11. Nil peccato laborioſius. pag. 319. Imò peccator non relinquitur ſemiuiuus, ſed viuens mortuus eſt, ex Parad. 11. in Cap 8. pag. 124

Dom. 13. *Ite oſtendite vos Sacerdotibus*. Iuxta Parad. 2. in Cap. 8. Sacerdotes Dij inter homines, pag. 69. Vnus inter decem redit ad Ieſum. Videlicet maculari non potuit tot ſociorum ingrati animi vitio, quia ex Parad. 4. in Cap. 13. Societas ſceleſtorum non nocet, ſed prodeſt iuſtis pag. 443. Laudatur fides vnius redeuntis; non laudatur munditiès, non conſtantia, non alia virtus niſi fides. Nempe ex Parad. 2. in Cap. 9. Fides ſicut ordine prima, ita inter virtutes dignitate præcipua eſt, pag. 168.

Dom. 14. *Non poteſtis duobus Dominis ſeruire*. Qui à Deo recedunt, ſeruiunt & quidem duriſſimam ſeruitutem, quoniam ex Parad. 15. in Cap. 8. Quæ peccantem iucundius delectant, acerbius cruciant. pag. 149.

Quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Vide Parad. 7. & 8. in Cap 8. Nullus theſaurus virtute ditior: opulentiſſimus eſt contemptor diuitiarum. pag. 105. & 110. Sola iuſtitia quærenda, quia ſola virtus eſt præmium virtutis. pag. 216.

Dom. 15. Viduæ vnico orbatæ filio ſolamen affert pater conſolationis Ieſus. Scilicet ex Parad. 13. in Cap. 8. Quò grauiores ſunt afflictiones, eò teneriores ſunt Dei conſolantis blanditiæ pag. 136. Vide feriam 4. poſt Dom. 4 Quadrag.

Dom. 16. *Qui ſe humiliat exaltabitur*, ex Parad 7. 8. & 9. in Cap. 11. Deus noſter, Deus eſt paruulorum pag 301. & deinceps.

Dom. 17. Legis Doctor pietatem ſimulans reuocat mihi in mentem Parad. 2. in Cap. 12. Hypocrita ſtultiſſimus mortalium, pag. 346. Aut certè Parad. 8. in Cap. 7. Infenſiſſimi virtutis inimici quò acerbiùs virtute præditum oppugnant, eò tutiùs propugnant pag. 49. Cùm enim doloſè circumueniunt Chriſtum, vt confundant, ipſi confunduntur, non enim poſſunt reſpondere triumphanti de Phariſæorum nequitia Verbi Diuini ſapientiæ. Poteſt etiam videri Parad. proximè ſequens pag. 54.

Dom. 18. Qui portant paralyticum nihil dicunt, & impetrant ſanitatem: ſilentium huiuſmodi ſuggerit mihi, Parad. 3. in Cap. 9. Silentium ſermone præſtantius, pag. 76. *Quidam de Scribis dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat*. Vide Parad. 1. in Cap. 7. Qui alios iudicat, ſe ipſum damnat ſtultitiæ pag 4.

Dom. 19. *Amice quomodo huc intraſti?* Amicum vocat, & ligari iubet atque eijci. Nimirum ex Parad. 6. in Cap. 8. ſupplicia huius vitæ miſerentis Dei beneficia ſunt, pag. 99. Qui inuitantur

ad

ad nuptias, negligunt, voluptatum amore capti. *Neglexerunt, & abierunt alius in villam ſuam, alius ad negotiationem ſuam*. Stulti profectò ignorantes quod explicat Parad. 3. in Cap. 9. Voluptatem vincere, fugere, reſpuere, voluptas eſt maxima pag. 174. Quiſquis à rege Deo vocaris ad nuptias, vocaris ad lautitias. Durum putas villæ, vel negotiationis voluptates deſerere: ſed deciperis, maxima voluptas eſt nuncium remittere voluptati; ſi villam deſeris, epulaberis cum rege; ſi domeſticæ negotiationi valediaeris, inter Magnates nuptiarum regalium delicijs perfrueris. Vide Dom. 2. poſt. Pentec.

Dom 20. Regiam Domum tot afflictam calamitatibus dum conſidero, occurrit quod explicant, Parad. 4. & 5. in Cap. 8. Vita praeſens fabula eſt, & homines mundi perſonati, pag. 82. & 90.

Indignatum ſe praebet Chriſtus Dominus, quaſi verò nolit annuere poſtulatis, orat Regulus, & exorat, vt manifeſtum fiat, quod habes Parad. 3. in Cap. 7. Oratio iuſti omnipotens, pag. 17.

Dom. 21. Miſeretur Dominus ſerui. Nil miſericordia praeſtantiùs, iuata Parad. 4. in Cap. 9. Miſericordia praecellentiam Deo tribuit, & nobilitatem: Donat homini cum Deo conſortium, & quaſi aequalitatem, pag. 181. & 186. Conſidera quàm ſaeuus ſit cum conſeruo ſuo hic ſeruus, & recole Parad. 5. in Cap 10. pag. 231. Abutitur ſeruus Domini ſui miſericordia, adeoque in carcerem conijcitur & peracerbè tractatur. Nempè ea Parad. 5. in Cap. 11. Dei beneficia impijs collata, ſupplicia ſunt, pag 291.

Dom. 22. Cùm Chriſtum Dominum oratione alloquantur blanda, & planè aſſentatoria Phariſaei: *Magiſter ſcimus quia verax es*. Vitium adulationis opportunè reprehendetur, ex Parad. 5. in Cap. 14. Adulatio Maga. Adulatores magicam artem exercent, pag. 490.

Dom. 23. Habes Parad. 2. in hunc textum pag. 168. Vel certè qui inter calamitates gemunt confugiunt ad Ieſum, & leuantur mœrore: quia ex Parad. 1. in Cap. 9. Calamitas magiſtra morum, & diuini index amoris, pag. 162.

Dom. 24. Fugam ſuadet magiſter optimus & ſapientiſſimus Ieſus; nil enim efficacius ad nocendum, conſuetudine hominum improborum. Vide Parad. 4. in Cap. 10. violentia ineluctabilis, & monſtroſa metamorphoſis ex conſuetudine hominum improborum, pag. 226. Vel certè timorem incutit Chriſtus, quia ex Parad. 3. in Cap. 13. Peccatum ſemper cum timore; peccator nunquam timidus pag. 438.

F I N I S.

INDEX CONCIONATORIVS DE SANCTIS.

IN ſeſto omnium SS. *Beati* dicuntur *pauperes. Beati qui perſecutionem patiuntur*, & mala tolerant. Verè beati; quia ex Parad. 1, in Cap. 11. Solitudo, aſperitas, aduerſitas hominem faciunt in hac vita beatum, pag 265.

Beati eſtis cùm maledixerint vobis homines. Vide Par. 8. in Cap. 10. Patientia præſidium, & dulce decus Chriſtianorum, pag. 246.

In ſeſto S. Martini. *Si adhuc populo tuo ſum neceſſarius non recuſo laborem*, dicebat S. Martinus, cuius exemplo diſce committere te prouidentiæ Dei, & tui obliuiſci. Etenim ex Parad. 9, in Cap. 12. Sibi, & rebus ſuis optimè proſpicit, qui amore Dei ſe, & ſua maximè deſpicit pag. 396. Martinus adhuc catechumenus praeſtantia virtutis, & perfectionis opera exercet. Quo pacto ipſo tyrocinij exordio perfectus? ſed ne mirere, quoniam in Chriſti ſchola quiſque debet eſſe diſcipulus ſimul & magiſter, pag 211.

In ſeſto S. Andreae. Piſcatores vocat, & facit Apoſtolos Chriſtus Dominus, quia Deus noſter, Deus eſt paruulorum ex Par. 7. 8. & 9. in Cap. 11. adeòque humilium conſuetudine gaudet. Vide pag. 301. & deinceps.

Crucem aduerſitatum amplectere libens & gaudens cum Andrea; quoniam ex Parad. 1. in Cap. 9. Calamitas magiſtra morum, & diuini index amoris, pag. 162.

In feſto S. Franciſci Xaucrij. In oratione tanta perfunditur dulcedine vt cogatur ſaepe repetere: *Sat eſt Domine: ſat eſt.* Suo diſcit experimento Xauerius quod explicatur Parad. 7. in C. 9. Oratio iuſti eſt mortalis vitae paradiſus, pag. 200. Tot inter labores ſemper alacrior; nimirum vir iuſtus laborando roboratur, ex Parad. 5. in Cap. 7. pag. 29. Apoſtolus Indiarum, Virgo, Propheta, vno verbo omnia ſanctitatis complectitur decora; nec mirum quia excellit in virtute obedientiae iuxta Societatis noſtrae ſpiritum. Fit porrò multiplex praerogatiua obedientiae, iuxta Parad. 7. in Cap. 7. pag. 42.

In feſto S. Nicolai. Non ſolùm eleemoſynam elargitur Nicolaus, & ſatagit ſe ſe abſcondere, reſpuit quippe praemium humanae laudis vel beneuolentiae, probè tenens, quod confirmatur Parad. 2. in Cap. 10. Sola virtus eſt praemium virtutis, pag. 216.

Liberalis eſt Nicolaus in pauperes, cùm pro comperto habeat quod explicat Par. 3 in Cap. 10. Beneficus in pauperes dum dare videtur accipit, pag. 221.

In feſto S. Thomae. Thomas Incredulus non modò non minuit, ſed auget fidem aliorum Apoſtolorum. Vide Parad. 4. in Cap. 13. Societas Sceleſtorum non nocet, ſed prodeſt iuſtis, pag. 443. Thomas ex Apoſtolo incredulus, fortaſſe quia ab Apoſtolorum conſuetudine frequenter recedens perfidis Iudaeis familiariter vtebatur. Animaduerte quàm verum ſit quod parad. 4. in Cap. 10. proſequimur; violentia ineluctabilis & monſtroſa metamorphoſis ex conſuetudine hominum improborum, pag. 226. Vide etiam Parad. ſequens: Homini nil nocentius homine, pag. 231. Vide Dominicam in Octaua Paſchae.

In feſto Purificationis B. Virginis. Subdit ſe legi, qua minimè tenebatur Maria, docens nos exemplo ſuo virtutem obedientiae. Vide Parad. 11. in Cap. 12. Ad nutum alienæ voluntatis gubernari maxima libertas, ſumma felicitas eſt, pag. 410.

Simeon vir iuſtus, & plenus Spiritu Sancto augetur donis gratiæ. Videlicet ex Parad. 3. in C. 12. More ſuo Spiritus Sanctus implet ſolum quod inuenit plenum, pag. 351.

In feſto S. Matthiæ. Habes Parad in Euangelium huius feſti, à pag. 296. & deinceps.

In feſto S. Ioſeph. Excitatur à ſomno vt famuletur puero Ieſu, quia ex Parad. 5. in Cap 7. Vir iuſtus laborando roboratur, quieſcendo defatigatur, pag. 29. Dormit in vtranque aurem qui cum Ioſeph ſui oblitus in ſinu prouidentiæ Dei requieſcit. Vide Parad. 9. in cap. 12. pag. 396.

In feſto Annunciationis B. Virg Mariæ. Dei mater ſe vocat ancillam, quoniam ex Parad. 6 in Cap. 11. Prærogatiuæ præſtantiores, demiſſioris humilitatis cauſæ & incitamenta, pag 296. Gratia plena ſalutatur, & ſuperueniente Spiritu Sancto obumbratur, iuxta Parad. 3. in Cap. 12. Spiritus Sanctus implet ſolummodò, quod inuenit plenum, pag. 351. Vide etiam Par. 5. in Cap. 13. Praecipua Chriſti laus ab vtero Virginis, pag. 448.

In feſto SS. Apoſt. Philippi, & Iacobi. *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo hoc faciam.* Habes Parad. 3. in Cap. 7. Oratio iuſti omnipotens pag. 17.

Non turbetur cor veſtrum. Omnem metum à cordibus diſcipulorum amandat Dominus, quia nil timere debent qui Deo ſeruiunt, neque à prauis hominibus, neque à diabolo, neque ab ipſis vitijs: Scilicet ex Parad. 8. in Cap. 7. Infenſiſſimi virtutis inimici, quò acerbiùs virtute praeditum oppugnant, eò tutius propugnant, pag 49. & Parad. proximè ſequenti: Diabolus ſuis tentationibus dum expugnare, & nocere conatur propugnat, & iuuat pag 54 Et tandem ex Parad. 4. in Cap. 11. Vitia ſunt ſcholae virtutum, pag 285.

In feſto exaltationis S. Crucis. Exaltanda profectò

Index Concionatorius.

fectò crua, quae & Chriſti fideles, imò & Chriſtum ipſum exaltat. Vide Par.14.in C.8. Acerbiſſima infortunia pro Deo tolerata prænuntiant huius vitæ felicitatē, p.141. Exultanti ergo excipienda animo,

Oportet exaltari filiū hominis. Vide Parad. 6. in C.13. Dei filius humana vilitate exaltatus, pag. 457.

In Apparitione S. Michaëlis. *Niſi efficiamini ſicut paruuli*. Vide Par.7.8. & 9. in Cap. 11. Deus noſter, Deus eſt paruulorum, à pag. 301. & deinceps.

In feſto S Barnabæ Apoſt. Habes Parad. in Euāgelium huius feſti à pag. 231. & deinceps.

In Natiuitate S. Ioan. Baptiſtae. *Apertum eſt os Zachariæ*. Dignum tanta ſolennitate miraculum; cum ex Parad. 6. in Cap. 10. Deus quouis miraculo certius, & expreſſius manifeſtat ſeipſum ſermone, pag. 236. Vide etiam Parad. proximè ſequens, pag 241.

Factus eſt timor ſuper omnes vicinos. Timor vtique Sanctorum, qui cauſa eſt, & indicium fortitudinis, ex Parad. 9. in Cap. 10. pag. 251.

In ſeſto SS. Apoſt. Petri & Pauli. Referuntur opiniones, imò errores mundi de Chriſto Domino; cum reuera ex Parad. 4. in Cap. 12. Mundus eò inſipientior, quò ſe putat ſapientiorem, pag. 355.

Ab erroribus mundi Petrus facit gradum ad veram de Chriſto ſapientiam: fortaſſe quia ex Parad. 4. in Cap. 11. Vitia ſunt ſcholae virtutum, pag. 285.

In feſto Viſitationis B. Virginis. Maior minorem viſitat, quia ex Parad. 12. in Cap. 11. Humilitas generoſae mentis effectus, pag. 329.

Abyt in montana cum feſtinatione. Nil ſeruo Dei difficile: montes ſuperat, & quidem feſtinans Virgo, etenim ex Parad. 6. in Cap 9. Opus Chriſtianae virtutis quò perfectiùs, eò facilius pag. 191.

In ſeſto S. Mariae Magdalenae. Tot inter Magdalenae virtutes vna laudatur fides, quia ex Parad 2. in Cap. 9. Fides ſicut ordine prima eſt, ita inter virtutes dignitate praecipua 168.

Pro lacrymis Magdalenae habes Parad. 12. in C. 8 Lacryma mors peccati, peccatoris vita, pag. 130.

In feſto S. Iacobi. Primas petunt ſedes, qui ignorant quod explicat Parad. 2. in cap 14. Superbia hoſtis ſaeuiſſimus, ſimul & ſuauiſſimus, pag. 476.

Adorans & petens. Qui expugnare vult principis animum, blandiſſima adulatione pugnat. Adorat, vt petat. Vide Parad. 5. in Cap. 14. Adulatio maga; Adulatores magicam artem exercent, pag. 490. *Calicem quidem meum bibetis*. Ex Parad. 6. in Cap. 8. Supplicia huius vitæ, miſerentis Dei beneficia ſunt, pag. 99.

In feſto S. P. Noſtri Ignatij. Miro modo triumphat Ignatius de prauis hominibus, de mundo, de diabolo, de ſe ipſo. Primò, quia dolis aduerſariorum ſæpius circunſeptus, & in vincula coniectus ſemper euaſit malignantium machinas cum incremento gloriæ. Nimirum ex Parad. 8. in Cap. 7. Infeſtiſſimi virtututis inimici quò acerbius virtute præditum oppugnant, eò tutius propugnant, pag. 49. Et ea Parad. 1. in Cap. 14. Dei ſeruus inter vincula maximè liber, & expeditus ad præclara perficienda facinora, pag. 470. Triumphauit de mundo cognoſcens quippè quàm fallax ſit, cælum intuens dicebat: *Quàm ſordet tellus dum cælum aſpicio*. Ex Parad. 3 in C. 11. Mūdanæ magnitudines pueriles ludi, pag. 180. Probè nouit etiam quod habes in Parad. 4 in Cap 8. Vita præſens fabula eſt, & homines mundi perſonati, pag. 82. Triumphauit de diabolo: Vide Parad. 9. in Cap. 7 Diabolus ſuis tentationibus dum nocere & expugnare conatur, propugnat & iuuat, pag 54. Semper Ignatius ex tentationibus fecit prouentum. Triumphat de ſe ipſo, quia nouum ſemper robur accipiebat ab afflictationibus quibus corpus ſuū redigebat in ſeruitutem. Vir iuſtus laborando roboratur, pag. 29.

In feſto S. Laurentij. Obediens Xyſto Pontifici omnium virtutum genere fulget Laurentius, prudentia in eludendis conſilijs tyranni, liberalitate in pauperes, fortitudine in ferendis aduerſis. Obediens enim obedientia fit multiplex, ex Parad. 7. in Cap. 7. pag. 42. Diuitias diſtribuit Laurentius, quia verè opulentiſſimus eſt contemptor diuitiarum, pag. 110. Dat fluxas diuitias, & palmam Martyrij recipit, nempe beneficus in pauperes dum dare videtur accipit pag. 221.

In feſto S. Bartholomæi Apoſt. Centies in die orat Bartholomæus egregius Chriſti Ieſu imitator, de quo in euangelio huius feſti dicitur: *erat pernoctans in oratione Dei*. Orat, & noctu orat; vt cum oratione coniungat mortificationem. Id planè inſinuat Parad. 7. in cap. 14 Vis omnis & efficacia orationis ab afflictione orantis, pag. 505. Aſtyages pellem detrahi iubet viuo Bartholomæo, de quo propterea veriſſimè dicitur & proprijſſimè, viuens mortuus eſt, ex Par. 10. in cap. 8. pag. 120.

In decollatione S. Io. Baptiſtae. Conſidera tot Herodis ſcelera, & recole Parad. 3. & 4. in c. 14. Luxurioſus hydrus vitiorum pag. 481. & libidinoſus fit per luxuriam monſtrum, idololatra, hæreticus, atheus, pag 486.

In carcere detentus Ioannes capite obtruncatur. Calamitas diuini index amoris, pag. 162.

In feſto S. Matthaei Apoſt. Diuitias contemnit Chriſto vocante. Nouerat Matthæus quod explicatur Parad. 8. in cap. 8. Opulentiſſimus eſt contemptor diuitiarum pag. 110. Habes etiam contra cupidos diuitiarum Par. proximè ſequens, pag. 115.

Vide pro Euangelio huius feſti, Par. 3.4. & 5. in hoc caput à pag. 174. & deinceps.

In feſto S. Franciſci. In ſolitudine montis praerupti inter plagas Beatus. Conſule Par. 1. in cap. 11. Solitudo, aſperitas, & aduerſitas hominem faciunt in hac vita beatum, pag. 265.

Franciſcus patientiae praeſidio contra aduerſa munitus, ex Parad. 8. in Cap. 10. Patientia præſidium, & dulce decus Chriſtianorum pag. 246. Franciſcus modeſtia prædicat. Conſule Parad. 10. in Cap. 12 Modeſtia virtutis decor, & vis, pag. 404.

FINIS.

SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM
Secundum Matthæum.

CAPVT SEPTIMVM.

1 NOLITE iudicare, vt non iudi-
2 cemini. In quo enim iudicio iu-
dicaueritis, iudicabimini: & in
qua menſura menſi fueritis, re-
3 metietur vobis. Quid autem
vides feſtucam in oculo fratris
4 tui: & trabem in oculo tuo non vides? Aut quo-
modo dicis fratri tuo: Sine eiiciam feſtucam de
5 oculo tuo: & ecce trabs eſt in oculo tuo? Hypo-
crita, eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc
6 videbis eiicere feſtucã de oculo fratris tui. Nolite
dare ſanctum canibus: neque mittatis margaritas
veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedi-
7 bus ſuis, & conuerſi dirũpant vos. Petite, & dabi-
tur vobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur
8 vobis. Omnis enim, qui petit, accipit: & qui quærit,

9 inuenit: & pulſanti aperietur. Aut quis eſt ex vo-
bis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, nun-
10 quid lapidem porrigit ei? Aut ſi piſcem petierit,
11 nunquid ſerpentem porriget ei? Si ergo vos, cū
ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris: quā-
to magis pater veſter, qui in cælis eſt, dabit bona
12 petentibus ſe? Omnia ergo quæcumque vultis vt
faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt
13 enim lex, & Prophetæ. Intrate per anguſtam por-
tam: quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ du-
cit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per
14 eam. Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ
ducit ad vitam: & pauci ſunt, qui inueniunt eam!
15 Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in
veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi
16 rapaces: a fructibus eorum cognoſcetis eos. Nū-
quid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus?
17 Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala
18 autem arbor malos fructus facit. Non poteſt ar-
bor bona malos fructus facere: neque arbor ma-
19 la bonos fructus facere: Omnis arbor, quæ
non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem
20 mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis
21 eos. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Do-
mine, intrabit in regnum cælorum: ſed qui facit
voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intra-
bit

22 bit in regnum cælorum. Multi dicent mihi
in illa die: Domine, Domine, nonne in no-
mine tuo prophetauimus, & in nomine tuo
dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtu-
23 tes multas fecimus? Et tunc confitebor illis:
Quia nunquam noui vos: diſcedite à me, qui
24 operamini iniquitatem. Omnis ergo, qui
audit verba mea hæc, & facit ea, aſsimilabi-
tur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuã
25 ſupra petram, & deſcendit pluuia, & vene-
runt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt
in domum illam, & non cecidit: fundata e-
26 nim erat ſuper petram. Et omnis, qui audit
verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit
viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſu-
27 per arenam: & deſcendit pluuia, & venerũt
flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in do-
mum illam, & cecidit, & fuit ruina illius ma-
28 gna. Et factum eſt: cum conſummaſset Ie-
ſus verba hæc, admirabantur turbæ ſu-
29 per doctrina eius. Erat enim docens eos ſi-
cut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ
eorum, & Phariſæi.

IN CAPVT SEPTIMVM.

A Num. I. ad VI.

Nolite iudicare, vt nō iudicemini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo: Sine eiiciam feſtucam de oculo tuo: & ecce trabs eſt in oculo tuo? Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere feſtucam de oculo fratris tui. Nolite dare ſanctum canibus: neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi dirumpant vos.

PARADOXVM I.

Qui alios iudicat, ſe ipſum damnat ſtultitiæ.

ADESTE animis Ariſtarchi dicaces, qui tàm faciles, quàm procaces eſtis ad temerè iudicandum. Ridenda enimverò, aut potiùs lacrymis proſequenda audacia veſtra eſt. Dum enim in aliena cauſa partes ſuſcipitis iudicis, in veſtra euaditis acerrimi accuſatores. Accuſatores autem? imò iuſtiſſimi æquiſſimiquè exibilandæ dementiæ æſtimatores, ac iudices ijdem ſimul ac rei. Vtinam detur mihi hoc loco palàm facere, quanta maturitatè ac ſapientia opus ſit in ferenda alienis de rebus ſententia, ne alios iudicantes, nos ipſos ſtultitiæ condemnemus.

Salomon ſanè iudicem ſuis quaſi coloribus adumbraturus, ait in vxorem pri-
D ùs ductam fuiſſe Sapientiam ab eo, qui partes iudicis erat cum laude expleturus. Vnde Prou. 31. 23. *Mulierem fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius*. Matronà tam vigil, tam prudēs, Iudex quàm ſapiens eſſe debeat.
tam præſtans conſilio, Sapientiam adumbrat. Audi quiſnam ſit maritus tantæ Dominæ. *Nobilis in portis vir eius*. Notum eſt autem, ſedere olim in portis conſueuiſſe iudices: Sic Deut. 16. nu. 18. Ruth. 4. num. 1. Amoſ. 5. num. 12. Iob. 5. nu. 4. & alibi. Iudex itaque, ex ſententia Salomonis, vir ille eſſe debet, qui non aliam duxerit vxorem, quàm Sapientiam. Oppoſitum omninò videmus, imò deploramus

contin-

contingere, propter inconſultā inſanamque temeritatem eorum, qui faciles ſunt ad iudicandum. Iſtorum in præſentia demonſtrabo ſtultitiam; vt, tanquam inepti, inanes, leuiſſimique cenſores, ab omnibus explodantur.

Satis aptè, ni fallor, vti poſſum in præſentia verbis illis, quibus olim Deus ipſe vſus eſt, ad reprehendendos Heli filios, quod impudentiſſimè Domini ſacrificia abieciſſent, atque cōculcaſſent. Sic autem habet lib. 1. Reg. cap. 2. num. 29. *Quare calce abieciſtis victimam meam, & munera mea, quæ præcepi, vt offerrentur in templo*. Quod latina editio legit, *calce abieciſtis*, Græca vertit, *Reſpexiſtis impudenti oculo*. Inaudita coniunctio oculorum, & pedum. Quaſi verò temeritas execranda iſtorum iuuenum magis ad viuum repræſentari non poſſit, quàm ſi dicantur oculos habere in pedibus. Sic ſe res habet: temerarij, ſtatim atque vident, conculcant: eadem quippe facilitate proterunt, quæ perſpiciunt. O egregium diſcrimen cordatum inter, ac dementem: ille oculos habet in capite; nam Eccleſ. 2. num. 14. *Sapientis oculi, ſunt in capite eius*: iſte, in pedibus. Quid tam ſtultum, quàm oculos à ſublimi capitis vertice ad ima pedum deturbare? Oculorum ſedes caput eſt; quia nimirum videnti, vt rectè iudicet, conſilium, mens, ratio, aſſideant, neceſſe eſt. Is autem, qui auulſos à capite oculos pedibus infigit, non alius eſt, niſi ille, qui temerè iudicat. Etenim, ſtatim atque aliquid videt, vituperat, carpit, reprehendit, & quaſi pede proterit, atque conculcat. Pedes ad curſum celeres ſunt, & expediti. Quàm timeo, ne ſis præceps ad iudicandum, ſi habeas in pedibus oculos! Attende, num de te conqueri poſſit Deus, dicens: *Reſpexiſti impudenti oculo, calce abieciſti victimam meam, & munera mea, quæ præcepi, vt offerrentur in templo*. O quoties accidit, vt temerarius calcet, ac conterat quod Deo carum; quemadmodum contigiſſe ſcimus Superbo Phariſæo, Lucæ cap. 7. num. 39. Magdalenam accuſanti. Et Phariſæis, ac Scribis de Chriſti diſcipulis obloquentibus Matt. 15. num. 2. Id ſibi voluiſſe crediderim regem Dauid, qui, ſicuti pſal. 55. num. 1. & 2. lamentabatur exclamans *Conculcauerunt me inimici mei*: ita pſal. 21. nu. 18. conquerebatur: *Ipſi verò conſiderauerunt, & inſpexerunt me*; aue ex Græco textu *Toruè inſpexerunt me*. Perinde ac ſi cenſores, qui torno oculo hominem iuſtum inſpiciunt, eundem conculcent maxima temeritate, & ſtultiſſima inconſideratione. Tritum

Filiorū Heli audacia.

Sapientium oculi in capite, ſtultorum in pedibus.

Temerè iudicātes Dei victimam calcant.

Oculus criticus iuſtum proterit.

A

eſt oculis deſignari aciem mentis, & pedibus adumbrari affectus. Conſilium ſine conſilio dementiſſimum procul dubio eſt, ſpeculam rationis, & pupillam animi, quæ præeſſe deberet imperio toti corpori, pedibus committere, hoc eſt, affectibus hac illac ſine rationis lege vagantibus ſubiugare. Illum profectò Sapientium opinio dementem putat, quem certò ſcit non capite iudicare, ſed pedibus. Hoc enimuerò non iudicare eſt, ſed conculcare; non ferre ſententiam, ſed inferre violentiam; non decernere quid rationi conſonum, & veritati reſpondens, ſed omnia ſuſquedeque commiſcere ac perturbare.

Temerarius non iudicat ſed conculcat.

B

Lege cauit maximus, & optimus legislator Dominus, vt habetur Leuitici cap. 13. per totum, vt non, niſi diligentia maxima à Sacerdote adhibita, ferretur de leproſo ſententia, vnde cit. cap. num. 4. & 5. *Et recludet eum Sacerdos ſeptem diebus: Et conſiderabit die ſeptimo*. Quorſum tot dierum examen, & tam exacta conſideratio in morbo patentiſſimo, & qui primo videtur aſpectu? Vt diſcamus, meo iudicio, quàm lentè, quàm circumſpectè, quàm cautè procedere debeat, qui ſententiam de alijs audet ferre. In hanc gratiam quod paulò ante ex Prouer. 31. 23. attuli, *Nobilis in portis vir eius*, Biblioth. Complut. reponit pro nobili *circumſpectus*. Si pro lepra iudicanda tantum temporis, ac tanta circumſpectio requiritur; quale putabimus examen, quantum conſilium adhibendum ab eo, qui de intimo cordis ſecreto audet decernere? Conſulat is cap. 6. lib. 1. Reg. vbi leget ex ciuibus Bethſamitarum ſeptuaginta, ex plebe verò quinquaginta millia fuiſſe ſublata è medio horrifica vleiſcentis Dei internecione. Quæris cur tanta exarſerit in interfectos hoſce vindicta? Audi verba textus cit. cap. num. 19. *Percuſſit autem de Viris Bethſamitibus, eo quòd vidiſſent arcam Domini, & percuſſit de populo ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia plebis* Dum tanto puniuntur ſupplicio curioſi indagatores partium interiorum Arcæ, reputa tecum ipſe qua ſe dignos pœna conſtituant, qui viuentis Dei templum animatum non curioſè modò perluſtrare, ſed etiam impudenter audeant vituperare. *Caue*, (eſt admonitio S. Bernardi Ser. 40. in Cant.) *aliena conuerſationis eſſe aut curioſus explorator, aut temerarius iudex. Etiam ſi perperam actum quid deprehendas, nec ſic iudices proximum, magis autem excuſa*.

Quanta in iudicāte circumſpectio.

C

Horrenda pœna curioſorum.

D

Peccans excuſandus nō iudicandus.

Si cui fortè Bernardi ſententia videretur perfectioris quidem, ſed ſeuerioris diſciplinæ, & ad communem praxim parum

accõmodata; hanc ego vellem attentum, dum affero in medium, quod ſcribitur ab Euangeliſta Matthęo cap. 22. ; vbi celeberrimæ illæ regis nuptiæ deſcribuntur. Accubuerant menſę regia inſtructę lætitia introducti conuiuę; cùm ecce ingreſſus rex, hominem conſpicit non veſtitum veſte nuptiali cit. cap. num. 11. *Intrauit autem rex, vt videret diſcumbentes: & vidit ibi hominem nõ veſtitum veſte nuptiali*. Quis, obſecro, credet vnquam miſerum illum hominem viſum non fuiſſe à famulis regis, quibus ea prouincia fuerat demandata, vt conuiuas exciperent, & iuxta cuiuſque dignitatem, atque cõditionem diſponerent: aut certè fieri ne poteſt, vt aulici adeò vecordes eſſent, vt ignorarent regem ægrè laturum, vt homo inornatus, incompoſitus, planèq; ſordidus fœdaret cœtum tam nobilem conuiuantium? Mihi ſanè perſuadere non poſſum, à regię mēſę miniſtris, aut hominem illum viſum non fuiſſe, aut ignoratam ſui Principis voluntatem. Imò callebant optimè ſapientiſſimum regem reſeruaſſe ſibi iudicium, & nemini omninò ex domeſticis licere, quemquam damnare, tanquam à conuiuio reijciendum, licet ipſo veſtium pædore ſqualloreque habitus, certo certius, & luce clariùs videri poſſet æquum eſſe, & regię domus maieſtati conſonum; eum in exteriores tenebras relegare. In hanc iuiſſe ſententiam S. Paſchaſium inuenio; ſic enim habet lib. 10. in Matth. *Quia malos in conſcientia intus intelligere non omnium eſt: ideò hunc malum ſolus Deus terribilis, & rex magnus inuenit*, rectè monet Bernardus: *Etiam ſi perperam actum quid deprehendas, nec ſic iudices proximum, magis autem excuſa*. Licet appareat damnandus frater tuus, à te tamen damnari non debet. An non Deus ipſe 1. Reg. cap. 16. num. 7. & 8. Samuelem erudiens dicebat? *Nec iuxta intuitus hominis ego iudico: homo enim videt ea, quæ patent, Dominus autem intuetur cor*. Quis furor adeò demens, vt ſuadeat homini, vel Dei vſurpare officium, vel illud aggredi, quod perficere nullo modo poſſit?

Deus reſeruat ſibi iudicium.

Compono ſimul querimoniam Dauid, & encomium Sponſæ. Dauid quidem pſal. 37. num. 11. lamentatur dicens: *Lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum*. Id quod mihi videor aptare poſſe Cenſoribus illis, qui temerè, & ſtultè ferunt de alienis iudicium. Non dicit Dauid iſtos homines cęcos eſſe, ſed lumen oculorum, quod habent, non eſſe cum illis, quorum induens perſonam ait: *Lumen oculorum meorum ipſum non eſt mecum*. Tecum quidem non eſt, ſi vagatur in aſpiciendis, examinandiſque, quæ ad te minimè pertinent, lumen mentis, quod ſuper nos ſignatum eſt à bonitate Dei. Sed nobiſcum eſſe debet; neque enim par eſt, vt talpę ſimus in cordis noſtri penetralibus perueſtigandis, & in indagandis externis Argo inueniamur oculatiores. Si fortè quempiam offendamus, extra quem rationis lumen vagetur incertum, hunc ſtultum meritò credimus: Miſerum te, planèq; dementatum, ſi lumen oculorum tuorum intellectus videlicet, & iudicij tecum non ſit. Oppoſitum omninò laudat, & conſiderandum proponit in oculis Dilectę ſuę Sponſus cęleſtis. Cant. 5. nu. 12. *Oculi eius, ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum quæ lacte ſunt loti*. Cur lacte dicuntur loti, ſi riuuli defluunt aquarum ad abluendum vnicè facti? Dabit reſponſum Diuus Gregorius Nazianzenus orat. 13. in Cant. in fine, his verbis: *In lacte obſeruatum eſt ſolum, inter humida, proprietatem hanc habere, quòd in eo nullius rei ſimulacrum, ac ſimilitudo conſpiciatur. Quo fit, vt hæc oculorum Eccleſiæ ſit laus perfectiſſima: quòd nihil, quod non ſubſiſtat in rerum natura; nihil erroneum, nihil vanum, præter ipſam rerum veritatem intueantur; erroneis huius vitæ ſpectris, & imaginationibus nequaquam admiſſis*. Hæc Greg. Si, quod ipſe de Eccleſiæ oculis, nos de cuiuſque anima, quæ non immeritò Chriſti ſponſa haberi poteſt, dicere velimus, nil aptius pro re prǽſenti inuenire poterimus. Lacteos habeat oculos neceſſe eſt cęleſtis ſponſi Dilecta; vt *nihil, quod non ſubſiſtat in rerum natura; nihil erroneum, nihil vanum, præter ipſam rerum veritatem intueantur, erroneis huius vitæ ſpectris, & imaginationibus nequaquã admiſſis*. Hoc ſtultorum negotium eſt ſpectris, & imaginationibus occupari, conſtruere quæ non ſubſiſtunt, erronea, & vana componere; & hoc eodem opificij genere temerarij ſcrutatores, & mendaces aliorum Iudices occupantur. Decet noſtros oculos eſſe columbarum, quæ lacte ſint lotę. Vnde Matth. 10. num. 16.: monebat Chriſtus Dominus: *eſtote ſimplices ſicut columbæ*. Non exploratores curioſi, aut temerarij inueſtigatores.

Cenſores ipſo ſuorum oculorum lumine orbi.

Oculi ſponſæ cæleſtis cur loti lacte.

Scio huiuſmodi perſcrutatores, imò verò perſecutores alienorum morum, excuſare ſe de nimia in iudicando temeritate; eo quod ſatis pateant ea, quæ ipſi magna cum libertate condemnant. Sed effugia ſunt iſta; neque enim quiſpiam perditus adeò inueniri poteſt, quem excuſare

non

non debeas. Conſule Chryſoſt. tom. 3. hom. 3. de Lazaro verba illa Abraham ad Epulonem, *recepiſti bona in vita tua*, in hunc modum examinantem: *Hæc vox, recepiſti, debiti cuiuſdam ſignificationem habet, eo quod recepit aliquis, quæ debeãtur. Proinde ſi diues iſte ſceleſtus, & inhumanus fuit; quamobrem non dicit illi, cepiſti, ſed recepiſti bona tua, quaſi iure illi competerent, quaſi deberentur. Quid igitur? videlicet hinc diſcimus, quod etiam ſi qui ſunt ſceleroſi ad extremam improbitatis lineam deuecti, tamen frequenter vnum aliquod, duoue, aut tria benefacta ſunt operati.* Deus immortalis! ne ipſi quidem reprobi omnino ſunt reprobandi.

Ne ipſi quidem damnati, damnandi.

B Aberrat à mentis ſanitate qui fertur præceps, ad iudicium, etiam de innocentibus ferendum; cùm ne ipſi quidem perditi homines à prudentibus rerum æſtimatoribus debeant accuſari. Acutè monet Tacitus lib. 1 hiſt: quam cauti eſſe debeant, & circumſpecti, qui alios iudicant. Cùm enim homines perditiſſimi Cingonius, Varro, & Petronius Turpilianus; Primus tanquam proditor, ſecundus, tanquam Dux Neronis, Iuſſu Galbæ Imperatoris damnati fuiſſent; tamen habiti ſunt à populo innocentes, eo quòd non ſeruato iuris ordine, & inauditi indefenſique extremo ſupplicio ſunt addicti. Verba Taciti: *Tardum Galbæ iter, & cruentum, interfectis*

C *Cingonio, Varrone, & Petronio Turpiliano; ille vt Nipbydij Socius; hic, vt dux Neronis, inauditi, atque indefenſi, velut innocentes perierant.* Ergò, ſi rationi conſonum eſt, vt perditiſſimi, ac facinoroſiſſimi nequaquam damnentur temerè, atq; ſine diligenti accurataq; circumſpectione; exorbitat profectò à legibus rectæ rationis, qui non alia auctoritate, quàm temeritatis ſuæ, fit iudex aliorum tam inſanus, quàm præceps.

De ſceleſtiſſimis etiã cautè iudicandum.

Nec poſſum, nec debeo ſilentio inuoluere monitum S. Pauli ad Rom. ſcribentis cap. 2. num. 1. *Inexcuſabilis es ò homo*

D *omnis, qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, te ipſum condemnas; eadem enim agis, quæ iudicas.* Quia crederet, niſi Paulus aſſereret, eò vſque procedere temerè iudicantium inſaniam, vt fiant accuſatores ſui, dum alios audent condemnare? Geneſis 4. nefandus fratricidij auctor Cain, innocentis Abel ſanguine fœdatus, furijs agitatus, & ſui minimè compos num. 14. cit. cap. exclamat: *Omnis, qui inuenerit me, occidet me.* Ita ne verò? vſque adeò fluctuantis animi tempeſtate iactaris, vt credas te omnium manibus interficiendum? *Omnis, qui inuenerit me, occi-*

Alios iudicans facit ſe reum.

A *det me.* Quid cogitas? quid dicis mortalium perditiſſimè? Putas ne fieri poſſe, vt tuus ipſe genitor, mater ipſa, quæ tenerrimo te fouet affectu, ſi te forte offendat, tuo (niſi potius ſuo) ſe ſanguine polluant? ita planè exiſtimat Cain. *Omnis qui inuenerit me, occidet me.* Vnde quæſo, aut quo indicio potuit tanti criminis in ſuſpicionem adduci? non aliunde ſanè, quàm à propria conſcientia. Solenne enim eſt, vt de alijs malè iudicent, qui de ſe ipſi eiuſdem ſceleris conſcij ſunt. *Inexcuſabilis es ò homo omnis, qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, te ipſum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas.* In quam gratiam verè, ac ſapienter ſcrip-

B ſit Epiſt. 21. Nazianzenus. *Qui à vitio liber eſt, is quoque ad ſuſpicandum vitium ſegnior eſſe conſueuit.* Quiſquis es, qui mercatores accuſas tanquam fures, iuuenes tanquam impudicos, aulicos tanquam ſuperbos; vide ne id de te æquius ſit ſentiendum. Iſtiuſmodi homines videntur mihi ſimillimi Iehù regi Iſrael, de quo lib. 4. Reg. cap. 10. ſacra narrat hiſtoria mandaſſe, vt necarentur ſeptuaginta filij Achab, & quadraginta duo fratres Ochoziæ, inſuper omnes ſacerdotes Baal, & Ierobaal; imò ædes ipſa idoli Baal non diruta modò, ſed in latrinam fuit conuerſa eiuſdem imperio, vt cit. capit. num. 28.

Zelo Iehu agitur, qui alios iudicat.

C ſed quò euadet tandem Iehu zelus? Dicam pauciſſimis: eadem colit idola, ijſdem ſe fœdat ſceleribus Iehu, quæ in alijs tanto ardore vindicauerat. Hæc ſunt verba Textus cit. capit. num. 29. *Deleuit itaq; Iehu Baal de Iſrael. Veruntamen à peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Iſrael, non receſſit, nec dereliquit vitulos aureos, qui erant in Bethel, & in Dan.* Qui vehementes ſunt in damnando, puniendoque proximo, non raro eadem pice coinquinantur, quam tanta indignatione videntur auerſari. Lego apud S. Ambroſium ſer. 20. in pſal. 118. *Cum vnuſquiſ-*

D *que ſit ſuorum conſcius peccatorum, quomodo poteſt de alterius iudicare peccato? iudicet de alterius errore, qui non habet, quod in ſe ipſo condemnet. Iudicet ille, qui non agit eadem, quæ in alio putauerit punienda; ne, cum de alio iudicat, in ſe ferat ipſe ſententiam.* Parce ergò tibi ipſi, ſi non vis fratris tui exiſtimationi parcere; ſi enim alium arguens, te ipſum damnas; extremæ dementiæ eſt, vt alteri noceas, in te ipſum ſæuire. Cohibuit id furentes Phariſæorum animos, continuitq; manus, ne deprehenſam in adulterio lapidibus obruerent; vt habetur Ioan. 8. num. 7. *Qui ſine peccato eſt, primus in eam lapidem mittat.*

Quanta in iudicante integritas requiratur.

imitat: Chriſti Domini vox fuit. Si ergò non amor proximi, non timoris Dei frænum, non humanæ, ac diuinæ leges continere te poſſunt in officio, vt feras de alijs ſententiam inconſultam; ſaltem contineat te beneuolentia tui; quandoquidem, *in quo iudicas alterum, te ipſum condemnas*. Verbis iiſdem monere te poſſum quibus à Hieronymo Ruffinus admonitus fuit; ſic enim lib. 3. Apolog. contra Ruffinum leges: *Obſecro te, vt, qui mendacij alterum criminaris, deſinas ipſe mentiri*: Sic eſt: Qui furem damnat, rapax eſt; qui effœminatum vituperat, voluptatibus coinquinatur; & qui alios ſimulationis reprehendit, Sinone peior mendaciſſimus

B

eſt. Reum ſe facit non ſolius temeritatis procax aliorum accuſator, ſed eorundem ſe ſcelerum prodit reum, quæ tanta cum libertate deridet.

Oraculum fuit diuinæ ſapientiæ Eccleſiaſtici 21. num. 25. *Pes fatui facilis in domum proximi*. At verò cariorem, ſecretiorem, honoratiorem eſſe cordis mentiſque ſedem, quàm penetralia domus nemini dubium eſſe poteſt; vt propterea ſtultitiam eorum ſatis demirari nõ poſſim, qui temerario auſu receſſus intimos alienæ intentionis penetrare non dubitant. Indignatus eſt meritò Iacob; nec potuit

Meritò Iacob de Laban cõqueritur.

C

non ægrè ferre, quòd Laban, vt ſcribitur Gen. 31. nimia ſollicitudine, & diligentia perquireret omnia, quæ in eiuſdem Iacob domo erant; vnde cum iurgio ait: *Quã ob culpam meam, & ob quod peccatum meum ſic exarſiſti poſt me, & ſcrutatus es omnem ſubſtantiam meam?* Complectere cógitatione, ſi potes, quantò acerbius videatur fratri tuo, ſi libera, imò temeraria iudicij excurſione intimos cordis ipſius receſſus perluſtres, & nullas mentis animique eius latebras prætermittas, quò non peruadas. Si pes fatuus facilis in domum proximi, cur ſana videbitur ea mens, quæ adeò facilis eſt non in domum, ſed in ſinum, ſed in pectus, & pectoris archiuum,

D

ac ſcriniolum cor non penetrare modò, ſed permanere; ac facta, dicta, cogitata, imò ne cogitata quidem librare, carpere, vituperare, & comminiſci audet; ac condemnare. Miror, ſi non perueniant ad aures tuas querelæ cum Iacob dicentium: *Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum, ſic exarſiſti poſt me, & ſcrutatus es omnem ſubſtantiam meam?* Satius eſſet, & longè conſultius, ſi, prætermiſſis alienis, tuæ vitæ cauſam ſuſciperes examinandam, & cum Sancto Dauid 2. Reg. 24. num. 17. rectiſſimè fatereris: *Ego ſum, qui peccaui; ego, qui*

Inſania de alijs iudicãtium.

A

inique egi. Inſaniæ namque genus eſt inſanabile, ſtultus cum ſis, omnes tanquam mente captos irridere; quod monuit Eccleſiaſtes cap. 10. num. 3. *In via ſtultus ambulans, cùm ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat*. Huiuſmodi ſunt temerarij Ariſtarchi, & impudentes Cenſores, quos reprehendimus hoc loco; qui ideò temerè iudicant, & pro certo affirmant aliena ſcelera, quia ſunt ipſi ſceleſti. *In quo iudicas alterum, te ipſum condemnas*.

Apocalypſis cap. 2. Mandat Dominus Ioanni, quem habet à ſecretis, vt ſingulis Epheſi, Smyrnæ, Pergami, Thyatiræ Epiſcopis ſuas ſcribat Epiſtolas; inter quas

B

illud diſcrimen eſt; vt in epiſtola Antiſtiti Epheſino data velit dominus deſcribi vndequaque luminibus circumſeptus, imò & ſtellas manu geſtans. Sic habes cit. cap. num. 1. *Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe, Hæc dicit, qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua, qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum*. Alijs verò Epiſcopis non ſic: num. 8. *& Angelo Smyrnæ Eccleſiæ ſcribe. Hæc dicit primus, & nouiſſimus, qui fuit mortuus, & viuit*. Et nu. 12: *& Angelo Pergami Eccleſiæ ſcribe. Hæc dicit, qui habet romphæam vtraque parte acutam*. Et n. 18. *Et Angelo Thyatiræ Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit filius Dei,*

Iudex quàm oculatus eſſe debet.

C

qui habet oculos tanquam flammam ignis, & pedes eius ſimiles aurichalco. Cogitanti mihi vnde prouenire poſſit hæc differentia, vt ſoli Epiſcopo Epheſino indicari velit & ſtellarum, & candelabrorum luminibus circumſeptus; ea demum viſa ratio eſt, quia Epiſcopus Epheſi reprehendendus erat, non de toleratis alienis defectibus, vt Epiſcopi Pergami, & Thyatiræ de tolerata Iezabel, & Nicolaitis; ſed de proprijs erat arguendus, accuſanduſque de prætermiſſo charitatis ſtudio, & de remiſſo, in Deo ſeruiendo, feruore. Vt autem intelligamus, quàm circumſpectus ſit in damnando, quàm in iudicando cautus Dominus Deus; & accendiſſe ſe candelabra,

D

& aduocaſſe ſtellarum lumen teſtatur, quibus (vt ita dicam) conſcientiæ alienæ tenebras illuſtrantibus, voluit ferre iudicium. Ergò Deus, qui totus eſt oculus (vt cum Auguſtino loquar) non niſi lumine vndequaque circumfuſus cordis humani latibula perueſtigat. Ecquæ noſtrarum mentium cæcitas eſt, ſi per tetras ſuſpicionis obſcuræ nubes, ac nebulas, ſubluſtri lippientium oculorum noſtrorum intuitu, de aliorum geſtis quicquam certi decernere poſſe credamus? Fugiunt mentium etiam perſpicaciſſimarum intuitum cordis humani arcana ſecretiora, adeò vt Deo

ipſi,

ipſi, immortali ſcilicet luminis ſapientiſſimi oculo, opus ſit mutuatum lumen accendere, vt probè dignoſcat, quod iudicet: vnde ipſemet profitetur Sophon. cap. 1. 12. *Scrutabor Ieruſalem in lucernis*. Fatetis hominum impudenter, imprudenterque iudicantium temeritatem inſanam?

Qualis debeat eſſe iudex: expers erroris, Templum, Sacrarium, Ara.

Dicitur, quod optimè noui à Caſſiodoro lib. 1. variarum ep. 4. *Iudex totius erroris expers; nec inuidia quenquam deprimens, nec gratia blandiente ſublimans*. Dicitur ab eodẽ eod. lib. Ep. 12. *Iudex innocentia templum, temperantia ſacrarium, ara iuſtitia*. At quæ poteſt cum tãta temerariorum iudicũ impudentia inueniri ſanctitas? quæ cum tanta libertate circumſpectio, aut prudentia? aut quid innoxium, B quid tutum, quid ſacrum, aut inuiolabile reperiri poteſt cum tam proiecta procacitate pronunciandi? Accepimus ex lib. 2. Reg. cap. 6. Ozam Deo vlciſcente inopinata

Oza mors

morte ſpectante populo mulctatum, tanto cum circumſtantium horrore, vt faciliùs credi, quàm dici queat. Verba textus cit. cap. 6. ea ſunt. *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boues; & declinauerunt eam. Iratusque eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate: qui mortuus eſt ibi iuxta arcam Dei*. Oza, quia arcam Domini ruentem ſuſtentaturus manu obſequioſa fulcit, C tantæ temeritatis pœnas morte luctuoſiſſima luit. O quanta eorum dementia eſt, qui tam horrendo ſupplicio non fiunt cauti.

Temerarius quanto dignus ſupplicio.

Domini non arcam, ſed animam proſcindis, atque conculcas, indicta cauſa, inaudita parte, tu ſolus accuſator, ac iudex. Imò non iudex, ſed criminator, & impoſtor ſuſſicitante calumnia, atque audacia inſtigante. Iudex enim, ſcribebat paulò ante laudatus Caſſiodorus lib. 3. var. ep. 27. *Iudex*, inquam, *tandiù Iudex quandiù iuſtus*. Iudicis perſonam, & officium vſurpantem, imò munus, & partes tam ineptè affectantem, tam incompoſitè de- D formantem, ſtultorum adſcribere numero ne verearis. Ego ſanè quoties temerarium huiuſmodi hominem mente concipio; quem nec recti reuerentia, nec irati vindicta numinis cohibere poteſt ab inconſulto iudicio in ſui cordis edito tribunali; continere me non poſſum, quin dicam, ò dementiſſimum planè caput, atque inſanabile.

Iudex quis?

Alexander ab Alexandro lib. 1. cap. 28, memoriæ tradit, à Romanis creditum fuiſſe Cn. Pompeium affectare imperium, eò quòd, cùm crure laboraret, forte ea faſcia, quam reges circa tempora geſtare A conſueuerant, ligari ſibi ſit paſſus vlceratæ tibiæ vulnus. Vix id loquaci fama fuerat vulgatum, cùm Romæ excitatus eſt rumor Pompeium conculcata reipublicæ libertate, tyrranidem machinari. A ligato crure vſurpatum imperium putat populus Romanus; *Crimini illi datum fuiſſe* ait cit. auctor, *quòd regium ſibi diadema vendicaret*. Nimirum errat, dum more ſuo temerè iudicat vulgus inſanum. Quid autem vulgus accuſo? Imò potius appello ſapientes, eos ſcilicet, quos humana prudentia veneratur. Adeſte Catones æqua iudicij veſtri lance librantes ſingula. Quid vobis videtur de formoſiſſima Iudith munditijs muliebribus ad omnem B elegantiam compoſita, poſt cœnam, remotis arbitris, per amica ſilentia noctis Holofernis receſſus intimos penetrante? Videte, ne quid turpe credatis, ne pro certo aſſeratis, quod nefarij, & ad omnem licentiam eruditi milites, ne auſi ſunt quidem ſuſpicari. Quid dicitis de Ioſeph, elegantiſſimo iuuene, exclamante impudica fœmina? Quid de Suſanna, ſenibus delatoribus? quid de Adoleſcentibus Loti domum petentibus forma ſpectandis eximia? Cauete, ne quid mali affirmetis, aut inhoneſti; iſtiuſmodi enim iudicium, imò & indicium fuit hominum ſceleſtiſſimorum.

Inſanum vulgi iudicium de Pompeio.

Iudith, Ioſeph, Suſanna, cũ fœdari videntur, integriores.

C Quid tam ſtultum, quàm decernere de eo, quod non liquet; ipſius ſiquidem Dei oraculo decretum eſt Samuelem ſic alloquentis lib. 1. Reg. cap. 16. nu. 7. *Homo enim videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor*. Quid tam ſtultum, quàm homuncionem ſtolidum Dei officium vſurpare? 1. ad Cor. 4. n. 5. *Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo*. Quid tam ſtultum, quàm iudicem fieri alienæ cauſæ, vt fias reus illatæ calumniæ, & de te illud Iacobi 2. 4. dicatur: *Facti eſtis iudices cogitationum iniquarum*? In ſimilitudinem D arioli, & coniectoris æſtimas quod ignoras. Cum tamen minimè dubitari permittas de tua iniquitate, quam prodis inuitus; *in quo enim iudicas alterum*, ait Paulus ad Rom. 2. nu. 1. *te ipſum condemnas*.

Se ipſum damnat alios accuſãs.

Notatu digna eſt narratio cap. 10. lib. 2. reg., vbi Dauid dicitur ſeruis ſuis officioſam commiſiſſe legationẽ, qua Hanon Ammonitarum regi dolorem teſtarentur Dauidis, ob mortem Patris Ammon, quem amico proſequebatur luctu Rex Iſrael. Quid hac ſignificatione humanius, aut quid carius, gratiuſque beneuolentiſſimo hoc officij genere? Qualem tamen hac

ſuper

A ſuper re ſententiam ferant regis Ammonitarum conſiliarij paucis accipe ex cit. cap. num. 3. & deinceps: *Cumque veniſſent Serui Dauid in terram filiorum Ammon, dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon dominum ſuum: Putas, quòd propter honorem patris tui miſerit Dauid ad te conſolatores, & non ideò vt inueſtigaret, & exploraret Ciuitatem, & euerteret eam, miſit Dauid ſeruos tuos ad te?* O præpoſteros rerum æſtimatores, qui legatos regios credunt exploratores, & quos excipere debuiſſent honorificè, tanquam viliſſima capita deſpoliatos, deluſos inhumaniſſimè, atque aſperrimè tractatos dimittunt. Iure propterea exclamet ipſemet Dauid ſuo doctus experimento pſal. 61. B num. 10. *Mendaces filij hominum in ſtateris.* Cùm itaque quàm citò de alijs iudicant homines, tam certò fallantur; ſtatuamus vero verius, iudicium huiuſmodi inſanum atque inane, imò dementiſſimæ notam temeritatis nullis Oratorum vocibus, nullis Sanctorum diris execratam ſatis. Ad talem tamque palmarem temerariorum iudicum inſolentiam infringendam, comprimendamque, in memoriam nobis reuocat Sanctus Rex pſal. 74 num. 8. *Deus iudex eſt.* Vt nunquam excidat animo, aliena facta examinare, reprehendere, iudicare, non hominum munus eſſe, ſed Dei; C Vnde pronunciauit Climacus grad. 10. *Iudicare eſt impudens direptio diuinæ dignitatis.*

Inſanum iudiciũ temerariorum.

Iudex temerarius eſt fur impudens.

Neminem autem reor inueniri, dummodò non omnino deſipiat; qui non derideat veluti inconſultum, barbarum illum morem, de quo Pomponius Mela lib. 1. de ſitu Orbis cap 8 & ante ipſum Ariſtoteles lib 2. polit. cap. 2 de populis Africę, qui Garamantes nuncupantur. Apud iſtos, cum nulla ſit certa coniux; ex ijs, qui tam confuſo parentum coitu paſſim, incertique naſcuntur, quem quiſque pro ſuo habeat, agnoſcatque, ducit à facie; adeò vt is ab vnoquoque dicatur, credaturque filius, in cuius vultu ſimilitudinem ſui magis D expreſſam deprehendere ſibi videtur. Quaſi verò, in tanta confuſione ſatis eſſe poſſit, ad aliquid certò ſtatuendum, ſola oris habitudo, quę tam facilè fallitur, quàm ſępe mentitur. Quantò magis ridendi ſunt, qui ſecundum faciem iudicare audent, perinde ac ſi ſecreta cordis penetralia, oculis etiam angelicis inacceſſa, patere poſſint in fronte, aut in extima facie deprehendi? Cadit in iſtos, quod ſcribit S. Paulus ad Rom. cap. 2. num. 1. *In quo enim iudicas alterum, te ipſum condemnas; eadem enim agis, quæ iudicas.* En quid faciat, qui alium iudicat: patefacit ſimilitudinem, quam ſui inuenit in eo, quem iudicat. *In quo iudicas alterum, te ipſum condemnas.* Quęris, cuius ſceleris ſe condemnet, qui huiuſmodi fert iudicium? facilis reſponſio eſt. Se etenim damnat ſtultitiæ; iuxta decretum hac de re editum à Spiritu Sancto per Eccleſ. cap. 10. nu. 3. *In via ſtultus ambulans, cum ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat.* Suam prodit ſtultitiam, qui pronus eſt, ac promptus ad damnandos alios; cùm id ſtultis in more poſitum ſit, & familiare.

Garamantes non ducũt vxores.

Cur ſtulti qui alios iudicant.

Lepidum eſt, & auditu non iniucundum, quod ſcribit Plinius lib. 18. natural. hiſt. cap. 6. poſt med. de C. Furio Creſino, qui agrum ſuum ita colebat, vt vberrimos ex eo perciperet fructus; cum è contra vicini ſterilitatem ſoli experirentur infeliciſſimam. Ex comparatione adeò odioſa, quàm prona ſolet eſſe mens hominum ad malè ſentiendum, tam facilis fuit ad obloquendum lingua. Itaque accuſatur Furius, quaſi reus grauiſſimi ſceleris, quòd maleficijs frugum fructuumque feciſſet vbertatem. Vocatus in iudicium Furius non alios innocentiæ ſuæ protulit teſtes, quàm inſtrumenta, quibus agrum coluerat, & filiam, cuius labore meſſes procreauerat tam copioſas. Iudicum omnium votis abſolutus Furius: tam falſa, tam ſtulta reiecta calumnia. An non meritò conſequentium omnium ætatum riſu excipietur accuſatorum Furij præpoſterũ, inconſultum, inſanum profectò iudicium, quo tam temerè, quàm falsò, malis artibus, veneficijsque adſcripſerunt, quod fuerat labori, induſtriæ, egregio colendorum agrorum ſtudio tribuendum? Idem planè contingit ijs, qui facilè de alijs ferunt ſententiam; cum enim iudicent ab eo, quod apparet; toto aberrant cælo, & ſeſe ſtultitiæ damnant, dum alios arguunt ſceleris. Nolo Plinij verba prætermittere. *C. Furius Creſinus è ſeruitute liberatus, cùm in paruo admodùm agello largiores multò fructus perciperet, quàm ex ampliſſimis vicinitas, in inuidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficijs. Quamobrem à Sp. Albino curuli die dicta, metuens damnationem; cùm in ſuffragium tribus oporteret ire, inſtrumentum ruſticum omne in forum attulit, & adduxit filiam validam, atque (vt ait Piſo) benè curatam ac veſtitam, ferramenta egregiè facta; graues ligones, vomeres ponderoſos, boues ſaturos. Poſteà dixit: Veneficia mea Quirites hæc ſunt, nec poſſum vobis oſtendere, aut in forum adducere lucubrationes meas, vigiliaſque, & ſudores.*

Accuſatores Furij ſe produnt inconſultos.

ſudores . Omnium ſententijs abſolutus . Ita A planè , omninm omnino votis eſt abſolnendus , quem tu andaciſſimè reprehendis , & proſcribis pertinaciſſimè . Credes ? & tamen veriſſimum eſt . Inſanientis in morem exorbitas , cùm collimare te putas in ſententia de alijs proferenda .

Ridenda alios iudicãtiũ inſania.

Videatur S. Io. Chryſoſtomus hom. 27. & 19. in Geneſ.

Ex recentioribus videri poſſunt P. Cornelius à Lapide in epiſt. ad Rom. in cap. 14. ver. 3. P. Franciſcus de Mendoza tom. 1. in lib. Reg. cap. 1. nnm. 11. Annot. 9. circa lit. ſect. 4. à num. 10. & deinceps. Idem. tom. 2. in cap. 4. num. 22. Annot. 14. circa lit. ſect. 2. num. 12. & tom. 3. in cap. 12. num. 15. & 5. Annot. 10. circa lit. ſect. 5. nnm. 8. & 9. Et eodem tomo in expoſ. lit. ad cap. 13. num. 11. ſ. ſeu nu. 2. & deinceps.

Videri poteſt etiam P. Io. Antonius Velaſquez tom. 1. in epiſt. ad Philipp. cap. 1. ver. 13. Adnot. 5. per totam.

IN CAPVT SEPTIMVM

Num. VI.

Nolite dare ſanctum canibus: neque mittatis margaritas veſtras ante porcos , ne forte conculcent eas pedibus ſuis , & conuerſi dirumpant vos.

PARADOXVM II.

Culpa lethalis vera Circe.

TRITVM adeò, ac decantatum eſt , quod de Circe Poetæ fabulantur , vt rndes etiam nonetint , atque imperiti . De Circe loquor veneficiorum peritiſſima , quæ homines ſæpè in belluas , & nominatim Vlyſſis ſocios commutauit in porcos . At mentiatur ſplendidè more ſuo commentis hiſce fabuloſa natio Poetarum . Quid ſi vero veriùs eſſe demonſtrauero homines lethali culpa maculatos non in porcos tantum , ſed in omnia tranſire genera belluarum ? Habemus in præſenti textu expreſſum Seruatoris oraculum . Sequor enim opinionem Auguſtini , per canes , & porcos ſignificari peccato- C res , eo planè ſenſu , quo Princeps Apoſtolorum ep. 2. cap. 2. nu. 22. dixit : *tanquàm canis reuerſus ad vomitum ſuum , & tanquam ſus lota in volutabro luti* . Atque ad cohibendos hominum animos fræno quodam potentiore , ne peccent ; meum erit euincere non in canes ſolum , aut porcos (vt dicebam) ſed in feras quaſque degenerare peccatores . Vnde à Ieremia cap. 5. nu. 8. appellantur Equi . Ab Eccleſias : cap. 10. num. 1. nuncupantur Muſcæ morientes : Ab Iſaia 37. num. 7. vocantur Vnicornes . A Dauide pſal. 48. num. 13. dicuntur Iumenta . A Salomone Cant. 2. num. 15. nuncupantur Vulpeculæ . A Io: D Baptiſta Matt. 3. num. 17. reprehenduntur , vt Viperæ . A Seruatore Lucæ 10. num. 3. exprobrantur , vt Lupi . Sed iſta penſiculatiùs ſunt examinanda , & attentiùs conſideranda .

Circe venefica.

Peccator Canis , & Sus.

Peccatores in belluas quaſque degenerant .

Peccatores Equi . Muſcæ Vnicornes Iumenta Vulpeculæ Viperæ Lupi

Nouum ſupplicij genus , & prorſus inauditum indicit Iſaias ad confringendam temeritatem ſuperbiſſimi Rabſacis Aſſyriorum ducis , qui inſolentia elatus cælum , imò Deum ipſum iniurijs laceſſebat , apud eundem Iſaiam cap. 36. num. 20. *Quis* , inquiens , *eſt ex omnibus Dijs , qui eruerit terram ſuam de manu mea , vt eruat Dominus Ieruſalem de manu mea* ? Quis furioſior vnquam , aut impudentior

Superbi Rabſacis pœna , qui à Deo tractatur vt brutum .

Rab-

Rabſace? Quid Dei decernat iuſtitia ad retundendam inſani andaciam hominis attentis auribus audiamus ex ſequenti cap. Iſaiæ 37. num. 29. *Ponam circulum in naribus tuis, & frænum in labijs tuis, & reducam te in viam per quam veniſti*. Cur non iratum fulminat cælum vt audaciæ gigantem proſternat? cur non tremore concuſſa dehiſcit tellus, ne pondus non inutile modò, ſed impium diutiùs ferat? Nullum tormenti, aut ſupplicij genus excogitari poteſt tanto flagitio par, & tamen feciſſe ſibi ſatis exiſtimat Iuſtitia Dei frænum ori, & circulum naribus inijciendo. *Nimirum*, dicit in hunc locum Theodoretus, *vt brutum tractat Dominus eum, qui anima rationali præditus, rationem corrumpit*. Æquè ingenioſè Ieremias cap. 2. num. 24. cæca furentem impietate populum hebræum non modo onagrum dicit, ſed deſignat pulchra alluſione certum tempus quo capi ſolet. Sic autem habet: *onager aſſuetus in ſolitudine, in menſtruis eius inuenient eum*; illud, *in menſtruis*, Chaldæus legit, *in tempore ſuo*. Reſpicit ad eam onagri conſuetudinem, de qua ſcribit Rabbi Salomon; vno ſcilicet anni menſe onagrum dormire, quo capi ſolet cùm cæteris vigilet. Impij certè, qui diuinæ legis obliuiſcuntur, dormientibus comparantur, & ad Rom. 13. num. 11. *Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere*. Et Matt. 13. num. 25. *Cùm autem dormirent homines*. O ſomnum veneficum non ſolùm homines tanquam onagros captantem, ſed homines in onagros permutantem!

Peccatores tanquam bruta numerandi, Deo iudice.

Impij Onagris dormientibus comparati.

Eleganter, & copioſè S. Nilus comparat ſatellites in Danielem ſæuientes, cum leonibus eundem Dei vatem religioſo obſequio proſequentibus. Sic autem habet in Aſcetico. *Danielem cum homines perdidiſſent, leones ſeruarunt. Quem homines ex inuidia iniuſtè damnauerant, leones cuſtodierunt, & iuſtitiam, à qua receſſerant homines, rectum ipſi de iniuſtè damnato iudicium ferentes declararunt. Hominis virtus apud homines inuidiæ, & contentionis, apud feras venerationis, & honoris occaſio fuit*. In hiſtoria Danielis ex vna parte conſidera homines rabidos, truculentos, feros; ex altera attende leones mites, blandos, humanos; & meritò dices homines efferatos tranſiſſe in belluas, leones verò mitiori præditos ingenio, quaſi humanitate donatos. Coniunge Danieli Heliam cui corui voraciſſimæ aues cibum ſubminiſtrabant, vt leges 3. reg. cap. 17. num. 6. *Corui quoque deferebant ei panem, & carnes mane, ſimiliter panem, & carnes veſperi*. Tùm audi exclamantem D. Cyprianum ſerm. de oratione Dominica: *O humana malitia deteſtanda crudelitas. Feræ parcunt, aues paſcunt, homines inſidiantur, & ſæuiunt*. O vices lacrymis proſequendas! Humanitatem induunt feræ, quam exuunt, & abijciunt, vt ità dicam, homines facti feris crudeliores. Quidni liceat rem noſtram ex ipſis confirmare fabulis, quibus ſapiens antiquitas philoſophiæ documenta conſueuit abſcondere? licet ſanè per S. Hieronymum tom. 9. in epiſt. Valerij ad Ruffinum his verbis: *Iupiter Rex terrenus, qui & Rex cælorum dictus eſt, præ ſingulari ſtrenuitate corporis, & incomparabili mentis elegantia, poſt Europam mugire coactus eſt. Amice, ecce quem bonitas ſupra cælos extulit, fœmina brutis comparauit. Poterit etiam te fœmina cogere ad mugitum, ſi non ſis maior Ioue, cuius magnitudini nemo alius par fuit*. Opportunè monet, & eleganter proſequitur quod contendit Hieronymus. Sed ego, vt verum fatear, aſſertione ab ethnica eruditione petita in præſentia non indigeo.

Satellitum, & Leonum comparatio

Virtutem oderunt homines, venerantur feræ.

Homines efferati in belluas commutantur. Leones mitescentes humanitate donantur.

Iupiter amore fœminæ in brutū tranſit.

Habeo in promptu, quæ proferam ſuffragia ſapientia, & ſanctitate ſpectabilium hominum, qui meæ poſitioni ſubſcribunt. S. Io. Chryſoſtomus in pſal. 90. *Quicumque*, inquit, *peccauerit, quaſi Ericius eſt plenus ſpinis*. Non in animal ſolùm degenerat, qui peccat; ſed in quale animal Deus immortalis? In Ericium, quo nullum magis horridum, cum pro pilis circumtegatur præduro, & aſperrimo ſatellitio ſpinarum. B. Laurentius Iuſtinianus in pſal. 72. ſic habet: *Suas imagines extraxerunt* (de peccatoribus verba facit) *alius ferocitate factus eſt leo, alius auis leuitate, alius ſus libidinis ſorde, alius aſinus torpore*. Non potuit expreſſiùs ob oculos ponere, quo pacto homines prauis moribus bruta referentes, humanitate amiſſa, induant feritatem. Intellexit id Hugo Carenſis ex Regio Vate, pſal. 31. nu. 9. monente: *Nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus*. In quem locum, ſic Hugo. *Per equum poſſumus diſtinctè intelligere apertè peccantes; equus enim vix tenetur, fortis, luxurioſus eſt, ſuperbus ſeſſorem non diſcernit: per quas proprietates diuerſa genera peccatorum intelliguntur*. Placet Hugonis interpretatio non modò, quia in tam multis conueniens cum peccatore effrænis equus eundem ad viuum exprimit; verum etiam quia equo, veluti ſymbolo accommodatiſſimo, ea ſeruitus, quam ſubit qui ſe ſcelere maculat, repræſentari poteſt.

Peccans in Ericium degenerat.

Et in alia animantium genera. In leonem Auem Suem Aſinum.

In equum.

Etenim

Syracuſani equi ſigno ſeruos notabant.

Etenim ſi ex Alexandro ab Alexandro lib. 5. cap. 16. accepimus, Syracuſanos conſueuiſſe ſeruis inurere ſignum equi, quo ſigno proprio quaſi notati ſtigmate diſtinguebantur à nobilibus; quanto magis non equi imaginem portans, ſed in equum per culpam mutatus agnoſcendus erit tanquam addictus miſerrimæ ſeruituti vitiorum, quam ſeruire coguntur ſceleſti? Partem alteram Dauidicæ ſimilitudinis, quę cum mulo confert peccantem, cum non illuſtret B. Laurentius, illuſtrabit S. Gregorius examinans illa Dei verba, lib. 1. Reg. cap. 2. num. 29. in filios Heli pronunciata: *Quare calce abieciſtis victimam meam, & munera mea, quæ præcepi vt offerrentur in templo?* Calcitrantibus mulis comparantur iuuenes impudētiſſimi, quia res ſacras contemnentes in calcitrantes migraſſe beſtias videbantur. Vnde in hunc locum Gregorius ſic, *fera animalia ſolent ſibi adhærentia calce repellere; ita filij Heli victimas, & munera calce repulerunt, quia non conſilium rationis ſequuti ſunt, ſed impetum feritatis.* Qui feritatis fertur impetu vt Dei cultum in Eccleſijs contemnat, calcitrat vt mulus; qui luxuriat vt cohiberi non poſſit, vt equus inſultat; neuter conſilium ſequitur rationis, vterque ſibi dictum ſciat, *Nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus.*

In mulum.

Nec me pœnitet lethalis culpæ vim maleficam Circæis veneficiis comparaſſe, cum auctorem ſequar Philonem lib. quod deterior potiori inſidietur: vbi rationem inueſtigans, cur Moyſes, licet factus Pharaonis Deus, recuſauerit tamen congredi cum Magis ægyptijs, ait eam ob cauſam Moyſem excuſaſſe ſe, quia Magi veneficijs, & maleficijs dementatos homines ad flagitia pelliciebant. Verba Philonis: *Id o vides quod Moyſes illos in Ægypto, ideſt corpore veneficos: liceat enim mihi eos ſic vocare, ſicut mulieres dicimus veneficas: illos, inquã, in Ægypto Sophiſtas veneficos recuſat concertatores ſibi dari, & aduerſarios; quia ſophiſmatum artibus decipuliſque mores boni inficiuntur, atque corrumpuntur, negans ſe eloquentem.* Duo hinc diſco, primum quidem vim huiuſmodi veneficam mores corrumpentem vſque adeo pertimeſcendam, vt, licet Dei beneficio, non ſecus ac Moyſes, Dij nominemur ac ſimus; huiuſmodi tamen veneficium perhorreſcere debeamus. Alterum verò veneficij tam virulenti malignitatem magis noxiam, longèque deteriorem in lethali culpa latere, quàm potuerit Moyſes in Sophiſtis ægyptijs deprehendere. Etenim ſi illi venefici, & magi, quia pel-

A liciebant ad flagitia; an non multo nocentiùs, & longe deteriùs venefica credenda eſt lethalis culpa per ſe ipſam mores inficiens, probitatem corrumpens, humanitatem ipſam cum præferoci belluarum rabie, ac feritate commutans? *liceat mihi eam* (vtor Philonis verbis) *veneficam vocare.* Abnuere certè Hieronymus non poterit, cum exponens illud Oſeæ 4. n. 11. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor:* ſic habet, *Fornicatio, & voluptas peruertit ſenſum, animumque debilitat, & de rationabili homine brutum efficit animal.* Quæria fortaſſe quale brutum? reſpondebit Ambroſius aſinum. Sic enim lib. 8. in

In aſinum.

B Lucam cap 18. *Non ne tibi videtur tanquam molam aſinariam voluere, quandiù in imperitia ſua errore verſatur, opertæ mentis cæcitate ita ſuffuſus, vt vultum animi erigere ad Deum, & oculos cordis aperire non nouerit?* Vtinam quod de Iudaico populo dixit Ambroſius de Chriſtifidelibus dici non poſſit. At ſi fortè reſponſum Ambroſij non fecit ſatis, reſpondebit copioſiùs, & diſtinctiùs S. Io: Chryſoſtomus, qui eleganti quadam interrogatione ſatisfacit interrogationi noſtræ. Sic enim habet hom. 16. in epiſt. 2. ad Corinth. *Vnde mihi exploratum eſſe queat humanã*

C *animam tibi ineſſe, cum vt aſini calcitres, vt cameli memor ſis iniuriarum, vt vrſi mordeas, vt lupi rapias, vt vulpes fureris, vt ſerpentes vafer, ac fraudulentus ſis, vt canis impudenter te geras? Vnde, inquam, te humana anima præditum eſſe intelligere queam?*

In bruta varia. In Camelũ Vrſum Lupum Vulpem Serpentem Canem

Placet illam afferre dubitationem, quam proponunt communiter ſtudioſi ſacrarum literarum de nomine magni illius nepotis Adami, cui nomen fuit Enos, nomen à Patre Seth non ſine myſterio impoſitum Gen. 4. nu 26. *Seth natus eſt filius, quem vocauit Enos. Iſte cœpit inuocare nomen Domini.* Venerare parentem religionis,

D & ſanctitatis patrem. Aduerte porrò Enos idem eſſe, atque Homo. Cur, obſecro, nomen commune ſpeciei, proprium fiat filij Seth? Soluit dubitationem Euſebius lib. 7. de Pręparat. Euang. cap. 3. in hunc modum: *Apud Hebræos, Enos verus homo interpretatur. Neminem enim putant verum eſſe hominem, præter eum, qui verum Deum & cognoſcit, & piè colit; alios verò nihil à pecoribus differre arbitrantur, quia veluti beſtia ad terrã proni ventri, & Veneri obediant; quorũ alios lupos, alios canes, alios porcos, alios ſerpentes, varia quadam vitiorũ ſimilitudine ſcriptura Iudæorum appellare conſueuit.* Sed ab hominibus diſcere pudeat id, quod Deus ipſe declarauit,

Solus iuſtus verus homo

B & qui-

& quidem initio temporum: quaſi momenti maximi doctrina omnibus alijs pręferenda eſſet ad hominum eruditionem. Geneſ. 3. num. 21. de Deo dicitur. *Et fecit eis tunicas pelliceas, & induit eos*. Pellibus vtitur mortuorum animalium, qui omnia ſumma cum ſapientia perficit Deus. Sed quorſum? reddet rationem S. Gregorius Nyſſenus in vita Moyſis in hunc modum, *vt foris pelle belluina vterentur, qui intus belluina cupiditate animum deformarant; & qui aſpirarant ad diuinam naturam ſuperbiendo, intelligerent ſe peccando degeneraſſe in belluinam*. Exquirebam ex me ipſo, cur Deus

Cur primi parẽtes poſt peccatum pellibus induti?

B pelliceis tunicis induerit humani generis parentes eoſdem, & parricidas, ſcelere tam palmari, & contempto diuino præcepto, & poſteritate perdita deplorandos? an non pœnitentibus opportuniùs fuiſſet conſultum, ſi aſpero cilicio potiùs, quàm pellibus mollibus Deo auctore fuiſſent induti? Domari potiùs debet contumacia rebellis hominis catena ferrea, quàm foueri veſte pellicea. Hæc animo complectenti mihi venit in mentem reſponſum Imperatoris celebre apud Iuriſperitos, oraculo delphico ſapientius. l. 14. Diuus Marcus ff. de officio Præſidis, vbi ſic habes: *Diuus Marcus, & Commodus Scapulæ Tertyllo reſcripſerunt in hæc*

C *verba: Si tibi liquidò compertum eſt, Aelium Priſcum in eo furore eſſe, vt continua mentis alienatione omni intellectu careat: nec ſubeſt vlla ſuſpicio matrem ab eo ſimulatione dementiæ occiſam, potes de modo pœna eius diſſimulare, cum ſatis furore ipſo puniatur*. Pulcherrima ratio, & digna, quę ſummo in honore habeatur, tanquam de cortina veritatis delapſa ſententia. Furioſo, etiamſi parricida fuerit, non alia infligenda eſt pœna, *cum ſatis furore ipſo puniatur*. Toto ſanè cęlo aberrare me crederem, niſi arbitrarer ſumma cum ſapientia, hoc eſt digna Deo, non

Pœna dementis dementia ipſa.

D aliam infligere voluiſſe pœnam maximum rerum Principem, quàm, induendo eos pelliceis veſtibus, declarare illos per peccatum in belluas commutatos: quaſi diceret, poteſt de modo pœnę diſſimulari, cum ſatis ipſa, ſi fas eſt dicere, beſtialitate puniantur. *Vt foris* (accommodatè Nyſſenus) *pelle belluina vterentur, qui intus belluina cupiditate animum deformarant; & qui aſpirarant ad diuinam naturam ſuperbiendo, intelligerent ſe peccando degeneraſſe in belluinam*.

Subſiſte in loco parumper, & tecum ipſe perpende attentiùs quàm multa tàm paucis complectar, cum dico hominem lethalis culpę maleficijs mutari in belluam. An ignoras à quanto pręſtantię culmine, in quale vilitatis barathrum deturberis, cùm ex homine ſis bellua? Interroga qualis ſit pręcellentia hominis? & reſpondebit Syneſius Ep. 57. *Pretioſum animal homo eſt*. Reſpondebit Gregorius Nyſſenus or. cathec. cap. 8. *Pulchrum ac præclarum Dei opus, factumque ad ea, quæ ſunt pulcherrima, atque optima*: Reſpondebit Auguſtinus ſerm. 225. de temp. *Homo chara, & amica poſſeſſio Dei, homo cuius cauſa formatum eſt cælum*. Reſpondebit Baſilius hom. quod Deus non ſit aut. mal. Hominem angelico fulgore radiantem luce meridiana clariorem oſtendere pręſtantiam ſuam. Quęrens enim, cur homo nudus creatus fuerit? docet naturale operimentum, vtpotè proprium animantium, minimè hominem decere. Additque Baſilius Inſignia quędam, & ornamenta homini parata fuiſſe fulgoribus micantiſſimis, quaſi angelicis micantia, quorum fecit peccando iacturam. *Homo igitur pretioſiſſimum*, vt cum Ambroſio lib. de bono mort. cap. 5. loquar, *opus Dei*. Homo, inquam, rerum creatarum dominus, princeps Vniuerſitatis, Dei in terris locum tenens, & imaginem, dignitatemque repręſentans, ac pręſeferens Diuinitatis, in belluinam degenerat vilitatem, qua nil abiectius, aut ignobilius, nil turpius, aut indignius non oratione modò, ſed ne mente quidem poſſumus, animoque complecti. Agnoſce, imò perhorreſce lethalis culpę veneficia ſupra quam dici, aut credi poſſit virulenta. Nũquam excidat mente monentis Senecę apophtegma penè diuinum, ep. 65. *Maior ſum, & ad maiora genitus, quàm vt mancipium ſim mei corporis*. Nunquam culpę lethalis blanditijs ſuccumbamus, ne humanitate, & ſenſu rationis expoliatis, de nobis dici queat, quod Tertullianus ſcriptum reliquit de reſurr. carn. cap. 16. *Limus titulo hominis inciſus*. Fœdata enim crimine anima, nil in homine remanet pręter limum. Eo namque pacto, quo in animantibus brutis ratione carentibus quicquid mouetur, ac viget limus, & terra eſt; ita in homine terrenis cupiditatibus excęcato quicquid eſt limus eſt, ſolo hominis gaudet titulo, *Limus titulo hominis inciſus*.

Hominis præcellentia.

Vilitas belluina.

Peccator limus.

Ingenioſa ſanè Philonis Hebręi animaduerſio eſt Lib. quod omnis probus ſit liber; vbi ſic habet circa finem: *Imperatores nullam cohortationem habent efficaciorem in prælijs, quàm eſtote viri. Non opus eſt vt dicant eſtote Hectores,*

eſtote

Eſſe, & dici Virum quà præclarum.

eſtote Hercules. Eodem planè modo, vt A excitem hominum alacritatem in hoc certamine quod contra animæ noſtræ hoſtes tandiù viget, quandiù viuit mortalis vita: non dicam eſtote Sancti, eſtote quales decet eſſe filios Dei: ſed dicam ſolummodo, eſtote viri: quandiù enim viro digna, & propria hominis ratione vtemini, quandiu fueritis viri non mutati in belluas per peccatum, nihil omninò in vobis poterit deſiderari. Eſtote viri, non ſecus ac Vlyſſem feciſſe accepimus, qui, ſocijs in beſtias mutatis, Circæo poculo, dementari non potuit, nec humanitate ſpoliari. Eſtote viri; & vires aduerſariorum omnes victæ ſuccumbent profligatæque. Sententiam hanc, vt verum fatear, B non meo Marte inueni, ſed à Philone, imò à Moyſe ſum mutuatus: Moyſes enim in ſua hiſtoria Geneſ. 6. num. 9. de Noe verba faciens, loquitur in hunc modum: *Noë vir iuſtus, atque perfectus fuit in generationibus ſuis*. Magna ſanè cum laude fit mentio Noe. Sed aduerte laudem omnium digniſſimam, quam huiuſmodi complectitur elogium, contineri in eo quod Noe dicatur Vir: ne decipiaris; neque enim commendatur Noe ab appellatione iuſti, neque à denominatione perfecti; ſed Noe præconium & quidem præſtantiſſimum eſt, quod nuncupetur Vir. C Vnde meritò breui quidem, ſed nobiliſſimo veluti compendio complector quidquid honeſtum, ac ſanctum, quidquid laude dignum, atque ſublime excogitari poteſt ad ſanctitatem augendam, amplificandamque, cum dico: *Eſtote viri*. Philo etenim ſic decernit lib. de legibus non ſcriptis, examinans citatum textum, his verbis: *Hominem non vulgari loquendi forma, ſed per excellentiam vocat eum, qui verè ſuo reſpondet nomini, eiectis ex animo immanſuetis, rabidis, ferinisque vitiorum affectibus. Argumento eſt, quod poſt hominem, addit, Iuſtus: quia nemo iniuſtus eſt homo, ſed* D *potius beſtia, humana forma prædita: in ſolum autem iuſtitiæ ſectatorem nomen hoc competit.*

Cur Eccleſia Arcæ præponatur.

Facta comparatione inter Arcam Noe, & Eccleſiam; hanc, illi præponit Chryſoſtomus, & iure quidem optimo. Quod quidem ex ea potiſſimum demonſtrat prærogatiua, qua Eccleſia Arcæ præcellit; Arca ſiquidem, quæ intra ſe recepit animalia conſeruauit, non mutauit: Eccleſia verò è brutis animalibus homines reddit. Ergò ſi ratione, & humanitate cecidimus, per culpam; ſpe tamen nullo pacto cadere debemus, cùm denuò poſſimus paulo minores Angelis ratione donari. Ita ſentit Chryſoſtomus tomo 3. hom. prima de laudibus Sancti Pauli, his verbis: *Arca illa coruum recipiens, coruum rurſus emiſit: & includens lupum, feritatem eius mutare non potuit. Hæc verò, nimirum Eccleſia, accipitres, miluoſque ſuſcipiens, fecit columbas, & excludens omnem irrationalitatem, atque ferocitatem, manſuetudinem Spiritus introduxit.* Vtamur ergò ſorte tam felici, & quos fortè lethalis culpa deformauit in belluas, reddat cæleſtis gratia humanitati, vt de nobis dici queat, quod paulò ante breuiùs protuli; & expreſſis idem Chryſoſt. in hæc verbis: *Recipiens irrationabilibus animalibus penè ſtultiores, imitatores efficit Angelorum.*

In Eccleſia ex belluis homines fiunt.

Videri poteſt P. Franciſcus de Mendoza tom. 3. in lib. 3. Reg. in cap. 13. n. 23. ſect. 3. præſertim à n. 2. & deinceps, vbi copiosè, & ex profeſſo tractat ſimile argumentum.

IN CAPVT SEPTIMVM

A Num. VII. ad XIII.

Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit: & qui quærit inuenit: & pulſanti aperietur. Aut quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, nunquid lapidem porriget ei? Aut ſi piſcem petierit, nunquid ſerpentem porriget ei? Si ergo vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris: quanto magis pater veſter, qui in cælis eſt, dabit bona petentibus ſe? Omnia ergo quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim lex, & Prophetæ.

PARA-

PARADOXVM III.

Oratio iuſti omnipotens.

REPETERE ſoleo mecum ipſe, non ſine ſenſu voluptatis, quod oratori non ignobili dicitur contigiſſe, cui, edita pulcherrima, & copioſiſſima exornatione de laudibus Herculis, à dicaci quodam Lacedemonio, quaſi per ludibriū fuiſſe exprobratum accepimus, peracuto dicterio: *Ecquis eſt qui illum vituperet?* Quaſi verò dicere vellet, oleum, & operam perdidiſti exornãdo preconijs eum, qui omnium votis, ac vocibus laudatur. Vererer equidem, ne idem contingeret mihi Iuſti orationem commendaturo, niſi profiterer, non illud mihi eſſe conſilium, vt de laudibus chriſtianę deprecationis verba faciam; (laudarem enim rem ab omnibus laudatiſſimam) ſed illud ſolum intendo, vt vnum, è multis quæ poſſent afferri, innuam potius, quo exornem ad orationis ſtudium fouendum in mentibus proborum hominum, augendumque. Quod me obtenturum ſpero ſi demonſtrem iuſtorum hominum orationem eſſe omnipotentem. Textus euangelicus ſuggerit mihi huiuſmodi argumentū. Etenim ſi noſtræ preces nihil non impetrant, ſine dubio omnia poſſunt. Et in hūc locum ſic ait S. Io: Cryſoſtomus. *Oportet diuinum aduocare præſidium: veniet enim prorſus, atque aderit, vt facilia vobis cuncta perficiat: propterea petere præcipit, & ſe daturum pollicetur.* Cum noſtra oratio valeat quidquid vult, & quidquid cupit obtineat, data diuinæ ſponſionis cautione, quid ni ergo dicatur omnipotens?

Lauda et Herculis reprehẽditur, & cur.

Oratio valet quod vult.

Quia verò in re tanti momenti proferri quicquam non debet, quod probari non poſſit, offert ſe mihi Chriſtus Dominus in horto Gethſemani primo quidem triſtitia confectus, ac mœrore profligatus. En Angelorum gaudium, ac Princeps beatitatis inter mortis anguſtias tędio, ac pauoribus ſaturatus. Matt. 26 n. 36. *cœpit contriſtari, & mœſtus eſſe.* Marc. 14. nu. 33. *cœpit tædere, & pauere.* Sed aduerte quo pacto abſoluta oratione, qui ceciderat ſtet intrepidus, & qui perculſus videbatur metu, noua alacritate fortis non modo excitet

A ſuos dormientes, ſed fiat obuius firmo pectore agminibus inimicorum; cit. cap. num. 41 *Surgite, eamus: ecce appropinquauit qui me tradet.* Vnde tàm ſubita mutatio? Aut quæ cauſa tàm nouæ, tàm miræ, tàm præcellentis, & humanam ſupra conditionem alacritatis? Dicet Sanctus Laurentins Inſtinianue de trinmphali Chriſti agone cap. 7. *Intellige quantum oratio conferat, quæ pauentem, & agonizantem recipiens Dominum, illum exhortantem reddiderit, atque intrepidum, vnde aiebat, ſurgite eamus.* Nil clarius ad dignoſcendam orationis potentiam. Non Angelorum agmina, non Patris virtus, non propria diuinitas Chriſtum Dominū B iacentem ſubleuant, ſed humilis deprecatio potentem facit ad ardua ſubeunda, imò ſuperanda. Id fortè innuere voluit diuinum illud emblema dilecto diſcipulo Ioanni exhibitum miniſterio Angelorum. Etenim vaſa eadem dicuntur & iracundiā Dei, & orationes Sanctorum continere, Lege cap 5. Apoc. n. 8. vbi dicuntur ſeniores illi cęleſtis curię orationes Sanctorum in manibus habuiſſe. *Habebant ſinguli phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum.* Rurſus lege cap 15. nu. 7. *Vnum de quatuor animalibus dedit ſeptem Angelis ſeptem phialas aureas plenas iracundia Dei.* Itaque vaſa eadem, C & iracundiam Dei continent, & orationes Sanctorum. Fortaſſe, vt intelligamus ſolas orationes eſſe Sanctorum, quæ vim habent ad impediendam iracnndiam Dei, eo planè modo, quo vas plenum liquore, nouo liquore impleri non poteſt niſi vetere effuſo. Ergo omnia ſuppliciorum genera, quæ Dei virtus congerere poteſt, & cumulare, excidia, famem, bella, peſtilentias, & ſi quid eſt acerbius, aut calamitoſius, ſola deprecantium ſupplicatio confringere poteſt, ac propulſare.

Vis Chriſti in horto ab oratione.

Oratio cohibet irā Dei.

Tacebo libens, vt pro re præſenti verba faciat Abbas Ioachimus, quem vt facilius intelligamus, Sampſonem nobis in memoriam D reuocemus: Sampſonem illum dico, quē ſicuti ob pręclara facinora admiratione proſequutus eſt orbis terrarum, ita expugnatum à muliercula excepit ludibrio. Verba Ioachimi pr. par. expoſ. in Apoc. ea ſunt. *Neceſſe eſt, vt mens fortis viri ſancti, & Deo dignis meditationibus impleatur; alioquin, vt ruat neceſſum eſt qui abraſo interiori capite, fortiter ſe poſſe agere, & in toto ſtare præſumit.* Vidiſti fortiſſimū Sampſonem potentē omnia: Nulla vis eſt hoſtium, quā non conterat; nullus aduerſariorū conatus, quem non ſuperet; impetus inimicorum nullus, quem non proſternat.

Omnia vincit oratio.

Nunquam excidat mente, in Sampſone repræſentari quod dicimus. Quandiu dignis meditationibus, & ſecreto cum Deo colloquio mens iuſti implicabitur, tandiu omnia poterit: Quod ſi caput interius abradatur, ruat neceſſe eſt, & is, qui ſpirans veluti fortitudinis ſimulacrum nihil non poterat; deſtituens iam viribus debilis, impotens, profligatus deridebitur ab infima plebecula tanquam miſerandum imbecillitatis exemplar.

Celebris eſt, & nota omnibus petitio Eliſei duplicem petentis ſpiritum ab Elia magiſtro ſuo. Sic lib. 4. reg. cap. 2. num. 9. *Dixitque Eliſeus, obſecro vt fiat in me duplex ſpiritus tuus. Qui reſpondit: rem difficilem poſtulaſti: attamen ſi videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petiſti: ſi autem non videris, non erit.* Rem poſtulat difficilem Eliſeus, impetrat tamen, quia poſtulat: oranti enim nil non conceditur, cum poſſit omnia, qui rogat. Verum quod animaduertendum cenſeo, in reſponſo Eliæ, illud eſt quaſi pactum, ſeu conditio, qua pollicetur, fore vt cælum annuat poſtulatis, dummodo videat recedentem à ſe magiſtrum ſuum. *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petiſti: ſi autem nō videris, non erit.* Qui orans mente totus in Deo eſt, videre debet, quæ cæleſtia ſunt, & humanam ſupra mortalitatem. Quicunque mentis acie, & intellectus oculo ſic vides, bono animo eſto; erit quippe tibi quod petiſti: *ſi autem non videris, non erit.* Caue ne vageris reſpiciendo terrena, cum totus eſſe debeas in luſtrandis cæleſtibus, quando per orationem exponis Deo quod deſideras. Talis enimverò oratio omnipotentem vincet. Do Ambroſij verba ſerm. 87. id ipſum in hunc modum conſiderantis: *De Eliſei meritis quid dicamus? dum à patre plus exigit quam habebat, facit eum meritis ſuis plus præſtare quàm poterat.* Non poterat Elias duplicem largiri ſpiritum, quem non habebat, diſcipulo ſuo: ſed Eliſeus orans potentem fecit magiſtrum. Spiritus duplicis donum ingens, non Eliæ virtuti tribuendum, ſed adſcribendum eſt Eliſei deprecationi, quæ valet quicquid vult. *Facit eum plus præſtare, quàm poterat.*

Oratio vincit omnipotentem.

Mirari ſoleo quoties recolo verba illa, quibus olim Dominus Ieremiam eſt allocutus cap. 11. num. 14. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, & ne aſſumas pro eis laudem, & orationem; quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me, in tempore afflictionis eorum.* Imò clarius cap. 7. num. 13. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi.* Quid audio? Ergo Dominus petit à ſeruo ne oret, & quod mirabilius eſt, ne obſiſtat. Imò verò oret Ieremias, & ad declarandum Dei imperium, non audiatur. Nequaquam. Vt enim lata in Iudaicum populum ſententia ſtet irreuocabilis, neceſſe eſt, vt Ieremias non oret, nam precibus tàm ſancti viri nil omninò negari debet. Aut certè (iuxta Hieronymi interpretationem) quandoquidem Ieremiæ oratio exaudienda non erat, exponi non debuit, ne infirma, aut debilis videri poſſet, quę natura ſua omnia poteſt. Verba Hieronymi: *Præcipitur Ieremia, ne velit pro eis Dominum deprecari, in quos iam eſt conſummata ſententia: ne videatur oratio eius infirma, & proprijs ſceleribus non exaudiri: Noli, inquit, orare pro eis, nec laudem aſſumere, vt replicando veteris hiſtoria clementiam, qua eis ſemper miſertus ſum, & laudando, meam nitaris mutare ſententiam.* Quaſi verò timeat Dominus nitentis orationis conatum. Neſcia repulſæ oratio eſt, & quicquid poſtulando ſequitur, impetrando conſequitur. Diſce ab illo euangelico Rege, meritò increpante ingratum ſeruum, ac barbarum, qui conſeruum debitorem ſuum penè ſuffocatum coniecit in vincula. Id vbi primùm Regi renunciatum fuit, accitum ſeruum alloquitur his verbis: Matt. 18. n. 32. *Omne debitum dimiſi tibi, quia rogaſti me.* O potentiam orationis ad expugnandum cęleſtis Regis cor! Decem milia talenta donaui, quia nil negare poſſum oranti; *quia rogaſti me.* Diuini firmitas pectoris ſtare non poteſt, vim faciente oratione; robur ſummi Dei cedit, cadit magni patris conſtantia, inſtante deprecatione. Sed ad Ieremiam redeamus: neque enim pęnitet me dixiſſe, ideò noluiſſe Dominum ab eo preces fundi, ne niteretur Dei ſententiam orationibus mutare. Habeo itetum auctorem Hieronymum ad id confirmandum. Certè illud Exodi 32. num. 6. ad Moyſem, *Dimitte me,* ita expendit Hieronymus epiſt. 12. ad Gaudentium: *Quando dicit dimitte me, oſtendit ſe teneri poſſe, ne faciat, quod minatus eſt. Dei enim potentiam ſerui preces impediebant.* Iam nega, ſi potes, omnipotentiam orationis. Audi ſaltem quid ſentiat Tertullianus, hæc eadem verba, *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos,* ſic examinans: lib. 2. contra Marcionem cap. 26. *Ad hoc famulo dixit, dimitte me: vt ille poſtulando, & ſemetipſum offerendo non dimitteret; atque ita diſceres quantum liceat fideli.*

Omnia poteſt.

Vim facit Deo.

Verum

Verum nemo aptius de orationis præſtantia diſſerere poteſt, quàm ipſemet orandi magiſter, & orationis laudator Chriſtus Dominus, qui Io: 4. num. 10. Samaritanam mulierem alloquitur his verbis. *Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi, da mihi bibere; tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam*. Noto addi *forſitan* petitioni, non conceſſioni. *Forſitan petiſſes*, non autem forſitan dediſſet. Certius eſt impetrari à noſtra oratione quod petimus, quàm peti à nobis quod vtile nobis, & expetendum eſſet. Nil oratione efficacius, nil aptius, nil potentius ad exorandum. Si orares, vtique impetrares. Vnde Auguſtinus tom. 10. ſerm. 228. dicebat: *vbi aſſiduis pulſatur orationibus cælum, potentia ſemper calcatur*.

Cælum calcas.

Nulla profectò eſſe, aut excogitari potentia poteſt, tàm mira, tàm præcellens, tàm nobilis, quam non calcet, ac conterat vis maior ſanctę deprecationis. Quæ dum dicuntur à nobis, audio matrem filiorum Zebedęi oppoſitum omninò experiri: orat enim, & non auditur. Acceſſit tàm bona mulier ad Redemptorem, & flexo poplite Regem Regum venerata religiosè, ſic ait: Matt. 20. num. 21. *Dic vt hi duo filij mei ſedeant, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo*. Nunquid refellitur pię matris oratio? Abſit. Sed filijs non matri dedit reſponſum, neque enim reijci poterat poſtulatio tàm demiſſa: ſed Chriſtus Dominus, quaſi rubore perfuſus, cum ex vno capite negare non poſſet, ex alio dare, quod pertinebat ad Patrem, non liceret: ne matris precem dimitteret inanem, filios admonuit. Audi Ambroſium lib. 5. de fide cap. 3. *Dominus cæli, atque terrarum verecundabatur (vt ſecundum aſſumptionem carnis, & virtutes animæ loquar) verecundabatur, inquam, & vt ipſius verbo vtar, confundebatur matri pro filijs poſtulanti, etiam ſuæ ſedis conſortium denegare*. Maluit Chriſtus Dominus ſibi, vt ita dicam, deeſſe non reſpondendo, quàm deprecanti poſtulata negare. Dicat propterea Io: Chryſoſt. hom. 4. de incompreh. Dei natura: *auctor, parens, fons, & radix bonorum omnium, & innumerabilium, oratio eſt*. Sicut enim ſponte fluunt è ſuis fontibus liquores, ita bona omnia ab oratione emanant: digna quippe, quæ dicatur omnipotens, cum nil ab illa non fluat tanquam à perenni, atque incorrupta vena omnium bonorum. Neque verò nouum videri debet, aut inauditum, Chriſtum Dominum fuiſſe rubore perfuſum, nec auſum, vt ita dicam, oranti negare quod

Cur Chriſtus matri petente reſponderit filijs.

A poſcebat, cum id multo ante ab ipſo Domino factum animaduertamus. Lege cap. 12. lib. Numeri, vbi Deus grauiter reprehendit Aaron, & Mariam, eo quod de Moyſe fratre optimo, & dilecto Deo, fuiſſent oblocuti. Obiurgatione abſoluta, ait textus num. 9. *Iratuſque contra eos abijt*. Miror Dominum tàm ſubitò recedere: cur non potius infligit ſupplicium, aut pœnam decernit contra detractores? At non poterat Deus indignationis ſuæ argumentum exhibere certius, quàm recedendo. *Iratuſque contra eos abijt*. In quem locum Abulenſis quæſt. 51. ait: *ad innuendum, quod Deus nolebat rogari, ſuper hoc*. Nimirum orari non vult, B ne exoretur: nunquam enim diuina omnipotentia ſuum pectus tanta poteſt ira obarmare, vt deprecationibus non expugnetur facilè. Iratus abijt; quia ſi Aaron, & Maria veniam petierint, iram in commiſerationem permutabunt.

Deus expugnatur precibus.

Adeſte iam audituri duorum teſtium aſſertionem, quos omni exceptione maiores proferunt è prima antiquitate veterum monumenta ſcripturarum: hi ſunt Moyſes, & Elias. De Moyſe eleganter more ſuo S. Petrus Chryſologus ſerm. 43. eius in orando potentiam conſiderans, ſic ait: *Per hanc* (ſcilicet per orationem) *Moyſes fit Deus, & ad triumphos ſuos militare* C *ſibi omnia mandat elementa*. Nil potuit magnificentius, nil verius, aut pro re præſenti aptius dici. Orans Moyſes non ſolum pro arbitratu elementorum ordinem cõmouet, & vniuerſum orbem commiſcet, vt notum eſt, ſed etiam diuinitate donatur. Quod idem expertum ſe fuiſſe teſtatur Dauid luculenter, & diſtinctè pſal. 17. à nu. 7. Vbi ſic: *Inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui, & exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam*. Profitetur oraſſe ſe, & impetraſſe quod deſiderauerat. Quid tum? Elementa ſingula vim orantis ſenſere. Terra: *Commota*, inquit, *eſt, & contremuit terra*, Aqua: *&* D *apparuerunt fontes aquarum, & reuelata ſunt fundamenta orbis terrarum*, Aer: *Et intonuit de cælo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam*, Ignis: *Aſcendit fumus in ira eius, exarſit: carbones ſuccenſi ſunt ab eo*. De Elia verò ſerm. 2. de eodem S. Chryſoſtomus ea, quæ propria ipſius eſt, eloquentia inquit: *Iubet, & clauditur cælum, orat poſtmodum, & aperitur. Vt Sanctorum meritum monſtraretur non ſolum in terris poſſe quod voluit, ſed & in cæleſtibus poſſe impetrare quodcunque petierit*. Maneat ergò orantem imperare elementis, in terris poſſe quod vult, in

Oratio ex homine Deum facit.

cælis

Orationis mira potentia.

cælis impetrare quod poſtulat, & ipſa quodammodo diuinitate donari. Et dubitas adhuc de omnipotentia orationis? Ego ſanè non dubito: præſertim cum recorder oracoli magni Dei; Zachariæ cap. 12. nnm. 10. *effundam ſuper Dauid, & ſuper habitatores Ieruſalem ſpiritum gratiæ, & precum*, vel iuxta Chaldæam paraphraſim: *Spiritum miſericordiæ, & miſerationum*. Quaſi miſerationes, & miſericordiæ diuinæ deeſſe non poſſint, ſi ſpiritus precum adſit. Nimirum preces hominum tantum poſſunt, quantum valet miſericordia Dei. Hæc autem omnes Dei facultates excedens: *Miſericordia eius, ſuper omnia opera eius pſal. 44. num. 9.* ſatis manifeſtè declarat, quantæ potentiæ oratio ſit.

Duo oratores celeberrimi chriſtianæ reipublicæ Io. Chryſoſtomus, & Gregorius Nyſſenus, eloquenter adeò de potentia orationis verba faciunt, vt certare de primatu quodammodo videantur. Libet audire vtrumque. Chryſoſtomus 1. tom. ſerm. de Moyſe, ait: *Orationibus, Danieli viſa panduntur, ſopiuntur flammæ, feræ hebeſcunt, cadunt hoſtes, inimici vincuntur. Quanto enim purior frequentiorque fuerit celebrata oratio, tanto celerior veniet inimica vindicta. Hoſtis, dum oras, premitur: dum ceſſas, erigitur.* Vtinam ex hoc Chryſoſt. teſtimonio diſceremus flammas cupiditatis extingui, feras prauarum affectionum debilitari, ſuperari hoſtes, cæli ipſius aperiri penetralia, potentia orationis. Nyſſenus diutius differri nō debet lib. de orat. ſub initium ſic differens: *Oratio, Ionæ cetum domum effecit: Ezechiam ex portis mortis ad vitam reduxit: tribus adoleſcentibus in ventum rorantem flammam conuertit: Iſraelitis aduerſus Amalecitas trophæum erexit, & centum octoginta quinque millia Aſſyriorum, vna nocte, gladio inuiſibili proſtrauit.* Parum erat ad indicandam orationis potentiam dicere, oratione Ionam è ventre ceti eductum, adoleſcentes ab incendio vindicatos, Iſraelitas ab hoſtium furore ereptos; parum, inquam, niſi prædicari poſſet cæcum ceti carcerem, in domum Ionæ permutatam; adoleſcentibus incendium tranſiſſe in rorem; pro excidio, Iſraelitas, atque internecione trophęum victoriæ erexiſſe.

Vis quanta.

Longè mirabilius eſt, quod ſum dicturus, & niſi fallor, pro præſenti argumento multo accommodatius iis, quæ huc vſque protulimus. Hieronymum adire debemus ſacrarum literarum interpretem eruditiſſimum eundem, atque ſanctiſſimum. In expoſitione cap. 33. lib. 2. Paralip. ad illa

A verba nu. 12: de Manaſſe in Babylonicam abducto captiuitatem: *Poſtquam coangustatus eſt, orauit Dominum Deum ſuum, & exaudiuit orationem eius*; mentionem facit memorandæ Traditionis Hebræorū, aſſerentium Manaſſem in ſeruitutem redactum, in Babylonem perductum, ibique in vas æneum coniectum, diroque tormenti genere excruciatum, admoto ſenſim igne, & paulatim excreſcente incendio. Tàm noua, tàmque effera ſęuientis machina crudelitatis incluſus Rex infelix, cùm nō modò non egrediēdi, ſed ne attrahendi quidem ſpiritus remaneret aditus, impiè ſupplex inuocare cœpit nomina idolorum,
B quę colebat: & cum tanto malo remedium nullum poſſent afferre inania numina; venit Manaſſi in mentem Patris Ezechiæ monitum, ſæpe repetentis illud Deut. 4. num. 29 *Cum quæſieris Dominum Deum tuum, inuenies eum: ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Itaque rex Manaſſes, in ſumma calamitate feliciſſimus, ſupplice prece Dei opem implorans, ſenſit illicò & propitij beneficientiam Numinis, & potentiam orationis. Etenim, vt Glycas in Gloſſa citatus affirmat, adfuit, nulla interpoſita mora, oranti Manaſſi Angelus, qui con-
C fracto æneo ſeu vaſe, ſeu ergaſtulo, vi furentis incendij compreſſa, Regem è Babylonia Ieroſolymam reduxit incolumem. Quis Manaſſe ſceleſtior? Et tamen orans auditur, adeò vt & ſeruitutis vincula, & æris duritiem, & vim ignis, & tyrannicam violentiam omnem dicto citius proteerat, atque confringat. Solius orationis efficacia eſt tanto potentior, quanto ſceleribus ſuis indignior erat Manaſſes qui audiretur. Tàm ſtupendum potentiæ orationis in Manaſſe prodigium mecum ipſe conſiderans, volens prætermitto Moyſem, Annam, Ezechiam, Saram, Dauid, Petrum; licet ex iſtis peti poſſent argumenta
D haud obſcura pro re præſenti. Moyſem namque à furentis impetu populi ſola liberauit oratio, vt patet exodi 17. nu. 4. De Anna Samuelis matre hom. 1. de eius fide Chryſoſt. pronunciauit: *Orando, omnia quæ voluit effecit: Siquidem & naturam mancam, & ſterilem correxit, & conuicia æmulæ diſſoluit, ſeque ipſam ad magnam reſtituit fiduciam, dum è petra infrugifera ſpicam meſſuit comantem.* Ezechias porrò laceſſitus impudenti Regis Aſſyriorum epiſtola, imminens malum, certamque perniciem vt auerteret, confugit ad tutelam orationis. Vnde lib. 4. reg. 19. num. 14. *Aſcendit in domum Domini, & expandit eas coram Domino, &*

Orationis miracula.

orauit

A *orauit in conſpectu eius*. Bono animo eſto Ezechias: Aſſyriorum rex inimicas inſtruit acies, vaſtitatem minatur, ac necem; hoſtili percitus rabie furit, minatur, fremit: Rex autem Iſrael inermis, viribus deſtitutus, ſine duce, ſine milite, nullo bellico præſidio inſtructus non timet; ſed orationi, quæ omnia poteſt, ſeſe committit ac regnum. De Sara Tobiæ vxore, notum eſt fidiſſe adeò potentiæ orationis, vt cum mille modis ab ancilla premeretur, ad propulſandam aduerſariæ vim, nullius, niſi orationis præſidio, vſa ſit. Vnde Tobiæ 3 num. 10 *Perrexit in ſuperius cubiculum domus ſuæ: & tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit neque bibit;* B *ſed in oratione perſiſtens cum lacrymis deprecabatur Deum*. Dauid conatus aduerſariorum eluſit oratione munitus. Imò hoſtium audaciam, temeritatemque non alia, quàm orationis fregit potentia, ipſemet Chriſtus Dominus, cuius perſonam gerens Rex Iſrael pſal. 68. num. 13. canebat: *Aduerſum me loquebantur, qui ſedebant in porta; & in me pſallebant, qui bibebant vinum: Ego verò orationem meam ad te Domine*. Non Angelorum miniſterio, non creaturarum famulatu, non potentia dexteræ: ſed inuincibili orationis vi (cui nihil non cedit) comprimit rebellantes. C De Petro demum Eccleſiæ, & Apoſtolorum Principe nihil attinet dicere, cum id Chriſtianitas vniuerſa teſtetur. Cum enim potentiſſimi Perſecutoris auctoritas contra Petrum iam detruſum in carcerem niteretur; Act. Apoſt. cap. 12. num. 5. legitur: *Oratio autem fiebat, ſine intermiſſione, ab Eccleſia ad Deum pro eo*. Quem locum Chryſoſtomus hom. 29. ad populum ſic examinat. *Vis diſcere, quanta ſit orationis in Eccleſia facta potentia? Vinctus erat Petrus, multiſque catenis circundatus: Oratio autem fiebat ſine intermiſſione, ab Eccleſia pro eo. Et ſtatim eum à carcere liberauit.* D *Quid hac igitur ſit oratione potentius?*

Oratio propugnaculū.

Stupenda potētia orationis.

Quæ omnia licet negari non poſſint, vtpotè veriſſima; non tamen animus acquieſcit, niſi aliqua afferatur ratio, propter quam hominum oratio tantam vim habere dicatur. A firmitate corporis ducit ſimilitudinem S. Ambroſius ſerm. 27. ſcribens: *Orationibus deuota ſaginatur anima*, Quemadmodum enim corpus non macie confectum, ſed benè paſtum, pingue, ac viribus auctum, robuſtum eſt, & potens ad aggrediendos tolerandoſque labores; ſic etiam anima orationis, vt ita dicam, vegeto ſucco recreata, imò ſaginata nil non teneat, aut potius nil non perficit, &

Oratio animæ robur.

A euincit. Attollit ſe altius magiſter Theologorum Auguſtinus exiſtimans id prouenire, quia Deo placuit tantum oranti homini tribuere, vt pro libito de Dei diſponat arbitrio. ait enim in pſal. 129. *Aures Dei in corde precantis ſunt*. Cuius dicti ſenſum esplicare non poſſum, niſi afferendo in medium quod tradit Pierius Valerianus lib. 33. Hieroglyph. cap 24. de Iouis ſimulacro à Cretenſibus expoſito ſine auribus: quo ſymbolo eorum adumbrabant officium qui populis iura dabant: quaſi dicere vellent ad Iouem confugiendum non eſſe, cum auribus careret, & fruſtrà opem implorari ab eo, qui aures ſuas iudicibus B conceſſiſſet. Fabuloſa ſunt hæc: quæ tamē non parum tribuant luminis veritati. Dicere non audeo fieri debere ſimulacrum ſummi Dei auribus carens: ſed audio ex Auguſtino aures Dei in corde eſſe precantis. Vt mirum non ſit orantem omnia poſſe; quandoquidem aures habet Dei non modo attentas, & beneuolas, ſed ad arbitrium, vtpotè in corde ſuo. Quaſi verò idem ſit à probo viro quidpiam conceptis expeti votis, & à Deo audiente, & annuente concedi. Huc reuoco quod de Carneade legimus, quem altiore, quàm par erat voce diſputantem academiæ C Princeps monuit, vt demiſſius loqueretur: cum autem Carneades excuſare ſe vellet, reſpondit illicò: *da modum*: ſtatim à Principe audiuit: *modum habes, auditores*. Quod ſcio pronunciatum fuiſſe, ad infringendam & vocem, & audaciam Carneadis, aperit mihi auditum ad intelligendum, quantum poſſit iuſti oratio. Quæris enim, quibus circumſcribatur limitibus, aut quem habeat in obtinendo modum? reſpondere poſſem: modum habes, auditores. Cum ergo orationis auditores ſint & ipſe orans, & Deus; mirum non eſt, ſi det hic, quidquid ille vult, cum tribuendus ſit modus à potentia Dei, & orantis D voluntate. Quis non exclamet cum Gregorio Nazianzeno orat 1. de orat. *O ſacrum, & diuinum opus orationem!* Opus planè diuinum; cum tribuat, vt ita dicam, Diuinitatem. Vnde non me præterit à Martiali poeta ingenioſo lib. 8. epig. 24. fuiſſe decantatum.

Eſu ditur dū auditur.

Iouis ſimulacrum cur ſine auribus

Carneadis reprehenſio noſtra eſt inſtructio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Oratio opus diuinū Deos faciēs.

Qui fingit ſacros auro, vel marmore vultus,

Non facit ille Deos, qui rogat, ille facit.

Putida, vt vides, aſſentatione blanditur Domitiano Cæſari. Negari tamen, nec ſine piaculo poteſt, nec ſine veritatis iniuria debet certiſſimum eſſe, ab homine ſupplici ad Deum accedente, Deum ipſum donari quodammodo Diuinitate. Etenim

qui

qui ſupplices tendens manus Deum rogat, egenum ſe profitetur opis illius, quam à ſolo Deo bonorum largitore beneficentiſſimo expetere poteſt, & expectare. Qui Deum orat, eundem colit potentem, prædicat beneficum, veneratur nullius indigum, parentem, ac Dominum omnium cõſalutat. *Qui rogat ille facit*. Vt mirum videri non debeat, ſi tàm munificè annuat poſtulatis, eum tanto afficiatur honore, prece ſupplici hominum poſtulantium.

Cur orantes nõ exaudiantur.

Hæc ſcribens angor, vt verum fatear, ſupra quam dici, aut credi poſſit: Sicut enim ſacrarum oracula ſcripturarum reuocari in dubium, ſine impietate non poſſunt; ita communi ferè hominum opinioni contradicere temerarium. Orationis potentiam allata confirmant; deſtruunt è contrario quotidiana experimenta confugientium ad orationem ſine fructu, cum nihil impetrent. Quid ergo dicendum? me ſanè tacente, reſpondebit ſcripturarum Pater Hieronymus lib. 4. in Matth. cap. 27. qui examinans promiſſum Saluatoris. Marci 11. num. 24. *Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis* concludit his verbis: *Ergò quoties non accipimus, non præſtantis eſt impoſſibilitas ſed culpa deprecantium*. Res fiet clarior ea hiſtoria, quæ ſcribitur lib 3. reg. cap. 18 vbi dicitur Elias, antequàm oraret Deum pro pluuia, interfici iuſſiſſe octingentos quinquaginta pſeudoprophetas, quibus è medio ſublatis, impetrauit quod poſtulabat, cit. cap. num 40. *Dixitque Elias ad eos: apprehendite prophetas Baal, & ne vnus quidem effugiat ex eis: quos cum apprehendiſſent, duxit eos Elias ad torrentẽ Ciſſon, & interfecit eos ibi: Et ait Elias ad Achab, Aſcende, comede, & bibe: quia ſonus multæ pluuiæ eſt*. Quid dicemus de pluuia tot hominum vita, empta? Intelligo quid tibi velis Elias. Noſti tu quidem vim orationis omnem eneruari ſceleribus, nec impetrari quicquam poſſe, ſi ſint ſuperſtites perditi viri, ac flagitioſi, iuxta illud Ierem. Thre. 3. num. 42. *Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus: idcirco tu inexorabilis es*. Intelligis quomodo culpa ſit deprecantis, ſi petita non impetrentur. Non fuit ſatis Eliæ amouiſſe à finibus Imperij prophetas Baal, ſed eos internecione delendos duxit. Ne fallaris. Non amouendi ſolummodo ſunt à finibus deſideriorum noſtrorum praui ſenſus, & noxiæ cupiditates: ſed conterendæ, ſed tollendæ è medio, ſed extirpandæ radicitus, vt valeas obtinere, quod volueris deprecando. Stat ſententia Hieronymi:

Vim orationi adimunt peccata.

A *Quoties non accipimus, non præſtantis eſt impoſſibilitas, ſed culpa deprecantium.*

Aut certè, ſi Hieronymus non ſatisfacit, audiatur Diuus Baſilius Selen. qui orat. 24. examinans datum à Chriſto Domino reſponſum petenti matri filiorum Zebedæi, Matt. 20. ſic habet: *Non eſt meum dare: cur? Quia remuneratio accipientis meritum conſequitur, non ſolum facultatem donantis. Thronus, laborum præmium eſt; non ambitionis donum gratuitum; ex rectè geſtis thronus comparatur: nudam poſtulationem datio non ſequitur*. Inanis orantis eſt ſonus, ſi meritis careat, & bonis operibus deſtituatur.

Oratio inanis, quæ.

B *Nec apparebis in conſpectu meo vacuus*. Exod. 34. num. 20. iubentis Dei lex fuit. In quem ſenſum eloquenter non minùs, quàm verè protulit D. Cyprianus de orat. Dominica: *Orantes autem non infructuoſi, nec nudis precibus ad Deum veniant: inefficax enim omninò petitio eſt, cum precatur Deum ſterilis oratio. Nam cum omnis arbor, non faciens fructum excidatur, & in ignem mittatur: vtique, & ſermo non habens fructum, promereri Deum non poteſt, qui nulla eſt operatione fœcundus*. Vidiſti orationis omnipotentiam: vides vnde impotentia oriatur orantis. Vt omnia C impetrare poſſit, tua corde procedat immaculato petitio; & poſtulatis præcedant promerita deprecantis.

Nunquã recolo, quin admirer quod ſcribit Plinius lib. 36. cap. 5. & ex eo Natalis Comes lib. 4. Myth. cap. 16. de eo ſculpturæ miraculo, quod Anthermus, Micciades, Nalas collato ſtudio, & cõmunicato artificio perfecerũt. Dicuntur tres iſti opifices lapideam Dianam, in Chio inſulâ feciſſe, quæ pro optica ratione intuitus, ſeuera, ac truci vultu minaciuè ſupercilio, appareret irata templum ingredientibus; eadem verò exeuntibus placata videbatur, ac benigna. Quis non obſtupeſcat ſcalpri magiſterio D emolliri ſaxa, ac marmora depoſito rigore benignitatem induere potuiſſe? Ego verò. ſicuti certius, ita admirabilius cenſeo, accedentibus orandi gratia ad Deum, templũque proprij cordis ingredientibus dari, vt quem iratum intrantes ad deprecandũ inuenerint, placatum, & miſericordem aſpiciant abſoluta oratione egredientes. Nil quippe non poteſt ſupplex pietas deprecãtis. Quid namque non poterit oratio, ſi eius arbitrio Deus ipſe fit ex irato mitis, hoc eſt mutatur immutabilis?

Lapidea Diana miro artificio benigna apparebat, & minax.

Videri poteſt P. Franciſcus de Mendoza tom. 2. in lib. Reg. cap. 4. nu. 11. Annot. 12. circa lit. Sect. 2. §. 1. & 3. & cap. 7. num. 8. in expoſit. lit.

IN CAPVT SEPTIMVM

Num. XIII. & XIV.

Intrate per anguſtam portam: quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam: & pauci ſunt, qui inueniunt eam!

PARADOXVM IIII.

Iuſtorum via longè facilior, quàm Peccatorum.

VTINAM non multi ab arrepto virtutis itinere deſiſterent, inanibus decepti præſtigijs, vt planam, & ſuauem peccatorum viam, ſic inuium, atque difficile eſſe Iuſtorum iter falsò ſomniantes. Ipſe ſanè veritatis Magiſter virtutis viam arctam quidem eſſe, ſed non arduam pronunciauit. Vt igitur opinionem hanc noxiam æquè, ac falſam ab hominum mentibus radicitùs extirpemus; præſentis inſtituti propoſitum erit euincere, Iuſtorum viam longè faciliorem eſſe, quam Peccatorum.

Quoniam autẽ videtur repugnare propoſitio communi hominum opinioni; non alia, quàm Salomonis auctoritate firmanda eſt. Prou. 3. num. 17. vbi de præceptis virtutis, ſeu de actionibus cum virtute coniunctis ex Caietani, & Ianſenij ſententia verba faciens, ſic habet: *Via eius pulchra, & omnes ſemitæ eius pacificæ*, ſeu ex hebræo: *Via amœna, vel Via amœnitatis.* Delectabilis via, viſu iucunda varietate florum, virore herbarum ſpectanda non poterat meliùs declarari; hanc qui terit, ſecurus graditur, & nequaquam defatigatur ſaltibus, ſed recreatur amœnitate. Rem declarat accõmodata ſimilitudine Baſilius orat. 3. de peccato in hunc modum; *Sicut hi, qui in vijs inſidias inſtruere ſolent, ſi animaduerterint locum aliquem vallibus profundis diffractum, aut denſitate arborum opacum, in hunc ſe abdentes, & viatorum præſenſionem eiuſmodi operimentis præcidentes, confertim ex improuiſo ipſos aggrediuntur: ſic dæmones, &c.* O facilem, ò calcandam virtutis viam, quæ non horreſcit profundis vallibus, non occupatur tetra arborum denſitate, non prædonum inſidijs infamis eſt: ſed iucunda, ſed amœna explicata camporum planitie ſecura viatoribus, ac delectabilis. Sceleſtorum via à prædonum vi minimè immunis, quanto cum pauore calcatur, quanta cum difficultate conficitur? Sed quæret fortaſſe aliquis, quo pacto dicitur à me lata, ac ſpatioſa virtutis via, quæ arcta, & anguſta Chriſti docentis auctoritate hoc eodem loco declaratur? *Arcta via eſt, quæ ducit ad vitam.* Reſponſum dabit pro me S. Auguſtinus, hanc dubitationem mouens, & ſoluens in pſal. 30., vbi cum incidiſſet in illa verba Iob, *Poſuiſti in loco ſpatioſo pedes meos*, ſic habet. *Quomodò ſpatioſum ſimul, & anguſtum eſt virtutis iter? Certè anguſta via eſt: laboranti anguſta eſt, amanti lata eſt.* Amœnam, atque planam, ridentemque viam eſſe virtutis diſertè pronuntio. Da amantem, & ſcit quod dico.

Via virtutis amœna, facilis. & ſecura.

Difficilis laboranti, facilis amãti.

Celebris eſt illa cæremonia imperata à

Deo,

Deo, & deſcripta Exodi cap. 12. num. 11. de Paſchalis Agni ritu his verbis: *Sic autem comedetis illum. Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinanter*. Huius præcepti tropologicam explicationem allaturus Gregorius conſiderat feſtinam, ac celerem comedendi conſuetudinem, quæ innuit huius viæ iter inoffenſo pede, & celeri curſu conficiendum. Sic autem monet hom. 22. in Euang. in fine: *Notate chariſſimi fratres, notate, quod dicitur feſtinanter. Feſtinanter Paſcha comedite, id eſt ad ſolennitatem patriæ cæleſtis anhelate. Nemo in huius vitæ itinere torpeat, ne in patria locum perdat*. Ergò, ſi vita præſens via eſt, & quidem conficienda cum feſtinatione, quis difficilem credet? Præſertim cum non equi, non currus, non quadrigæ neceſſariæ ſint, imò ne ocreæ quidem. Calceamenta, & baculus ſatis ſuperque inſtruunt ad conficiendam hanc viam. Credat qui velit, inuiam, aſperam, arduam; mihi ſanè videtur facilis, vtpotè conficienda celeriter, & ſolo baculi præſidio ſuffulto.

Ideo facilis, quia celeriter conficienda.

Redeamus ad Salomonem, qui ſequenti cap. 4. Prouerb. re diligentiùs examinata diſcrimen affert Iuſtorum inter, & Peccatorum viam; illam ſiquidem nitenti illuſtrem lumine nuncupat; hanc verò deſcribit tenebris obſitam. Verba Salomonis cit. cap. 4. num. 18 & 19 ſunt: *Iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectam diem. Via impiorum tenebroſa*. Perbellè Theodoretus quæſ. 1 in leuit. has peccatorum tenebras ſuæ eloquentiæ luce nobis demonſtrat in hunc modum: *Sacrificium, quod offerri ſolebat pro peccato, ſine thure, & oleo offerebatur; carent enim alimento lucis, qui ſedent in tenebris peccati; & qui lugere debent, expertes ſunt lætitiæ*. Offuſos tenebris peccatores, & mœroribus cruciatos dum conſideras; animaduerte viã cæteroqui planam, & facilem, inuiam fieri, & mille expoſitam periculis, ſi tenebris obuoluatur. Quis enim non impingat, non offendat, non labatur, ac ruat præceps tetra noctis caligine circumfuſus? Vnde Io. 11. num. 9. *Si quis ambulauerit in die non offendit, quia lucem huius mundi videt: Si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux in eo non eſt*. Inſiſtit hoc loco ſine dubio ſapientiſſimus filius veſtigijs Patris Dauid, qui maiori cum emphaſi pſal. 34. num. 6. cecinerat: *Fiat via illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos*. Parum erat dixiſſe tenebroſam eſſe perditionis viam, ſed ait inſuper cœno lubricam, & mille præcipitijs confertam, perſequente Angelo, & per abrupta compellente. Hunc locum afferens Magnus Gregorius lib. 19. moral. cap. 4. ſic habet: *Fiant via illorum tenebræ, & lubricum, vt ſcilicet per tenebras quò ire debeant, non videant: qui, & ſi rectà viderent, in eis tamen per lubricum ſtare non poſſent. Illi itaque per lubricum inter bona claudicant; illi per tenebras, quæ bona ſequantur, ignorant*. Finge, ſi potes, iter difficilius, aut magnis plenum periculis, planèque horridum, inuiumque. Vis noſſe quo pacto tenebroſum ſit, ac lutoſum impiorum iter? Audi Apoſt. ad Rom. 13. num. 13. ſcribentem: *Abijciamus opera tenebrarum: non in commeſſationibus, & ebrietatibus; non in cubilibus, & impudicitijs; non in contentione, & æmulatione*. O cimmerias, aut potiùs, ò pluſquàm ægyptias ſcelerum tenebras! Vis diſcere, quàm verè lubrica prædicetur via reproborum? Audi Auguſtinum contra Donatiſtas cap. 19. vbi de argilloſa peccatorum via ſic ſcribit: *Tam denſum, & arctum eſt lutum, vbi eis pedes adhæſerunt, vt eos euellere conantes fruſtrà manus, & caput figant, & in eodem luto hæſitantes arctiùs inuoluantur*.

Vis iuſtorũ ſplendens: peccatorum tenebroſa.

Via peccatorum lutoſa, & lubrica.

Neque aliter ſeſe res habere poterat. Deus enim ipſe obſtrinxit fidem ſuam diſertiſſimo apud Iſaiam Promiſſo; quod vt melius intelligatur, cum oraculo S. Pauli coniungendum eſt. Promittit Deus Iſaiæ 49. num. 11. his verbis: *Ponam omnes montes meos in viam, & omnes viæ meæ exaltabuntur*. Legunt alij; *Et omnes viæ meæ ſtratæ erunt, vel ſternentur*. Paulus autem prima ad Cor. cap. 9. num. 24. ait: *Neſcitis, quod ij, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium?* Vt vides præmium æternæ felicitatis brauio comparatur; vita verò, quam ducimus, confertur curſui. Sanè, qui brauium proponit, ſtadium currentibus parat. Quis enim neſcit quanto ſtudio, quantaque diligentia complanetur via, quam currentes conficere debent? Tolluntur impedimenta, auferuntur obices, remouentur lapides; nil arduum, aut accliue, nil lutoſum, aut lubricum, quod ſic contendentes retardare poſſit; & illud idem ſpatium, quod à deambulantibus inuenitur cœnoſum, & impeditum, cùm curſu luſtrandum eſt, Principis iuſſu minimis etiam ſublatis obſtaculis molli complanatur arena; adeò vt maxima cum ſecuritate, ac facilitate percurratur. Verè dixit per Iſaiam Deus cap. 49. num. 11. *Ponam omnes montes meos in viam*. Nimirum propo-

Iuſtorum plana, & ſtrata.

propoſito brauio percurrenda via eſt. *Omnes currunt; vnus accipit brauium.* Iam verò facilis erit inter vtramque, Iuſtorum ſcilicet, & Peccatorum, viam comparatio. Illa ſiquidem plana. Vnde Iſaias Dei nomine pollicetur cap. 63. nu. 13. *Adducam eos per torrentes aquarum in via recta, & non impingent in ea.* Tortuoſa è contrà ſceleſtorum eſt via dicente Ambroſio in pſalm. 1. *Tortuoſa eſt ſeculi via.* Iſtam, cœnoſam vtpote, ac lutulentam quis ſine moleſtia, & quod peius eſt ſine periculo caſus calcare quis vnquam potuit? *Lutum* (ait Chryſoſtomus hom. 9. in epiſt. 2. ad Titum,) *ſunt temporalia, & ſecularia omnia; euellamur ab his.* Clariùs Ambroſius in pſal. 35. ait: *lutum eſt iniquitas, fugiamus; ne in eius voraginem non pes noſter exterior, ſed, quod grauius eſt, mens veſtra mergatur.* Tutus eſt ab omni periculo, quicunque virtutis viam, non tàm luſtrat paſſibus, quàm illuſtrat affectibus ſanctitatis. Sic ſpondet Salomon prouerb. 3. num. 23. *Ambulabis fiducialiter in via tua: & pes tuus non impinget.* Magis ad rem noſtram Prouerb. 15. num. 19. vbi vulgata habet: *Via Iuſtorum abſque offendiculo.* Hebrea lectio transfert: *Via iuſtorum ſtrata lapidibus.* Per viam tàm planam, tàm benè diſpoſitam, tàm mundam, tàm rectam, & omni ſorde purgatam facilè currimus, vt brauiom accipiamus; præſertim cum moneat Auguſtinus: *Amor greſſus eſt, & amare eſt proficiſci: Sed vehemens amor eſt curſus.*

Amor eſt greſſus, imò curſus.

Fiet propoſiti veritas argumenti manifeſtior exemplo allato Iudæ proditoris, in quo ſceleſtorum ſortem eleganter recognoſcit Drogo Cardinalis oſtienſis lib. 1. de Sacramentis Paſſionis. Nefarij parricidæ mortem paucis complectitur Matth cap. 27. num. 5. *Et abiens laqueo ſe ſuſpendit.* O hominom miſerrimum! ſui ipſius fit carnifex. Par quippe tãto ſceleri ſupplicium nullius manibus poterat æquiùs, aut conuenientiùs irrogari. Sed ſiſte parumper, vt Drogonem excipias ſic loquentem: *Iamdiù erat quidem, quòd à Chriſto diſceſſerat; & auaritia laqueo ſe ſuſpenderat; ſed quod fecerat in occulto, palam omnibus innotuit.* Imò S Io. Chryſoſt. viſus eſt Iudas, ſuſpendens ſe laqueo, remedium aliquod ſuis angoribus attuliſſe. Sic enim de eo loquens ait in pſal. 7. *Cùm non poſſet ferre iudicij conſcientiæ dolorem, adaptato ſibi laqueo vitam finiuit.* Proditor diſcipolos tolerabilius malum putauit infami morte, & effuſione

Diuitiæ illaqueant, & ſtrangulant.

Vita impiorum verè acerba falsò iucunda.

A

viſcerum, vitam abſoluere, quàm ferre diutiùs acerbiſſima tormenta iniquitatis. Itaque dum pendentem ab arbore vides Iudam, animaduerte non primum hunc fuiſſe laqueum, ſed iniecto ſibi auaritiæ fune per nodos, & vincula, per nexus, & captiuitatem ad extremom perueniſſe laqueum. Calamitoſum, durum, intolerabile vitæ genus. Atque hæc eſt ea libertas, & vitæ iucunditas, qua non fruuntur modò, ſed gloriantur facinoroſi. Hos paucis, ſed accommodatiſſimè deſcribit Salomon Prouerb. cap. 2. nu. 14. *Lætantur, cùm malè fecerint: & exultant in rebus peſſimis.* Hæc ſumma errorum eſt, hæc

B

maxima hominum deceptio exiſtimantium exultare, lætari, & omni iucunditatis genere recreari, qui laxatis ſenſuum habenis per ampliſſimos cupiditatum fines ſine lege vagantur, *Lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Egregium ego improbitatis tripudium conferrem cum ſaltu eorum, qui aranearum, quibus abundat Apulia, morſo correpti, vi veneni peruadente venas, coguntur ſaltu tripudiare. Deplorandum tripudij genus, quo, corde vi tabifica occupato, occiditur. Agnoſcite ſceleſti veſtras lætitias, veſtras felicitates. Sed meliùs Auguſtinus ad illud Pſalmi, *Et nocte*

C

canticum eius. Ingenioſa admodum ſimilitudine, ex ipſa exultantium improborum alacritate parum tutas eſſe concludit eorum vias. *Cùm viator, (inquit) ſolus de nocte per viam parum ſecurus pergit, cantare conſueſcit: veruntamen cantus illos, non voluptas, ſed timor ſuadet: putat enim cantu metum quodammodo eludi.* Puerilia, imò ſtulta incuoditatum genera iſthæc ſunt, quę veros iodicant angores, & pericula patefaciunt itineris inſidijs, ac diſcriminibus vndique occupati, & circumſepti.

Compono ſimul infortunium Sampſonis, & oraculum Dauidis; illud quidem, à

D

Sancto Paulino; hoc autem à D. Io: Chryſoſtomo illuſtratum. Reuoca in mentem Sampſonem orbatum luminibus, ligatum funibus, molentem farinam, Iudicum cap. 16. nu 21. *Quem cum apprehendiſſent Philiſthijm, ſtatim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt.* Id præ oculis habens Paulinus epiſt. 4. ſcribit in hunc modum: *Stat in via peccatorum compeditus vinculis cupiditatum, & ipſe ſibi carcer eſt; obſeſſus tenebris erroris ſui in ſemetipſo piſtrinus ergaſtulum portat, farinam hoſtibus ſuis de corrupta anima*

C ſua

Via peccatorum compedita, & tortuoſa.

ſua fruge conficiens. Nota, quo pacto via peccatorum compedibus, vinculis, carceribus, tenebris inuia ſit, & infeſta. *Stat in via peccatorum compeditus vinculis cupiditatum, & ipſe ſibi carcer eſt, obſeſſus tenebris erroris ſui*. Do iam Dauidis ſententiam pſalm. 11. num. 9. *In circuitu impij ambulant*. Flexuoſis incertæ ambagibus viæ dicuntur peccatorum, qui nunquam rectà, ſed per circuitum gradiuntur. Gyrum huiuſmodi permoleſtum, ac periculoſum ſic explicat hom. 37. in Matth. S. Io: Chryſoſtomus: *Peccatores equi ſunt diaboli; quia diabolus in peccatoribus ſedens inſtigat eos per deſerta facinorum, id eſt per fornicationes, & auaritias, &c. in orbem*. Orbem noxium, & ærumnoſum. Quo qui verſantur & corpore laborant, & capite; ita vt defatigatione corruant, & faſtidio proſternantur. Væ vobis, qui circulari motu circumuoluti moleſtiſſima capitis vertigine laboratis. Quid hac via triſtius, aut intolerabilius? *In circuitu impij ambulant*. Videlicet, vt monet D. Ambroſius lib. de Abraham: *Bona huius Seculi inſtabilia ſunt, & rotarum in morem cum ipſo ſeculo voluuntur*.

Bona temporalia inſtabilia.

Vt diuina plenum ſapientia Eliæ conſilium agnoſcamus, & veneremur, properemus ad montem Carmeli; vbi, quemadmodum ſcribitur lib. 3. Reg. cap. 18. à nu. 19., & deinceps, ſacerdotes Baal vnà cum Elia contenderit de patefacienda diuinitate; illi pro idolis pugnantes; hic veri Dei partes agens. Statuunt igitur, vt is haberi debeat pro Deo, qui igne è cælo demiſſo acceſſerit vocatus ſuorum precibus, & holocauſtum abſumpſerit. Spectante populo dicta iam die, Pſeudoprophetæ conſentiente Elia ſummo mane magnis laboribus ligna cædunt, portant, componunt altaria, maximiſque clamoribus, ac vociferationibus inconditis defatigati, quia poſtulatum ignem non obtinent, acerbiſſima carnificina vulnerant ſe ſe, diſcerpunt, ac lacerant. Vide num. 28. cit. cap.: leges: *Clamabant ergò voce magna, & incidebant ſe iuxta ritum ſuum cultris, & lanceolis donec perfunderentur ſanguine. Poſtquàm autem tranſijt meridies, & illis prophetantibus venerat tempus, quo ſacrificium offerri ſolet, nec audiebatur vox, nec aliquis reſpondebat, nec attendebat orantes: &c.* Miſeros vos, qui totam huius vitæ diem inſomnitis in ferendis lignis, in ſtruendis altaribus, in anxio pectoris vociferantis anhelitu; &, quaſi id parum eſſet; in vos ipſos truci ferro ſæuitis, vt tandem nihil impetretis: atque hæc vitæ veſtræ ſumma, huiuſmodi viæ quam teritis, genus eſt. E contrà Elia ſine labore, ſine conatu, ſine ſanguine; ſed breui fuſa prece auditur à Deo. Prò quàm facile eſt huic Deo ſeruire! Teneo, quod cecinit Nazianzenus carm. de virtute humana: *Virtus difficilis, ardua, profunda, incantata*. Quo loquendi modo fortaſſe indicare voluit nil arduum, aut difficile, in via virtutis inueniri, quæ ſolum præſtigijs incantantium apparet horrida, & inacceſſa, cùm reuera talis non ſit. Sicut enim incantantes inanium repræſentatione ſimulacrorum videndum exhibent, quod non eſt: ſic planè idem contingit, quibus virtutis negotium laborioſum proponitur, aut horrendum. Impietatis id proprium eſt, quæ, cum alia videri velit, quàm ſit; cogitur in ſuos eſſe ſæuiſſima; quemadmodum animaduertit S. Paſchaſius lib. 4. in Matth. vbi habens præ manibus illud de hypocritis: *Exterminant facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes*, Sic fatur; *Exterminant facies ſuas, quod eſt apertè dicere, extra terminos humanæ conſuetudinis eas obducunt, & inuſitato genere fœditatis ſemet afficientes, pallorem quærunt*. Quò pergant impij, attende. non modò extra anni, ſoliſque vias; ſed vltra fines humanitatis. Nullus enimuerò angulus adeò præceps, via nulla adeò incommoda, mons nullus adeò præruptus, qui, cum inacceſſis, decliuibus, inhumanis callibus impiorum conferri queat.

Sacerdotes Baal multùm, & acerbè laborantes, nihil impetrãt

Elias ſtatim exauditur.

Virtus cur dicatur incantata?

Impietatis larua;

Patet iam ſatis, vt reor, pro eodem à me accipi hoc loco viam, ac vitam. Vtinam æquè manifeſtum ſit diſcrimen, quod intercedit inter viæ, vitæque genus, quod peccatores, ac iuſti traduerunt. Lucæ cap. 16. à num. 1. & deinceps, Villici iniquitatis parabola exponitur, illius, inquam Villici, qui duriſſimè, & acerbiſſimè cogebat rationes reddere. De hoc eleganter D. Gaudentius his verbis: *Iniquitatis villicum diabolum puto eſſe, vt immanitatem crudeliſſimi huius villici fugientes, ad pietatem Dei ſuppliciter curramus*. Ipſa comparatio inter duritiem, qua diabolus tractat peccatores, & ſuauiſſimam ſeruorum Dei viuendi rationem, ſatis ſuperque ſuadet amplectendam eſſe virtutem, vitijſque nuncium remittendum. Mirari ſoleo Rebeccæ conſilium Iacobo dilecto filio ſuo mandantis, vt pergat in Meſopotamiam. An oblita ſe eſſe matrem, tam carum caput longoiti-

Peccatores diabolus durè tractat.

go itineri, & mille formidando periculis exponit? Sic Gen. 27. num. 43. Rebecca alloquitur ſuum Iacob: *Nunc ergò, fili mi, audi vocem meam, & conſurgens fuge ad Laban fratrem meum.* Cur obſecro ad fugiendum Eſau furorem, non abſcondatur potiùs Iacob, quàm exponatur difficillimæ viæ conficiendæ?

Via virtutis per ſe facilis, non indiget leuamine.

Nimirum viæ virtutis exprimitur ſimulacrum; quæ via non tantam habet difficultatem, vt etiam mulierculę iudicio non ſit arripienda libentiùs, quàm domeſticę commoditates. Eat igitur in Meſopotamiam matre conſulente, niſi potiùs impellente Iacob; qui ad noſtram inſtitutionem aſpera anteponit delectabilibus. Vnde, cùm receſſit à Laban idem Iacob, vt ſcribitur cap. 31. Geneſ. eundem Labao obuium habuit, audiuitque ſic conquerentem num. 26. & ſeq. *Quare ita egiſti, vt clam me abigeres filias meas, quaſi captiuas gladio? Cur ignorante me fugere voluiſti, nec indicare mihi, vt proſequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis?* Hæc igitur ſumma eſt expoſtulationis Laban; quod adeò ſecretò receſſerit Iacob, vt non potuerit Laban ſocius itineris fieri, & vię laborem muſico concentu leuare. *Vt proſequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis?* Ad hęc quid reſpondeat Iacob accipies ex Sancto Ambroſio qui epiſt. 4. ad Irenęum ſic eum introducit loquentem cum Labano ſocero ſuo.

Voluptates reijciendæ.

His me delectari poſſe credidiſti? his reuocari? Hæc ſunt quæ ego fugi, ne me talia ſequerentur: ne quid de tuis accipiens abirem. Poſt hęc ſtatim Ambroſius declarat quid dicere velit hoc reſponſo, eiuſdem aperiens ſenſum in hunc modum. *Non enim*, inquit, *talibus deductoribus ad Eccleſiam Chriſti peruenitur, ad quam tendebat Iacob fugiens vmbram inanium rerum, præferens inſenſibilibus ſimulacris virtutum ſpirantem decorem, plauſibilibus præponens ſeria.* Digna Iacob, digna Ambroſio animaduerſio. Reſpuit Iacob lenamen longi, & difficilis itineris à Labano oblatum; non enim cantu, ſimphonia, aut blanditijs indiget, qui iter terit virtute comite: hęc ſcilicet pro vehiculo eſt. Reſpuit è Meſopotamia redux Iacob ſoceri cantilenas, & gaudia, vt doceat proborum hominum viam vitamque, facilem planamque ſuapte natura non indigere his tripudijs, quę neceſſaria ſunt facinoroſis, vtpote per auia, atque abrupta gradientibus. Pende illa

A verba: *Præferens inſenſibilibus ſimulacris virtutum ſpirantem decorem.* Virtus enim vero ſpiranti decore ſuo vſque adeò recreat, vt longiſſimum è Meſopotamia iter multis cęteroqui incommodis arduum, facili negocio perficiatur.

Virtus pulchra.

Quoniam autem quotquot in hac vita ſumus, viam terimus, qua ad patriam tendimus, vt ſeriò decernamus vtra futura ſit aptior ſocia itineris, voluptas, an virtus; vtramque ex Philone propono conſiderandam. Sic autem diſſerit lib. de merc. meretricis non accipienda in ſacrarium.

Voluptatis, & virtutis conſideratio.

Duas noſtrum quiſque vxores B *habet in ſuo contubernio, eaſque infenſas ſibi inuicem. Harum alteram diligimus, quaſi amicam, blandam, familiarem; quæ voluptas dicitur: alteram odio proſequimur, vt immitem, ac tetricam, & nobis minimè beneuolam: hæc virtus nominatur.* Vides malorum noſtrorum originem: putamus tetricam immitemque virtutem; blandam verò, & familiarem arbitramur voluptatem. Toto cęlo aberramus fingentes virtutem tetricam, atque immitem; blaodam, & familiarem voluptatem. Reuera enim nil virtute amabilius; nil voluptate vnà cum vitijs magis fallax, aut abhorrendum. Vt C propterea qui ſapiunt ſocia virtute viam arripiant patriam verſùs alacres; & perficiant feliciter. Ecce Philo loco citato vtriuſque diſcrimen aſſerens his verbis.

Earum diſcrimen, & deſcriptio.

Illa, (hoc eſt voluptas) *ad nos accedit ornatu meretricio, fracto inceſſu præ mollitia, obtutu laſciuo inueſcans animos iuuenum; temeritatem, & impudentiam præferens in oculis, elata ceruice ſupra natiuam ſtaturam aſſurgens; ridens, cachinnabundaque, calamiſtrata, & cincinnatula, fucata facie, pictis ſupercilijs, recens lota, purpuriſſata, pretioſo, floridoque amicta palliolo, aureis gemmatiſque armillis ſuperba, & murenulis,* D *mundoque muliebri cætero, ſpirans vnguenta fragrantiſſima; non tàm domum ſuam, quàm fora, compitaque diligens, ſua forma prodiga, aſcititiæ verò auida. Et cum ea pediſſequa domeſtica vafritia, iniuſtitia, nequitia.*

Voluptas inſidioſa.

Vides nil niſi fictum, ac fallax, nil niſi inſidioſum, ac ſubdolum in voluptate, & vitijs reperiri. Inſpice iam virtutis imaginem, quam eloquentię ſuę coloribus in hunc modum depingit Philo: *Altera in abdito ſtans, verita ne fortè illa mariti communis animum ad ſe ſolam pertraheret corruptum donis, vel oblatis, vel oſtentatis; neve pretio-*

ſo aſpectu emollitum deciperet, quando aſcititio cultu, & magicis eum allectari, demulceríque animaduertebat præſtigijs, repentè ſuperuenit, ingenio, matronali-que inceſſu grauis, vultu ſerena, genuino quodam pudoris colore ſuffuſa, ſimplex moribus, vita integra, mente ſemper ſui ſimilis, verbis haud blanda ſanam mentem veraciter exprimentibus, decora natiuo habitu, moderata geſtu, veſtitu modica, ornata non auro, ſed longè pretioſioribus ornamentis. Comites autem ſequebantur, pietas, ſanctitas, veritas. Moleſtia itineris longi, & abrupti amici cuiuſuis ſocietate minuitur, imò aufertur. Statue, quam eligas ſociam, voluptatem, an virtutem. Hanc ego cum Iacobo ſeligens mihi, cantilenas, & ſymphonias à Labano exhibitas vltro reſpuo, atque reijcio; *præferens ſimulacris virtutum ſpirantem decorem*, vt cum Ambroſio loquar, vt ſentiam cum Iacobo. E Meſopotamia, hoc eſt, ex hac vita, in qua peregrinamur, ad cæleſtem patriam tendimus. vt præcipites ſaltus, montes aſperos, rupes inacceſſas, ſine moleſtia ſuperemus, adiungamus nobis cariſſimam coniugem virtutem; quæ non tetrica, & immitis eſt, (vt dicebat Philo) ſed blanda, ſed ſuauis, ſed delectabilis, natiua recreans elegantia, atque conſuetudine.

Voluptatis, & virtutis diuerſus aſpectus.

Virtus pulchra.

Virtus blanda.

Cùm legis apud Oſeam cap. 2. num 6. *ſepiam viam tuam ſpinis*, recordare Dauidici pſalm. 90. num. 11. & 12. *Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Ecce tibi vehuntur iuſti Angelorum miniſtrantium ope, ne impingant: impijs viæ ſpinis impediuntur. Nimirum. ſi quid arduum illis in via ſuperandum eſt, nil laboris ſentiunt; iſti è contra, planas licet habeant vias, ſpinarum ſepimento, vel concluduntur, vel lacerantur. Dabo Ambroſium, & Theodoretum, vt clariùs intelligatur, quod dicere volo. Theod. illuſtrans num. 4. pſalm 31. *Spinam, (inquit) peccatum nominauit, tanquam inutile germen, & ad pungendum natum.* Adde Ambroſ. lib. 4. in Luc. cap. 4. ad finem. *Tunc tribulos, & ſpinas animo caro, hoc eſt, curarum morſus, ſollicitudinumque generat. Etenim, quaſi clauis quibuſdam ſuffigitur anima corporeis voluptatibus: &, cum ſemel adhæſerit cupiditatibus demerſa terrenis, difficilè in altum poteſt, vnde deſcendit, ſine Dei fauore reuolare.* Vide lapides non offendere iuſtos; & impios ſibi ipſis ſpinis peccatorum aditum intercludere. Verùm cur pluribus vtamur, cum ſit in promptu magiſtra rerum experientia? Confer iracundum, & mitem: compara humilem, & ſuperbum: compone religioſum virum cum aulico, & luce patebit clariùs vitæ genus reproborum longè laborioſius, & aſperius eſſe, quàm ſit vita ſanctorum. Id quidem luculenter explicat Sanctus Io: Chryſoſt. in num. 15. pſalm. 7. his verbis: *Nemo eſt eorum, qui viuunt in ſcelere, qui non innumerabiles dolores ſuſtineat, & de malis conſultans, & conſilium exequens.* Quod paulò poſt enucleatiùs declarat inquiens: *Si voluerit quis vlciſci quempiam, vel prior iniuriam facere, vide, quot mala patitur: furore repletur, ab ira diſcerpitur; mouet innumerabiles fluctus cogitationum, mille vias ingreditur; inuadit timor, pauor, & tremor, quomodo offendet, quomodo rem perficiet; & ante eum, quem eſt iniuria affecturus, ſe ipſum perdit.* Quis experimentum adeò compertum audeat in controuerſiam reuocare? Enim verò Deus ipſe, ſi Ioſepho credimus, ferendum à nobis iudicium de vtraque vitæ ratione, committit experientiæ. Hinc, cùm lib 3. Reg. cap. 13. Iſraelitæ premerentur obſidione, & fuſis precibus poſtularent à Deo, vt tanta calamitate liberarentur; occaſionem ſumpſit Ioſephus lib. 8. cap. 4 dicendi: *Deus autem videns eos ſic affectos, & peccata ſua confitentes, per Prophetam denuntiat nolle ſe eos perdere: ſubditurum tamen Ægyptijs, vt experiantur, vtrum commodius ſit Deo ſeruire, an hominibus.* Væ nobis ſi alieno erudiri periculo neglexerimus obliuioni mandantes, quod malo ſuo experti lamentantur iniqui Sap. 5. num. 7. *Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.*

Iuſtorũ via Angelorum ope facilis.

Peccatorũ via ſpinis, & tribulis aſpera.

Peccata ſpinæ.

Vltor iniuriarum, carnifex ſui.

Non vacat myſterio, me iudice, vſurpata à Chriſto Domino ſimilitudo, qua declarat electos à reprobis ſegregandos, ante ſententiam à iudice Deo ferendam, de vniuerſo humano genere: comparat enim iuſtos cum ouibus; cum hædis autem reprobos Matth. cap. 25. num. 33. *ſtatuet oues quidem à dextris ſuis, hædos autem à ſiniſtris.* Notu dudum, quid de hac comparatione ſenſerit Origenes, in hunc textum ſcribens

Iuſti ouibus reprobi hædis comparati, & cur

bens his verbis: *Hædi dicuntur omnes mali, quia aſpera, & dura ſaxa malè aſcendunt, & per præcipitia eorum malè incedunt.* Vſque adeò reproborum eſt proprium ferri per auia, atque abrupta. Religiosè ſanè, ac verè monebat Abbas Abraham de mortific. collat. 24. cap. 25. *Habet refrigerium via Domini, ſi ſecundùm legem ipſius teneatur. Sed nos ſumus, qui dolores nobis, atque tormenta turbulentis diſſenſionibus*

A *procuramus; dum malumus vias ſeculi huius prauas, atque peruerſas, etiam in ſummo diſcrimine, ac difficultate ſectari.*

Vide P. Franciſcum de Mendoza tom. primo in lib. Reg. Annot Prooemiali 6. num. 9. & tomo 2. in lib. 1. Reg. cap. 3. num. 18. ſect. 2.

Videatur etiam P. Didacus de Baeza tom. primo in Euang. hiſtor. lib. 5. cap. 1. §. 4.

IN CAPVT SEPTIMVM

Num. XIII. & XIV.

Intrate per anguſtam portam: quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam: & pauci ſunt, qui inueniunt eam!

PARADOXVM V.

Vir iuſtus laborando roboratur, quieſcēdo defatigatur.

DVRVS adeò per multis videtur hic ſermo, vt viam, quæ ducit ad vitam ingredi non audeant, vel certè ab incœpto deſiſtant. Quotuſquiſque enim eſt, qui non intelligat anguſto beatæ patriæ aditu, & arctæ, arduæque viæ, qua itur ad aſtra, incommoditate, Chriſtianorum plurimos deterreri. Miſeret me, vt verum fatear, humanæ imbecillitatis, cui opem in præſenti opportunè ſum allaturus. Afferam autem demonſtrando, virum iuſtum laborando

D roborari, quieſcendo defatigari. Quo fiet, ſine dubio, vt nec difficultate viæ, nec portæ anguſtia retardemur.

Hunc reſpexiſſe Iſaiam exiſtimat Gilibertus Abbas examinans illud promiſſum, cap. 40. num. 31. *Qui autem ſperant in Domino mutabunt fortitudinem.* Vis ſcire quid inaudita iſta mutatione fortitudinis ſignificetur? Dicet Gilibertus ſermon. 14. in Cantic. his verbis: *Mutabunt fortitudinem, non quidem vt veterem perdant, ſed vt nouam adijciant, qui ſeneſcentem deuotionem, & quodam languentem tædio nouum denuò feruorem reducant, & perſeuerantiæ*

ſtudia intermittere neſciant reparatione frequenti . Meritò hæc profectuum videtur innouatio iugis , ſine defectu , ſine fatigatione . O verè optandam mutationem fortitudinis , quæ ſine fatigatione fit , aut defectu inter ardentiora perfectionis ſtudia , quæ quò magis ſunt laborioſa , eò minùs laborantem fatigant : quid dico fatigant ? imò recreant. Quod Paulo gentium doctori fuiſſe perſpectum patet ex illis verbis epiſt. ad Rom. cap. 5. num. 3. *Tribulatio patientiam operatur , patientia autem probationem , probatio autem ſpem* . Exclamat admiratione perfuſus Chryſoſtomus in hæc verba Apoſtoli , ſerm. 20. *Ecce quibus ætatibus iuſtus perfectum roboratur in virum , in tribulatione , in patientia , in probatione , in ſpe* . Nota illud: *roboratur*. Vt intelligas laboribus pro virtute ſuſceptis , vires non minui , ſed augeri. Congere ſimul omnia tormentorum genera, quibus Chriſtifideles tot ſeculorum curriculo vexati ingemnetunt ſub pondere tyrannicæ impietatis ; adde ſæuitiam carnificum , adde horrendas inſtrumentorum machinas , adde noua ſemper , & crudeliora ſuppliciorum inuenta, adde humanæ feritati coniuratas inferni vires , ad Chriſti Eccleſiam diruendam deſtruendamque. Quid tum ? perditum putas cætum fidelium / diſſipatum Chriſti gregem ? extirpata radicitùs ſemina religionis? falleris . Audi Iuſtinum Martyrem , quæſt. 74. ſic loquentem: *Cuius cauſa ſperat gentiliſmus veteris ſuæ poteſtatis inſtaurationem ? Omnino vt tormentis cogat Chriſtianos deſiſtere à cultu , & à fide filij Dei, dæmonumque ſuperſtitionem ſequi . Enim verò hæc tormenta , quibus & antea vſus eſt gentiliſmus ſperans ſe poſſe conſeruare in integro , & gentiliſmum aboleuerunt , & Chriſtianiſmum firmiùs ſtabiliuerint* . O inſignem Chriſtianorum gloriam ! ò turpe dedecus Ethnicorum ! Chriſtifidelium priuilegium eſt anguſtijs , preſſuris , laboribus non concuti , ſed ſtabiliri .

Iuſtis in tribulatione , vires non minuuntur , ſed augētur.

Tormentis Chriſtianiſmus ſtabilitur.

Atque hic ego ad tollendam admirationem eorum , quibus fortaſſe videor humana conditione maiora proferre , duplici vtar ſimilitudine , quarum alteram D. Ambroſius , alteram verò ſubminiſtrat Sidonius Apollinaris . Ambroſius quidem lib. 9. In Lucam : *Vt vinea* , inquit , *dùm ligatur , erigitur ; & reciſa non minuitur , ſed augetur : ita ſancta plebs , dùm ligatur , extruitur , dùm humiliatur , attollitur ; dum reciditur , coronatur* . Eo prorſus modo , quo vinea putatione feracior , ictibus reſcindentis agricolæ lætior , ferroque ſecante fœcundior fit, anima iuſti laborum

Iuſti vineæ , olori , & lyræ variè aſſimilantur.

A plagis erigitur , non deprimitur . Ergò
cum S. Dauid opem animæ noſtræ imploraturi exclamemus ad Dominum. pſ. 79. 15.
*Viſita vineam iſtam , & perfice eam , quam
plantauit dextera tua* . Sidonius verò
Apollinaris lib. 8. epiſt. 9. ſic ſcribit , oſtendens quales debeant eſſe animæ hominum
religioſorum : *Cātuum ſimiles fuerint olorinorum , quorum modulatior eſt clangor
in pœnis : ſimiles etiam corda lyricæ violentius tenſa , quæ quo plus torta , plus muſica
eſt* . Pœna olori non aufert vocem , neque
pro cantu planctum educit ; ſimiliter cordæ lyricæ non vt rumpantur à citharœdo
trahuntur , ſed vt dulciùs reddant melos.
Aduerte hic vineam putatione fieri fœcundiorem , placida tamen veris aura aſpi-
B rante : hyeme enim ſi ſecetur vinea , extirpabitur. Recrudeſcit in noſtris cordibus
hyemale frigus , vt mirum non ſit , ſi plagis aduerſitatum , aut laborum ictibus non
modò nō proficiamus , ſed abſumamur. Refloreſcat ſanctorum ver deſideriorum ſtudio vitæ perfectioris , & quæ dici videntur
ad ſpeciem , conſona maximè eſſe veritati
comprobabit experientia . Sequamur , &
nos vocem illam , quę licet ad labores inuitare videatur vocans nos ad vineę culturam ; amica tamen cenſeri debet , &
blanda ſecum trahens in ſpecie quidem
defatigationem , ſed re vera vires tribuens
C alacriores . Sponſi quippe vociferantis ea
verba ſunt , Can. cap. 7. num. 12. *Manè
ſurgamus ad vineas . Viro ſapienti* , (S.
Bernardi monitum eſt ſerm. 63. in Cant.)
*ſua vita vinea eſt , ſua mens , ſua conſcientia . Nihil quippe incultum , deſertumuè in
ſe ſapiens relinquit . Stultus non ità . Cuncta apud eum neglecta , inculta , & ſordida.
Non eſt vinea ſtulto . Quomodò vinea , vbi
nihil plantatum nihil elaboratum vſpiam
apparet ?* Stultitiæ ergo tribuendum eſt , ſi
deterreamur ijs laboribus , quibus recreari
deberemus. Qui ſponſus eſt , cum ad colendam vineam ſe accingit , adeò alacer eſt , vt
alios inuitet , & nihil in vinea niſi vernans ,
D niſi delectabile , niſi floridum agnoſcat.
*Manè ſurgamus ad vineas , videamus ſi
floruit vinea* . Quaſi non vna vinea ſit
illi ſatis , plures excolere meditatur : ad vineas , non ad vineam . Tantum accipit
roboris Vir ſapiens ab eo , quod ſtultum
proſternit . Pulchrè id intelligi poteſt , niſi
fallor , ex diſcurſu D. Cyrilli Alexandrini alludentis ad verba Moyſis Deut. 9. n. 9. *Quādo aſcendi in montem , vt acciperem tabulas
lapideas pacti , quod pepigit vobiſcum Deus , & perſeueraui in monte quadraginta
diebus , ac noctibus , panem non comedens ,
aquam non bibens.* Cyrilli lib. 8. de Adorat.

Mens hominis Vinea.

verba

A

verba ſunt: *ferunt igitur, fœtum in vtero vix tandem ad humanam ſpeciem effictum videri, & ad figuram noſtri corporis tunc accedere, cum ipſe numerus quadraginta dierum expletus fuerit: ideoque aiût, Moyſem illum virum optimum cum Iſraelis populum, ad vitam ſecundum legem ducendam, iterum quodammodo parturiret, ac reformaret, cibo, & potu abſtinuiſſe, panem, inquit, non comedi, & aquam non bibi quadraginta diebus.* Ieiunia, vt vides, aſperitates, labores vitam virtutis animæ tribuunt, & eo planè modo, quo animalis homo in vtero matris formatur, & creſcit; in laborum ſinu coaleſcit iuſtus, & roboratur.

Ieiunia, & labores iuſto vitam, & fortitudinem tribuunt.

B

Quod eloquenter, & ingenioſè illuſtrat Petrus Cellenſis lib. 7. epiſt. 2. ſcribens ad Io: Sareſberienſem his verbis: *Ecce caminus, ſed non timet aurum: ecce mare, ſed ſupernatat folium: ecce malleus, ſed non confringitur adamas: ecce ventus, ſed mons Sion non commouebitur: Ecce prælium, ſed miles tenet gladium.* Armentur inimicæ acies, ſed non pauebit amicus Dei probè tenens militiam eſſe vitam hominis ſuper terram, pro qua virtute præditi omnes tenent gladium, & ad bella doctiſſimi ex Salomone. Confringant ventorum turbines, confringant repetitæ mallei tunſiones, fluctuet mare calamitatum, exardeſcat vorans incendium ærumnarum: qui tamen Deo viuit, nil timet impauidus, quia ſtabit vt mons, dureſcet vt adamas, natabit vt folium, micabit vt aurum.

Iuſtus, Aurum, Adamas, Mons, Miles armatus.

C

Si autem quæſieris, quo nàm modo fieri poſſit, vt viri Dei inter labores non laborent, & inter anguſtias non opprimantur? reſpondebit idem Cyrillus Alexandrinus fieri id, quia præcipuo quodam modo adeſt laborantibus Deus. Is, inquam, magnus Deus Deorum, cui tàm facile eſt laboris moleſtiam auferre à laboribus, quàm facile fuit in igne babylonico vim vrendi permutare in ventum roris flantem; quàm facile fuit famelicorum rabiem leonum in obſequium erga Danielem conuertere; quàm facile fuit portum naufrago Ionæ tempeſtatis in ſinu ex ventre ceti excitare.

Laboranti Deus præſto eſt.

D

Sed meliùs rem declarabit Cyrillus lib. 6. in Io: cap. 20. ad illa verba: *Audiuit Ieſus quia eiecerunt eum foras: & cum inueniſſet eum, dixit ei: Tu credis in filium Dei? &c. Quandiu,* (verba Cyrilli,) *inter Phariſæos fuit iſte, & ignominiam ab eis non eſt paſſus, non ſe illi denuò exhibuit, ſed cum primùm extra illorum eſt contubernium expulſus, & ignominia nota pro Chriſto affectus, protinus ſe illi Chriſtus præſentem oſtendit.* O cæ-

A

eum, non tàm reddita oculorum luce, quàm data notione diuinitatis verè beatum! Nouit autem Chriſtum Dei filium, quia recreari debebat, ne inſoleſcentium phariſæorum audacia contereretur. Mos quippe Dei eſt, vt adſit pro ſe laborantibus: adeſt porrò, vt communicata ſuæ notitia diuinitatis leuet onere, quo cæteroqui deprimerentur. Placet etiam Magni Gregorij diſcurſus lib. 5. moral. cap. 5. in illa verba Iob: *Quaſi effodientes theſaurum. Omnes nanque,* verba S. Pontificis, *qui fodiendo theſaurum quærunt: cum fodere altiùs cœperint, ad laborem inſtantiùs inardeſcunt: quia quo ſe theſauro abſcondito iam iamque appropinquare æſtimant, eo in effodiendo enixiùs laborant. Qui igitur plenè mortificationem ſuam appetunt, quaſi effodientes theſaurum quærunt: quia quanto fiunt viciniores ad finem, tanto ſe exhibent ardentiores in opere. Laborando ergò non deficiunt, ſed magis ad vſum laboris creſcunt: quia quò iam præmia propinquiora conſiderant, eò in opere delectabilius exſudant.* Nec clariùs dici potuit, nec aptiùs. Qui ergò laboribus defatigatur, vel non agnoſcit vel parui æſtimat theſaurum virtutis, quo nullum inueniri ditiorem, demonſtrabo ſequ. cap. à num. 19. ad 21.

Theſaurus virtutis à laborantibus alacriter quæritur.

B

C

Quæ omnia tot tantiſque auctoritatibus confirmata veriſſima ſint neceſſe eſt. Multi tamen hærent adhuc, neque ſibi certò perſuadere poſſunt ſeruorum Dei priuilegium tàm amplum, tàm præſtans, tàm ſingulare eſſe, vt non defatigentur laboribus, ſed roborentur. Iſtos ego ad experimentum prouoco, vt quod rationes non euincunt, & auctoritates non obtinent, magiſtra rerum experientia comprobetur. Agite, ſubite alacres duros pro Chriſto labores, aggredimini Dei amore ardua; nulla vos deterreat difficultas, metus nullus proſternat: creſcent enim ipſo certamine vires, non conterentur.

Iuſti electro magneti, auro ſimiles.

D

Sicut enim electrum, vt ſcribunt Iſidorus lib. 16. & Origenes cap. 8. *attritu digitorum accepta caloris anima*, paleas, veſtiumque fimbrias rapit, ſicut magnes ferrum; ſimiliter & vos attritu laborum ærumnarumque pondere, calore quodam cæleſti dono communicato, vegetiores, valentioreſque euadetis. Et quia par eſt, vt in re tanti momenti teſtem habeamus fide digniſſimum, do Chryſoſtomū ſerm. de interdict. arboris, ſic ſantem: *Facilè hoſtis malitia coaleſcit, ſi pigreſcat animus repugnantis. Roborantur vires exercitatione frequenti. Cæterum laboris deſidia inſoleſcit hoſtis ſæuitia. Inimicus enim citò deuincitur, ſi*

qui

qui dimicaturus eſt, prælia meditetur: Adde Chryſoſtomo Caſſiodorum lib. 9. epiſt. 3. *Et ad generoſam animam decorandam metalli pretioſiſſimi ſimilitudine vtere, quæ purior eſt, dùm arſerit, potior dùm decoxerit*. Vis ignis non minuit auro pretium, ſed auget. Preſſuræ ſimiliter, calamitateſque reddunt heroicum animum valentiorem. Quamuis autem magni ſit ponderis Chryſoſtomi dictum, & aſſertio Caſſiodori; maioris ſine dubio momenti futurum eſt oraculum Eccleſiaſtis cap. 51. num. 35. aſſerentis: *Laboraui, & inueni mihi multam requiem*. Cum audirem, *laboraui*, putabam dicturum, & defatigatus corrui; & fractus ſuccubui, & laſſatus defeci. Nihil tale: ſed *inueni mihi multam requiem*. Do Bernardum lib. 1. de conſideratione ad Eugen. *Primùm tibi importabile videbitur aliquid, proceſſu temporis iudicabis non adeò graue, paulòpoſt, & leue ſenties, paulòpoſt nec ſenties paulòpoſt etiam delectabit*. Ne terrearis nomine laboris, ne perhorreſcas duri oneris conſpectu, Accede, aggredere, & inuenies requiem cum Eccleſiaſte, & delectaberis cum Bernardo.

In labore requies, & delectatio.

Neque verò par eſt, vt obiter ſententiam Chryſoſtomi prætereamus. Illud memoria tenendum, & iugi cogitatione verſandum: *Roborantur vires exercitatione frequenti*. Facit labor aſſiduus robuſtiorem, & animus ad præclara factus quieſcendo defatigatur. Quæ pars altera eſt argumenti, quod proſequor. Experto crede Prodigo filio, de quo Lucæ, cap. 15. Egreditur paterna domo iuuenis inconſultus duplici actus furia libidinis, & ætatis, vt laxato cupiditatibus fræno, ſine modo, ac ſine lege, otietur in luxu. Quo res euadat, attende. Hujuſmodi vitæ genus perpendens ſeriò adoleſcens, prudentior ſuo periculo factus, non comparat modo, ſed poſtponit, ſine controuerſia, vitæ rationi, quam ducunt mercenarij paternæ domus. Vnde poſt longum examen decernit manus ſupplices Patri tendere rogans, vt inter mercenarios cenſeatur cit. cap. num. 19 *Fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis*. Vide quid poſtules. Verùm, ſapit profectò: Cum enim laſſatus in via iniquitatis otio deſidiaque marcuiſſet, dicere voluit: Leuamen nullum inuenio ad recuperandas vires, nullum opportunius remedium ad deperditi inſtaurationem roboris, quàm quod labor mercenariorum durus, & aſſiduus poteſt afferre. Audi Chryſologum ſerm. 4. *Vt locatione annua ſeruitus innocetur, vt labore iugi conditio conducta deteratur*. Ergo iugis labor deterit, ſi quid

Labore vires roborantur.

Otium vires deterit, labor auget

A forte aſpetum, & intolerabile humanæ conditioni videretur. Conduci tanquam mercenarium, ab animo nobili tolerari non poteſt: Sed hoc quoque deterit iugis labor. Tantum abeſt vt exantlatis in Dei domo laboribus vires deterantur, vt potiùs augeantur. Id ſi fortè mihi credere nolueris, credes certè Salomoni mortalium ſapientiſſimo. Prouerb. 13. num. 14. *Anima operantium impinguabitur*. Macie conſumitur, qui cum Prodigo filio otio langueſcit inerti; Qui deſudat cum mercenarijs, vires inſtaurat, imò impinguatur. De quo acutè protulit Iob cap. 7. num. 2. *Sicut Mercenarius præſtolatur finem operis ſui,*
B *Sic & ego habui menſes vacuos*. Ex Græca lectione: *Sic & ego ſuſtinui menſes vacuos*. Vides Mercenarios laborare quidem, ſed ſpe præmij mirificè ſubleuari pondere eorum, quos tolerant laborum: at cum otioſi ſunt, ſuſtinent menſes vacuos, quaſi vacuitate otioſa premantur, & grauentur, ita vt ſub pondere gemant, non tamen fulciantur, aut vllo genere leuamenti recreentur.

Gratius futurum eſt S. Ambroſio præbere aures, cum nos ad conuiuium vocet. Inueſtigat S. Archiepiſcopus, cur conuiuium illud tam illuſtri miraculo celebre apud Lucam cap. 9. à num. 11. in deſerto
C fuerit exhibitum, & non potiùs media in vrbe, ad Chriſti gloriam digniore theatro excipiendam? Neque aliam reddit rationem, quàm quod laborantium, nō oſcitantium, atque otioſorum beneficium ſit cæleſtibus epulis recreari. *Gratia*, (inquit,) *cæleſtis alimentum impartitur, non otioſis, non in ciuitate, quaſi in Synagoga, vel ſeculari dignitate reſidentibus, ſed inter deſerta quærentibus Chriſtum: qui enim non faſtidiunt, ipſi excipiuntur a Chriſto*. Ne mirere igitur, ſi dixerim eos qui Chriſtum ſequuntur, labore refici, otio defatigari. Hic ego auctoritate Pauli vtar, ad Hebręos 12. num. 12. qui excitaturus He-
D bręos affert illud Iſaię cap. 35. nu. 3. *Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate*. Inertiam, atque deſidiam otij filias exterminandas iubet Apoſtolus, docens ijs diſſolui manus, & genua debilitari: Nihil enim æquè vires eneruat, atque otium. In quam ſententiam iuit Origenes hom. 10. in Matth. ſcribens: *Nos, qui vndecima ſumus vocati, ſicut illi quidem non portauimus pondus diei, & æſtus, portauimus autem pondus, eò quod ſtetimus otioſi, antequam paterfamilias veniret ad nos, qui dixit nobis. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis. Onus enim erat otioſitas ipſa*. Otij ſub onere ingemiſcunt

Non otioſi, ſed laborantes reficiuntur à Chriſto.

Otioſitas onus eſt.

ſcunt quotquot Chriſti crucem refugiunt tanquam laborioſam. Et hinc quidem patebit, cur Paulus Romanos excitaturus cap. 12. num. 11. ſcripſerit: *Sollicitudine non pigri, ſpiritu ferventes*. Des obſecro veniam, maxime gentium Doctor, hoc ipſum quærimus, hoc nos doceas, quo videlicet modo humana imbecillitas ſuæ oblita infirmitatis ab otio tranſire poſſit ad laborem? Reſpondet Paulus: *Sollicitudine non pigri, ſpiritu ferventes*. Satis eſt languorem abijcere, ſatis eſt labores ſubire; vno verbo feruere, & exardeſcere eſt ſatis, vt quàm laborioſum ſit otium, quàm amicus, & otioſus labor liquidò pateat. Lege Bernardum ſerm. 6. de Aſcenſione, in hæc verba: *Aduertere potes in omnibus ferè religioſis congregationibus viros repletos conſolatione, ſuperabundantes gaudio, iucundos ſemper, & hilares, feruentes ſpiritu, quibus amabilis diſciplina, labor manuum delectabilis, & vniuerſa denique conuerſationis huius auſteritas refrigerium videatur*. Nota hæc vltima verba. Tùm audi quid ſubiungat ibidem S. Abbas: *Contra ſanè inuenire eſt homines puſillanimes, remiſſos, deficientes ſub onere*. O quantum diſcrimen: Illis labor delectabilis, & aſperitas ipſa videtur refrigerium. Quare? quia Spiritu feruentes. Iſtis durus labor eſt, adeò vt gemant, imò deficiant, non niſi quia remiſſi ſunt. Ergò ne labor grauet, ferueas ſpiritu; & ne deficias ſub onere, caue ne ſis remiſſus, ac tepidus. Si fortè quietem promittat inimicus auocando à Dei obſequio, vtpote laborioſo, & amorem proponendo creaturarum, nunquam excidat mente Monitum aureis characteribus inſcribendum Eccleſias. cap 1. num. 13. *Hanc occupationem peſſimam dedit Deus filijs hominum*: peſſimam, Symmachus vertit, *quietis vacuam*; Septuaginta verò interpretes, *diſtentionem*; eò quod, vt Hieronymus docet, cor hominis in varia diſtentum ſtudia, diſtractumque lanient, ac laceinent. Imò idem Eccleſiaſtes ibidem paulopoſt exclamat: *Ecce omnia vanitas, & afflictio Spiritus*. Ex Chaldæo leges: *fractio ſpiritus*. Atque iſta ſunt otia, quæ à mundo, carne, & Dæmone promittuntur. Viden quàm laborioſa, quàm oneroſa ſint? ſine quiete affligunt, diſtrahunt, frangunt. Id, nolens vt arbitror, egregiè tamen explicauit Pharao Exodi cap. 5. num. 8. de Hebræis ſic loquens: *Vacant, & idcirco vociferantur*. Vacare dicit eos, qui duriſſimam ſeruiunt ſeruitutem. Ita ſe res habet: qui Pharaonis inferni premuntur iugo, nomine tenus vacare dicuntur: ſed re vera vacationis genus eſt, qua nulla durior, aut laborioſior ſeruitus animo poteſt, aut cogitatione comprehendi.

Labor delectabilis feruentibus, durus remiſſis.

Otium vires, & ſpiritum frangit.

Ariſtoteles auctor eſt lib. 7. polit. cap. 17. conferre plurimum ad firmandas vires, & robur non explorandum modò, ſed etiam augendum, vix editum in lucem infantulum ad flumen deferre (quod de Germanis populis ſcribit Galenus lib. 3. de ſanit. tuenda) & gelidis immergere aquis. Scio morem huiuſmodi, tanquam inhumanum, ac barbarum à Galeno reprehendi, cum infantulus in id adducatur diſcrimen, in quo errorē mors ſequitur; & ex alio capite nō magnum ſit quod lucri faciat. Hoc inquam ſcio. ſed ſcio etiam non poſſe non laudari chriſtianę virtutis priuilegium, quo non modò citra periculum, ſed certo cum fœnore meritorum, & augmento virtutis ita aſſueſcimus duris, vt ipſa reddamur duritie firmiores. roborantur quippe laboribus vires Chriſtianæ virtutis, quæ ſolis blandimentis mollibus debilitari poteſt, ac minui. Eloquenter equidem pronunciauit Abbas Abraham de mortificat. collat. 24. cap. 25. *Sublimioris, præſtantioriſque virtutis eſt paſſionibus, ærumniſque vallatam manere ſemper immobilem, & aduerſum ſe ſæuientibus cunctis, certum de præſidio Dei, atque intrepidum perdurare, humaniſque incurſibus, velut armis inuictæ virtutis accinctum, glorioſiſſimè de impatientia triumphare, & acquirere quodammodo de infirmitate virtutem*. Tantam vim habet mens recti conſcia, vt acquirat de ipſa infirmitate virtutem. Quid plura? ipſemet Seneca ita cenſuit ſcribens Epiſt. 31. *Generoſos animos labor nutrit*.

Labor animos roborat, firmat, & nutrit.

IN CAPVT SEPTIMVM

A Num. XV. ad XXI.

Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoſcetis eos. Nunquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non poteſt arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos.

PARADOXVM VI.

Humani cordis ſecretum non poteſt abſcondi.

CORDIS humani latebras lynceis etiam oculis abſcōditas nemo neſcit; mille quippe modis doloſa verſutia pectoris recondit arcanum. Veſtimenta ouium lupi tegunt rapacitatem. Verùm diuino conſilio fit, vt opera patefaciant, quis ſit intus, & in eo is, qui receſſus intimos mentis ſuæ cælare ſatagit. *A fructibus eorum cognoſcetis eos*. Legi illud S. Bernardi cap. 44. de inter. domò ſcribentis: *Conſcientia hominis abyſſus multa. Sicut enim abyſſus exhauriri non poteſt, ſic cor hominis à cogitationibus ſuis euacuari non poteſt; ſed continua volubilitate in eo voluuntur. Mare magnum eſt, & ſpatioſum manibus: illic reptilia, quorum non eſt numerus. Sicut enim reptile latenter repit, & ſinuoſis anfractibus huc, & illuc deambulat; ita conſcientiam hominis venenatæ cogitationes intrant, & exeunt, vt neſciat homo vnde veniant, aut quò vadant. Hoc benè cognouerat, qui dicebat: Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud, quod ſcrutationem non recipit, nec cognitionem?* Quid ſi ego demonſtrem receſſus humani cordis, licet multiplici tenebrarum volumine obuolutos, licet cæca abyſſi profunditate ſepultos, licet ſinuoſos inter anfractus confuſos, licet inſcrutabiles, patere tamen, & meridiana luce apparere clariores? an non deſiſtent ab inepta fallendi conſuetudine Sinones impudentiſſimi? cum pro certo habere debeant nullum tegumenti genus eſſe, quo latentium ſuorum cordium arcana recondant.

Conſcientia hominis quàm inſcrutabilis.

Exemplum ſumit D. Chryſologus ea, qua ſolet, elegantia in Abel, & Cain. Par iſtud eſt maximè diſpar, vt nemo neſcit, fratrum moribus diſſimillimorum. Facile tamen cuique eſt agnoſcere, quale ſit vtriuſque cor. Abel cor gerit innocens, mite immaculatum, dignum planè quod pro

Abel, & Cain corda diſſimilia, quando dignoſcantur à manibus.

A cæleſtibus paſcuis inter agnos cenſeatur. Caino è cōtrario cor ineſt impium, atrox, facinoroſum, reprobum, damnandumque noctis æternæ ſupplicijs numquam finiendis. Iam, ſi Chryſologum audis, vt hæc corda perſpicias, intuere manus vtriuſque; quandoquidem quod in imo cordis verſant non poſſunt non habere præ manibus, adeò vt quod ſubducere poſſe ſe putant mentibus hominum, obuium faciant oculis intuentium. Gen. 4 num. 3 & 4. *Factum eſt vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum*. Quò reſpiciens S. Petrus Chryſolog.
B ſer. 109. ait: *Abel agnum portans ad Dei ſacrificium, ſicut agnus aſſumitur: Cain geſtans ſibi ſtipulas, fomentum ſibi per quod exureretur inuenit*. Abel agnum profert, ergò eius animum agno conſer: in Cain tractante ſtipulas lege vilem peccato animam, flammiſque adijciendam. Argumentum præbet præſtantiſſimum Io: Euang. D. Chryſoſtomo interprete. Cap. 5. num. 17. ſic enim ait ipſum Dominum loquentem introducens: *Pater meus vſque modò operatur, & ego operor. Propterea ergò*; (ſubdit Euangeliſta) *quærebāt eum Iudæi interficere: quia non ſolum ſoluebat ſabbatum,*
C *ſed & patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo*. Notat Cryſoſt. illud verbum: *faciens: Non enim*, (inquit hom. 37 in Io;) *verbo tenus, ſed frequentiùs operibus ſe Deo æqualem oſtenderat. Quid tandem? quia in ſolis verbis inſolentiam accuſare potuiſſent; operum autem veritate, & potentia perſpecta, nihil contradicere poterant*. Appoſitè Chryſoſtomus, ſed ſi vim verbi: *faciens*: conſideremus; Fatebimur quemque fieri in oculis hominum operibus ſuis, qualis re vera in ſecreto eſt. Non modò irrefragabile teſtimonium præbent facta ſecreti cordis, ſed idem exprimunt ad viuum, adeò vt talem faciant hominem palàm, qualis clam eſt.
D Nihil occultius oculis carnalibus Chriſti diuinitate, quam in publicum educunt ipſius opera Chriſti, vt mirum non ſit, ſi dicamus opera vim habere ad patefaciendos humani pectoris ſenſus ſecretiores. Cui ignota eſt illa Chriſti Domini cum Petro Apoſtolorum Principe collocutio, quæ refertur cap. 16. Matth. num 19.? vbi cum Petrus Chriſti Diuinitatem fuiſſet confeſſus: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, audiuit à Chriſto; *Beatus es quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui in cælis eſt*. Sed, rogo, quando vnquam, Pater Petro locutus eſt, aut quando filij ſui diuinitatē Petro releuauit? Fieri ne poteſt,

Opera patefaciunt cor.

vt

vt rei tanti momenti nulla ſit apud Euangeliſtas mentio? Nodum proponit, & ſoluit Hieronymus de vera circumciſione: *Quando reuelauit Pater? Quo tempore Deus cum Petro locutus eſt? Reuelauit, inquit, Pater meus; hoc eſt dicere, operibus credidiſti, quæ loquuntur filium Dei.* Igitur latentem diuinitatem disertè adeò loquuntur opera, quæ videntur, vt certior, aut apertior ipſa loquentis vox Patris eſſe non poſſet. Et credes doloſis auſi actibus abſcondere te poſſe cordis profundum? Fit morum teſtimonio operum luce clarius meridiana. Scitè quippe Ambroſius lib. de Elia cap. 10. *Vultus* (inquit) *quidam cogitationis arbiter, & tacitus cordis interpres. Facies index plerumque eſt conſcientiæ, & tacitus ſermo mentis.*

Opera Chriſti eius Diuinitatem loquuntur.

Facies, index conſcientiæ.

B Ignorauit id profana ſapientia. Vnde Seneca ep. 84. ſcribebat: *Nihil Deo clauſum eſt: intereſt animis noſtris, & cogitationibus medijs interuenit.* Verum id quidem; ſed humani ſcrinium pectoris nequaquam adeò clauſum eſt, vt ſoli pateat Deo. Intereſt ille noſtris cogitationibus, & cordis occupat conclaue. quod tamen humanis etiam oculis fit peruium operibus, quæ celari non poſſunt. Nota eſt fabula inter cæteros à Luciano in Hermotimo relata, Vulcanum à Momo fuiſſe reprehenſum, quod pectus hominis non feciſſet feneſtratum, vt cordis latibula perſpici poſſent. Iniuſta ſanè querela dicaciſſimæ mordacitatis iam taceat; neque enim deſiderandæ feneſtræ ſunt, per quas animus pateat; ſi Auguſtinum audire velimus in pſal 41. dicentem: *Oculi membra carnis ſunt, feneſtræ ſunt mentis.* Sicut itaque oculi patentiſſimi ſunt, ita cor, quod per oculos tanquam per feneſtras conſpicitur, ab hominum conſpectu abduci non poteſt. Didicit id, magiſtro Deo, dilectus diſcipulus Io: qui pulcherrima nobis aperuit ſimilitudine Apocalip. 15. num. 2. vbi impiorum ſimulacrum ob oculos poſiturus ait: *Vidi tanquam mare vitreum mixtum igne.* Mari ſiquidem iactato noueram impios comparari; turbati quippe tempeſtas æquoris, mentis viriorum cupiditatumque iactatę fluctibus ſimbolum eſt ſatis accomodatum. At mare vitreum, hoc eſt quietum, & criſpatum leniter, quo nihil blandius, aut viſu iucundius, aut aſpectu delectabilius, quam cum impio habet ſimilitudinem? maximam ni fallor. Quia licet ſummo ſtudio ſatagant ſceleſti ſua recondere facinora, non tamen res cedit ex voto; eſt enim eorum animus, quaſi mare vitreum; pellucidum, quanis purior cryſtallo. *Quaſi mare vitreum mixtum igne.*

Oculi, feneſtra mentis.

Impij mare vitreum.

A Ignis micante luce, quod integumento obuoluitur vitreo abſcondi poſſe qui credat, amens eſt. Atque hoc ſtupendum planè miraculum eſt, vt lutulentę peccatorum ſordes, vt cęnoſæ impiorum animæ. vt turbulenta flagirioſorum corda micantis in morem vitri perſpecta fiant.

Rapit me horrificum illud ſpectaculum planèque inauditum Regis Nabuchodonoſor, quem non Circæa pocula, ſed Dei vltoris omnipotentia ex homine mutauit in feram; & rurſum ex bellua migrare iuſſit in hominem; quia etiam vlciſcens Dominus, miſericordiæ recordatur. Mutationes haſce tàm ſtupendas bis memorat Daniel & cap. 4. num. 12. & ſeq. his verbis:

Nabuchodonoſor ex homine bellua.

B *Alligetur vinculo ferreo, & æreo in herbis, quæ foris ſunt, & rore cæli tingatur, & cum feris pars eius in herba terræ. Cor eius ab humano commutetur; & cor feræ detur ei,* & rurſus de eodem ſic loquitur cap. 7. nu. 3. & ſeq. *Quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari diuerſæ inter ſe. Prima quaſi leæna, & alas habebat aquilæ: aſpiciebam donec euulſæ ſunt alæ eius, & ſublata eſt de terra, & ſuper pedes quaſi homo ſtetit, & cor hominis datum eſt ei.* Vt vides, cum Rex ex homine in belluam abire cogitur, non veſcitur modò, aut degit belluarum more; ſed quod caput eſt corde hominis ablato, induit cor ferinum; & ſimiliter ita renocatur ad humanitatem, vt non extima ſolum membrorum forma, quam à feris fuerat mutuatus, deponat; ſed etiam cor feris adſimile cum humano commutat. Nimirum qui ſe moribus feram præbet, qui pronus ad iram, qui ſolutus ad laſciuiam, qui inuidiæ ſtimulis agitur quoties loquitur, toto cælo errat, ſi arbitretur poſſe ſe cor humanum tàm deformi monſtro ſeritatis abſcōdere. Ipſa Dei potentia noluit tàm diſſita coniungere, vt cor humanum ferinis ſenſibus aptaretur. Igitur tale pandes cor, quale vitæ genus tuis moribus exhibebis. Se ipſum, non eruditos oculos ſapientis fallit quicunque cor bomine dignum recondere ſe poſſe exiſtimat, ab humanitate maximè diſſono genere viuendi. Accedit ſuo ſuffragio S Abbas Bernardus de gradibus humilitatis, in primo ſuperbiæ gradu, qui eſt curioſitas, ſic loquens. *Si videris monachum, de quo prius benè confidebas; vbicunque ſtat, ambulat, ſedet, oculis incipientem vagari, caput erectum, aures portare ſuſpenſas: e motibus exterioris hominis interiorem immutatum agnoſcas. Vir quippe peruerſus annuit oculo, terit pede, digito loquitur. Et ex inſolenti corporis motu recens animæ morbus deprehenditur.*

Ex bellua in hominē.

Tale cor, quales mores.

C and D markers: C nu ; D ipſum

Quod

Quod procul dubio hauſit è ſupernæ ſapientiæ fontibus S. Abbas, Salomone duce. Siquidem Prouerb. cap. 6. num. 14. dicitur: *Homo apoſtata vir inutilis, graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum.* Igitur ex patenti modo viuendi interiora, ac ſecretiora humani cordis pateſiunt. Quod monuit ſimiliter D. Ephrem, qui hunc eundem textum 6. Prouerb. nn. 12. & ſeq. habens præ manibus, ait: *Quemadmodum ex quibuſdam latebris multitudo venenatarum beſtiarum egreditur; ad eundem etiam modum ex corde ſimilium hominum* (loquitur de impudicis quod tamen de omnibus ſceleſtis dici poteſt) *multitudo peſſimarum cogitationum procedit; cor namque peruerſum, vt ait Scriptura, machinatur mala omni tempore, & omni tempore iurgia ſeminat.* Attende illa duo verba: *machinatur*, & *ſeminat*. Videlicet machinæ clanculum ſtruuntur, & ſemen aperto cælo, & meridiana luce diffunditur: ſic impij quod machinantur ſecretiſſimè, ſpargunt maniſeſtiſſimè, ſeminantis in morem.

Impius ſeminanti ſimilis.

Verùm iucundius ſine dubio futurum eſt docentem, imò canentem diuinum Sponſum attentis, vt par eſt, auribus excipere. Sic autem Dilectam alloquitur Can. 8. nu. 6. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* Audis eodem ſignaculo & cor, & brachium obſignandum. Reſpondent ſibi inuicem ſecreta cordis, & quæ ſunt in propatulo brachia. Propterea D. Chryſologus inania deludens Ethnicorum Sacrificia, nos admonet eſſe veriſſimum nequaquam abſcondi poſſe arcanum cordis. Tritum eſt conſueuiſſe antiquos mactare victimas, vt ex eorum præcordijs diſcerent quod querebant. Sic autem ait Chryſologus: *Occidebatur pecus: vt quod viuum nihil ſciuerat, diuinaret occiſum: & loqueretur ex fibris mortuum, quod nunquam fuerat ore prologutum.* O ridendum conſilium, vt quid in corde lateat agnoſcas; cordis ſcrutari viſcera, rimari præcordia, pectus, & latera effodere. Quicquid in corde reconditur pandunt oculi, reuelat lingua, ipſa oris imago demonſtrat. Idem cordis, & oris ſignaculum eſt. Nemo porrò poteſt id proſequi elegantiùs, aut aptiùs explicare Philone in hunc modum loquente: *Affectus varij in animo pugnant: ex his autem, qui victoriam adeptus eſt, vexillum in facie, tanquam in arce, eleuat: triſtitia & inuidia pallidum, ira luteum, verecundia purpureum, lætitia candore ac purpura dilutum.* Ita planè explicato frontis, ac patentiſſimo faciei in theatro pandit vnuſquiſque, quod in ima cordis fouea ſepelire ſe poſſe confidit.

Cor, & brachium ſibi inuicem reſpondent.

Auguris veterum ridenda.

Cordis ſecreta, oculis, & facie deteguntur.

Didiciſti tu quidem tuo docta periculo Eſther Regina, veriſſimum eſſe micare per oculos cor; cùm coram rege Aſſuero timore perculſa concidiſti. Accipe verba cap. 15. Eſther num. 9. & 10. *Ingreſſa cuncta per ordinem oſtia, ſtetit contra regem, vbi ille reſidebat ſuper ſolium regni ſui, indutus veſtibus regijs, auroque fulgens, & pretioſis lapidibus, eratque terribilis aſpectu. Cumque eleuaſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet, regina corruit.* Neque verò exiſtimet quis muliebri leuitate plus nimio oculis credere hanc reginam, quæ in ipſo oculorum intuitu pectoris agnoſcit ſecretum. Oculus quippe cordis nuncius, & quidem maximè fidus agnoſcitur, & nuncupatur ab Auguſtino in regula ad ſeruos Dei, quę habetur in fine primi tomi his verbis: *Ne dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos; quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuncius.*

Eſther cur corruat coram Rege.

Oculus cordis nuncius.

Exiſtimauit fortaſſe Saluianus ſatis ſuperque declarauiſse, quàm benè cor, & oculi ſibi reſpondeant, ita vt nihil in corde fiat, quod in oculis non pateſiat, dicendo lib. tertio de prouidentia, *oculos, naturales quoſdam animi cuniculos*: Quaſi verò clanculum, & ſecreta veluti communicatione in oculos ſeſe corda diffundant. Pulchrum id quidem, ſed parum; non enim per ſepoſitos mæandros, ſed publica, & nota omnibus cum oculis participatione penitiſſimæ profunditatis ſuæ cor ſecretiora oculis committit arcana. Properemus, obſecro, in Ægyptum, & regiam Pharaonis aulam ingreſſis, monſtruoſæ portentum libidinis inſpicere licebit, imò deſpicere. De ea loquor innoxij Ioſephi inſidiatrice fœmina, in cuius ore, tanquam in aperto volumine, patentiſſimis expreſſos caractéribus intimos mentis ſenſus legendos proponit eloquentiſſimus Chryſoſtomus, ſermon. de Ioſeph, eiuſque venditione, his verbis: *Geſtabat in facie teterrima mulier dubios, & ancipites vultus; & alterna coloris intenſis, rubor pallori immixtus diuerſos mentis æſtus verbis trementibus præferebat: vt videres & conſcientiam victi facinoris aperiri, & innocenti accuſationem rabido furore aptari.* Secretiſſimum conſilium iniquę mentis, mille cælatum artificijs, culpam ſcilicet in innocentem transferendi, os prodit,

Oculi, animi cuniculi.

Signis externis interna noſcuntur.

dit, & externi ſigna vultus internæ motus indicant conſcientiæ. Exemplum propoſuit recentius D. Gregorius Nazianzenus, qui ex geſtu, atque inceſſu Iuliani (cum quo Athenis egerat) cordis nequiſſimi cõiecturam fecit; aut potius certum edidit oraculum omni poſterorum memoria recolendum. Sic autem habet orat. 2. contra Iulianum: *Neque enim mihi boni quicquam ſignificare, atque ominari videbatur ceruix non ſtata, humeri ſubſultantes, & ad æquilibrium ſubinde agitati, oculus inſolens & vagus furioſeque intuens, pedes inſtabiles, & titubantes, naſus contumeliam, & contemptum ſpirans, riſus petulantes, & effrenati.* Et poſt multa huiuſmodi interioris animi argumenta non dubia, ſubdit: *Vt hæc conſpexi, ſtatim proloquutus ſum: Quale malum Romanorum terra nutrit?* Adeò certè, adeò clarè, adeò diſtinctè in frontis atrio pectoris penetralia intuentium oculis exponuntur.

Nazianzeni de Iuliano Apoſtata iudicium verum à geſtu, & inceſſu.

Inſignem vt in reliquis omnibus, ita maximè præſtantem in agnoſcendo, aperiendoque mutuo huiuſmodi, atque inuiolabili cordis, oculorumque fœdere fuiſſe inueniemus Regem Dauid; ſi in memoriam reuocauerimus id, quod in ſpelunca Engaddi latitans idem Dauid Saulem alloquens pronunciauit his verbis, quæ habentur lib. primo reg. cap. 24. num. 11. *Cogitaui vt occiderem te; ſed pepercit tibi oculus meus.* Mirum ſanè! morte dignus, vtpote perduellis & impius, iudicatur Saul à Dauide; anhelant Dauidis milites ad necem; ſolus Saul, & inermis nemine contradicente poteſt è medio tolli; imò conſiliarijs Dauid ſuadentibus debet occidi, cùm Dei prouidentia traditus videatur Saul arbitrio Dauid perimendus. Vnde cit. cap. num. 5. *Dixerunt ſerui Dauid ad eum: Ecce dies, de qua loquutus eſt Dominus ad te, ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei, ſicut placuerit in oculis tuis.* Hiſce omnibus examinatis, quid reſpondet Dauid? *Cogitaui vt occiderem te, ſed pepercit tibi oculus meus.* O ſtupendam cordis, & oculorum conſonantiam! non poteſt ſub miti oculo ferum abſcondi cor, nec pectus capit furorem, quem lumina excludunt. *Cogitaui vt occiderem te, ſed pepercit oculus.* In humanis oculorum obtutibus cor lege amabile, & diſce à Dauid in ſumma affectuum diſſonantia, cor debere cum oculis conuenire, iuxta ſapientis oraculum Eccleſ. 19. num. 2. *Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus.* Tradit Plutarchus in vita Alcibiadis, cum eſſet

Cordis, & oculi conuenientia.

Alcibiades monſtrum ...

A præſtantiſſima corporis forma, animum tamen gereret turpiſſimè à vitijs deformatum, habitum fuiſſe tanquam monſtrum, & prodigioſum veluti portentum fuiſſe vituperatum; quippe qui coniungeret humano aſpectui ſyluaſtrem belluarum feritatem. At ſi præclara corporis ſpecies, quę natura magiſtra formatur, cum impuris moribus coniungi non poteſt; adeò vt pugnent inuicem, ac ſe ſe ſua diſſimilitudine deſignant; quanto minùs cohærere poterunt diſſonantes inuicem affectus animi, corporiſque motus? ſanè Tullius lib. 3. de orat. pronunciauit: *Animi imago vultus eſt.*

quia pulcher aſpectu, & vitijs deformis.

vultus, imago animi.

B Dauidi ſuccedat Salomon, vt dignus tanto Parente filius aſſertionis noſtrę ſuo confirmet ſuffragio veritatem. Prouerb. 15. num. 13. quod vulgata lectio habet: *Cor gaudens exhilarat faciem.* Vertunt ſeptuaginta *Cordis læti viret, ſeu floret facies.* Vis ſimilitudinis petita à floris vigore, inſinuat eadem ratione, quale ſit cordis ſecretum, ab extima facie intelligi debere, qua flores erumpentes demonſtrant, quæ ſit radix, vnde procedunt. Lilium ex hyacinthi radice non germinat, neque ex lilio roſa pullulat: ſic pariter ab improbo corde oris habitudo religioſè compoſita, & ad ſanctitatis leges expreſ-
C ſa minimè formatur. Vnde apud Sanctum Hieronymum Epiſt. ad Furiam viduam legęs: *Speculum mentis eſt facies, & taciti oculi mentis fatentur arcana.* Hic ego audire mihi videor Senecam afferentem commune experimentum, quo pro comperto habemus ſpeculum ſæpe fallere, reddendo rerum imagines longè diuerſas ab eo, quod re vera eſſet repræſentandum. Sic autem loquitur lib. primo Natural. quæſ. cap. 5. in fine: *Neque omnia ad verum ſpecula reſpondent. Sunt quæ videre extimeſcas: tanta deformitate corruptam faciem viſentium reddunt, ſeruata ſimilitudine in peius. Sunt quæ cum videris,*
D *placere tibi vires tuæ poſſint; in tantum lacerti creſcunt, & totius corporis ſupra humanam magnitudinem habitus augetur. Sunt quæ dextras facies oſtendant, ſunt quæ ſiniſtras; ſunt quæ torqueant, vel euertant.* Eadem igitur ratione qua ſpeculo fallente decipimur; facie etiam decipiente erramus in ferendo iudicio de cordis ſecretiore aſpectu. Eſto: decipiat ſpeculum; frons profectò, ac facies non decipiunt. Et in hanc fortaſſe gratiam Prouerb. 27. nu. 19. non ſpeculo, ſed aquæ vultus hominis cõparatur; aqua enim immota, ac cryſtallina vultus inſpicientiũ nulla ſacta proprietate repręſẽtat ad amuſſim.

Facies, ſpeculũ mentis.

Audi

Audi Salomonem prou. 27. num. 19. *Quomodo in aquis reſplendent vultus proſpicientium: ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus*,

Reſtat adhuc ſapientia Salomonis ſapientior ſententia Chriſti Domini Matth. 5. num. 28. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo*. Fieri non poteſt, vt oculo fœditatis labe contaminato, cor innocens viuat, atque immaculatum. Latitat quidem in abſceſſu pectoris cor, & intra præcordiorum ſepta concluditur; ita tamen vt concordare cum oculis debeat, nec poſſit ab eo quod aperta proponitur fronte diſcrepare. B Frons, oculi, vultus non rarò mentiuntur: ſed vt plurimũ quę fiunt, & reconduntur in pectore certo certiùs patefaciunt, tanquam fidi interpretes latentium ſecretorum. Audi Ambroſium ſerm. 16. in pſalm. 118. allatum ex Matth. textum his verbis elucidantem: *Non dixit adulterauit eam in oculis, ſed in corde. In oculo viſus eſt, in corde peccatum*. Cohærent vſqueadeò atque conueniunt tàm arcta coniunctionis lege cor, & oculi, vt ſi peccet oculus, nequiſſimum ſit cor. Præuidit id ſuperna cœli luce affulgente Ieremias cap. 21. num. 7. *Tui oculi, & cor ad curſum mali operis*. C Currentibus oculis, quodnam cor ſtare poterit? vno eodemque feruntur impetu, ſicut vno eodemque imbuuntur affectu oculi, & cor. In quem ſenſum Ambroſium lib. 1. offic. cap. 18. ſcripſiſſe crediderim: *Habitus mentis in corporis ſtatu cernitur: vox quædam eſt animi corporis motus*. Dicat igitur Pacatus in Paneg. Theodoſ. *Vultus proditor affectuum internorum eſt*. *Frons ſpeculum eſt, in quo imago extat animorum*. Dicat Nazianzenus in Panegyr. Conſtantini, *frontes ſerena animorum indicia*. Similiter vultum indicium animæ appellet Tertullianus lib. de reſurrect. carnis cap. 15. *volutet*, (inquiens) *aliquid anima, vultus operatur indicium*. D Dicat Caſſiodorus de Anima pag. 15. *Vultus noſter, qui à voluntate nominatur, ſpeculum quoddam eſt animæ ſuæ*. Dicat Chryſoſtomus in cap. 3. Iſaiæ: *Corporis motus intimi præcones animi; ſeu formas quaſdam, & expreſſas imagines interioris mentis, quæ omnium oculis ſubijciuntur*. Vt M. Tull. Ciceronem taceam de petit. conſul. aſſerentem: *Vultus, ac frons animi eſt ianua*. Vt Plinium ſen. lib. 11. prętermittam ſcribentem: *Frons eſt triſtitiæ, hilaritatis, clementiæ, ſeueritatis index*. Vt ſileam Apuleium Apol. 1. proferentem: *Homo liber, ac magnificus eſt, qui in primore fronte animum geſtat*. A Vt denique pręteream, ex eodem Apuleio in eiuſdem vita, Platonem pronunciantem, *caput vultuſque ſunt totus homo*. Quaſi nil non videat hominis, qui einſdem faciem vultumque intuetur.

In oculo viſus, in corde peccatum.

Variorum dicta de vultus, & animi conuenientia.

Frons ſpeculum, & imago animæ.

Cordis præco.

Ianua animi

Iſta, inquam, volens prætereo, cum proferre poſſim quod de Dauide in regem eligendo diuina teſtantur oracula. Dauid enim euectus dicitur ad regale faſtigium, quia in externæ venuſtatis elegantia magis eius animi pulchritudo relucebat. Vnde primo reg. cap. 16. num. 12. Dominus verbis hiſce alloquitur Samuelem: *Erat autem rufus, & pulcher aſpectu, decoraque facie: & ait Dominus Samueli ſurge, & vnge eum; ipſe eſt enim*. B Hunc locum pertractans D. Baſilius Seleuc. orat. 14. ait: *De repente puer Dauid producitur paruus ætate, animus magnus, ore micanti, animo candido, præ corpore bene colorato latius geſtans animæ decus. Et quid verbis opus? ipſum conditorem teſtem habeo: Pulcher, inquit, aſpectu*. Nota illud; *ore micanti, animo candido*; quaſi candor animi, micante ore prodat ſe ſe. Aut certè dicamus; ſi corporis elegantia concinnata à natura, quæ non rarò inimica virtuti deprehenditur, C indicare poteſt præſtantem animæ virtutibus exornatæ dignitatem; quantò magis ea exterioris hominis maieſtas bene diſpoſita, quam componit modeſtia, & prudentia moderatur, intimam religioſi cordis patefaciet ſanctitatem? certo quippe reſpondent ſibi intima pectoris, & extima facies. Et quid verbis opus eſt? Dicat Baſilius: *Ipſum conditorem teſtem habeo: Pulcher, inquit, aſpectu*. An putabimus florem illum iuuentutis, cuius non rarò fructus impudicitia eſt, fuiſſe à Domino commendatum? Abſit. Sed vt in externa pulchritudine, tanquam in imagine, ſecretioris elegantiam animæ cognoſceremus, D dignum declarauit imperio, quia pulchrum. *Pulcher, inquit, aſpectu*. Egregiè Auguſtinus in pſalm. 41. ſuperius allatus: *Oculi feneſtræ ſunt mentis*. Sed acutè Ambroſius ſermone vndecimo in pſalm. 118. de Lot mentionem faciens ſic habet. *In hac terra Lot reuerendi parentis imitator, quem non luxuriantis plebis decolorauit impuritas, non flamma Sodomæ ardentis inuoluit*. Quàm ingenioſè dictum, illud *decolorauit*. Primus enim effectus impuri cordis à colore vultus non poteſt non deprehendi. Nil pectus tegere poteſt, quod facies non reuelet. Inſinuabat id

Ex corporis aſpectu animi pulchritudo dignoſcitur.

Mamertinus Maximiano Imperatori in ſuo Panegyrico, cum diceret: *In ipſo tuo vultu videbam omnia ſigna virtutum, in fronte grauitatis, in oculis lenitatis, in rubore verecundiæ, in ſermone iuſtitiæ*. Scintillet, imò emicet, ſplendeatque neceſſe eſt in vultu quicquid intra viſcera, altiſſimo veluti ſepulta tumulo, reponit humanæ ſimulatio calliditatis. Hinc Ambroſius lib. 2. de Virginibus: *Species corporis ſimulacrum eſt mentis, figura probitatis*. Hinc Ennodius de Epiphanio in eius vita: *Formoſitas illa lucis corporea index animæ fuit*. Hinc Euſebius Gallicanus homil. de Sancto Stephano: *Abſcondita pectoris ornamenta ſpeculum frontis irradiant*. Tanta ſcilicet conuentio eſt os inter, & cor, vt nihil clanculum ſeponatur in angulo cordis, quod non fiat palam in frontis amphitheatro. Legi quod ſcribit Pauſanias lib. 2 Corinthiacor. in fine de Alcyonia palude in Græcia, quam immenſæ aiunt profunditatis. Nero ſanè multorum ſtadiorum funes connexuit, & plumbo appenſo, alijſque inſtrumentis paratis, quæ ad explorandam profunditatem conducere videbantur, demitti iuſſit; fundum tamen inuenire non potuit. Adde quod de aqua tradunt huius

Alcyoniæ paludis profunditas.

A paludis; videlicet placidam videri intrantibus, & apparere tranquillam primo aſpectu; verùm ſi quis eam tranare audeat, attrahi occulta violentia, exceptumque inter vortices miſerandum in modum, in fundum vſque demergi. Fateor me huc vſque ſenſiſſe cum pluribus; eam nimirum eſſe cordis humani profunditatem, quæ ne ipſis neronianis quidem machinis poſſet attingi; nunc verò tot ſcripturæ ſacræ oraculis, tot ſanctorum Patrum effatis, tot ſapientium virorum teſtimonijs cogor è ſententia diſcedere. Cordis nuncius oculus eſt, ex Auguſtino: latentis animi cuniculi oculi

B ſunt, ex Saluiano: vultus expoſita mentis imago eſt, ex Tullio: cordis ſpeculum eſt os, ex Hieronymo: ſimulacrum pectoris nitet in facie, ex Salomone: aſpectus exterior intimi ſinus eſt index, ex Tertulliano. Ergo cordis humani ſecretum non poteſt abſcondi.

Videantur P. Didacus de Baeza de Chriſto figurato lib 5. cap. 7. §. 7. & P. Franciſcus de Mendoza in lib. Regum tom. 3. in cap. 9. num. 11. in expoſitione lit. 11.

Videri poſſunt etiam quæ dixi tomo 1. Paradoxo 9. in cap. 1.

C.

IN CA-

IN CAPVT SEPTIMVM

A Num. XXI. ad XXVI.

Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum : ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam noui vos: diſcedite à me, qui operamini iniquitatem. Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſsimilabitur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram, & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſuper petram.

PARADOXVM VII.

Vir obediens obedientia fit multiplex.

O Præclaram, ipſo nanque exordio exclamare compellor, ô inauditam planèque diuinam obedientiæ commendationem! In hac quippe commendatione vnum illud rarum, & proborum hominum animaduerſione digniſſimum quis non iudicet, quod omnibus & priuilegiis, & virtutibus, & donis vna præferri obedientia æquiſſimè planiſſimèque videatur? Dicitur enim: *Qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.* Tùm, vt pateat manifeſtiùs, quanta ſit obedientiæ præſtantia, ſubditur: *multi dicent mihi in illa die: Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis: quia nunquam noui vos: diſcedite à me, qui operamini iniquitatem. Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, &c.* En donum prophetiæ, imperium in dæmones, prærogatiua miraculorum, non ſolum minoris ſunt, quàm virtus obedientiæ, ſed ſi obedientia deſit, omninò contemnuntur, imò condemnantur. Vna nempe obedientia eſt, quæ virtutibus cæteris pretium tribuit. Vna nempe obedientia eſt, quæ virtutum omnium bona complectitur, & prærogatiuas. Hanc ego in præſenti proſequor obedientiæ laudem, vt demonſtrem, obedientem huius virtutis beneficio multiplicem fieri. Videlicet vir obediens virtutum reliquarum partes omnes, & numeros ſolus explet; & ad ea, quæ à Superiore imperantur, multa licet ſimul, & ardua, cum laude, & facilitate perficienda ſolius obedientiæ munere aptus eſt: Vnde fit etiam, vt vnius exercitatione obedientiæ, non coronam vnicam, ſed præmia quamplurima promereatur obediens.

Ordiamur à primo, & videamus multi-

A plicem fieri obedientem, quia virtutum reliquarum partes omnes, & numeros ſolus explet. Non vnam mihi ſepoſui ad id confirmandum Sanctorum Patrum auctoritatem, vt dilertè, ita appoſitè pro præſenti argumento dicentium. Et primò quidem chorum ducat Hugo de S. Victore lib. 2. miſcell. tit. 14. inquiens: *Obedientia eſt altare æneum, quia adeò eſt fortis, vt neque mors, neque vita ab ea ſeparet: ſub quo eſt fouea humilitatis habens ignem charitatis.* In Altari recognoſco virtutem religionis, quæ cum fortitudine, cum humilitate, cum charitate coniuncta quot in vna virtute virtutum ornamenta componit!

Obedientia altare æneum, & cur.

B B. Laurentius Iuſtinianus de ligno vitæ cap. 3. ait: *Obedientia faciens hominem triumphare.* Singularis ſanè commendatio: Charitas etenim hominis animum beato vrit incendio; morum integritas nuptialē induit innocentiæ veſtem; manſuetudo dignum reddit imperio: & ſic licet ire per ſingula virtutum decora, quibus vnaquæque commendabilis eſt. Sola obedientia triumphalem inducit pompam, quæ concurrentium virtutum omnium conſpiratione, ac plauſu celebratur. B. Petrus Damianus ſerm. 3. de S. Apollinare ait: *Obedientia eſt clauus, quo quis ſemetipſum in cruce cordis ſui crucifigit; & gladius,*

Ab obediētia triumphus.

Obedientia clauus crucifigens.

C *quo quis ſemetipſum mactat; virtus, per quam præcipuè ad cælum reditur.* Sanè negabit nemo omnium aggregatione virtutum præditum illum eſſe, qui ſe ipſum cruci affigens, Redemptoris noſtri exemplar quàm poteſt perfectiſſimè imitatur. Et hoc facit obedientia, cum clauus ſit quo quis ſemetipſum crucifigit. Sanè negabit nemo virtutum decora complecti omnia eum, qui iuxta Apoſtoli conſilium, fiat viuens hoſtia, ſancta, Deo placens. Et hoc facit obediētia, cum ſit gladius, quo ſe mactat obediens. Sanctus Auguſtinus lib. 4. de Ciuit. Dei ait: *obedientia virtu-*

Virtutum mater, & cuſtos.

D *tum omnium mater, & cuſtos eſt.* Imò quaſi ſibi non feciſſet ſatis, repetit lib. 1. contr. aduerſ. legis, & prophet. c. 14. inquiens: *obedientia maxima eſt virtus, & vt ſic dixerim, omnium origo, materque virtutum.* Numeroſa ergò æquè, ac nobili gaudet prole tàm inclyta virtutum mater. Mater vtique: neque enim Climacus gradu 4. contradicit eam appellans humilitatis filiam, dicit enim: *Obedientia eſt filia humilitatis, ſed perficit filia matrem.* Si ergò vel perficit, vel progignit obedientia virtutum reliquarum decus, atque ornamentum; manifeſtè conſtat quàm meritò dicatur obedientia multiplicem virtutum omnium complecti commenda-

Filia humilitatis.

mendationem. Hinc Gregorius lib. 2. in lib. reg. cap. 4. *Obedientia, inquit, vnicum bonum eſt, ad recuperationem vitæ: toties vitæ reddimur, quoties obedimus.* Enimverò quæ vitam reddit, vnum quidem tribuit donum, ſed perfectione, vtilitate, iucunditate multiplex; donat namque viſum, auditum, guſtum, tactum, integritatem membrorum, firmitatem virium, intelligendi facultatem. Ita planè vitam dare dicitur obedientia; quia cum vna ſit, tribuit tamen viſum rerum ſpiritualium, cæleſtium bonorum guſtum, firmas vires ad ſanctè, & laudabiliter agendum, vim, facultatemque ad ſpirituales delicias exoptandas, expetendaſque. Vſque adeò verum eſt tale bonum obedientiam eſſe, vt omnia ſimul bonorum genera componat, ac portet. Eſt in promptu Concilij Epheſini auctoritas tom. 1. tit. de Chriſti ſatisfactione. Vbi definiunt PP. obedientiam *glorioſam eſſe, & admiratione dignam, & bonorum omnium conciliatricem.* Felix qui præcellit obedientia, cum poſſit ſibi veriſſimè gratulari: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Nulla, nulla prorſus eſt virtutis incorruptæ fœlicitas, quam obediens non conſequatur. Vides quantum ſplendoris noſtræ conferant aſſertioni clariſſima Eccleſiæ lumina? Hugo de S. Victore, Laurentius Iuſtinianus, Petrus Damianus, Climacus, Auguſtinus, Gregorius, & Epheſina Synodus vniuerſa.

Vitam dat.

Origo bonorum omnium.

Hinc facilè intelligemus legem illam à Deo ſancitam Exodi cap. 19. num. 15 his verbis: *Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam deſuper, immundum erit.* Ligaturam ſi dixero obedientiam, contradicet nemo; videtur enim obedientia quadam veluti ligatura voluntatem noſtram conſtringere, ac continere. Audi ergò: hæc vna ſi deſit, cor noſtrum, veluti vas immundum, à domo Domini reijcietur. At verò vas electum erit illud, quod habebit ligaturam. Quis ergo hac vinciri ligatura recuſet, quæ ſola præſtantiam ſanctitatemque Deo dignam confert? I nunc, & nega obedientiam omnem complecti virtutis prærogatiuam, ſi ſola obedientia ita perficit cor noſtrum, vt reddat vas electionis. Adhuc clariùs res propoſita confirmanda eſt. Exodi cap. 25. n. 18. imperat Dominus Moyſi, vt duos Cherubim perficiat his verbis: *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies, ex vtraque parte oraculi.* Productiles debent eſſe, hoc eſt, in omnem partem cum facilitate mobiles. Vide num excogitari poſſit proprietas aliqua, quæ obedientiæ

Facit electos.

A conueniat magis: deinde verò attende quàm meritò obediens, nempe ductilis in omnem partem, in ſanctuario collocetur ſpiritu plenus Cherubicò: Exod. 25. nu. 18. *Cherubim aureos, & productiles facies.* Præterquam quod Cherubim ſpiritus puriſſimi ſunt, agiles, expediti, & ad nutum prompti. In tam præclaro obedientiæ typo, dum recognoſcimus obedientiam ſecum ferre earum virtutum ornamentum, quod Cherubim decet, inflammemur deſiderio tantæ virtutis, dicamuſque, dum vocantis Dei voces audimus in ſecreto cordis, cum Iſaia propheta cap. 6. num. 9. *Ecce ego, mitte me.* At verò aliquis fortè B dubitabit adhuc, num obedientia prima ſit virtutum origo, quæ vel complectatur reliquas, vel quam reliquæ conſequantur. Reuocet is in mêtem quod habetur Leuit. cap. 8. num. 24. quo pacto Moyſes, ſecundo immolato ariete, hoſtiæ huiuſmodi ſanguine extremum dexteræ auriculæ tum Aaronis, tum filiorum eius tetigit: deinde verò, eodem ſanguine ſingulorum manus, & pedes dicitur tetigiſſe: *Obtulit* verba tex. cit. *& arietem ſecundū, &c. quem cùm immolaſſet Moyſes, ſumens de ſanguine eius, tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron, & pollicem manus eius dextræ, ſimiliter & pedis. Obtulit & filios Aa*C*ron. cumque de ſanguine arietis immolati tetigiſſet extremum auriculæ ſingulorum dextræ, & pollices manus, ac pedis dextri; reliquum fudit ſuper altare.* Sanguine hîc aures reparatam per ſacrificij hoſtiam, virtutem obedientiæ interpretantur communiter Doctores: ſicut enim ab inobedientia primi patris omnia mala duxerunt originem, ita ab obedientia Reparatoris omnia bonorum genera dimanarunt. Ideòque ante omnia ſanguis immolati arietis aurem tangit: licet enim hoc ſanguine & manus, & pedes, & altaria ſanctificanda eſſent; par tamen fuit, vt in D primis auris ſanctificaretur, cum prima ſit origo virtutum omnium obedientia. Auribus hoc pacto ſanguine litis, manuum, pedum, altaris, hoc eſt, operationum, affectuum, ſacrificiorum, ſanctificatio proculdubio conſequetur.

Cherubini obedientiæ ſymbola.

Radix virtutum obedientia.

Inpoſterum non demirabor, quod Lucas Euangeliſta ſapientiſſimè ſcripſit, qui cap. 2. num. 51. deſcripturus vitæ genus Chriſti Domini ab anno duodecimo ad trigeſimum, dixit: *Venit Nazareth: & erat ſubditus illis.* Non demirabor oraculum Salomonis, qui, vt complectatur omnibus abſolutam numeris ſanctitatem Prouerb. cap. 15. num. 28. ait: *Mens iuſti meditabitur obedientiam.* Ita eſt; ſola

obedien-

A obedientia, enim ducat agmen virtutum omnium, quibus animum exornat, ſatis ſuperque ſanctificat, adeò vt omni decore virtutum florere credendus ſit ſanctiſſimus Nazarenus, qui dicitur obedientia excelluiſſe.

Adhuc mihi clarius explicandum eſſe intelligo, quo nam pacto multiplex ſit virtute, & æſtimabilitate, vna cum ſit, obedientia. facio libentiſſimè, petita ſimilitudine à gemma triplici Hexecontalitho, Pandia, Opalo, quarum vnaquæque, quam proſequor, obedientiæ prerogatiuam repræſentat ad vnguem.

Gemmæ miræ pulchritudinis.

Hexecontalithon (ſunt verba Solini cap. 44.) *tàm diuerſis notis ſparſum eſt, vt ſexaginta gemmarum* B *colores in paruo eius orbiculo deprehendantur*. In Pandia, Caſſiodoro teſte lib. 5. variar 34. *vnus ſe fulgor non poteſt continere, fluctuat aſpectibus tremulis, & quem modo nitorem miratus es, licet nullus eripuerit, ſi defigas iterum oculos, non videbis, mutatamque crederes ex noua lucis imagine gemmam, niſi eandem eſſe certò tibi ex alijs, & verò certis capitibus perſuaderes*. Aſt Opalus, vt Plinius auctor eſt, lib. 37. cap. 6. in omnem ſe vultum coloremque gemmarum ita verè pingit, ac rutilat, vt vndecumque dubium eius ſplendorem contempleris, & gloriam; C examen tibi gemmarum videre, non vnicam videaris, quanquam miraculo multiplici, gemmam, oculis honeſta quadam ac, penè dixerim, iuſta dubitatione laborantibus, oſtendiſſe: cum neſcias vllo pacto tàm implicatam illam, quàm non emendicatam colorum omnium vim, opportuna quantumuis, atque venatica iudicij calliditate diſtinguere Hinc enim aureo fuco perilluſtris, non pyropos tantum prouocat, atque chryſolitos, ſed ipſos quoque perſtringit natiuæ lucis viuaci quadam radiatione carbunculos: inde cryſtallino lepore conſpicuus, parique prodigio ſequax niualem ſe ſe induit in adamãtem: hinc cæ D ruleas erumpit in fauillas, & obruit hyacinthos. inde ſuauiter rubefacta, vel amethyſti ingenuam vegetatur in purpuram, vel extinguit oſtro perfuſa maiore, inuidendi iubaris claritatem: aliunde ſternatur, vel inaudita quadam viriditate luxuriat, & ſmaragdo par emicat, vel ſummo etiam florentiſſimi nitoris incremẽto pigmentorum omnium, florumque vel antecedit gratiam, venuſtatéque, vel æquat. Animaduertis quot in vna gemma ſint gemmæ.

Opali deſcriptio.

Eadem planè ratione, qua in Hexecontalitho, Pandia, Opalo in triplici veluti compendio gemmarum omnium pretium demiraris: ita etiam in vna obe- A dientis virtutum omnium pulchritudinem venuſtatemque recognoſce. Charitatis aurum imitatur obedientia prompta ad benè merendum de omnibus. viuacem ſanctæ conuerſationis nitorem præfefert obediens, facem omnibus præferens probatæ probitatis: ingenuam vegetatur in purpuram obedientia vrentibus ſemper æſtuans flammis ardentis deſiderij Deo, & maioribus obtemperandi: florenti emicat viriditate obediens, ſemper ſpe plenus diuinorum promiſſorum: vno verbo virtutum omnium decus, quaſi gemmarum omnium pretium complectitur obedientia. Hanc ſummo ſtudio ſequere; nam, ſi con- B ſequeris, virtutum omnium compendium adeptus eſt.

Obedientia compendiũ virtutum.

Rapior in admirationem celeberrimi ſpectaculi, quod deſcribit Ezechiel cap. 1. per totum. Nemo eſt qui neſciat quatuor illis animalibus, de quibus loco citato mentionem facit Propheta, ſignificari viros ſanctitate præſtantes. Moneo tamen adnotandum animalia illa non modò fuiſſe alata, verùm etiam fuiſſe rotis innixa. Quaſi verò ad velocitatem, pennarum remigio minimè contenta, rotarum addiderint volubilitatem, ad volatum & ad curſum ſimul maximè expedita num. 5. & 6. C cit. cap. habes. *Similitudo quatuor animalium, quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni*; tum num. 15. *Cumque aſpicerem animalia, apparuit rota vna ſuper terram iuxta animalia habens quatuor facies.* In pluralitate facierum multiplicitatem recognoſco virtutis, gaudeoque perfectos viros habere ſimul aſpectum Angeli propter integritatem, Hominis propter manſuetudinem, Aquilæ propter contemplationem, Bouis propter labores pro Chriſto ſuſceptos. Hæc tamen plurium coniunctio virtutum illis conceditur, qui rotarum beneficio hac illac cum feſtinatione diſcurrunt, & pennis præpetibus volitant, immenſos tractus aeris celerrimè D conficientes. Dicam clariùs: obedientes qui ad nutum Dei currunt, imò volant omni mora poſthabita, angelicum candorem, humanam benignitatem, perſpicacitatem Aquilæ, & Bouis patientiam ſimul coniungunt. O *felix, & abundans gratia*; exclamare libet cum Hieronymo in reg. mon. cap. 6. *in obedientia ſumma virtutum clauſa eſt*.

Typus obedientiæ ex Ezechiele.

Ergò vt ad plura ſimul perficienda ſis aptus, id eſt, vt ſimul ſis Angelus, Homo, Aquila, Bos (iam enim ſenſim ſine ſenſu illuſtrare cœpimus, quod ſecundo loco propoſitum fuit) eſto obediens, & obedientiæ beneficio creſcent vires, & mul-

tò

tò veriùs dicere poteris, quàm cecinerit Mecœnatis ſecutus imperium Propertius lib. 3. eleg. 7.

Creſcet & ingenium ſub tua iura meum.

Quemadmodum enim figulus eadem prorſus cera, qua pauloante feras, & beſtias animauerat, Mercurium reddit, artificis digitos ſequente materia: ita ſine dubio maiorum imperia, quæ ſponte ſequitur vir obediens, diuina vt continenter ita feliciter moderatione directa, tantum valent, vt rudes etiam poſſint animos fortunato, cum voluerint exitu, erudire, & ad omnem virtutis, & commendationis laudem tempeſtiuis vbique coloribus informare.

Qualiter artificis victura pollice cera
Accipiunt formas, ignemque manumque ſequuntur.

Canebat egregiè Statius Achilleidos lib. 2. Et P. Ouidius lib. 10. metamorph.

Tentatum molleſcit ebur, poſitoque rigore
Subſedit digitis, ceditque, vt hymettia ſole
Cera remolleſcit, tractataque pollice multas
Vertitur in facies, ipſoque fit vtilis vſu, &c.

Et lib. 15.

Vtque nouis facilis ſignatur cera figuris,
Nec manet vt fuerat, nec formas ſeruat eaſdem;
Sed tamen ipſa eadem eſt, &c.

Obediens ſit inſtar ceræ.

Præclarum ſanè monitum: depone mentis obduratæ rigorem, mollis ceræ indue facilitatem, & omnem ſuſcipies formam; adeò vt vnus cum ſis, aſpectu multiplici ſpectabilis fias. Cùm opus fuerit, Iobi patientiam, manſuetudinem Dauid, Ioſephi innocentiam, Abrahami obedientiam omnium denique, cùm res poſtulauerit, præſtantium ſanctitate hominum mores imitaberis, & exprimes probitatem.

Ignorat nemo monitum illud Seruatoris Matt. 18. num. 3. diligentiùs examinandum. *Niſi efficiamini ſicut paruuli non intrabitis in regnum cælorum.* Quæ tàm nobilis paruulorum conditio eſt, vt, ſi ſola exprimatur moribus, dignos reddat beatitate? Vtor libenter reſponſo allato à Magno Baſilio in regulis fuſiùs diſput. in reſp. ad inter. 15. circa finem: vbi, cum quæreretur quæ nam ætas maximè idonea cenſenda eſſet ad ſeruiendum Deo, ſic habet:

Fiat paruulus.

Animus dum tener eſt adhuc, & ritu ceræ quæ ipſa impreſſas in ſe formas quaſcumque facillimè recipit, molliſſimè cedit. Audis?

A ætas omnium aptiſſima ad capeſſendas virtutes, hoc eſt, ad benè beatèque viuendum, eſt ætas paruulorum, & eo potiſſimum nomine, quòd ritu ceræ, quæ formas impreſſas facillimè recipit molliſſimè cedat. Conſentiunt cum Baſilio Anſelmus, & Hugo, ille quidem in ſimil. 125. hic verò in Prouerb. *Tenellus*, inquiens, *ſicut cera mollis, quæ citò poteſt informari.* O compendiariam ad omnem virtutem viam; fias ſicut paruulus, & aptus es ad regnandum in cælis, hoc eſt omni virtutum laurea redimitus, ſicut paruulus; videlicet tractabilis ad modum ceræ.

B

Vt laus eſt ceræ, mollis, cedenſque ſequatur
Si doctos digitos, iuſſaque fiat opus:
Et nunc informet Martem, caſtamque Mineruam;
Nunc Venerem effingat, nunc Veneris puerum.
Sic hominum ingenium flecti, ducique per artes
Non rigidas, docta mobilitate decet.

Humani ingenij laus, docilitas.

Scribebat nobilis in primis auctor Plinius lib. 7. ep. 9. ad Fuſcum. Felices illi, qui audito maiorum, ac moderatorum imperio, intus, & in cute cerei ſibi videntur eſſe, faciles ad parendum, ac prompti: C ex quo multum roboris vel clandeſtinis transfuſum cuniculis, vel ſuauiſſimis importatum machinis vſqueadeò excreuiſſe ſentiunt, vt humanam ſupra imbecillitatem elati, ſe quoque facilè poſſint tollere humo, & felici non minus, quam laudando conatu occupare ardua facinorum præclariſſimorum.

Veniamus iam ad multiplicitatem præmij, quam tribuit Deus obedienti; magnam enim vim habet ad noſtros animos permouendos, alliciendoſque etiam ad ardua magnitudo mercedis. Offert ſe hoc loco luctuoſiſſima eadem, & ſanctiſſima Chriſti D Domini è cruce pendentis imago, cuius titulum ſolummodò curſim conſidero. *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Obſeruo regis appellationem, & ſcio aliàs abhorruiſſe humillimum Dominum ab honore regis, quo illum honeſtare populus meditabatur Io. 6. num. 15 *Ieſus ergo cum cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.* Cur obſecro is, qui dum viueret regiam appellationem reſpuit fuga velociſſima, moriens regis titulum non recuſat? Crediderim, quia moriens obedientiæ expreſſit exemplar. *Factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis;*

Ab obediẽtia exaltatio Chriſti.

crucis; propter quod & Deus exaltauit illum Philip. 2. num. 9. Ideo exaltatur, quia factus obediens. Rex toto orbe prædicetur, & quidem triplici lingua Græca, Latina, & Hebraica legatur *Rex Iudæorum*; quaſi verò ſatis eſſe non poſſit vna tantum corona, ſed triplex requiratur ad exornandum eum, qui tantæ dabat ſpecimen obedientiæ: verè enim regnauit à ligno Deus. Placet mihi illa D. Hieronymi conſideratio Epiſ. de vera circumc. vbi Abrahami obedientiam examinans ait: *Cum vnico non parcit in terris, ſtellas pro filijs annumerare iubetur in cælis.* Placet, inquam, præſertim cum legam Apoc. 12. num. 2. celeberrimæ illius mulieris coronam duodecim fuiſſe ſtellarum. *Signum magnum apparuit in cælo,* (verba Io:) *mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim.* Species tam digna cæleſti imperio, quam in hac muliere veneror, animam mihi ponit ob oculos omni ſanctitatis genere florentem, eam ſcilicet, quæ rerum humanarum inconſtantiam proculcans pede non ſordido, digna planè inuenitur, quæ ſole gloriæ induatur. Bene eſt: at coronam, quæ propriè præmium repræſentat, conficiunt ſtellæ certo definitæ numero. Abrahami verò obedientiæ non ſtellæ duodecim nectunt coronam, ſed quotquot ſtellæ micāt in cælo certatim dimicant vt diadema contexant. Quando autem Abrahami incidit mentio non erit abſre quale, ac quantum fuerit pro perfectiſſima obedientia præmium paulò attentiùs examinare cum S. Ambroſio lib. 3. de Virginib. vbi filiam Iephte comparat cum Iſaac, proponitque qua de cauſa Iephte conceptum de filia immolanda votum, re ipſa perfici voluerit Dominus, inflicta cariſſimæ filiæ nece; cum tamen non ſit paſſus Iſaac ab Abrahamo immolari. *Dicet aliquis* (loquitur Ambroſius,) *qua ratione illic Deus non permiſerit parricidium fieri; hic ſit paſſus impleri? numquid acceptor perſonarum eſt Deus? Non, ſed meritorum, atque virtutum.* Hunc nodum nemo meliùs poterit enodare, quam ipſemet Ambroſius, qui poſt aliqua, hæc in rem meam ſubdit: *aut fortaſſe quia non vna forma meritorum, ideo non vna forma factorum. Pater doluit, fleuit filia, vterque de Dei miſeratione dubitauit. Non doluit Abraham, nec conſuluit parentis affectum, vbi audiuit diuinitatis oraculum, non diſtulit ſacrificium, ſed maturauit obſequium: non dubitauit Iſaac, cum imparibus ſequeretur patrem paſſibus, non fleuit cum ligaretur, nec dilationem popoſcit cum offerretur, & ideo miſericordia*

Obedientia coronat ſtellis Abrahamum.

Obedientia eripit à periculis.

A *largior, vbi fides promptior. Et bene non fleuit factum patris, quæ riſus eſt matris: pro qua deuotionis exultatione, ouis pro illo iuſſa eſt immolari; quia ipſe non diſtulerat immolandum, non de Dei miſeratione ambiguus, nec de ſui deuotione ſollicitus.* Eleganter, vt vides, & copioſè diſceptat Ambroſius, quem ſi audire velimus, puella à Iephte parente perimitur, quia tàm pater, quàm filia non ea qua par erat alacritate, & promptitudine obediuerunt. E contrario Iſaac non modò à mortis eripitur faucibus, ſed parens fœliciſſimæ, ac numeroſiſſimæ poſteritatis, imò inter progenitores vnigeniti Dei venerandæ prærogatiua

B ſenectutis connumeratur, ob promptiſſimam, & immolantis Abraham, & Iſaac immolandi obedientiam. Huius præmium, & illius ſupplicium quid dicere velim declarant luculentiſſimè.

Mirabantur, imò, & conquerebantur coloni illi Matt. 20. qui cum Patrisfamilias vineā excoluiſſent, cum mercedem acciperēt, æquo animo ferre non poterant nouiſſimis eandem tribui mercedem, quæ dabatur ijs qui portauerant pondus diei, & æſtus n. 10. *Venientes autem & primi arbitrati ſunt, quòd plus eſſent accepturi: acceperunt autē & ipſi ſingulos denarios; & accipientes murmurabant aduerſus patremfamilias.* Igno-

C rant hi ruſtici morem huius patrisfamilias, cui ſolenne eſt tantundem tribuere premij ſoli obedientiæ, quantū & laboribus, & ſudoribus, & bene factis integro huius vitæ die reliquarum omnium exercitatione virtutum elargiri liberaliſſimè conſueuit. Audite ergo, & querelis modum ponite: verum quidem eſt, nouiſſimos iſtos breui tēporis ſpatio vineam excoluiſſe: at inſignis eorum obedientia præmium idem promerita eſt, quod vobis tanto ſudore, atque conatu laborantibus conceſſum eſt; vos non prompti, & alacres; non expediti, & hilares iuſſis ad vineam, nec opus eſtis aggreſſi, niſi conuentione facta. Nu. 1. &

D 2. huius cap. dicitur: *Simile eſt regnum cælorum homini patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam. Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno miſit eos in vineam ſuam.* Et eodem modo paciſci oportuit cum operarijs qui hora tertia, & ſexta conducti ſunt. Illi ſolum, quos hora vndecima conduxit, omni poſthabita mora, ſtatim atque audiuerunt (quod habetur nu. 7.) *Ite & vos in vineam meam:* abſque vlla ſpe mercedis, è veſtigio currunt expediti. Et miramini ſi iſtis detur præmium idem, quo ditamini conducti ſummo mane? miremini potius prærogatiuam obedientiæ, cui tantū debetur,

Vni obedientiæ debitū omnibus virtutibus premiū datur;

Merces maxima datur ei, qui ſine ſpe mercedis ſeruit.

debetur; quantum virtutum reliquarum diuturnæ exercitationi conceditur.

Geminum compono oraculum, quorum alterum petendum eſt ex cap. 1. Cant. nu. 9. vbi cæleſtis ſponſus dilectam ſuam alloquitur his verbis: *Collum tuum ſicut monilia*; alterum verò oraculum petendum eſt ex Matt. cap. 11. num. 29. vbi Chriſtus Dominus verba faciens cum diſcipulis ſuis ait: *Tollite iugum meum ſuper vos*. Iugũ, vt neminem latet, collo imponitur; & idem omninò eſt huiuſmodi iugo collum ſubdere, atque diuinis obtemperare præceptis. Benè eſt: ſed quid commune habet monile cum iugo? Iugum ruſtici laboris monumentum eſt, ſiue inſtrumentum rude, impolitum, nullius pretij, dignum planè quod colonorum manibus, ac boum laboribus conteratur. At monile vnionibus diſtinctum, exornatum gemmis, & pretio, & venuſtate connubiorum auroramentum, & ornamentum ſponſarum, quo nullum pulchrius, aut nobilius. Sic ſe res habet: Chriſti ſit Sponſa, & in delicijs Deo eſt anima illa, quæ iugo collum ſubdens mandatis obedit quàm perfectiſſimè. Digna porrò tanto opere merces nulla eſt, niſi monile contextum omni virtutum, ac gratiarum genere, quas poteſt Deus dator munerum munificentiſſimus elargiri. *Tollite iugum meum ſuper vos*, *Collum tuum ſicut monilia*. Audio hoc loco canentium Angelorum melos; ſubditur enim eod. cap. nu. 10. ſeq. *Murænulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*. De ornanda ſorore ſermo eſt; & benè ſtatuunt beatæ mẽtes animam iuſtam ſororem ſuam muneribus cumulare ditiſſimis. At dicet aliquis cur de murænulis ſola ſit mentio? Veſtis potius opere phrygiò diſtincta afferenda erat, vt veſtita deaurato conſpicua, omnium oculos in ſe converteret virago tàm inclyta. Aut certè aureo torque pectus exornandum eſſe videbatur, vt ſponſam decet: vnionibus collum, margaritis caput, adamantibus digiti erant diſtinguendi. Cur ergo conſiliorum ſumma tàm tenuis eſt, vt ſolis ornamentum auribus decernatur? *Murænulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*. Verùm ſi in auribus ſymbolum obedientiæ recognoſcamus, vt ſuperiùs dictum eſt, facile erit interrogationi reſponſum. Dicunt Angeli: *Murænulas aureas faciemus tibi*; quia præ cæteris vna obedientiæ virtus præmio digna cenſetur in cælis. Aut certè tot ſunt præmia quæ dantur obedientiæ, vt hæc ſola muneribus decorata; factum ſit ſatis & animæ promeritis, & cæleſtium principum liberalitati. Aut certè adminiſtratorij ſpiritus diuinæ munificentiæ quicquid pretioſæ ſupellectilis, auri, atque argenti congerere poſſunt auribus donant; quia anima tota aurita eſt iuxta Clementis Alexandrini ſententiam 2. ſtrom. Liceat ergo dicere animam illam totam auritam eſſe, quæ obedientia præſtat. Hanc amore proſequuntur angeli, quibus cordi eſt murænulas aureas dono dare; illam videlicet in delicijs habere conſueuerunt, quæ tota aurita eſt: hanc muneribus ditant, donis augent, cumulant gratijs, perficiunt prærogatiuis.

Obedientiæ iugũ ſit monile.

Obedientia quanti facienda.

Anima tota aurita.

At, ſi fortè nec præmiorum magnitudo, qua largitor Deus beneficentiſſimus coronare conſueuit obedientem, nec benefactorum commendatio, quam facilitate, & felicitate non abſimili conſequitur obedientia, nec vires, quibus obedientiæ beneficio ad plura, eaque ardua perficienda reddimur firmiores, nequeunt nos excitare ad tam eximiæ amorem virtutis: excitabunt, vt arbitror, vehementiùs exemplo ſuo toto orbe diffuſa, vt pulcherrima diuinæ omnipotentiæ opera, ita Creatoris ſui imperio obſequentiſſima cælum, terra, elementa omnia, de quibus pſal. 148. nu. 6. dicitur: *Statuit ea in æternum, & in ſeculum ſeculi; præceptum poſuit, & non præteribit*. Et nos ratione vtentes præceptum à Deo præteribimus? Exclamaret meritò euangelicus vates Iſa. c. 1. num. 2. *Audite cæli, & auribus percipe terra; quoniam Dominus locutus eſt: filios enutriui, & exaltaui: ipſi autem ſpreuerunt me*. Niſi fallor, facta cum terra, & cælis comparatione rebellium hominum, qui, vtpote filij, obedire multò exactiùs debuiſſent, patefacit manifeſtiùs peruicaciam detrectantium: quaſi diceret: cæleſtes orbes appello teſtes, terram, aquam, aerem, elementa omnia compello; quod ſolus homo rebellis, ac contumax renuat, per ſummam impietatem, atque obſtinationem, Deo ſuo, vt par eſt, obtemperare. Iubente Deo ſtetit aqua ſuæ oblita mobilitatis, vt populus Iſrael ſicco veſtigio congeſta inter vndarum vel volumina, vel culmina graderetur, vt habetur Exod. 14. iubente Deo dehiſcere tellus viſa eſt, neſciens quodammodo ſtare loco, cum cæteroqui ſuopte pondere ſemper ſtare cogatur immota. vt Dathan, & Abiron è medio tolleret, quod leges num. 16. iubente Deo ignis, qui cælum petere ſua leuitate debuerat, ſuæ veluti felicitatis oblitus, maluit Nadab, & Abiu abſumere, quàm ſupernis proximus orbibus conquieſcere, vt habetur Leuit. 10. iubente Deo cælum ipſum, vt ita dicam, ſatius duxit obtemperare Ioſue dimicanti,

Creaturæ ſẽſu carentes obediẽtiam docent.

dimicanti, & exclamanti, quàm terrarum orbi ſubiecto ſuo, vt ſolet, curſu imperare, quod ſcribitur Ioſue 10. Solus homo tot beneficijs auctus, tot prærogatiuis exornatus, tot deuinctus officijs auctori, parẽti, principi Deo abnuet obtemperare?

Videatur P. Didacus de Baeza tom. 2. in Euang. hiſt. lib. 6. cap. 3. §. 39. Et idem de Chriſto figurato lib. 2. cap. 5. §. 1. Videatur P. Didacus Niſſenus lib. 1. de vita A Abraham cap. 5. In quadr. in Aſſumpt. 2. primi Sab Quadr. ad illud N. 9. & Eccle. 45. Videatur P. Benedictus Fernãdius tom. 3. In Gen. in cap. 32. ſect. 1. num. 5. & tom. 2. in c. 15. ſect. 4. nu. 1. in c. 22. ſect. 3. num. 1. & eod. tom. in c. 26. ſect. 4. nu. 5. eod. tom. in cap. 28. ſect. 1. num. 11. & ſupra in cap. 27. ſect. 6. num. 2. Idem tom. 1. in cap. 7. ſect. 1. num. 5. eod. tom. in cap. 12. ſect. 6. num. 6.

IN CAPVT SEPTIMVM

A Num. XXIII. ad vltimum.

Et tunc confitebor illis: Quia nunquam noui vos: diſcedite à me, qui operamini iniquitatem. Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſsimilabitur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram, & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſuper petram. Et omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam: & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna. Et factum eſt: cum conſummaſset Ieſus verba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrina eius. Erat enim docens eos ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum, & Phariſæi.

PARA-

PARADOXVM VIII.

Inſenſiſsimi virtutis inimici, quò acerbiùs virtute præditum oppugnant, eó tutiùs propugnant.

EXPLICATA tam copioſè, quàm eleganter ſentẽtia Chriſti Domini de diſcrimine, quod probum inter, & improbũ intercedit, non immeritò ab ipſis etiam conſuẽtibus turbis admirationem extorſit: *Admiratæ ſunt turbæ ſuper doctrina eius*. C Stat mole ſua mens iuſti; fundamentis ſcilicet ſtabilita firmiſſimis. Ac proinde conſpirent ventorum acies, inſtruantur agmina procellarum, confligat, quaſi ſigno dato, commotus turbinibus aer, concita curſu præcipiti irrumpant flumina; vno verbo, mutuo nexa fœdere humanæ fraudes, inferna machinaméta, hominum, dæmonumque vires copulentur ad conterendum, conſternandumque inſignem probitate virum: & tantum abeſt, vt quicquam ſint allatura detrimenti, vt potiùs, cùm oppugnare conabuntur acerbiùs, firmare cogentur inuita, & ſecuriùs propugnare. D Vnde monebat opportunè Bloſius in paradiſo animæ cap. 9. nu. 2. *Omnia aduerſa amanter ſuſcipe, tanquam pretioſiſſima Xenia tibi à Deo tranſmiſſa, ſiue è cælo, ſiue ab elementis, ſiue à diabolo, ſiue ab aduerſarijs, ſiue à ſatanicæ artis miniſtro, ſiue à feris ea euerſerint. Non exiſtimes aliquid aliunde tibi euenire, quàm de diuina diſpenſatione*. Nota duo illa verba, *Xenia*, & *diſpenſatione*. Scilicet quæ contraria videntur, & infenſa, munera ſunt non ſupplicia; non vulnera, ſed dona; non ab irati vindicta numinis contorta fulmina, ſed à diſpenſatrice Dei beneficentia amoris collata pignora.

Aduerſa sũt Dei dona.

Verùm, ne in incertum vagari videatur A oratio, ad tria potiſſimum capita reuoce quæ pro argumento propoſito afferri poſſe videntur, & examinari. Cùm enim nihil excogitari poſſit homini infenſum adeò infeſtumque, quàm vel ingruentes huius vitæ calamitates; vel tentationes, quibus probum hominem vexat malus dæmon; vel ipſemet truculentiſſimus hoſtis diabolus in hominem ſæuiens: ſi liquidò demonſtrauero ex his ita concuti præſtantem innocentia virum, vt tutiùs propugnetur, cùm acerbiùs oppugnatur; poſitionis meę euicero ſine dubio veritatem.

Placet ordiri à calamitatibus, duce eloquentiſſimo, ac ſanctiſſimo Paulino epiſt. B 49. ad Marcellam, quam non multò poſt initium alloquitur his verbis: *Magnificamus in te Dominum, qui te in laboribus hominum poſuit, & ſalutifero paternæ pietatis verbere viſitauit*. Quàm accommodatè: *paternæ pietatis verbere*. Deus patrem agit, non carnificem, dum ſæuire videtur; cùm aduerſitatum verberibus non vlceret, ſed viſitet. Conſonat Paulino Gregorius, qui hortaturus homines ad flagella non æquo tantùm, ſed libenti animo toleranda; vt nobis inſinuet quale nobis, quantumque afferant commodi, dum nocere creduntur, ſic ait hom. 15. in Euangel. *Sic vua calcibus tunditur, & in vini C ſaporem liquatur: ſic oliua contuſionibus expreſſa amurcam ſuam deſerit, & in olei liquorem pingueſcit: ſic, per trituram areæ, à paleis grana ſeparantur, & ad horreum purgata perueniunt. Quiſquis ergo appetit plenè vitia vincere, ſtudeat humiliter purgationis ſuæ flagella tolerare*. O amica, & amanda Dei verberantis flagella! qualia planè expertus eſt Dauid, Hugone Victorino interprete. Etenim cùm multis premeretur calamitatibus ſanctus Rex, cum crebris peteretur ictibus infortuniorum, ad Dominum conuerſus dicebat, pſal. 41. num. 10. *Apud me oratio Deo D vitæ meæ*. In quem locum Hugo cap. 51. ſic habet: *Deo vitæ meæ; quia dum me foris flagellando mortificat, intus viuificando aſpirat*. Quàm verè pietatis paternæ verbera dixit Paulinus! Quàm accommodatè flagella purgationis Gregorius nuncupauit! Mox laudati ſententiam Gregorij videtur proſequi copioſiùs Beatus Laurentius Iuſtinianus; dignus propterea, qui attentè excipiatur, & ſeriò conſideretur. Sic autem leges cap. 2. de interiori conflictu: *Semper bonorum conuerſatio malorum perſecutiones pertulit. Trituratur terra, & vomere ſcinditur, vt germinet: vniuerſa putantur arbores, vt fœcunditate ſua alimoniam hominibus*

Aduerſa, verbera pietatis.

Deus Patris partes agit, verberãdo.

Vtiles aduerſitates.

Deus flagellando viuificat.

E ſubmi-

ſubminiſtrent; in vite inutiles purgantur racemi, vt vberiorem fructum exhibeant. Sic & ab aduerſarijs veritatis Iuſti opprimuntur, & tacent: temporalium damna patiuntur, & diligunt: calumniantur, & obſequia impendunt: benefaciunt odientibus, pro perſecutoribus orant: ſe corporis Chriſti membra eſſe fatentur, conſorteſque Sanctorum; qui mala perferendo coronam gloriæ perceperunt. Ecce quale damni, vel incommodi genus Iuſti patiantur ab impetu irrumpentium calamitatum: quale ſcilicet à vomere terra, à putante ferro arbores, à reſecante manu vitis referre conſueuerunt.

Qualia conſerant commoda aduerſitates.

Quo loco ea fortaſſe lectoris mentem cogitatio, aut potiùs dubitatio ſubit; qua B ratione contingat, vt calamitates, quibus nihil poteſt accidere iniucundius, vel moleſtius, non modò non deprimant, ac perdant, ſed tueantur, ac ſeruent. Non nouũ, & inauditum, ſed facile id videtur, & obuium Oleaſtro conſideranti, quod Moyſes ſcribit de vniuerſali illa mundi naufragantis inundatione Gen. 7. nu. 17 *Multiplicatæ ſunt aquæ; & eleuauerunt arcam in ſublime à terra.* Prærupti montes vndarum conglomeratarum & ſimul terram obruunt, & viuentes ſuffocant, & celſiora demergunt cacumina, vno verbo, inſepulta omnia ferali aquarum tumulo obruuntur, C & abſorbentur: ſola arca erigitur, ſola ſuſtollitur, ſola ab ima corruptæ terræ fœditate euecta fit proxima cælo, illata ſideribus fluctibus ijsdem, quibus quanta quanta eſt rerum vniuerſitas perditur obuoluta. Verba Oleaſtri in hunc locum ſunt: *Eiſdem aquis impij ſuffocantur, ac demerguntur, quibus piorum nauis eleuatur; vt quod impijs eſt in ruinam, bonis fit in ſubleuationem.* Ergo eo modo, quo naui ſeruiunt, & arcam ſubleuant irrumpentes aquæ, proſunt iuſtis, non obſunt calamitates. felix ille, de quo dici poteſt illud Salomonis Prouerb. cap. 31. nu. 14. *Facta eſt quaſi nauis inſtitoris.* Pro cuius explora- D tione veritatis argumentum aliud ducamus ab igne, vt per ignem & aquam probata, certior habeatur. Ducemus autem ab ea olla Moab, de qua Dauid mentionem fecit pſal. 59. n. 10. *Moab olla ſpei meæ.* In hunc locũ appoſitè Hugo Charenſis ſcribit: *Hæc olla eſt accenſio, ſeu inflammatio ſpei meæ; quia, ſicut dicit Gregorius, tantò ſpes in Deo ſolidior ſurgit, quantò quis grauiora pro eo ſuſtinuit.* Ergo circumſtent difficultatum incendia, vrant calamitatum flammæ, incaleſcant infortuniorum ignes; vel certè aquis calamitatum inundantibus ſupponatur, adijciaturque æſtuans ignis, A vt vi caloris calefactæ aquæ ebulliant. Atque ea ratione, qua eleuatur, & ſe ipſa maior fit aqua, igne, hoc eſt, infenſiſſimo inimico vires exerente; ita planè extollitur, & melioris fit conditionis, qui circũſeptus aduerſitatibus circũcluditur, & coarctatur.

Aduerſitas impijs noxia, iuſtis vtilis.

Chryſoſtomus, & Nazianzenus, ſi à nobis audiantur attentè, quod in præſenti proſequor luce meridiana patebit clariùs. Expreſsè Chryſoſtomus epiſt. 6. ſcribit: *Quod aranea tela, & vmbra, & fumus eſt, & ſi quid his vilius fingi poteſt, hoc ſunt omnes tibi inflicta acerbitates.* Quàm turpe, & indecorum, quàm indignum virili animo trepidare, vbi nulla timoris eſt cauſa. Quem conterant, aut proſternant te- B nuiſſimæ telæ aranearum, quem deterreant inanes vmbræ, niſi puerilem animum, aut vecordem? Recole quid in ſententijs ſuis decreuerit S. Gregorius Nazianzenus, *vt foliorum* inquiens *ſtrepitu lepores* (ſubaudi, Venatores) *exterrent; ita rerum vmbræ timidos homines, atque ignauos.* Vt cum Chryſoſtomo conueniat, rerum vmbras appellat acerbitates mortalis vitæ, quas nemo refugit, niſi timidus, atque ignauus. Sume animos, ignauiam excute; deſidiam abijce: nihil tam durum contingere poterit, quod non emolleſcat; nihil tam aſperum, quod non deponat rigorem; nihil tam atrox, quod nõ miteſcat. Etenim C ſi motus, vt Ariſtoteles docet lib. 2. de Cælo tex. 42. aptus eſt ignire & ligna, & lapides, & ferrum, & ipſas etiam ſagittas adeò, vt plumbei mucrones colliqueſcãt. immo, ex Seneca lib. 2. natural. quæſt. circa finẽ, ſic liqueſcit excuſſa glans funda, vt attritu aeris, velut igne, diſtillet: quis dubitare meritò poterit, num cæleſtis commotione ſpiritus actus animus & ligneam, & lapideam, & plumbeam, immo & ferream acerbitatũ duritiem non minuere modò poſſit, ſed auferre penitus, & colliquare? Vſque adeò nulla acerbitas dura eſt, nulla aduerſitas contraria, nulla calamitas calamitoſa. Ne- D que verò effectus tam admirabilis aliunde nobis ſumenda eſt ratio, quam ex ipſa afflictionum natura, iuxta Chryſoſtomi mentẽ Epiſt. 5. in hæc verba ſcribentem ad rem noſtram: *Ea eſt afflictionis natura, vt eos, qui eam placidò, ac ſtrenuo animo ferunt, rebus acerbis ſuperiores, ac diaboli telis ſublimiores reddat, inſidiaſque aſpernari doceat. Siquidem & arbores, quæ in vmbris aluntur, maiorem mollitiem contrahunt, atque ad fructuum procreationem minus commodæ redduntur: quæ autem aeris inconſtantiam experiuntur, ac ventorum impetus, ardenteſque ſolis radios excipiunt, plus roboris hinc colligunt, & fo-*

Imbelles animæ franguntur aduerſitatibus.

Vis mira motus.

Aduerſitas Iuſtos erigit. peccatores deprimit.

lijs

lijs abundant, ac fructuum copia curuantur. Satis luculenter, ac dilucidè habes prodeſſe magis aduerſa cùm vehementiùs nituntur obeſſe. Subſcribit iterum Chryſoſtomo Nazianzenus, orat. in maximum, ſic inquiens: *Eſt quadam in fabulis planta, quæ exciſa floret, & aduerſus ferrum certat; &, ſi de re noua fidemque*

Arbor morte viuit.

excedente nouo more loquendum eſt, morte viuit, & ſectione pullulat, & cùm abſumitur creſcit. Habetis fabulam iure ſuo quiduis liberè confingentem: mihi verò huiuſmodi quiddam videtur eſſe vir philoſophica mente præditus; afflictionibus enim inclareſcit, ac vitæ moleſtias virtutis ſegetem exiſtimat, contrarijſque rebus ornatur.

Detur, obſecro, L. Annæo Senecæ facultas ſuam in hac re ferendi ſententiam; futurum eſt enim, vt magna cum laude geſtum faciat in conſeſſu Sapientium. Sic autem epiſt. 13. ſcribens decernit. *Sic verus ille animus, & in alienum non venturus arbitrium probatur. Hæc eius obruſſa*

Athletam facit pugna.

eſt. Non poteſt athleta magnos ſpiritus ad certamen afferre, qui nunquam ſuggillatus eſt. Ille qui fudit ſanguinem ſuum, cuius dentes crepuerunt ſub pugno, ille qui ſupplantatus aduerſarium toto tulit corpore, nec proiecit animum proiectus, qui quoties cecidit contumacior reſurrexit, cum magna ſpe deſcendit ad pugnam. Placet athletæ comparatio; nam non ſolùm ab Auguſtino in pſal. 30. Dauid nuncupatur

Dei ſeruus, athleta.

hoc nomine, *Non audis athletam Domini ab agonotheta petentem adiutorium pugnæ ſuæ?* verùm etiam ab Ambroſio lib. de Elia, & ieiunio cap. 21. dicitur, *Athleta ſumus, legitimè certandum eſt*. Dic, obſecro, hominem nullo vnquam pugno contuſum, ſemper ab arena recedentem refugientemque certamen, ſtrenuum putabis athletam? Ego ſanè frequenti cum aduerſario congreſſu, experimento virium, contuſione dentium, profligati conſternatione corporis crediderim robur athleticum probari, immo fieri. *Athleta ſumus*. Ergo cùm proijcimur, dùm conſternimur, erudimur ad pugnam. impacti pugni, illatę violentiæ, contuſi dentes infortunia ſunt, quę, licet imperitis videantur profligare, re vera tamen contumaciores reddunt, promptioreſque ad certamen. Sed quis accommodatiùs ſententiam Senecæ Seneca ipſo confirmare queat? leges in conſolatione ad Heluiam cap. 13. verba ſequentia: *Humilis, & proiectus animus fit contumeliæ opportunus: qui verò aduerſus ſæuiſſimos caſus ſe extollit, & ea mala, quibus alij opprimuntur, euertit, ip-*

A *ſas miſerias inſularum loco habet: quandò ita affecti ſumus, vt nihil æquè magnam apud nos admirationem occupet, quàm homo fortiter miſer*. Ergo parum eſt hominem contrarijs aduerſiſque inſtrui ad certamen. Dicantur inſuper miſeriæ, inſularum inſtar, caput ornare calamitoſi, ac coronare.

Homo fortiter miſer mirandus.

Sed pudet me commendationis tàm eximiæ autorem habere gentilem philoſophum: ſanctiores, & fide digniores proferendi ſunt teſtes. Inſtar omnium reor futurum S. Paulum 2. ad Cor. cap. 2. nu. 14. ſcribentem: *Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Christo Ieſu*. Deſcripſe-

B rat eo capite Apoſtolus triſtitias, cruciatus, labores, anguſtias, quibus preſſi gemebant fideles Chriſti; adeòque meritò inueſtigat Chryſoſtomus cur concludat verbo triumphandi. Sic autem loquitur hom. 5. in epiſt. 2. ad Corinth. *Non dixit, qui nos conſpicuos reddit; ſed triumphat: qua voce hoc indicat, huiuſmodi perſecutiones vbique terrarum perpetua aduerſus diabolum trophæa erigere*. O illuſtres calamitatum infulas, ò præclara, atque heroica trophæa infortuniorum. Placet vti allato à S. Amedeo exemplo, cum nullum reperiri, aut excogitari poſſit dignius, vel nobilius; petitur enim à virginum maxima,

Triumphat qui pro Chriſto tolerat.

C & Dei Matre, atque parente eadem celſitudinum omnium, ac dignitatum Maria. Do verba S. Amedei, hom. 5. de laudibus Virginis: *Currit poſt Ieſum, non tantùm odore vnguentorum, ſed in multitudine dolorum; non ſolùm in gaudio conſolationum, verùm & in abundantia paſſionum. Cernebat verum Salomonem mater eius in diademate, quo coronauit eum nouerca Synagoga; & ipſa coronata corona tribulationis poſt eum incedebat. Stabat autem iuxta crucem*. Quàm religiosè, quàm ingeniosè dicitur; *coronata corona tribulationis*! Diſce quale decus, atque ornamentum perpeſſarum tribulationū afferat per-

Tribulatio corona Virginis.

D tinacia; ſi poteſt frontem ipſam Genitricis maximæ coronare. Legi quod ſcribit Plinius de origine aureæ coronæ lib. 33. cap. 1. in hęc verba: *Cum corona ex auro Hetruſca ſuſtineretur à tergo, anulus tamen in digito ferreus erat*. Duo hoc loco noto; videlicet coronam à tergo ſuſtineri ex auro, & ſimul anulum eſſe ferreum. Quæ tergo ſuſtinentur, premunt pondere ſuo. Vt hinc etiam pateat coronam ex auro, hoc eſt, omnium nobiliſſimam, non modò plenam laboribus, ſed quæ ipſis prementibus aduerſis conficiatur. Coronata corona tribulationum, non ſecus ac Dei mater, ſpectabilis eſt ea

anima, quæ crucis Chriſti ſit particeps. Adde ex Plinio non modò ſuſtineri à tergo coronam, hoc eſt, præcipuum, & maximum ornamentum; ſed etiam, dum hæc micanti fulget metallo, anulus in manibus ferreus eſſe debet. Tractet ferrum, hoc eſt, dura & aſpera præ manibus habeat, qui auro deſiderat coronari. Quod ferrum credis, euadet aurum; & quod onerare videtur manus laſſas, ornat nobile caput. Vſque adeo quę ab imperitis, tanquam aduerſantes calamitates, oppugnare creduntur, mirum in modum propugnant, & cohoneſtant. Sic de te dicentur verba illa memoranda Iſaiæ cap. 22. num. 18. *Coronans coronabit te tribulatione*. Huc reuoco Auguſtinum in pſalm. 64. monentem: *Coronam vbi audis, corona victoria ſignificatur*. Ergo ſi tolerando aduerſa coronamur, & corona victoriam ſignificat; quoties calamitatibus premimur, toties victoriam reportamus. *Coronata corona tribulationis*.

Tribulatio aurea corona.

Quod ſi quis fortè horret adhuc tribulationis aduerſitatiſque nomen, audiat is Idiotam ſapientiſſimè, religioſiſſimèque bona, quæ ab ea promanant, enumerantem lib. 2. de patientia cap. 12. in hunc modum: *Tribulatio cordis eſt ſanitas, & via recta ad vitam, quæ ita magnum quoddam bonum, & datum optimum, quia elationem deprimit, laſciuiam refrænat, intemperantiam edomat, & denique omnes illicitos motus mentis, & cor-* A *poris ſuffocat, & elidit, ceruicem ſubmittit, deponit ſupercilia, componit vultum, ligat oculos, linguam frænat, iram ſedat, inceſſum format, & dirigit in viam pacis, erudit ad ſcientiam, exercet ad timorem, vt coronet ad gloriam. Tribulatio nanque contra carnis concupiſcentiam dat continentiam, contra oculorum concupiſcentiam conſtantiam, & contra ambitionem ſeculi humilitatem. O benigniſſime Domine Deus meus, quanta mentis cæcitate fui percuſſus, qui tribulationes mihi vtiles eſſe non cognoui! Quia mole huius mortalis corporis aggrauatus eram, terrenis intricatus* B *curis, carnalium voluptatum fæce infectus.* Hęc Idiota in Chriſti ſchola doctiſſimus Magiſter. Quę ſuperſunt illuſtranda ex allata initio poſitione, reijcio in proximè conſequens Paradoxum.

Tribulatio vitiorum inimica, patrona virtutum.

Videri poſſunt quę dixi primo tom. in cap. primo Parad. C 10. Iuſtis aduerſitates minime aduerſę pag. 50.

IN CA-

IN CAPVT SEPTIMVM

A Num. XXIII. ad vltimum.

Et tunc confitebor illis: Quia nunquam noui vos: diſcedite à me, qui operamini iniquitatem. Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſsimilabitur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram, & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſuper petram. Et omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam: & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna. Et factum eſt: cum conſummaſset Ieſus verba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrina eius. Erat enim docens eos ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum, & Phariſæi.

PARADOXVM IX.

Diabolus ſuis tentationibus, dùm expugnare, & nocere conatur, propugnat, & iuuat.

QVONIAM vt frequenter, ita grauiter multi de tentationibus, quaſi de maximo incõmodo, conqueruntur; ſatius erit, ad abolendum penitùs à mẽtibus hominum errorem huiuſmodi, ex profeſſo demonſtrare diabolum machinationibus ſuis, non modò viro iuſto detrimenti nihil afferre, ſed conferre potiùs plurimum emolumenti.

Fuit id perſpectum Zachariæ Epiſcopo Chryſopolitano, cuius opera habes tom. 12. Bibliot. P.P prima parte, in vnum ex quatuor lib. 3. cap. 156. *Eſt Sanctis vtile tentationibus examinari: vt vel tentati quàm fortes fuerint appareant, vel cognita per tentationem ſua infirmitate, fortiores fieri diſcant.* Vſque adeò prodeſt tentatio, vt, etiam cùm nocet, plurimum conferat vtilitatis; facit quippe detecta infirmitate fortiores. Inter naturæ miracula ſemper cenſui reponendam aquam Phenei. Is Arcadiæ lacus eſt celeberrimus, cuius aqua nocturno tempore pernicioſa eſt & noxia, interdiu verò iucunda & ſalutaris. Credidi vſque adhuc huiuſmodi aquę comparari poſſe tentationes, quę, ſi hauriantur nocturnas inter mentis tenebras, delapſo per peccatum in occaſum iuſtitię Sole, pernicioſę ſunt & lethales; è contrario ſi dic affulgente, hoc eſt veri

Tentatio vtilis eſt Sanctis.

A Solis illuceſcentibus animo radijs circumfluant, recurrentium inſtar aquarum, nil nocent, imò iuuant plurimùm circumſtantes, ingruenteſque tentationes, non ſecus, ac Phenei fons. At hoc parum eſt. Tentationes, etiam cum vicerint, proſunt. *Cognita per tentationem ſua infirmitate, fortiores fieri diſcant.* Audis? fortitudinem docent. Papæ, quale commodum hoc eſt, quantum bonum! Scio cecinisse Ouidium Metamor. lib. 15.

Tentatio ſimilis eſt aquæ Phenei.

Eſt lacus Arcadiæ, Pheneum dixere priores,
Ambiguis ſuſpectus aquis; quas nocte timeto:
B *Nocte nocent potæ: ſine noxa luce bibuntur.*

Quantò illuſtrius prodigium eſt, vt noceant quidem, fugato Solis æterni lumine, tentationes; ita tamen noceant, vt ipſum detrimentum non parum afferat emolumenti. *Cognita per tentationem ſua infirmitate, fortiores fieri diſcant.*

Tentatio fortiores facit.

Exemplo ab Auguſtino allato, & eiuſdem Auguſtini auctoritate fiet clarior vis propoſitę veritatis. Adducit Auguſtinus eam ſententiam Chriſti Domini pronunciantis expeti à Satana, vt cribret, electos, ſicut triticum. Quod in rem meam C exponit his verbis in pſal. 10. *Quid eſt autem vexare ſicut triticum?* Facta propoſitione; vt ipſemet S. Doctor ſibi reſpondeat, nos admonet in hunc modum: *Tu quando tribularis, ſi maneas granum, non conturberis: nihil tibi contigit. Sed nunquid timendum eſt tritico? abſit. Non conciditur niſi palea à tritico.* Non potuit, neque opportuniùs dici, neque ingenioſiùs. Cùm diabolus ſuas exerit vires, & omnem adhibet conatum, vt vexet, ac torqueat; nil aliud facit, quàm quod coloni ſolent, cùm triticum ſecernunt à paleis. Si fortè vides tritici manipulos aceruatim proiectos vel contundi fuſtibus, vel conteri pe- D dibus, vel ſuſque deque cribro agitari; falleris ſi fortè arbitraris peſſundari triticum, aut perdi. *Nunquid timendum eſt tritico? abſit. Non conciditur niſi palea à tritico.* Alia vtitur ſimilitudine Syneſius, quam afferre non piget, quandò præſenti inſtituto non parum accommodata videtur. Scribit autem epiſt. 44. *Dæmones quidem expiandis ſceleribus præſunt, eandem in animis hominum artem exercentes, quam in ſordidis veſtibus fullones habent. Quòd ſi quis veſtibus ſenſus ineſſet, quid eas demum facturas arbitraris, cùm & calcibus ſubiguntur, & nitro perfricantur, & omni ratione depectuntur?* Toto profe-

Tẽtatio iuſtos ſecernit, vt triticum à paleis.

profectò, vt aiunt, cælo aberrant, qui de tentationibus, tanquam de præcipuo grauiſſimoque humanæ vitæ incommodo conqueruntur. Audiant Idintam de vera patientia lib. 2. cap. 19. *Aurum probat fornax, & viros iuſtos tentatio.*

Accidit nobis, quod euangelico Centurioni accepimus contigiſſe ab Euangeliſta Matthæo cap. 8. num. 7. quod ab Abbate Chæremone collat. 13. de protectione Dei, cap. 14. exponitur in hunc modum: *Quòd ſoleat interdum tentare Dominus fidem noſtram, vt fortior, vel glorioſior fiat, euangelici illius Centurionis edocemur exemplo, cuius puerum cum ſciret vtique poteſtate ſermonis ſui ſe Dominus curaturum, offerre maluit præſentiam corporalem dicens: ego veniam, & curabo eum. Sed ille hanc eius oblationem feruentioris fidei flagrantia ſupergrediente, atque dicente: Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus; miratur eum Dominus, atque collaudat, cunctiſque, qui ex Iſraelis populo crediderant, præfert.* O fructus eximios tentationum! Diſce non fortiorem modò, vt dicebat Zacharias, virtutem fieri tentationibus, ſed fieri etiam glorioſiorem. Vnde meritò monebat S. Dorotheus de inſtit. fraterna, Doctrina 19. *Neceſſariò bonum omne præcedit, aut ſequitur tentatio, neque bonum dici poteſt, aut ſecundum Deum, niſi approbetur tentatione.* Ferreus ergo ſui ipſius hoſtis eſt, qui tentationem reſpuit; matrem videlicet bonorum omnium, procreatricemque felicitatum.

Tentatione fides noſtra fit fortior, & glorioſior.

Gratulor mihi adeſſe S. Gregorium Nyſſenum, qui euidentiùs demonſtrabit non modò nihil noſtro damno perfici ijs, quas malus dæmon in nos molitur, ac mouet, tentationibus; verum etiam ſua euincet auctoritate, cùm inſurgit nocentior humani generis hoſtis inſidioſus, beneficijs nos augere cumulatioribus. Reuocanda nobis in mentem eſt ex euangelica hiſtoria vox, qua legio dæmonum in Chriſtum Dominum exclamauit Matth. 8. num. 29. *Quid nobis, & tibi Ieſu fili Dei? veniſti huc ante tempus torquere nos.* Hunc textum præmanibus habens citatus Gregorius in enarratione vitæ Moſis, non multò ante finem ait: *Clamat inuita veritatem. Ita nullam poteſt iniquitas edere vocem in virtuoſos: ſed maledicere ſtudens, benedicit.* Pende vltima verba. non modò nil mali inferunt maledicta, ſed cumulant vociferationes inſanæ benedictionibus. Vides tenebrarum principem non vno, aut altero accito dæmone conari, vt noceat;

Dæmon, cum nos tẽtat, beneficijs cumulat.

A ſed innumera legionis numeroſiſſimę multitudine vim facere, atque irrumpere. Sed quid tùm? ne vocem quidem emittere poteſt, quæ noceat: quantò minùs lacerare, proſternere, aut conculcare poterit? Ne multis. *Clamat inuita veritatem. Ita nullam poteſt iniquitas edere vocem in virtuoſos.* Hoc parum eſt, illud maximè notari debet: *maledicere ſtudens benedicit.*

Portento ſimile eſt, quod ſcribit Vitruuius lib. 8. capit. 3. de aqua calida poſt annum lapideſcente. Sic ſe res habet. Hierapoli Phrygiæ efferuet magna aquæ calidæ vis, qua, ductis foſſis, horti vineæque irrigantur; ea autem poſt annum du-

Aqua poſt annum lapideſcens.

B ratur in lapidem. Natura planè ſtupenda aquæ tàm prodigioſæ incolis nouum aliquid in ſuam vtilitatem excogitandi præbuit occaſionem. Cum etenim lapideis cruſtis hortos, vel agros ſepire volunt, eductis vndequaque è terra marginibus illuc aquam deriuant, quę poſt annum lapideſcens, extructo abſque cęmentariorum labore muro, tuetur ac munit. Quis crederet aqua circumlabente, qua corrodi ſolet terra, & labefactari, munimentum firmum adeò, ac ſtabile conſtrui poſſe, atque excitari? Mirum id quidem; ſed quod aliud adumbret mirabilius, quod proſequi-

C mur. Quandoquidem labentium aquarum inſtar, circumquaque feruntur caducarum rerum obiecta à malo dęmone ſimulacra, quibus diruere, & demergere, & ſuo calore vrere, atque exiccare conatur cordis noſtri ſolum, quod euangelica cultura ſubactum, Deo domino ſuo debet, multiplicato fœnore, fruges reddere: credite dureſcunt poſt annum; & quę labuntur, vt noceant, aquę, concreſcentes in ſaxeam duritiem, non multò poſt pro munimento ſunt. Aquis ſanè tentationes comparabat, qui dicebat pſal. 68. *Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam.* Hiſce porrò muniri, non dirui animam iuſti didici ex

D Magno Gregorio interpretante, quod de populo Dei ſcribitur Num. cap. 33. nu. 21. *De Lebna caſtrametati ſunt in Reſſa. Poſt hæc* (verba ſunt Gregorij) *manſio fit in Reſſa, quod apud nos dici poteſt viſibilis, ſeu laudabilis tentatio. Quid eſt hoc? quod quamuis grandes habeat anima profectus, tamen tentationes ab ea non auferuntur, vt appareat, quòd veluti cuſtodia quædam, & munimenta ei tentationes adhibentur.* Nota illa verba: *cuſtodia, & munimenta*; quibus manu ducor ad comparandas tentationum aquas cum Hierapolis fonte, cuius vnda lapideſcens vndique circumducto muro munimentum firmiſſimum excitabat. Muniunt nos tentationes, quia faciunt

Tẽtationes inſtar muri nos muniũt.

ciunt cautiores, & paratiores ad hoſtem refellendum, eo modo, quo arces inimicis expoſitę inſultibus, maiori vigilantia cuſtodiuntur. Non diſſentit Clemens Alexandrinus lib. 7. ſtromat. poſt med. ſcribens: *Sæpe tentationes præbentur ad admonitionem, & correctionem præteritorum, & ad curam futurorum.*

Tentatio iuſtos conſeruat immunes.

Nec me pœnitet comparauiſſe tentationes inſultibus hoſtium impugnantium, quibus ita excitamur ad arma tractanda, vt tandiu conſeruemur, quandiu inimicorum viget vis. Sic Romana Reſpublica tandiu orbis terrarum imperio glorioſa fuit quandiu Carthago ſtetit. Pro qua re è ſacris petitum literis proponit exemplum B. Laurentius Iuſtinianus de caſto connubio verbi & animę cap 6. non longè ab initio, his verbis: *Cum ad capiendum Eliſeum multa armatorum manus à Samariæ Rege mitteretur, domumque valaſſet: ab Giezi clamatum eſt, inſidia, inſidia, 2. Paral. 23. Quod cum propheta audiſſet, puerum ne paueret hortatus eſt, orauitque, vt ipſius aperirentur oculi: qui mox vidit omnē montis ſuperficiem, domumque armatis vallatam militibus: & ait: Plures pro nobis ſunt, quàm contra nos. Huius exemplo non formidoloſè, ſed confidenter tentationum bella aggredi debemus cæleſtium militum munitis legionibus.* Hæc ibi B. Laur. Iuſtin. (vbi tamen amanuenſium errore, vt credo, quædam è ſacra hiſtoria lib. 4. Reg. cap. 6. à num 8. ad 22. perperam referuntur.) Vtinam diſcuſſis ignorantiæ tenebris aperiantur oculi noſtri, & perſpiciamus vocari nos ad triumphum potiùs, quàm ad prælium, cùm, hoſtibus turmatim confluentibus, excitamur ad pugnam. Vndique conſtructæ acies militiæ cæleſtis ſtant pro nobis, accito ab armamentario cæleſti omni armorum genere: eductæ ſupernarum poteſtatum copiæ nobis militant, & ouantes Angelorum cohortes vnà nobiſcum conſeratæ claſſicum canunt. Nihil ergo timendum; adeòque metu abiecto erigamur, dicamuſque: *Plures pro nobis ſunt, quàm contra nos.* Armant itaque ad noſtram tutelam cælum inexpugnabile, dum nos aggredi audent Principes tenebrarum; vt propterea iuuare potiùs, quàm nocere, mea quidem ſententia, videantur.

Vos ego virtutis amicos, Deoque caros hoc loco compello. Alacriori animo, atque hilariori eſſe debemus, cùm acriùs inimici Dæmonis vel inſolentia, vel aſtu agitamur, aut contorquemur; tunc enim præclarè nobiſcum agitur, cùm contra nos inſiſtit diabolus pertinaciùs. Id equidem tàm diſertè proferre non auderem,

A nisi autorem ſequerer autorem ipſum veritatis euangelicæ Deum. Qui tamen, vt tàm ſublimis ſapientiæ arcanum communicaret hominibus, obuia vti voluit ſimilitudine; vt faciliùs à rudi noſtræ mortalitatis ingenio perciperetur. Sumpſit autem ſimilitudinem ab equo, qui ſolus inter animalia reliqua præſentibus periculis non modo non deterretur, ſed excitatur; nec animo concidit, ſed acriori inſurgit ferocia ſeipſo animoſior, & ad repugnantia paratior. Tales vult Deus eſſe, qui chriſtianæ virtuti dant operam. Hinc percipies quò euadant laudes illę in commendationem equi, Deo ipſo oratore, congeſtæ, cum amicum ſuum Iob alloqueretur his

B verbis. cap. 39. num. 25. *Vbi audierit buccinam dicit, Vah: procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus.* Diuini oraculi interpretem habeo Magnum Gregorium, hanc exornationem ad eruditionem probi viri ita deriuantem, vt docere velit par eſſe, vt ſanctioris vitæ profeſſores, pulſati infeſtantis inimici aggreſſionibus, non modò non diſſoluantur metu, aut animum deſpondeant, verùm etiam in ſpem erecti victoriæ glorioſæ, ad præclara euocentur, & ipſis aduerſantibus tentationum machinis ferantur ad præcellentiora: eo planè modo, quo ex hac parte illuſtris eſt equi generoſitas inter cætera

In tētationibus equi generoſi imitandi.

C animalia, quę licet natura ſua audacia ſint, & ferocia, obiecto tamen periculo hærent, & concidunt. Gregorium audiendum profero lib. 31. Moral. cap. 17. poſt medium. *Vbi audierit buccinam dicit Vah: Multos enim prius ſua felicitas ſtrauit, multos diuturna pax inertes reddidit. Vnde ſancti viri exerceri ſe tētationibus exultant: quia tantò robuſtiùs acceptam virtutum gloriam cuſtodiunt, quantò tentationis impulſu concuſſi infirmitatem ſuam humiliùs cognoſcunt. Equus ergo audita buccina vah dicit: quia videlicet præliator Dei cum vim tentationis incumbere conſpi-*

D *cit, vtilitatem ſupernæ diſpenſationis conſiderans, ex ipſa validiùs aduerſitate confidit.* Concidit eneruata ſine excitante tentatione virtus; immo ſine aduerſario languens marceſcit vis omnis ſua conſumpta tabe. Tentatio robur alit, animos ſubminiſtrat, vires tribuit, auget magnanimitatem. Virtutum vtique ac generoſitatis mater tentatio, eademque nouerca vitiorum; vt propterea tanti ab æquis rerum æſtimatoribus tentatio ſit facienda, quanti apud cordatos, pioſque honeſta laus, & commendatio virtutis habenda in pretio eſt. Vitium nutrit, qui refugit diaboli inſultantis aggreſſiones; & malorum omnium

Tētatio mater virtutū nouerca vitiorum.

origi-

originem à noſtris mentibus extirpat radicitus, qui nos pulſat ariete tentationum. Vt mentem Gregorij aſſequamur, pendenda eſt illa contrapoſitio: *Multos ſua felicitas ſtrauit*: ex alia parte: *Sancti viri exerceri ſe tentationibus exultant*. Quo loco occurrit mihi initum à Romanis cõſilium ea de controuerſia grauiſſimum, expediret ne Carthaginem delere funditùs, an eandem conſeruare. Patrum ſtudia in diuerſa ferebantur, vt ſcribit Florus lib. 2. cap. 15. *Dum ancipiti cogitatione hærerent incerti, Scipio Naſica pronunciauit ſeruandam; ne metu ablato æmulæ vrbis luxuriari felicitas Vrbis inciperet*. Id nobis accidit

Tentatio æmula virtutis.

B cum inimicis animæ noſtræ: quandiu armati contra nos pugnant, tandiù floret virtus: pugnare ſi deſtiterint, metu ablato æmularum virium, actum eſt de nobis luxuriãte felicitate. Sed quorſum prophana commemoro, cum ſacra in prompto habeamus? Non à Romanis, ſed à populo Dei petendum exemplum eſt. Lege cap. 1. 2. & 3. lib. Iudicum, & intelliges quo pacto noluerit Deus delere gentes Iſraelitis inimicas. Quorſum, obſecro? Audi ex Gregorio lib. 3. dial. cap. 14. ſic ſcribente: *Philiſthæos, atque Chananæos Dominus diutius reſeruauit, vt ſemper habeant contra quos bellum gerant*. Immo expreſſè ex ipſo

C ſacro textu Iudic. 3. num. 2. *Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraelem, & omnes qui non nouerant bella Chananæorum; vt poſtea diſcerent filij eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi*. Quandò autem ad nos excitandos equi generoſitatem protulit in medium ſapientiſſimus rerum Dominus, prætermittere non debeo ipſiſſima verba quæ loco citato ſic habet à nu. 19. ad 22. *Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum? gloria narium eius terror. Terram vngula fodit, exultat audacter: in occurſum pergit armatis. Contemnit pauorem,*

Equi generoſitas à Deo deſcripta.

D *nec cedit gladio. Super ipſum ſonabit pharetra, vibrabit haſta, & clypeus. Feruens, & fremens ſorbet terram*. Sic Deus ipſe equi generoſitatem adamuſſim expreſſam proponit contemplandam, vt exemplari tàm accommodato propoſito nobis, aſſueſcamus fortis in morem equi, conari adeò, vt hoſtibus circumſtrepentibus, non modò non deſpondeamus animum, ſed inſurgamus alacriores. Vibrata tentationum haſta, reſonans ſuggeſtionum clangor, armati mali dæmonis terrores, intentatæ furiarum minæ iuſtos accendunt ad prælium, ſicuti inter omnia animantia ſoli equi non profligantur, ſed accenduntur

Equi inſtar iuſtus fit generoſior conatibus inimicorum.

A ad pugnam. Do B. Laurentium Iuſtinianum in ligno vitæ de patientia, cap. 4. in fine: *Profectus noſter per tentationem noſtram fit. Non enim poteſt abſque tentatione homo ad perfectionem venire; nec ſibi innoteſcit, niſi tentatus; nec poteſt coronari, niſi vicerit; nec poteſt vincere, niſi certauerit: non poteſt certare, niſi inimicum, & tentationẽ habuerit*. Et poſt pauca, manantia à tentatione commoda ſic enumerat: *Hæc virtutem hominis notam fecit; de quo dicitur Deuteron. 14. Tentat vos Deus, vt palàm fiat vtrum diligatis eum, an non. Proximum ædificat; Vnde Tobiæ 11. Hanc tentationem ideo permiſit illi venire*

Tentatio quàm vtilis.

B *Deus, vt poſteris daretur exemplum patientiæ eius. Poſtremo in futuro coronat. Hoc habeat pro certo, Domine, omnis, qui colit te: quia ſi vita eius in tentatione fuerit, coronabitur*. Hæc B. Laurentius.

Hinc diuini ænigmatis ſententia percipi facilè poterit, illo abſcondita potiùs, quàm propoſita oraculo Iob cap. 39. num. 12. *Nunquid volet Rhinoceros ſeruire tibi? Rhinoceros* (monet Plinius lib. 8. cap. 20.) *genitus hoſtis elephanti, cornu ad ſaxa limato, præparat ſe pugnæ*. Agnoſco, nemine vt arbitror contradicente, in Rhinocerote diabolum infenſiſſimas gerentem cum homine ſimultates, qui tentationum

Vt Rhinoceros elephantem, ſic diabolus oppugnat hominem.

C cornu ad obſtinationis ſuæ ſaxa limato ferit, vt perimat. Quæro iam, Dei vſurpans verba: *Nunquid volet Rhinoceros ſeruire tibi*. Attende verbum. *Volet*: quaſi dicat, ſeruiet ille quidem; ſed nunquid volet? Nequaquam volet; ſed dum maximè nollet, tunc velle cogetur. Tentat ille nequã ſpiritus, vt perdat; ſed perficit virtutem: tentat vt proſternat; ſed extollit triumphis: tentat vt ſubijciat; ſed trophæa erigit, & coronas multiplicat. Ergo decorum cumulo, augmento gloriæ, palmarum, victoriarumque præclara acceſſione ſeruit ille quidem; ſed nunquid volens?

Diabolus nolẽs iuuat.

D nequaquam. Audi Ambroſium in pſal. 37. *Tentat vt aduerſarius; defendit vt ſeruus: ſcriptum eſt enim: Nunquid volet tibi vnicornius ſeruire? ſeruit enim, qui non ex voluntate ſua, quod optat, exequitur; ſed ex neceſſitate mandatis imperialibus inuitus obtemperat*. Summi Imperatoris decretum irreuocabile veneremur, pro certo habentes nihil cõtra nos diabolum machinationibus ſuis moliri poſſe, quod noceat, nulla nos vi oppugnare poſſe, quin propugnet; nullo nos artificio circumuenire, quin ingenti nos beneficiorum augeat cumulo, & gratiarum acceſſione perficiat.

Incredibile memoratu viſum eſt ſapientibus quod tamen hiſtorica fide tradunt

S. Au-

S. Auguſtinus lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 5. Iſidorus lib. 23. Origen. cap. 13. Solinus cap. 42. Polyhiſtoris de fonte apud Garamantas Libyæ populos, die tam frigido, vt non bibatur, nocte tam calido, vt tangi nequeat. Verba Solini loco citato: *Garamantum oppidum eſt Debris fonte miro, qui alternis vicibus die frigeat, nocte ferueat. Vnde non immeritò per gentes Debris inclyta eſt, cuius aqua ex cæleſti vertigine mutant qualitatem, quamuis controuerſa ſiderum diſciplina. Nam cùm mundum à calore veſper temperet, ab occaſu incipit ita incaleſcere, vt ni tactu abſtineas, noxium ſit contigiſſe. Rurſus cum ortus Solis incanduerit, & radys ferneſacta ſint omnia, ſic glaciales enomit ſcaturigines, vt hauriri etiam à ſitientibus nequeat. Quis ergo non ſtupeat fontem, qui friget calore, calet frigore?* Placuit hæc ex Solino referre, vt ex tam ſtupendo miraculo naturæ, ſuis nos prodigijs erudientis, certo certius ſtatuamus fontem hunc eorum ſymbolum eſſe, qui inter aduerſantis diaboli tenebras, per noctem adumbratas, deuotione feruent, & diuini calore ſpiritûs accenduntur; ſicuti è contrario meridiana ſine tentationum nube luce micante, languore algent, & glaciali rigeſcunt horrore. Iuuent ne, an noceant inimici tentantis vel ſubdolæ inſidiæ, vel aperta diſcrimina, ex te ipſo aſſequi facilè iam poteris, atque decernere. Subijcio interea quod Rupertus Abbas in hanc ſententiam animaduertit lib. 9. de diuinis officijs cap. 6. paulò ante finem, his verbis: *Omnes ergo gentes, ſicut in introitu cantamus, plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis, plorante, & mœrore ſe ipſam conſumente diaboli inuidia, quia fruſtrata eſt, immo quia profuit, dum nocere cupit: quia priuſquam caderet homo; tamen erat homo: nunc autem dum caſum corrigit, dum aſcendit, Deus & homo. Nunc eſt dominus, nunc eſt excelſus, terribilis, rex magnus.* Familiare eſt dæmoni prodeſſe, dum nocere cupit. Salutare eſt homini propugnari à tentante dæmone, dum hic nititur expugnare,

Fons Debris die frigens, nocte feruens.

Fons apud Garamãtas, ſymbolum eſt feruoris in tentatione.

Verùm ſatius erit attentas præbere aures ingenioſo Origeni in hunc modum dicenti pro argumento, quod præ manibus eſt: *Quis ſciret bonam eſſe lucem, niſi noctis tenebras ſentiremus? Quis dulcedinem naſceret mellis, niſi guſtum amaritudinis accepiſſet? ipſum denique diabolum, & obluctationes aduerſum nos contrarias poteſtates ſi auferas, virtutes animi ſine obluctante non poterunt eniteſcere*. Ita Origines hom. 9. in Num. paulo poſt init.

Bona oppoſitis contrarijs fiũt manifeſtiora.

Videri poteſt P. Io. de Pinna tomo 3. in Eccleſiaſticum Echolog. 664. & ſeq. 665. vbi plura, & optima pro hoc argumento.

EVAN-

EVANGELIVM
Secundum Matthæum.

CAPVT OCTAVVM.

1 CVM autem deſcendiſset de
monte, ſequutæ ſunt eum tur-
2 bæ multæ: & ecce leproſus ve-
niens, adorabat eum, dicens:
Domine, ſi vis, potes me mũ-
3 dare. Et extendens Ieſus ma-
num, tetigit eum, dicens: Volo. Mundare. Et
4 confeſtim mundata eſt lepra eius. Et ait illi Ie-
ſus: Vide, nemini dixeris: ſed vade, oſtende te
ſacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moy-
5 ſes, in teſtimonium illis. Cum autem introiſſet
Capharnaum, acceſsit ad eum Centurio, ro-
6 gans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet
7 in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait
illi Ieſus: Ego veniam, & curabo eum. Et re-
8 ſpondens Centurio, ait: Domine, non ſum di-

gnus

gnus vt intres ſub tectum meum: ſed tantum
9 dic verbo, & ſanabitur puer meus. Nam & ego
homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habẽs ſub
me milites: & dico huic Vade, & vadit: & alii,
Veni, & venit: & ſeruo meo Fac hoc, & facit.
10 Audiens autem Ieſus miratus eſt, & ſequenti-
bus ſe dixit: Amen dico vobis, non inueni tan-
11 tam fidem in Iſrael. Dico autem vobis, quòd
multi ab Oriente, & Occidente venient, & re-
cumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in
12 regno cælorum: filii autem regni eiicientur in
tenebras exteriores: ibi erit fletus, & ſtridor den-
13 tium. Et dixit Ieſus Centurioni: Vade, & ſicut
credidiſti, fiat tibi. Et ſanatus eſt puer in illa ho-
14 ra. Et cum veniſset Ieſus in domum Petri, vidit
15 ſocrum eius iacentem, & febricitantem: & teti-
git manum eius, & dimiſit eam febris, & ſurre-
16 xit, & miniſtrabat eis. Veſpere autem facto,
obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & eii-
ciebat ſpiritus verbo: & omnes male habentes
17 curauit: vt adimpleretur quod dictum eſt per
Iſaiam prophetam, dicentem: Ipſe infirmitates
noſtras accepit: & ægrotationes noſtras porta-
18 uit. Videns autem Ieſus turbas multas circum
19 ſe, iuſsit ire trans fretum. Et accedens vnus ſcri-
ba, ait illi: Magiſter, ſequar te, quocunque
ieris.

20 ieris. Et dicit ei Ieſus: Vulpes foueas habent, &
volucres cæli nidos: filius autem hominis non
21 habet vbi caput reclinet. Alius autem de diſci-
pulis eius ait illi: Domine, permitte me primum
22 ire, & ſepelire patrem meum. Ieſus autem ait
illi: Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire
23 mortuos ſuos. Et aſcendente eo in nauiculam,
24 ſecuti ſunt eum diſcipuli eius: & ecce motus ma-
gnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operire-
25 tur fluctibus, ipſe vero dormiebat. Et acceſſe-
runt ad eum Diſcipuli eius, & ſuſcitauerũt eum,
26 dicentes: Domine, ſalua nos, perimus. Et dicit
eis Ieſus: Quid timidi eſtis, modicæ fidei? Tunc
ſurgens imperauit ventis, & mari, & facta eſt
27 tranquillitas magna. Porro homines mirati
ſunt, dicentes: Qualis eſt hic, quia venti, &
28 mare obediunt ei? Et cum veniſſet trans fretum
in regionem Geraſenorum, occurrerunt ei duo
habentes dæmonia, de monumentis exeuntes,
ſæui nimis, ita ut nemo poſſet tranſire per uiam
29 illam. Et ecce clamauerunt, dicentes: Quid
nobis, & tibi, Ieſu fili Dei? Veniſti huc ante
30 tempus torquere nos? Erat autem non longe
ab illis grex multorum porcorum paſcens.
31 Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si
eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.

32 Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in por-
cos, & ecce impetu abiit totus grex per præceps
33 in mare: & mortui ſunt in aquis. Paſtores au-
tem fugerunt: & venientes in ciuitatem, nun-
ciauerunt omnia, & de eis, qui dæmonia ha-
34 buerant. Et ecce tota ciuitas exiit obuiam Ie-
ſu: & viſo eo rogabant, vt tranſiret à finibus
eorum.

IN CAPVT OCTAVVM

A Num. I. ad V.

Cum autem deſcendiſset de monte, ſequutæ ſunt eum turbæ multæ: & ecce leproſus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare. Et extendens Ieſus manum, tetigit eum, dicens: Volo. Mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra eius. Et ait illi Ieſus: Vide, nemini dixeris: ſed vade, oſtende te ſacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis.

PARADOXVM I.

Deus erga homines beneficus, non tam nobis, quàm ſibi ipſi benefacere putat.

CVM Chriſtus Dominus de montis culmine, hoc eſt, de ſecretiore cōcionis Apoſtolicæ conclaui, D ad apertam deſcēdit camporum planitiē, vt frequentiore populi multitudine circumfuſa, miraculorum ſuorum teſtes haberet innumeros; cur obſecro mundato leproſo ſilentium imponit? *Nemini dixeris*. Immo verò tantum opus, tale munus, tam grande beneficium ſilentio premere piaculum eſſet. Ingratæ quippe mentis eſt beneficia tacere diuina, ex Philoſophi ſententia. Vnde & ſapientis, & regis digniſſima vox eſt illa Theodorici apud Caſſiodorum lib. 3. variar. ep.

Ingratus qui tacet beneficium.

11. *Optamus cunctum diem plenum beneficijs noſtris excurrere. Optamus vbique præſtita noſtra radiare; quia in auum viuit, quod munificentia principalis indulſerit.* C Par equidem eſt, vt dantis beneficentiæ Principis, grata adeò reſpondeat commemoratio accipientis, vt beneficentiæ ſplendor vbique radiare conſpiciatur: præſertim cum id nobis cum benefactore Deo nominatim faciendum eſſe, Dei ipſius erudiamur oraculo pſal. 49 num. 23. *Sacrificium laudis honorificabit me*. Quandò nempe pauperculus iſte Diuinæ Maieſtati hoſtiarum, & oblationum ſacrificia nequit offerre; ſaltem ſacrificium laudis non prætermittat, & ad grati ſignificationem animi vbique gentium, ac locorum tam prodigioſæ ſanctitatis autorem Deum eſſe profiteatur. Et tamen Chriſtus Dominus ipſam quoque tanti beneficij interdicit commemorationem. Num forte vt, iuxta Tertulliani monitū de reſurect. carn. cap. 7. humana mens eò plura ſe debere intelligat, quò liberaliùs à largitore Deo abſoluitur à debito? Verba Tertull. *vt hoc ſolum debeat ei, quòd ei debere deſierit: hoc magis vincta, quòd abſoluta*. An quia cùm munificentia amet abſcondi, ſecretiores ideò ſilentij latebras petit? *Perfecta autem* (ſcribebat Ambroſius lib primo offic. cap. 30.) *eſt liberalitas, vbi ſilentio quis tegit opus ſuum*. An denique vt ipſum beneficio Dei vinci, pro beneficio

Munificētia Principis virtus.

Sacrificium laudis Deus poſtulat.

Plura debet qui à debito abſoluitur.

Perfecta liberalitas quæ.

ficio ingenti ducamus, cum non poſſimus grates rependere tanto benefactori? Ex Seneca lib 3. benef. cap 29. ſcribente: *nunquam quis vincitur beneficio, cuius beneficium eſt ipſum, quo vincitur*. Verùm, ſi liceat proferre quod ſentio, agnoſco hoc loco ingenium magni Dei, qui erga homines adeò beneficus eſt, vt nobis beneficia conferendo, non tam nobis, quàm ſibi ipſi benefacere videatur. *Nemini dixeris*. Quaſi dicat: deſcendẽdo de monte praecelſo diuinitatis ad imam mortalitatis paludem, deſerendo imperium caeleſtium principum, vt miſerrimas hominũ aegritudines opportuno remedio ſubleuarem, non tam de hominibus, quàm de me ipſo arbitror bene mereri; & propterea ipſam quoque collati muneris reſpuo commemorationem. Hoc ſine dubio ad Dei munificentiam declarandam glorioſum, & ad incendendas amore Dei hominum mentes futurum eſt, ni fallor, accommodatum.

Mira Dei in homines beneficentia.

Parabola de amico panes largiente Lucæ 11. notiſſima illa quidem, ſed myſterio pleniſſima eſt. Verba Redemptoris cit. cap. à nu. 5. & deinceps ea ſunt: *quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes; quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum: at ille de intus reſpondeat, noli mihi moleſtus eſſe, quoniam iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili; non poſſum ſurgere, & dare tibi. Dico vobis: ſi non dabit illi ſurgens, quia amicus eius eſt, propter improbitatem eius ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios. Et ego dico vobis petite, & dabitur vobis*. Hic ego, vt verum fatear, hæreo admiratione perculſus. Non ne Dei in largiendo beneficentia in praeſentia declaratur? Non ne haec in eam dicuntur gratiam, vt homines magnificè ſentire diſcant de Domini munificentia? Cur ergo proponitur amicus tot obiectis difficultatibus, tot allatis excuſationibus, vſque ad nauſeam moroſus; immo, ſi fas eſt dicere, amico, enixè adeò poſtulanti tam inuiſus, tam aſper, tam intractabilis? *Noli mihi moleſtus eſſe, oſtium clauſum eſt, pueri mei mecum ſunt in cubili; non poſſum ſurgere, & dare tibi*. Quis credet hoc agendi modo beneficum ingenium, & quidem Deo dignum adumbrari? Etenim nil tam caro emitur pretio, quàm quod precibus emitur. Quid, ſi repulſae ſint ſuperandae? Quid ſi obſecrationes petitionibus ſint addendae? Moleſtum ſine dubio eſt ſuam aperire indigentiam; ſed ſuae turpitudinem

A indigentiae ſaepius recantare moleſtiſſimum. Ideò fortaſſe amicus hic euangelicus ad amicum acceſſiſſe dicitur *media nocte*. Pudebat quippe panem emendicare, & emendicatum iteratis querimonijs, veluti per vim, extorquere. Et tamen hinc diſcere debemus Dei noſtri beneficam largitatem. Videlicet Deus, annuens poſtulatis noſtris, eſt quaſi amicus ille, qui propter rogantis improbitatem media nocte conſurgit: Huiuſmodi homo panem donans petenti, & iſtius neceſſitati, & ſimul ſuæ conſulit quieti; adeò vt non tam huic, quàm ſibi ipſi prodeſſe velle videatur: amico largitur panem; ſibi conciliat ſomnum,
B atque à ianua domus ſuæ intempeſta nocte rumorem arcet. Dum ruborem ab amico indigente repellit, facit quidem ſatis pulſantis voto; ſed ſibi, ſuiſque quietam noctem, vniuerſæ familiæ amicum ſomnũ, domui ſuaue otium, dulcem denique donat domeſticis tranquillitatem. Quæ quidẽ non ex meâ, ſed D. Petri Chryſologi ſententia profero: ait enim ſer. 39. *Indicit in hac humanitate geminã neceſſitatis ſpeciem, petentis, & dormientis; vt illum petere hoſpes, dare compellat hunc ſomnus: vtpote qui propterea ſe daturum ei dicat in tempore, quòd non occurrere amico, ſed recurrere videatur ad ſomnum*: quaſi ſom-
C num habeat procuratorem, in cuius gratiam citiùs, & faciliùs exaudiatur. Verè non magis nobis quàm ſibi beneficus eſt, qui profitetur ſe dormire non poſſe, niſi conceſſerit quod rogamus.

Deus nequit quieſcere niſi nobis benefecerit.

Geminâ Dauid regis ſimilitudine allata, non parum confirmabitur propoſita veritas. Inſignis eſt proſopopœia illa pſal. 2. n. 8. qua Deus Pater dilectum Filium ſuum alloquitur his verbis: *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*. Quid audio? An non is Deus eſt, de quo dixerat pſal. 15. nu. 2. *Deus meus es tu; quoniam bonorum meorum non eges*? At ſi rex tantus hæredi-
D tatem expectat, quam precibus impetrare debet; quis non videat eum gentibus indigere, tanquam optata, & poſtulata deprecationibus hæreditate? *Quis vnquã, Chriſtianus*, ait Auguſtinus lib. de vnit. Eccleſiæ cap. 8., *dubitauit hoc de Chriſto eſſe prædictum, aut hanc hæreditatem aliud, quàm Eccleſiã, eſſe intellexit*? Ergo ex Gẽtilibus, ex Iudæis, ex omni hominum genere ſelegiſſe ad gratiam, & ad gloriam, hoc eſt, ab interitu, & à pernicie vindicaſſe electos, nil aliud eſt, quàm obtinuiſſe haereditatem, ſubditos, ac ditionem ſtabiliuiſſe ſibi. Videbatur quippe ſibi ſummus rerum Dominus ſine regno Rex, ac ſine dominatu Princeps, niſi

Chriſtus Rex, quia Redẽptor.

de po-

de poteſtate tenebrarum miſeram erueret mortalitatem. Ea, quam nobis donat libertas: ea, quæ nobis largitur bona, propria à Deo creditur, & prædicatur hæreditas. Alterius ſimilitudinis auctorem habeo S. Paulinum epiſt. 4., einſdem Dauid pſal. 47. teſtimonium in hunc modum examinantem. *Ecce maior Salomon hic: qui non cōteret nos inter naues Tharſis; ſi illi, bono actu vita noſtra, lucrum (quod eſt pretioſiſſimum mercimonium Deo) conuehamus.* Parum videlicet exiſtimabat Dei bonitas incomprehenſa regiæ hæreditatis ſimilitudine vti, ad aperiendum, quantopere ſua ducat commoda noſtra, niſi etiam ſe mercatori ſimilem faceret, cui nihil carius, nihil antiquius, nihil iucundius accidit lucro ex negotiatione reportato. Bona opera noſtra, quæ Deo dante inchoamus, atque perficimus, pretioſiſſimum Deo mercimonium ſunt; quia quæ noſtra ſunt, ſua putat emolumenta.

De hominibus bene mereri, Dei mercimonium.

Iſaiæ vatis euangelici hac de re oraculū nunquam recolo, quin admirer. Conſule cap. 55. vbi n. 1 leges: *Omnes ſitientes venite ad aquas; & qui non habetis argentū, properate, emite, & comedite: venite, emite abſque argēto, & abſque vlla commutatione vinum, & lac.* Pugnare ſecum ipſe videtur Propheta. Etenim ſi emenda ſunt, quæ offeruntur, quomodo ſine pecunia, & ſine vlla commutatione emi poſſunt? Ergo ex vna parte Deus vendere vult; ex altera pretium recuſat. Vnde D. Ambroſius lib. de Ioſeph patriarcha cap. 7. hunc Iſaiæ textum tractans, *Emite*, inquit, *ſine argento; neque enim pretium quæſiuit à nobis, qui pro nobis ſanguinis ſui pretium ſoluit.* Cum itaque pretium non exigat, immo recuſet; cur non potiùs ad excipienda largitatis diuinæ munera inuitet? Cur nō profitetur ſe dono daturum, quod liberalitate tam benefica pollicetur? Excitabuntur ſegnes hominum animi, audita donorum promiſſione, qui fortaſſe emptionis vocabulo deterrentur. Fortè accommodatiùs diceretur: Venite, tollite: Venite, accipite: non autem: *Venite, emite.* Sanè Dei dona, non operum noſtrorum mercede emimus, ſed gratuitò dantis munificentia poſſidemus. Verùm, vt praeſtantis, Deoque dignae liberalitatis vim eximiam, ac ſingularem excellentiam declararet, vti non potuit modo loquendi ingenioſiore: *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, emite, & comedite: venite, emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum, & lac.* Nimirum cùm dona ſua gratis diſtribuit, vendere putat Deus, & quaſi ſuo tribuit lucro poſſe donare: cum domini partes explet, credit ſe eſſe mercatorem: largitiones diſpergit munificas, & dicit ſe fieri locupletiorem. Continere me non poſſum quin cum Gregorio Nazianzeno orat. in ſanctum Baptiſma exclamem: *O miram beneficentia celeritatem, ò facilem contrahendi rationem! hoc bonum ſolo voluntatis pretio emendum tibi proponitur; appetitionem ipſam Deus ingētis pretij loco habet; ſitit ſitiri; bibere cupientibus potum præbet; cum à Deo beneficium petitur, beneficio id ducit; prompta, munifica, atque prolixa natura eſt; iucundiùs dat, quàm alij accipiunt.* Pende illa verba: *Cum à Deo beneficium petitur, beneficio id ducit:* B vt agnoſcas, quàm verum ſit, Deum ſibi videri de ſe bene mereri, cum nobis fecerit beneficium. Sed multò magis perpende verba Iſaiae: *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, emite, & comedite.* Inauditus loquendi modus! Aqua dicitur emenda; tum monentur emptores, vt comedant: *Emite, & comedite.* Nunquid aquam comedere poſſumus? Intelligo: ditiſſima Dei dona, licet cibi ſint animi ſolidiſſimi, dari nobis viliſſimae inſtar aquae: &, quod mirere magis, non dantur modò, ſed venduntur. Quàm auidum & tenacem fœneratorem, aut trapezitam dices eum, qui negotiatione ſua C aquam, qua nihil eſt vilius aut communius, vendibilem facit? Quanto cum augmento ſuis conſulit bonis, qui ex ipſa venditione aquae mercimonium exercet? Igitur, cum ſine mercede Deus ſua nobis bona largiatur, beneficus eſt; ſed longè beneficentior, cum profiteatur, vendendo nobis rem viliſſimam, nempe aquam, apponere ſibi lucro, quaſi ex ementium pretio ditior fiat. Neque hinc recedere poſſum, niſi vltimum allati oraculi verbum examinem diligentiùs; cum in eo, tanquam in ſcriniolo ſapientiæ, lateat ſententia fortaſſe non prætermittenda. Lactis nomine Dei beneficia nun- D cupantur: *Emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum, & lac.* Lacti comparantur bona de caelo delapſa; An quia Verbum, cuius meritis omne datum optimum accipimus, & omne donum perfectum tenemus, mammilla Patris dicitur ab Alexandrino Clemente lib primo Pędag. capit. 6.? An quia Chriſtus Dominus nutritor noſter, & mater eſt, vt loquar cum Chryſoſtomo hom. 1. in pſalm. 50.? Sed quomodocunque ſit, certum eſt, lac ita mammas onerare ſiue matris, ſiue nutricis, vt ſine magno dolore, & detrimento retineri

Emere ſine pretio, quid.

Deus donando lucratur.

Maxima erga nos munera, minima videntur Deo.

Deus hominibus benefaciens exonerat ſe.

non poſſit, ſed cogantur turgentibus vberibus fœminæ illud communicare infantibus, quos alunt quidem lacte ſuo, ſed ſimul etiam lac præbentes leuant onere ſeipſas, eaque moleſtia liberant, quam lactis abundantia parere ſolet, vt experientia compertum habemus. *Emite lac*. clamantis, & amantis Domini vox eſt, qui ita nos paſcit, vt, dum nobis miniſtrat alimentum, medicamentum ſibi componere velle videatur; nunquam nobis beneficus, quin etiam ſibi benefaciens.

Quandò autem de aqua, & cibo, quæ à Deo dantur hominibus, facta eſt mentio, non erit abs re ad aquam, & cibum, quem B Deo homines propinant, & parant, facere gradum. Io. cap. 4., vbi, vt in ſamaritanæ mulieris hiſtoria, tanquam in ſpeculo ſummæ imaginem bonitatis intueamur, ſitire dicitur Chriſtus Dominus, & ſimul etiam oblatum à diſcipulis cibum recuſare. Videlicet cibum recuſat, quia ſuauiora appetit fercula; & ſitire ſe profitetur, non vt poſtulatam à muliere aquam hauriat, ſed vt ſui pectoris, diuinæ nempe fornacis temperet flammas, non alia vndarum alluuione, quàm concurſu populorum, pro quorum ſalute laborabat. Ex S. Ambroſij quippe ſententia lib. 3. Hexamer. cap. 1. per aquas, populi ſignificantur, C ex peccatorum cœno, & ima infidelitatis palude congregandi per gratiam, *Ex omni Valle*, (verba Ambroſij citati,) *congregatus eſt populus catholicus. Iam non multæ congregationes ſunt, ſed vna eſt congregatio, vna Eccleſia. Dictum eſt & hic, congregetur aqua ex omni valle; & facta eſt congregatio ſpiritualis, & factus eſt vnus populus*. Igitur ex Ambroſio aquæ multæ populi multi ſunt. Homines ergo ſunt quos quærit defatigatus Saluator, & aquam putat ſitiens, & ſuum credit cibum eſuriens; quia huiuſmodi aqua dum ſitis ſuae temperat æſtum, eoque cibo dum famem expellit, videri vult tam D noſtræ, quàm ſuæ, vt ita dicam, proſpicere vtilitati largitor gratiarum Deus; qui ſe ipſum recreare, ac reficere quodammodo arbitratur, hominibus bene faciendo. Audi ex cit. Io: cap. 4. nu. 8. Ieſum ipſum cum Samaritana his verbis loquentem: *Dicit ei Ieſus, da mihi bibere*. Quo pacto fieri poteſt, vt fons perennis nectaris beatorum ſitire credatur? Quorſum ſitire ſe perhibeat? niſi vt declararet, iuxta S Hilarij interpretationem, *eſuritionem ſe habiturum humanæ ſalutis*. Rurſus ex eodē cap. 4. audi quid ipſe Magiſter reſpondeat offerentibus diſcipulis cibum num. 32. *Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis*. Aptè, pro re A præſenti, Sāctus Bernardus ſer. 71. in Cant.: *Cibus eius pœnitentia mea, & cibus eius ego ipſe*. Cibus, inquam, ſupra quàm dici poſſit ſapidus, & ſuauis ex ſententia D. Paulini epiſt. 4. ad Seuerum, vbi notum ænigma Iud. cap. 14. nu. 14. *De edente exiuit eſca, & de potente dulce*: interpretatur in hunc modum. *De edente*, ait, *eſca ſic exit; quia leo de tribu Iuda ex ore nos aduerſi leonis eripiens, ideo venatur vt ſeruet; mandit vt integret, hoc in nobis edens, quo corrumpimur*. O bonitatis miraculum quouis portento beneficentiæ prodigioſius! Dum nos à faucibus eripit ærumB noſæ mortis, dum è ſinu extrahit corruptelae, mellea ipſe dulcedine perſunditur. Quaſi verò pro eodem ducat fellea nos malorum omnium amaritie liberare, & fercula mellea quauis ſuauitate dulciora deguſtare.

Deus ſe ipſum reficit, beneficia largiendo.

Noſtra pœnitentia Dei cibus, & quidem mel leus.

Hinc facilè iudicabis, num nobis potiùs, quàm ſibi beneficus credendus ſit, qui de hominibus bene merendo, ſe ipſum tam vtiliter recreare, tam opportunè reficere profiteatur. Diſcamus itaque, dicamuſque cum Dauid tantæ amore beneficentiæ capti: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Prima igitur dona obliuioni mandas, memor ſoC lum eorum, quæ tribuuntur, nihil faciens quæ retribuuntur? Quomodo Rex tam ſapiens, de retributionibus tantummodò ſolicitus, ne mentionem quidem facit donorum? Fallor, niſi cæleſtis ſit plena acuminis Dauidis ſententia. Diuinæ naturæ profuſa liberalitas ſuo quaſi charactere ſignatur, dum retribuere dicitur quod tribuit; donando enim gratis, & nulla meritorum noſtrorum præuia mercede, ita tribuit, ac ſi fuiſſet beneficijs prouocatus, & quod ſponte donat, quaſi retribuit, ne videatur ingratus. Ecquod beneficium à noſtra mortalitate ſummus rerum DomiD nus potuit accipere, pro quo retribueret veluti compenſationem? ſanè nullum: niſi dicamus Deum beneficij accepti loco ducere nobis beneficia contuliſſe. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Do S. Baſilium hom. in Martyrem Iulitam ſic loquentem: *Magnificus dator Dominus haud quaquam dictus eſt tribuiſſe, ſed retribuiſſe, ac ſi ipſe non cœpiſſet prior in nos gratiam conferre*. Nulla ſine dubio excogitari poteſt benignitas tam profuſa, quæ donet, quaſi teneatur ex debito ea ſoluere, quæ ex ſola liberalitate largitur. Vno verbo tribuit, quaſi retribuat; ſuo vtique adſcribens commodo quòd conſulat nobis. Vnde, & meritò

Deus donat, quaſi debeat.

quidem,

quidem, continere ſe non poteſt qnin exclamet S. Fulgentius in Prologo ad Philem. *Ecce qualis eſt Deus noſter, vt donando debeat.*

Notiſſimæ Chriſti Domini doctrinæ Tertulliani expoſitionem adinngo, nec fortaſſe adeò notam, nec omnino contemnendam. Matt. 6. num 25. omnem ſolicitudinem amandandam docet ſapientiſſimus Magiſter, qui ſcholam doctrinæ cæleſtis aperuit in terris, Sic autem habet: *Ne ſolieiti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini.* Cur, obſecro, ſui oblitus homo ne cogitet quidem de ijs, quibus ſiue anima, ſiue corpus indigere poſſunt? ſortaſſe vt terrenis omnibus abdicati, diſcamus amare cæleſtia? Aut certè vt bona omnia vitæ huius, vtpote labentia, noſtrique cordis affectu indigna, contemnamus? Acutior eſt Tertulliani ratio, cui videtur notam inurere liberalitati Dei quicumque de bonis non ſolum corporis, ſed etiam animæ ſit ſolicitus. Verba Tertulliani lib. 4. in Marc. ſunt: *Meritò curam eorum, tanquam æmulam liberalitatis ſuæ prohibet.* Notanda eſt vis verborum illorum: *tanquam æmulam liberalitatis ſuæ.* Is ſanè, qui æmulis reſiſtit, eoſque repellit, ſuam vtique cauſam agit, & quidem in re maximi momenti: vt propterea ſummum adhibeat conatum, vireſque exerat, ne fraude, aut vi æmulorum ſuperatus exſibiletur. Ergo ſi ſolicitudinem noſtram, tanquam ſuæ æmulam liberalitatis perſequitur Deus, quis non videat ſuæ conſulere velle exiſtimationi datorem munificentiſſimum, &, ſi dicere fas eſt, pro aris pugnare, ac focis, omni nos donorum genere cumulando?

Solicitudo temporaliũ deponenda.

Solicitudo æmula diuinæ liberalitatis.

Iam autem ſenſim ſine ſenſu eò deuenimus, vt facilè poſſimus agnoſcere, quanti Deus faciat de nobis poſſe benemereri. Scilicet non ſolum vt quieſcat, vt lucretur, vt commoditati, & bono prouideat ſuo; quæ ſunt veluti bona vtilia; verum etiam, vt exiſtimationi liberalitatis ſuæ conſulat, & gloriam nominis ſibi comparet immortalem, beneficus erga nos eſſe compellitur. Quod genus emolumenti eſt longè nobilius, atque expetibilius; non enim de vtilitate, ſed de honeſtate agitur, atque exiſtimatione. Placet hoc paucis agnoſcere. Rex Iſrael Dauid religioſæ probitatis, & regiae prudentiae laude commendatus in paucis, pſal. 78. num. 9 ſic alloquitur Deum ſuum: *Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos.* Ergo Deus Deorum vſque adeò glorioſum ducit miſeris opem ferre, vt id praetermittere ſine gloriae iactura non poſſit. Quod ſortaſſe diuino veluti emblemate ponere voluit nobis ab oculos charus Deo Io: Apoc. 19. nu. 12. vbi Regis caeleſtis depingens imaginem inter caetera ait: *In capite eius diademata multa.* Non vnum diadema ſatis eſt ei, qui ſibi coronam imponit nouam, hoc eſt, gloriam nominis auget in immenſum, quoties hominibus gratiae, vel gloriae ſuae munera elargitur. Hnc reuocare poſſumus morem ſatis notum, ex antiquorum annalibus repetitum. Romani, imperio aequè, ac ſapientia nobiles, vt eius, qui ciuem ſeruauerat, illuſtre nomen declararent, ac glorioſum, corona donabant ex quercu, quae gemmeis aureiſque coronis pretioſior credebatur, Plinio teſte lib. 16. c. 4. *O mores æternos, qui tantaopera honore ſolo donauerint: & cum reliquas coronas auro commendarent, ſalutem ciuis in pretio eſſe noluerint; clara profeſſione, ſeruari quidem hominem nefas eſſe lucri cauſa.* Idem, ſi dicere fas eſt, Deum facere videmus, qui quot vendicat ab interitu, tot ſibi coronas imponit; gaudetque hac ratione gloria nominis immortali: adeò vt omni pretioſa corona pretioſius multò ſit, ſeruauiſſe. *Propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos.* In eadem ſunt naui & noſtra ſalus, & exiſtimatio Dei; adeò vt cadat haec, ſi illa fuerit in diſcrimen adducta. Vnde Seraphim, hoc eſt, Reges caeli apud Iſaiam cap. 6. nu. 3. canebant: *Plena eſt omnis terra gloria eius.* Et Dauid, hoc eſt vnus è terrenis Seraphim, reſpõdebat pſal. 32. n. 5. *Miſericordia Domini plena eſt terra.* Quia effundens in nos theſauros miſericordiarum, gloriæ ſibi diuitias cumulat, iuxta eiuſdem Iſaiæ vaticinium capit. 30. num. 18. *Propterea expectat Dominus, vt miſereatur veſtri, & ideo exaltabitur parcens vobis.* Vide, vnde Altiſſimus exaltetur. Proponeret hic ſuam dubitationem Caſſiodorus examinans illud pſalm. 103. *Benedic anima mea Domino: Domine Deus meus magnificatus es vehementer. Quomodo,* (loquitur Caſſiodorus) *ille magnus non eſt, vt hominum laudibus magnificetur? aut quid illi poteſt addi, qui eſt mirabilis, & incomprehenſibilis plenitudo virtutum.* Reſponder idem Caſſiodorus in hunc modum: *Sed magnificatur Dominus apud homines, quãdo eis magnus, atque excelſus eſſe claruerit, vt ipſum ſentiant creatorem, ipſum bonorum omnium largitorem, ipſum Redemptorem.* O præclara gloriæ acceſſio! O eximium diuinæ (vt ita dicam) famæ augmentum! Ergo *propter gloriam nominis tui. Domi-*

Beneficentia erga homines, maxima Dei gloria.

Altiſſimus exaltatur hominibus proſpiciens.

Domine, libera nos. Cauſam agit gloriæ ſuæ noſtris proſpiciens commodis munificus Deus. Sed longè ingenioſiùs eundem Iſaiam hoc ipſum inſinuare deprehendemus, ſi poterimus aſſequi ſenſum illius vaticinij cap. 11. num. 1. *Et egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* Virga, vindicis Dei iuſtitiam; flos verò, benefici Dei munificentiam repræſentat, ex interpretatione Origenis hom. 9. In Num. dicentis: *Sic ergo qui verberibus indiget, exit ad eum virga; qui autem proficit ad iuſtitiam, aſcendit in florem.* Proficientibus de bono in melius flos eſt ille idem, qui, vt verberet ſceleſtos, dureſcit in virgam. Sic Thren. 3. num. 1. dicitur *Virga indignationis* Domini: & Can. 2. num. 12. *Flores apparuerunt in terra noſtra.* Hic totus floridus, ibi extentae horrore virgae timendus. Aduerte iam modum loquendi quo vtitur Iſaias: virga dicitur egreſſura; flos autem aſcenſurus: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* Hic autem, vt neminem latet, ſermo fit de Deo humana carne induto. Videlicet Chriſtus Dominus ſicuti probis praemium, & bonorum omnium acceſſionem daturus erat, ita improbis ſupplicia inflicturus. Comparatur tum flori, tum virgae. Nimirum ſi conſideretur beneficus, totus floridus eſt, immo totus flos; ideoque dicitur aſcēdere: aſcendit enim, & ſeipſo quodammodo fit maior, cùm nobis viret, nobis odorem ſpirat gratiarum benefica ſuorum largitione donorum: *Flos de radice eius aſcendet. Egredietur virga.* Non exaltatur, non extollitur, non aſcendit; quia plectere reos, & verberare ſceleſtos minimè putat glorioſum.

Deus non poteſt non benefacere.

Hinc fortaſſe fiet perſpicuum minimè hyperbolicum eſſe loquendi modum quo vſus eſt Clemens Alexandrinus, ad aperiendam nobis veritatis huius notionem: ait enim lib. 8. ſtromatum de Deo diſſerens: *Cum ſit bonus, ſi ceſſaret vnquam benefacere, Deus quidem ceſſabit eſſe. quod nefas quidem eſt dicere.* Quod vt clariùs intelligatur, reuocemus in mentem quod initio temporum geſtum eſt, cùm Deus hominem de limo terræ formauit; tunc, inquam, cùm *Vidit hominem*, vt loquitur D. Baſilius Seleuc. orat. 2. *non carnem in matrice ſcalptam, non in natura officina luteum embryonem; ſed vidit hominem immortali manu editum.* De hoc Geneſ. cap. 2. num 7. dicitur: *Spirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Vbi aduertendum verbum, *ſpirauit*, ex hebræa ſignificatione idem eſſe, ac reſpirare. Vt hinc pateat

Beneficiēs reſpirat.

A tunc Deum reſpirare, cùm vitam gratiæ nobis communicat. Cùm ad eleuandam mortalitatis noſtræ terram ſpirat, reſpirat; & quàm indigus quis eſt reſpirationis vt conſeruetur, tam prodigus donorum ſuorum Deus cogitur eſſe, vt nobis bene ſit: *Si ceſſaret vnquam benefacere, Deus quidem ceſſabit eſſe.* Suum eſſe, Diuinitatem ſuam, Se ipſum conſeruat, ſua nos bonitate collatis beneficijs participes faciens. Quare ſapienter Origenes in rem præſenſentem interpretatur oraculum Domini pronunciantis: *Quæ offeretis mihi in diebus feſtis meis.* Sic enim refert citatus Origenes homil. 23. ſuper Numeros non multò poſt B initium. Mox infert in hunc modum: *Habet ergo Deus dies feſtos ſuos? Habet. Eſt enim ei magna feſtiuitas humana ſalus.* Quoties homines Deus ab interitu vindicat, quoties homines facit incolumes, quoties vigil, ac ſolicitus nullum non mouet lapidem, vt homini bene ſit; toties feſtos agit dies, ſuæ tribuens gloriæ, & honori ducens, ſi potuerit nobis eſſe beneficus.

Deo feſtus dies ſalus humana.

Quae cum ita ſe habeant, ſi Dei amauerimus bonitatem, ſi tam pronam ad bene merendum naturam laudibus extulerimus, parum erit, niſi etiam didicerimus tam profuſum, tam facile, tam liberale C bonitatis exemplar noſtris moribus imitari. Diſcamus & nos, aſſueſcamuſque alijs benefacere; quia tunc non tam de illis, quam de nobis ipſis benemerebimur. In hac re vnus mihi ſat is eſt Seneca epiſt. 95. ſcribens in haec verba: *Quæ damnas præcepta? vt parcatur ſanguini humano? Quantulum eſt ei non nocere, cui debeas prodeſſe? magna ſcilicet laus eſt, ſi homo manſuetus homini eſt. Præcipiemus vt naufrago manum porrigat, erranti viam monſtret, cum eſuriente panem ſuum diuidat? Quando omnia, quæ præſtanda ſunt ac vitanda, dicam? cum poſſim breuiter* D *hanc formulam humani officij tradere. Omne hoc quod vides, quo diuina, atque humana concluſa ſunt, vnum eſt: membra ſumus corporis magni: natura nos cognatos edidit, cùm ex iiſdem & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit: illa æquum iuſtumque compoſuit: ex illius conſtitutione miſerius eſt nocere, quàm lædi: ex illius imperio paratæ ſunt ad iuuandum manus.* Ea verba, *membra ſumus corporis magni*; Videntur mihi axioma dignum illuſtri ſanctitate viro, hoc eſt, è Chriſti ſchola philoſopho ſapientiſſimo. Ex quo, tanquam ex principio deducimus fieri non poſſe, vt conemur prodeſſe alijs, quin nobis ipſis vtiles ſimus;

Amandus proximus natura magiſtra.

Proſpicit ſibi qui conſulit alijs.

ſimus; ea planè ratione, qua membri vnius bonum membris omnibus eſt commune. *Membra ſumus corporis magni*; In hanc ſententiam Nero mitiſſimus tunc Princeps introducitur ab eodem Seneca libro primo de clemen. cap. I. loqnens his verbis. *Alterius ætate prima motus ſum, alterius vltima: alium dignitati donaui, alium humilitati: quoties nullam inueneram miſericordiæ cauſam, mihi peperci*. En ſibi factum putat, quod in alios contulit beneficium. *Membra ſumus corporis magni: Quoties nullam inueneram miſericor-*

Imitanda nobis Dei beneficẽtia.

A *dia cauſam, mihi peperci*. Deus tantae bonitatis eſt, vt videri velit ſibi vtilis; cùm nobis beneficus eſt. Nos alieno bono ſtudentes, nobis reuera aequè conſulimus. Quis ergo non contendat ſummo ſtudio alijs benefacere? quandoquidem hoc pacto & ſuae vtilitati cōſulit, & ſimul etiam, vt ita dicam, diuinae fit aemulus charitatis; cùm Deus erga homines beneficus, non tam nobis, quàm ſibi benefacere videatur.

Videatur P. Didacus de Baeza tom. 3. in Euang. hiſtor. lib. 15. cap. 1. ꝟ. 19.

IN CAPVT OCTAVVM.

Num. I V.

Et ait illi Ieſus: Vide, nemini dixeris: ſed vade, oſtende te ſacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyſes, in teſtimonium illis.

PARADOXVM II.

Sacerdotes, Dii inter homines.

Encomia Sacerdotum ex PP.

SACERDOTIS dignitas præcellens adeò, ac praeſtans eſt, vt pro ea exornanda nulla par cōmendatio excogitari poſſe videatur. Vnde Sacerdotes vicarij Chriſti dicuntur à Chryſoſtomo hom. 17. in Matt.: membrorum Chriſti Domini prima pars appellantur à Gregorio lib. 14. moral.: & ab eodem in Regiſt. cor Sacerdotis arca Dei nuncupatur. *Quid eſt* (ait Gregor. lib 7. Regis. ep. 30) *ſacerdotale cor, niſi arca teſtamenti? in qua, quia ſpiritualis doctrina viget, procul dubio tabulæ legis*

C *iacent*. Sacerdos, forma virtutum praedicatur à Chryſologo ſer. 26. à Petro Damiano ep 19. lib. 5. ex decreto Bonifacij Papae, Angelus conſalutatur, Sacerdotes, Imperatores pietatis, nominantur à Nazianzeno carm ad Conſtātin. Sacerd. & vrbem ipſum. Reges, & Sacerdotes, quantum ad officium ſunt ſupra homines; quia medij ſunt inter Deum, & populū, vt ſcripſit Lyranus ad Exod. 30. 25 Sacerdotes Chriſti Redemptoris coadiutores viſi ſunt Petro Bleſenſi ſerm. 47.: & à Philone homine maiores creduntur; ait enim lib. 2. de Monarchia: *Sacerdos ſitus in quodam*

D *diuinæ humanæque naturæ confinio, vt hoc mediante, Deus propitietur hominibus*. Ampla ſunt haec, & ad Sacerdotis dignitatem indicandam accommodata ſatis. Mihi tamen, vt verum fatear, nequaquam faciunt ſatis; videtur enim nobilius longè ſacerdotalis dignitatis praeconium inſinuare nobis Chriſtus Dominus, ad Sacerdotem remittens mundatū à ſe leproſum, qui oblatione muneris, Diuinum neſcio quid debet in Sacerdote, Redemptoris imperio, venerari. Age igitur, Sacerdotes, Deos inter homines eſſe demonſtremus.

Compo-

Compono ſimul cæremoniam traditam Leuit. cap. 21., et miracnlum ſatis notum de germinante, ſine radice, virga: cùm vtrinſque autorem inueniam Denm. Incipio à Cæremonia. Leuitici cap. 21. mãdat Deus, vt Sacerdos nunquam interſit ſepeliendis corporibus mortuorum, ne parentum quidem. Sic antem leges nn. 11. cit. cap. *Ad omnem mortuum non ingredietur omnino, ſuper patre quoque ſuo, & matre non contaminabitur*. Quid magis inauditum, quàm quòd ipſe pietatis autor tantæ officia pietatis deneget? nihil tam hnmanum, quàm ijs, à quibus vitam hauſimus, funeris ſupremos rependere honores: id tamen, Dei edicto, Sacerdotibus interdicitur; *Poſtulat enim*, (vt loquitur Philo Hebræus lib. 3. de Monach. hnius legis rationem afferens) *in eo viro lex præſtantiorem homine indolem*. Adiungo miraculum de Aaronica virga prodigijs virẽte magis, quàm frondibus; floruit quippe, cùm nullas in terris ageret radices, Sacerdotij præferens ſymbolum. Ergo florens ſine radice virga repræſentat Sacerdotem; illum ſcilicet, cui mandato Dei interdicitur, ne vllis vnquam interſit funeribus, conſanguineorum licet, atque parentum. Nempe nihil humanum, neque in ortu, neque in morte habere debet Sacerdos, qui, ſicuti originem non trahit à terra, ita cum terræ mandandis commune nil habet. Audi Greg. Nyſſenum de vita Moyſis. *Cum tibi germinauerit Sacerdotij virga, non humiditate terrena, ſed à ſe ipſa nuces producens*. Euellat à terrenis affectibus ſui radices cordis, qui præeminet dignitate Sacerdotali; neque contaminari debet cæremonijs defunctorum, qui nil humanum, nil terrenum, nil mortale ſapere debet. *Sacerdotes* (loquitur Euſebius Cæſarienſis lib. 1. de monit. Euang. c. 9.) *ab hac mortali vita ſeiuncti, ipſum duntaxat corpus in terra gerentes, cogitatione, & animo in cælo degẽtes, quaſi quidam cælites, pro vniuerſo hominum genere Deo ſacrati*. Neque ſolum in ortu, & morte nihil humanum habere debet Sacerdos; omnis planè mortalitatis expers; ſed toto vitæ decurſu nil terrenum præſeferat neceſſe eſt, aut caducum, ſi S. Gregorio Nyſſeno credere velimus lib. de vita Moyſis, ſic ſcribenti, dum inueſtigat, cur nullum calceamenti genus Sacerdoti præſcribatur, cùm de toto corporis habitu, qualis eſſe debeat, à Deo declaretur, & definiatur. *Induto Sacerdoti*, (verba Gregorij) *nullum calceamentum imponitur, ne tardior ad currendum ſit, aut vix mobilis, pelles ſecum attrahens animalium mortuorum. Nam impedimento calcei fuerant Moyſi, cùm ad ardentem rubum accederet; quòd ſi in primo ſtatim aditu reprobantur, multò magis à Sacerdotis pede reijciuntur*. Ergo ſi pelles mortuorum attrahens Sacerdos, acceſſurus ad rei ſacroſanctæ ſimulacrum, retardatur à curſu; quantò magis cauere debet, vt manibus tractet, vt ore conficiat, vt pectore condat Chriſti Domini Corpus ſacroſanctum, ne quid mortuum affectibus ſuis miſceat.

Sacerdotes antiquæ legis prohibentur ſepelire mortuos.

Virga Aaronis, ſymbolum Sacerdotis.

Sacerdoti totus corporis habitus, præter calceamenta, in lege præſcribitur.

Quoniam autem cæremoniarum fecimus mentionem, non debeo vlteriùs progredi, niſi priùs in medium adduxero, quod Moyſi imperauit Deus de veſte ſacerdotali Exodi 28. nu. 2. & deinceps; ac præſertim, num. 39. *Stringeſque tunicam byſſo*. Quo loco pro verbo *ſtringens*, Vatablus, & Montanus reponunt. *Ocellabis tunicam byſſo*. Et eodem cap. ſupra nu. 4. pro verbo *ſtrictam*, quod in vulgata habetur: *Tunicam, & lineam ſtrictam*. in Bibl. reg. Rabbi Dauid, Pagninus, & alij reponunt *ocellatam*. Nimirum totus oculus debet eſſe Sacerdos, ex ipſo habitu eruditus. Veſtis enim officium, dignitatemque repræſentat. Cur autem oculus, niſi quia Deus inter homines eſſe debet? cùm ex ægyptiorum ſapientium doctrina, teſte Pierio lib. 33. *Deus totus ſit oculus*. Hinc Iſidorus Peluſiota ep. 151 lib. 2. epiſt. ſcribit: *Sacerdos, animalium illorum multis oculis præditorum in morem, omni ex parte oculus eſſe debet, eorum inſtar nihil neſciens*. Profectò nihil neſcire ſolius Dei eſt, qui illis animalibus repræſentabatur.

Sacerdos totus eſſe debet oculus.

Et ſanè ſi veteris legis Sacerdotes Angelis comparabantur; vnde eodem functos fuiſſe officio animaduertimus. Sic natiuitatem Iſaac Angeli nunciant, vt ſcribitur Gen. 18. num. 10. Sic Sampſonis ortum ab Angelo accepimus Iud. 13. num. 3. Et ſimiliter lib. 1. Reg. cap. 1. num 17. Samuelis natiuitatem non per Angelum, ſed per Sacerdotem Heli parentes didicerunt. Videlicet commune Sacerdotum, & Angelorum miniſterium parem vtrorumque ſignificat dignitatem. Quod cùm ita ſit, quis nèget nouæ legis Sacerdotes non Angelos ſolùm, ſed Deos habendos eſſe, atque credendos? Probè teneo oraculum illud Leuitici cap. 16. nu. 17. *Nullus hominum ſit in tabernaculo, quando Pontifex ſanctuarium ingreditur* ita à Cyrillo Alexandrino declarari, vt velit Sacerdotem, non hominem eſſe, ſed Angelum. Ait enim: *Et non erit homo, ſed tanquam Angelus Dei, cùm ingredietur Pontifex intra velamen; ſiue vnus cum Domino ſpiritus fiat, ſiue per reſurrectionis gloriam, in Angelorum*

Sacerdotes antiquæ legis Angelis æquiparantur.

A *rum ordinem tranſeat iam non erit homo*. Ita Cyrillus, ſatis quidem magnificè de Sacerdotali præſtantia diſſerens. Sed cur non liceat dicere aliquid ſublimius de nouæ legis Sacerdote; qui vtique non erit homo, ſed velut alter Deus, in Deo manens, & Deus in ipſo, mutua communicatione, vnus cum Deo ſpiritus factus. Aut certè ſenſui inhærentes verborum iubentis Dei, dicamus: *Nullus hominum ſit in tabernaculo, quando Pontifex ſanctuarium ingreditur*; quia intra tabernaculum ne ipſe quidem Sacerdos ſtare debet, niſi exuerit humanitatem, totus in cælo affectibus & votis, planè Diuinitate donatus. B Accedit Dionyſius Areopagita de Eccleſ. Hierar. cap. 3. ſic ſcribens: *Ad ſacra percipienda acceſſus id accedentibus tribuit, vt ex communione diuina ad Dei ſimilitudinem, atque conſortium tranſeant*. Nemo autem eſt, qui neſciat nullam eſſe Diuinorum communionem, quæ cum ea, quæ Sacerdotis eſt propria, comparari queat.

Ingenioſa eſt ratio, quam S. Io: Chryſoſtomus affert, conſiderans, Magis, ab Oriente venientibus ad adorãdum natum Redemptorem, ſtellam præiuiſſe; redeuntibus verò ijſdem non ſtellam, ſed Angelum iter monſtrauiſſe. Sic Matt. 2. num. 12. *Reſponſo accepto in ſomnis* (ſine dubio C per Angelum) *ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam*. Putat Chryſoſtomus id factum, quia Magi, Chriſtum Dominum adorantes, facti ſunt Sacerdotes; adeòque par fuit, vt famulante regrederentur Angelo, qui ſtellam ſecuti fuerant præcedentem. *Magi* (Verba Chryſoſtomi hom. 7. in Matt.) *priuſquam puerum cernerent, vndique illis opponebantur timores, conturbationes, atque diſcrimina: poſtquam verò adorant, ſecuritas, & tranquillitas ſubſequuta eſt. Nec iam ſtella eos, ſed Angelus ſuſcipit, quia ſcilicet adorando facti fuerant Sacerdotes, cum ſupplicatione etiam muneribus* D *oblatis*. Ergo Sacerdotibus ſeruiunt Angeli, illi videlicet, qui ſunt adminiſtratorij ſpiritus, Summi Dei ſeruitio deputati; vt hinc Sacerdotes Deos eſſe non ignores. Quod ſanè turpe eſſet ignorare; cùm Alexandro Macedoni, homini ethnico, & ſuperbia tumido fuerit exploratum, vt ſcribit Ioſeph lib. 11. Antiq. cap 8. Cùm enim æſtuanti furore Alexandro Iaddus Pontifex ſacerdotalibus ornamentis indutus obuiam proceſſiſſet, non modò iracundiæ poſuit modum, furoremque mitigauit, verùm etiam prouolutus in genua, ſupplicis in morem, adorarit eum, quem paulò ante bellica æſtus inſania proterere, ac de-

Angeli Sacerdotibus ſeruiunt.

Alexander M. Sacerdoti proſternitur.

A bellare minabatur. Diuinum neſcio quid fateri coactus eſt in Sacerdotali dignitate, quam non potuit non venerari.

Satis à ſe Sacerdotis dignitatem laudatam exiſtimauit Hieronymus in 2. cap. Malac. num. 7., inquiens: *Angelus, Sacerdos Dei veriſſimè dicitur, quia Dei, & hominum ſequeſter eſt: eiuſque ad populum nuntiat voluntatem*. Verùm id Moyſi minime videtur ſatis, cùm contendat non Angelos tantum, ſed Deos habendos eſſe Sacerdotes: Sic enim Exodi 22. num. 22. *Dijs non detrahes, & principi populi tui non maledices*. Vbi Innocentius Papa *Sacerdotes*, inquit, *intelligit, qui per ex-* B *cellentiam ordinis, & officij dignitatem, Deorum nomine nuncupantur*. Placet audire Ambroſium, lib. de Dignitate ſacerdotali, cap. 3., his verbis loquentem: *Quod ſumus profeſſione, actione potiùs, quàm nomine demonſtremus: vt nomen congruat actioni, actio reſpondeat nomini, ne ſit nomen inane, & crimen immane: ne ſit honor ſublimis, & vita deformis: ne ſit Deifica profeſſio, & illicita actio*. Attende quò perueniat Sacerdotis dignitas: nimirum, vt ſit *Deifica profeſſio*. Sacerdotem itaque, licet homine maiorem, licet Angelum dicas; niſi Deum, & Deificatum conſalutes; omnis commendatio mutila, C atque impar eſt.

Sacerdotes à Moyſe vocantur Dij.

Quorſum autem veritatis tam notæ teſtes adhibeamus homines? cùm Dei ipſius aſſertio diſertiſſima ſit in promptu, iuxta D. Hieronymi interpretationem ad illud oraculum Oſeæ cap. 4. num. 4. *Populus tuus, ſicut hi, qui contradicunt Sacerdoti*. Vbi Hieronymus: *Tanta eſtis impudentia, vt contradicatis mihi, quaſi ſi Sacerdoti plebecula contradicat, quæ non habet Sacerdotis dignitatem*. Tam indignum, tam ſacrilegum eſt me à vobis contemni, quàm criminoſum, & nefarium deſpici à plebecula Sacerdotem. Vides dignitatem Sacer- D dotalem tantam eſſe, vt per eam declaret ſuam Deus ipſe. Nulla enim celſitudo in terris inuenitur Deo aptior, aut ſimilior, quàm Sacerdotalis. Neque mirari debemus hoc loquẽdi modo vſum fuiſſe Deum, cùm comperiamus idem ſignificare voluiſſe, & illuſtri veluti charactere, exprimere in Rationali Sacerdotis antiqui, in quo tertius lapis erat Smaragdus, vt patet ex Exodi 28. num. 17. *Poneſque in eo quatuor ordines lapidum: in primo verſu erit lapis ſardius, & topatius, & ſmaragdus*. Vt latens hoc loco myſterium innoteſcat faciliùs, aduertere debemus huic tertio lapidi, iuxta natiuitatis ordinem, reſpondiſſe tribum leuiticam. Cur autem leuiticæ tribui ſma-

Per Sacerdotis dignitatem Deus ſuam declarat.

Smaragdus aptè reſpondeat, ipſa vocis ſignificatio indicat non obſcurè. Smaragdus quippe à ſua radice idem eſt, ac fulgur; quo, ſicuti ſe ipſum adumbrare voluit Summus Deus, Ezech. 1. num. 23. *De igne fulgur egrediens*, ita par fuit, vt non alio ſymbolo leuiticam tribum repræſentaret, vt Diuinitatis, & Sacerdotis eadem eſſent emblemata, ſicuti dignitas non eſt abſimilis. Et quemadmodnm Exodi 19. num. 16. tonitrua, ac fulgura Deum adeſſe teſtabantur; ſic etiam Sacerdotes ſplendeſcere debent ſapientiæ nitore, ac ſanctitatis luce, vt contra inimicas Deo acies, & in conatus tartareos tonare, fulgurare, permiſcere omnia videantur, vt pote Dij, ex S. Greg. Nazianz. Apol 1. de Sacerdotij præſtantia ſic ſcribente: *Veritatis antiſtes, ac propugnator cum Angelorum claſſe, atque ordine eſt, cum Archangelis Deum celebrat; ad ſupernum altare ſacrificia trãſmittit, ſimulque cum Chriſto fungitur ſacerdotio, figmentum inſtaurat, imaginemque Creatori ſiſtet, & ſupernum mundo opificem agit, &, vt quod maius eſt dicam, Deus eſt, alioſque Deos efficit.* Neque diſertiùs dici potuit, neque elegantiùs.

Scio Auguſtinum, quæſt 82. & 83. in Leuit. exiſtimauiſſe ſummos Sacerdotes, ſingulari Dei priuilegio, nunquam ægrotauiſſe. Immo Ruffinus lib. 2. de vitis Patrum cap. 17. & Palladius lib. 8. cap. 71. ſcribunt Abbatem Iſidorum, eiuſque Monachos nullo fuiſſe morbo corruptos toto vitæ tempore. Scio Leuit. 21. nnm. 21. Deo iubente, Sacerdotum corpora nullo laborantia vitio, ſed vegeta, integra, atque illæſa exiſtere debuiſſe. Scio, quod ſcribit Pierius lib 20. Hieroglyph., Æthiopas tanto in honore habuiſſe Sacerdotes ſuos, vt ſi quem commoneret Sacerdos eius vitam Deo eſſe inuiſam, is ſibi ſtatim mortem inferret, quaſi Deus ipſe loqueretur, verba faciente Sacerdote. Quæ omnia vel ponnnt, vel ſupponunt in Sacerdote diuinum neſcio quid. Videlicet tam ſacris cæremonijs, quàm prophanis ritibus quædam Sacerdotibus Diuinitas concedenda videtnr. Id enimuero probè noſcere viſus eſt S. Paulinus, cùm ep. 6. ad Seuerũ ſcripſit de ſe ad Sacerdotium euecto, his verbis: *Iam in arcanis, & penetrabilibus Dei ſummi receptum me video, & inſertum communicare cæleſtia, & Deo propiùs admotum in Spiritu Chriſti, & corpore, & ſplendore verſari; vix adhuc intellectum ſacræ molis capio mentis anguſtijs, & onus muneris mei (conſcius infirmitatis) horreſco.* Horrore ſanè perfunditur ſacro, intra Diuinitatis penetralia non receptus modò, ſed,

Sacerdotum apud Aethiopes autoritas.

A vt ita dicam, inſertus, cæleſtia, planèque diuina communicaturus.

Facit ad rem præſentem illa vngendi conſuetudo, qua tam Sacerdotes, quàm Reges initiari ſolitos fuiſſe, norunt etiam ineruditi. Cur autem oleo potiùs, quàm quouis alio liquore inungerentur, declarat appoſitè S. Cyprianus lib. de cardinalibus operibus Chriſti titulo de Chriſmate: *Sicut oleum* (inquit) *fluitat, & humidis quibuslibet ſuperfertur: ità excellentia ſacerdotalis, & regiæ dignitatis, ſecundum formam Dei, & Chriſti ſub ſe omnia continens, regimen, & munimen tam actiuæ, quàm contemplatiuæ vita obtinet.* Itaque quia oleum ſupernatans omnibus, Dei

Sacerdotes cur oleo inungi ſoleãt.

B formam cuncta ſub ſe continentis adumbrat; ideo & Sacerdotem, & Regem vngere debet; cùm hi, veluti in terris Dij, dignitatis ſuæ præſtantia ſuperferri omnibus videantur. Placet id quidem. Sed quieſcere animus nequit, nisi præcipuum aliquod, & Sacerdoti peculiare afferatur. Conſule caput 8. Leuitici, vbi cùm Sacerdotis conſecratio deſcribatur, dicitur Sacerdos non ſolùm perfuſus oleo, ſed etiam tinctus ſanguine. Vnde num. 23. cit. cap. ſic leges. *Quem* (ſcilicet arietem) *cum immolaſſet Moyſes, ſumens de ſanguine eius, tetigit extremum auriculæ dexteræ Aaron, & pollicem manus eius dexteræ, ſimiliter*

Sanguine etiam tingi iubentur à lege.

C *& pedis*. Procopius in Leuit. tempeſtinè interrogat, cur Rex olim oleo dumtaxat ſine ſanguine conſecraretur; cùm Sacerdos non modò perfundi oleo, ſed tingi inſuper ſanguine iuberetur? An non manus ſacerdotales maximè innocentes, atque impollutæ alieno à ſanguine eſſe debuerunt? Id ſanè ex Philone didici Alexandrino lib. de animalibus idoneis ſacrificio, vbi interpretans cæremoniam illam Leuit. 1. num. 4. *Ponetque manus ſuper caput hoſtiæ, & acceptabilis erit*, ſic habet de manibus Sacerdotis, eundem Sacerdotem in hunc modum loquentem introducens: *Manus hæ nec muneribus corruptæ, neque*

D *innocenti ſanguine pollutæ; noxam, iniuriam, vulnus intulerunt nemini*. Cur igitur tangantur ſanguine manus eædem, quæ maximè innocentes eſſe debent à ſanguine? Crediderim & oleo perfundi meritò debuiſſe Sacerdotes (quod cum Regibus habent commune) & prætere a (quod proprium eſt Sacerdotis) par fuit, vt ſanguine tingerentur. Nimirum geminũ habemus in terris Maieſtatis Diuinæ ſimulacrum, Regem, & Sacerdotem: vtrumque tanquam Dei ſignum ad viuum expreſſum veneramur: oleo vterque perfunditur; quia beneficentia, & misericor-

dia,

dia, quæ maximè Dei ſunt propria, & Regi conneniunt, & Sacerdoti. At quia ſimilior Deo, & plus quodammodo Diuinitatis habet Sacerdos; tingatur etiam ſanguine; vt iuncta miſericordiæ iuſtitia perfectum ſpecimen Numinis, & omnibus abſolutam numeris ſpeciem Diuinitatis in Sacerdote exhibeat efformatam. Quæ cùm ita ſe habeant, mirum proferre non dubitabo Dei præcipientis oraculum; cùm tamen ex eius conſideratione in admirationem ipſe non rapiar. Exodi cap. 30. à n. 25. & deinceps compoſito opere pigmentario thymiamate iubetur Sacerdos inungi; ea tamen lege, vt caro hominis minimè vngi poſſit. Verba textus cit. *Dominus ad Moyſen: facies vnguentum compoſitum opere vnguentarij; Aaron, & filios eius vnges, ſanctificabiſque eos, vt Sacerdotio fungantur mihi. Filijs quoque Iſrael dices: Hoc oleũ vnctionis sãctum erit mibi in generationes veſtras. Caro hominis non vngetur ex eo.* Nil tam diſcrepans, quàm quod Deo iubente fit in praeſentia, & eodem Deo imperante dicitur: caro quippe hominis vngenda non eſt; cùm tamen Aaron, & Sacerdotes vngi debeant. Nunquid Aaronis, reliquorumque Sacerdotum caro deſinit eſſe caro hominis? Perbellè occurrit Lyranus reſpondens his verbis: *Sacerdotes, quantum ad officium, ſunt ſupra homines; quia medij ſunt inter Deum, & populum.* Appoſitè Lyranus: ſed nondum facit ſatis; Sacerdos enim ita ſupra homines ſuae dignitatis excellentia euehitur, vt nihil habeat terrenum, nil fluxum aut caducum, nil mortale aut humanum, ſummae particeps Diuinitatis. Confugio ad Origenem, quem habeo huius veritatis auctorem probatiſſimum. Ex illis enim Domini verbis Leuitici, cap. 20. n. 26. *Eritis mibi ſancti, quia ſanctus ſum ego Dominus, & ſeparaui vos à ceteris populis, vt eſſetis mei:* ex his, inquam, verbis occaſionem ſumit Origenes hom. 11: in Leuit. Sacerdotes compellandi in hunc modum: *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum. Sicut ego* (inquit) *ſegregatus ſum, & longè ſeparatus, ſicut ego excedo omnes creaturas atque ab vniuerſis, quæ à me facta ſunt, ſegregor; ita & vos ſegregati eſtote ab omnibus, qui non ſunt ſancti, nec Deo dicati. Segregati autẽ ſunt non locis ſed affectibus, non regionibus ſed conuerſationibus. Denique & ipſe, ágios, in graeca lingua quaſi extra terram eſſe ſignificat. Quicunque enim ſe conſecrauerit Deo, meritò extra terram, extra mundum videbitur. Super terram ambulantes conuerſationem in cælis habeamus.* Ita Origenes, præclarè inſi-

Sacerdos nihil humanum retinere debet.

A nuans Sacerdotis dignitatem dixerim, an Diuinitatẽ? Quippe ſecerni debet à creatis, õnibus eo modo, quo Deus creaturas omnes excedit: & affectibus humana cõditione præſtãtioribus, extra terram feratur Sacerdos; vt nihil in terra terrenum, mortale nihil, inter mortales, habere videatur.

Accuſant communiter, & meritò, æqui rerum æſtimatores leuitatem Regis Ioas, quòd non reſpuerit oblatum ſibi adorationis honorem, debitum Deo. Ergo eò vſque dementiæ infelix Ioas proceſſit, vt adulatoribus, diuinum honorem exhibentibus, molles praeberet aures. Sed niſi diſtinctiùs hæc hiſtoria repetatur, quid dicere velim,
B nequit intelligi. Ioas, vt ex lib. 2 Paral. cap. 22. 23. & 24. patet, natu minimus, à morte fuit ereptus ab Ioſabeth, cùm Athalia immaniſſima fœmina, ac ſaeuiſſima Regis filios, omnemque ſtirpem regiam domus Iorã interficeret. Ereptus, inquã, à mortis faucibus Ioas, & per ſex annos in ſacerdotali adyto occultatus, ſacerdote Ioiada obeunte, Rex conſalutatur tanto cum honore, vt praecellentiſſimi totius populi Principes eundem adorauerint obſequioſè, ac religioſè coluerint. Vnde cap. cit. 24. n. 17. leges: *Poſtquam autem obijt Ioiada, ingreſſi ſunt Principes Iuda, & adorauerunt Regem: qui delinitus obſequijs*
C *eorum, acquieuit eis.* Placet iuueni Regi adoratio, & adulatio Principum Iuda. O putidam aſſentationem adorantium! ò leuiſſimum regnantis ingenium! Fateor id quidem: ſed ex alio capite excuſatio aliqua afferri poſſe videtur Carthus. Cùm enim Ioas, à teneris annis, in ſacerdotalibus adytis, hoc eſt, intra penetralia Diuinitatis exceptus fuerit, & enutritus; non omnino ſine fundamento arbitrati ſunt Primores illi populi ex Sacerdotum conſortio, atque conuictu, ſupra humanam conditionem neſcio quid planè Diuinum haurire Ioam potuiſſe. Suaſit ſibi facili negotio Ioas, non omnino abſonam, re-
D pugnantemque adorationem impendi ei, qui non lacte nutricis, ſed Sacerdotum Diuinitate ſpiritus homine maiores ingerente, adoleuiſſet. Tantum habet Sacerdotalis dignitas cum Diuinitate non cõmercium modò, ſed conſortium. *Exbibuerunt ei*, ait Carth. in hunc locum, *honorem diuinum, atque blandiebantur ei, dicentes, ac perſuadentes, quòd dignus eſſet tali honore; eò quòd in infantia ſua fuiſſet conſeruatus, & enutritus in templo ſex annis: quod non contigiſſet, niſi diuinũ quid fuiſſet in eo; quoniam alijs, quàm Sacerdotibus, non licuiſſet ſine periculo ingredi in ipſum Dei templum.* Dabitur mihi hoc

Ioas Rex cur diuinos ſibi honores arrogarit.

loco, vt reor, facultas interpretandi pro re præſenti, quod de Summi Sacerdotis pileo ſcribit Ioſephus lib. 3. antiq. cap 8. his verbis: *Vtebatur porrò pileo, quali cæteri Sacerdotes vtebantur, ſuper quem ſtabat alius conſutilis ex hyacintho variatus; hunc aurea corona, triplici ordine circumdabat, in qua ſpectabantur calyculi aurei.* Et non multò poſt ſubijcit. *Frontem iſti calyculi nō ambiebant, ſed ceu lorum quoddam latum aureum, quod ſacris characteribus Dei nomen inciſum habebat.* Duo à Ioſepho dicuntur, ex quibus haud obſcurè conijcere poſſumus diuinū quid in Sacerdote colendum. An non hyacinthinus color Sacerdotis circumambiens caput, cæleſte aliquid portendit? quo ſacris initiati, terrena contagione ſublimiores, elatam gerant ſupra ſidera mentem? Certè inciſum Dei nomen, quod aureis characteribus expreſſum habebat in fronte, nihil noſtris mentibus indigitat commune. Parum enim eſt dicere Dei nomine, quod Sacerdos portabat in fronte, ſignificari, quanto Summum Deum proſequi debeat honore ſacrorum miniſter: hoc ſcilicet commune eſt ijs omnibus, qui ſenſum aliquem habent humanitatis. Sed peculiaris eſt ratio, propter quam Dei nomen Sacerdotis fronti legamus inſcriptum. Vt videlicet ſit nobis exploratum, Sacerdotem non modò Dei eſſe cultorem, ſed quaſi Deum, pio à nobis colendum obſequio; cum Dei nomē ita Sacerdoti conueniat, vt iure Deus appellandus ſit, & habēdus. Dei quippe nomē dum præfert in fronte, præſefert ſuum; cùm ipſe Sacerdos, Deus, meritò nuncupetur.

Pilei ſacerdotalis ex Ioſeph deſcriptio.

Id vtique clarius fiet, ab ipſa ſolis luce petita ſimilitudine. Scimus omnes, luminum Principem illuſtre ſimulacrum eſſe magni Dei, qui luminum Pater meritò nuncupatur ab Apoſtolo Iacobo c. 1. n. 17. Huc ſpectare videntur Iſidorus, Epiphanius, Chryſoſtomus. Siquidem ab Iſidoro Peluſiota lib. 1. Sacerdos, Eccleſiæ lumen nuncupatur. Et S. Ioan: Chryſoſt. lib 6. de Sacerdotio c. 4. ait, Sacerdotis animum eſſe luminis inſtar, vniuerſum orbē illuſtrantis. Immo clariùs hom. 10. in primum ad Timoth. contendit, Sacerdotes, velut magnos igneoſque Soles ſplendere in Eccleſia, qui alios tanquam ſtellas obſcurent. Vt propterea S. Epiphanius in Ancor. Sacerdotes in hunc modum alloquatur. *Solem, vel tacentes imitemini, qui ſilens ipſe omnes vbique terrarum inſtituit.* Ergo Sol idē & Dei, & Sacerdotum hieroglyphicum eſt; vt ſicut Deum, tanquam luminum patrem, ita Sacerdotem, tanquam ſiderum, hoc eſt Sanctorum veneremur anteſignanum. vtrumque Deum; illum eſſentia, & natura; hunc verò dignitate, & miniſterio.

Sol, & Dei, & Sacerdotum hieroglyphicum.

Iam verò intelligo quid ſibi velint ſapientiſſimi Patres, atque ſanctiſſimi Ambroſius, Chryſoſtomus, Clemens alexandrinus, Dionyſius, Epiphanius, Ephrem, Hilarius, Origenes, Philo, Theophanes; qui ſublimioribus præconijs conantur inſinuare Sacerdotis dignitatem, veriùs Diuinitatem. Vnde Ambroſius non modò in cap. 1. Epiſt. 2. ad Timoth. Sacerdotem conſalutat ducem Diuinitatis; verùm etiam ſer. 8. in pſal. 118. Sacerdotem Deo, nō ſibi natum eſſe decernit. Chryſoſtomo, non modò hom. 7. In Epiſ. ad Epheſ. maior Angelis Sacerdos videtur; ſed etiam lib. 6. de Sacerd. cap. 4. prædicatur, quaſi omnium pater; videlicet Deus alter, qui pater omnium nuncupatur, & eſt; cùm ab eo, tanquam à parente, omnia ducant originem. Sacerdotes, inter electos, maximè eximios vocat Clemens alexandrinus. Dionyſius verò Areopagita de Eccleſ. hierarc. proponit Sacerdotes *Omni ſtatu ſuo, atque habitu, ſimillimos Deo.* Hinc Epiphanius affirmare non dubitat lib. 2. Sacerdotis honorem, ac dignitatem incredibilem eſſe. Hinc ab Hilario creditur Sacerdos, eſſe debere ſator æternitatis. Hinc exclamat S. Ephrem de dignit. Sacerd. Sacerdotium ſtupendum miraculum, & inexplicabilem poteſtatem. Hinc monet Origenes in Leuit. hom. 5. in fine, Sacerdotis pectus plenum Deo eſſe debere. Hinc Philo hebræus lib. de Gigant. ſcribit: Sacerdotes ſublimiores eſſe omnibus rebus ſenſibilibus. Hinc tandem Theophanes Nicænus Epiſcopus, Epiſt. 3. Sacerdotem, velut alterum Creatorem veneratur, quòd Corpus Chriſti conficiat. Vt iàm nequeat in controuerſiam reuocari Sacerdotem eſſe inter homines Deum.

Sacerdotis dignitas à SS. PP. variis titulis exprimitur.

Quibus ita conſtitutis, continere me non poſſum quin Sacerdotes verbis compellem ijſdem, quibus olim compellauerat Saluianus lib. 2. de Eccleſ. Cathol. *Cunctos, qui ſacri altaris ſuggeſtu eminent, tantum excellere oportet merito, quantum gradu.* Quantum verò præſtare cæteris morum integritate par eſt eum, qui tantū dignitate præcellit, vt inter Deos referendus eſſe non immeritò prediceretur? *Dij*, verba ſunt B. Petri Damiani Opuſc. 6. cap. 10. *& Chriſti dici reperiuntur, propter accepti miniſterij ſacramentum.* Ergo quàm longè abeſſe debet à Sacerdote aut vitij contagio, aut corruptela morum? Longiſſimè ſanè; cùm omni tempore, & ab ipſis etiam ſuperſtitionis impiæ fæce commaculatis

Sacerdotis puritas quāta eſſe debeat.

tanto

tanto in honore habiti fuerint Sacerdotes, vt nullam fœditatem, veſtigium turpitudinis nullum tolerarent in eo, qui Sacerdotis officio fungeretur. Quod quidem teſtatur Seneca declamationum quarto, vbi ſic ait: *Sacerdos integer ſit. Metellus Pontifex cùm arderet Veſta templum, dum rapit Palladium, oculos perdidit: Sacerdotium illi negatur.* Et mox contra eundem Metellum: *Sacerdos non integri corporis, quaſi mali ominis res vocanda eſt. Hoc in victimis notatur, quantò magis in Sacerdotibus?* Dignitas Sacerdotis nullam patitur humanæ notam deformitatis, quia longè ſuperat humanam conditionem. Humani nil habeat, qui inter homines Deus eſt. Refert ex Egeſippo Cælius lib. 12. cap. 2. mutilos, vel notatos aliquo vitio, incapaces, atque indignos fuiſſe olim habitos Sacerdotij dignitate. *Dignum ſcitu* (verba Cælij loc. cit.) *quod adnotatum Egeſippo eſt Iudaorum exeidy primo, Antigonum facto in Hyreanum impetu, aures illi mordicus præſecuiſſe, ne quando commutatis rebus, reditus ad ſacram pateret perfunctionem; ſummum quippe Sacerdotem haud eſſe parte vlla diminutum conuenit; nec omnino per legem licet, vt mutilato corpore, ſummo quiſpiam admoueatur Sacerdotio.* Iſta perpendant noſtri temporis Sacerdotes: ex his diſcant, quàm mundi nitere debeant, quantaque diligentia cauere, ne vitia, aut prauæ cupiditates dilaceratam mutilent animam, mentemque diſcerptam diſſectamque dilanient. Audite Sacerdotes monentem Cyrillum Alexandrinum in cap. primum Malachiæ: *Si quis ſemetipſum*

A *Deo ſacrauerit; inquirat diligenter in res ſuas, & velut ſedulus vitiorum animæ ſuæ inſpector fiat: videat ne fortè cæcus ſit, perfectæ veritatis lumen in præcordijs non habens: ne pede claudicet, & ad omne bonum rectà ingredi haud poſſit.* Immo audiant, quod pudet dicere, ethnicum monitorem Plutarchum in quæſt. centur. Roman. ſic loquentem: *Cur interdictum fuit Sacerdotibus, qui vlcere laborabant, auſpicio operam dare? Verùm hæc quoque nota eſt non debere pungi, neque proprium vlcus, vel vitium habere in animo illos, qui rebus diuinis vacant: verùm expertes eſſe ægritudinis,*
B *ſanos, non interpellatos.* Sedula cogitatione verſanda ſunt hæc, vt quæ Sacerdotis chriſtiani ſint partes, nunquam non habeamus ob oculos. Immo potiùs hæc miſſa fiant, & obliuioni mandentur; dummodò nunquam excidat corde Sacerdotum vox illa cæleſtis oraculi: *Dixi Dij eſtis.* Ego ſanè ſuggerere debeo hoc loco, quod legi apud Theophanem Nicænum epiſt.
C 3. cit *Sacerdotem eſſe debere diuinum atque cæleſtem, qui aliorum hominum conditionem longè præter-uehebatur.*

IN CAPVT OCTAVVM

Num. I V.

Et ait illi Ieſus: Vide, nemini dixeris: ſed vade, oſtende te ſacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyſes, in teſtimonium illis.

PARADOXVM III.

Silentium ſermone præſtantius.

PLACET percunctari, cur Chriſtus Dominus non ſolùm hoc loco, ſed etiam infra cap 16. n. 20., & alibi ſæpe ferat ſilentij legem, & quidem ſeriò, atque ex profeſſo. *Vide, nemini dixeris*. Cur, obſecro, nefas ſit de ijs loqui, quæ maximè vulganda eſſe videbantur, vt palam fieret Chriſtum Dominum eſſe miſerorum perfugium, mũdi columen, natumque ad ſolatium, & leuamen humanæ calamitatis? Hæc cogitanti mihi, atque attentiùs perpendenti venit in mentem breue, ſed cæleſti plenum doctrina apophthegma D. Gregorij Nazianzeni or. 12. ſeu prima de pace ſub initium: *Silentium ſermone præſtantius*. Quod oraculum, ſi fortè mirum videtur ac nouum; aio non modò verum eſſe hoc Naziãzeni effatum, ſatis ſuperque commendans ſilentium; verùm etiam affirmare non dubito nil à nobis Deo rerum opifici maximo offerri poſſe ſacratius, aut diuinius ipſo ſilentio.

Abnuis? recole, obſecro, quod ſcribit Guarricus Abbas ſer. 3. de Annunt. vbi inueſtigans, inter Chriſti Domini pro noſtra ſalute geſta humilitatis opera, cui nã princeps debeatur locus, decernit (quis crederet?) decernit, inquam, deberi ſilentio no-

B uem illorum menſium, quibus materna intra viſcera delituit. Verba Guarrici ſunt: *Omnium humanarum infirmitatum, vel iniuriarum, quas pro nobis pertulit diuina dignatio, ſicut tempore primam, ſic etiam humilitate ferè maximam exiſtimo, quòd in vtero concipi, in vtero, nouem menſium tempore, maieſtas illa inenarrabilis circumſcripta paſſa eſt contineri*: Et poſt pauca: *Non ſic in cruce viſus eſt infirmus; quando & moriens glorificat latronem, & expirans inſpirat Centurionem. In vtero autem ſic eſt, quaſi non ſit: ſic omnipotentis virtus vacat, quaſi nihil poſſet; & Verbum æternum ſub ſilentio ſe premit*. Pende hæc vltima *Silentium inter Chriſti opera præſtantiſſimum.*

C verba; quæ declarant, quantum, ac quale ſit opus illud, quod ipſis iniurijs, opprobrijs, turpiſſimaque morti præfertur; videlicet, *Verbum æternum ſub ſilentio ſe premit*. Sicut ergo æterni Verbi ſilentium omnium pro noſtra ſalute à Dei filio factorum, præcellentiſſimum eſt; ita & noſtrum pro eius amore ſilentium ſacratiſſimum, diuiniſſimumque ſacrificium eſt. Cum enim per ſilentium verba Deo offeramus, hoſtia nulla poteſt excogitari, aut inueniri victima gratior ei, qui verbùm dicitur, & eſt. Præſertim ſi magnus Gregorius ſit audiendus hom. 12. in Ezechiel. dicens: *Silentium eſt verbi nutrimentum*. Quaſi verò *Silentium nutrimentũ verbi.*

D virtutibus reliquis ipſe nos paſcat; ſed per ſilentium à nobis ipſe nutriatur.

Neque ſanè aptiùs, aut digniùs Diuina Maieſtas ab humana poteſt infirmitate laudari, quàm ſilentio: vt ex duplici ratione manifeſtum ſit: quarum altera à ſacris literis petitur; altera verò ducitur à teſtimonio Patrum. Primam ſuggerit celebre illud, vel monitũ, vel oraculum Chriſti Domini Matt. 5. 16. *Sic luceat lux veſtra corã hominibus, vt videant opera veſtra bona*. Cur luci chriſtianæ pietatis opera cõparentur, diſce ex Philone lib. de Abel, & Cain dicẽte. *Vera bona ex ſe ipſis naturaliter voce*

emittere

Silentium vocale.

naturaliter vocem emittere, etiam ſi ſileant. In quam ſententiam ſimiliter protulit Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt. 1. *Silentium quouis tuba clarius* : cùm videlicet non vocibus, ſed moribus ſancti viri omnes erudiunt. De loquaci hoc, vocalique ſilentij genere loquor, cùm ſilentium commendo. Hoc illud ſilentium eſt ſuper omnia placens Deo; gaudet enim ſilentio vocis, dummodo loquamur operibus, is qui dum loquitur, operatur : *Dixit & facta ſunt*. Pſal. 148. nu. 5. In quem locum Ambroſius lib. 4. de Sacram. cap. 4. ait: *Sermo Chriſti is, quo facta ſunt omnia. Iuſſit Dominus, & factum eſt cælum : iuſſit Dominus, & facta eſt terra : iuſſit Dominus, & facta ſunt maria : iuſſit Dominus, & omnis creatura generata eſt. Vides ergo quàm operatorius ſit ſermo Chriſti.* Ecce nos è contrà loquamur operibus; *Silentij enim ſermo* (vt verbis vtar Nazianzeni, ep. ad Celuſium) *inſtar mutæ picturæ loquens*. Loquamur, inquam, ſermone huiuſmodi, vt iuxta tenuitatis noſtrae vires reſpondeamus ei, qui operatur loquendo. Gratiſſimum porrò futurum eſt ſilentium noſtrum Deo, vt altera, quam S. Leo inſinuat, ratio demonſtrat apertè. Per ſilentium quippe idem Deo quodammodo reddere videmur, quod à Deo accipimus. Hoc autem retributionis genus Summo rerũ Principe dignum dicitur à S. Pontifice ſer. 6. de Natiuit. his verbis : *Non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis; qui non aliter piè colitur, niſi id ei, quod ipſe tribuit, offeratur*. Ergo, vt pari pietate colamus Deum, id ei tribuere debemus, quod ipſe obtulit : cùm autem Verbum ipſe tribuerit nobis; vt pro modulo noſtrae tenuitatis, tanto largitori reſpondeamus, & nos verba noſtra, ſilentij, ſacrificio offerre par eſt. *Omnipotens ſermo tuus exiliens de cælo à regalibus ſedibus* veniſſe dicitur Sap. 18. nu. 15. ad exaggerandam Dei erga homines benignitatem : non obſcurè (ſi fas eſt magnis componere parua) adumbrabit hominum erga Deum religionem, ſi è contrà noſtrum illi ſermonem immolemus. Sicut enim nihil difficilius eſt, vt habetur ex cap. Iob. 4. num. 2. *Conceptum ſermonem tenere quis poterit* ? ita nil glorioſius Deo, quàm pro eius reuerentia tacere.

Vox Dei operatrix.

Silentium noſtrum digna Deo retributio.

Quod cùm maximi ſit momenti, mirum videri nõ debet, ſi Deus ipſe nos id docere voluerit. Vnde per Sophoniam cap. 3. nu. 17. ſic loquitur. *Dominus Deus tuus in medio tui, fortis ipſe ſaluabit, gaudebit ſuper te in lætitia, & ſilebit in dilectione*

Silentij magiſter Deus.

A *ſua*. Ex hebræo verbum, ſilere, hoc loco à noſtra vulgata vſurpatum, ſonat, quieſcere. Videtur igitur hic ſignificari per ſilentium guſtus ille, ſeu plena ſatisfactio, quam quis percipit, dum fruitur re concupita; tunc enim nil quærit, nil optat, & ſilentio aperit manifeſtè ſe nihil aliud velle. Dicitur Deus ſilere in dilectione ſua; quia dilectione ſua ſe ipſo beatus, nullius rei indigus eſt. Vtinam et tu ſileas in dilectione Dei : ille vtique ſilet qui, quod quærat nil habet, Deo ſuo contentus. Præclarũ ſanè ſilentiũ; quia ſilere quieſcere eſt: vnde S. Bernardus Epiſt. 90. ad Ogerium canonicum regularem ſcribebat: *quos amamus,*
B *in ipſis profectò requieſcimus.* Itaque ſi ſilere quieſcere eſt, & rurſus in eo ſolum quieſcimus quem amamus; æterni proculdubio eſt fructus amoris ſilentium, de quo loquimur. Nulla cordis noſtri vox reſonet, qua caduca, & labentia optemus : ne verbum quidem faciant mentis noſtræ affectiones, quo ſeſe cupidas demonſtrent rerum terrenarum; ſed ſileant Deo, hoc eſt, Deum ſolum ament, Deoque fruantur. Erit indicium, & cauſa amoris, cordis, oriſque ſilentium in honorem Dei. Hoc porrò non omnium eſt, ſed præſtantium virtute virorum, & præcellenti ſanctimonia, planè regum, ex Iſaiæ vaticinio cap. 52. nu.
C 15. *Super ipſum* (loquitur de Chriſto Domino) *continebunt reges os ſuum*. Videlicet nullum conuenientius Deo obſequij genus, quàm quod petitur à ſilentio.

Silentium amoris index.

A ſilentio præſtãs Dei laus.

Hinc facilè percipere poterimus Sanctiſſimi ſententiam Sponſi, qui Cant. 4. poſt enumeratas Dilectae ſuæ permultas, eaſque eximias prærogatiuas num. 11. ſubdit : *Fauus diſtillans labia tua Sponſa, mel, & lac ſub lingua tua*. Fauo mel diſtillanti labia comparantur; videlicet mellis opus conficitur ab apibus, animalculis ſilentij vſque adeò amantibus, vt, ſi vel ipſa vocis imago reſonet, fugiant, & mellificare deſiſtant. Vnde
D Varro lib. 3. Ruſt. cap. 16. de apibus loquens ait: *Primùm ſecundum villam, potiſſimum vbi non reſonent imagines* (ſcilicet vocum) *hic enim ſonus harum fuga exiſtimatur eſſe*. Scio ab Ariſtotele 1. metaph. c. 1. affirmari, non percipi ab apibus ſonos; ſed ſcio etiam à Plinio cap. 20. lib. 11. Ariſtotelem derideri. Cùm igitur apes ita ſilentio gaudeant, vt ſi Echo, ſeu vocis imago reſonuerit, nequeant mellificare; mirum non eſt, ſi ad laudes Sponſæ declarandas, eius labia diſtillanti fauo conferantur : *Fauus diſtillans labia tua ſponſa*. Mel, cuius dulcedine Deus ipſe delectatur; cum ſit fructus ſilentij.

Apes ſilentium docẽt.

Ex Ariſtotele apes non audiũt.

Deridetur à Plinio Ariſtoteles.

G 3 Vide

Vide quam meritò dici debeat: *Silentium ſermone præſtantius*. Labia animæ quæ ſponſa Dei eſt, in morem apum mellificantium, tam arcta ſilentij lege teneantur, vt non modò non proferant verba, ſed ne alios quidem loquentes vocis ſonum patiantur emittere; alioquin carebunt mellificio. Aptari poſſe videtur in rem præſentem monitum illud Giliberti ſer. 18. in Cant. dicentis: *Memento os tuum cæleſtibus oraculis conſecratum: ſacrilegium puta, ſi quid non dulce, non diuinum, non de ſacra pagina ſonet*. Parum eſt dulce eſſe debere quicquid ex ore cadit animæ ſponſæ Dei; immo dulcedo ipſa fluere perenniter debet ex labiorum ſauo. Mel porrò vt confici poſſit, ſilentium in primis eſt neceſſarium.

Quanta linguæ cuſtodia.

B

Obſeruat S. Petrus Chryſologus ſer. 92. magnum, Chriſti oraculo, Ioannem ſilentij fuiſſe filium: Sic autem habet: *Pater tacet ex pœna, ex verecundia mater celat. O quanto ſilentio vox naſcitur! ô quanta taciturnitate tuba ſeculis inclamatura generatur!* Nos ſanè ſi ab effectus dignitate cauſæ præſtantiam deducere ratiocinando velimus; cum nullum inter natos mulierum Ioanne maiorem nouerimus; quid ſentire debeamus de ſilentio, cuius Ioannes ipſe, quantus quantus eſt, fructus fuit, ſit ſine dubio manifeſtum. Redemptoris noſtri Baptiſta ex ſilentio naſcitur: proh quales Deo proferet fructus ſilere qui nouerit! Hoc profectò ſilentium illud eſt, quod ſermone efficacius meritò dicitur à Nyſſeno orat. in laud. Baſilij. Hic ego maximè vellem attentos, qui putant nullius, vel parui eſſe momenti ſilentium ad exornandum perficiendumque hominem ſanctitatis eximiæ ſtudioſum. Salomonem ſanè virorum ſapientiſſimum, longè aliter ſenſiſſe comperio Pro. 16. nu. 1. *Hominis eſt animam præparare, & Domini gubernare linguam*. Tantæ molis eſt linguæ modum præſcribere, vt, cùm Domini opera requiratur, iure haberi poſſit humana conditione maius, planèque diuinum. *Hominis eſt animam præparare, & Domini gubernare linguam*. Opportunè infert Auguſtinus ſer. 4. de verbis Domini. *Ergo intelligamus chariſſimi, quia, ſi linguam nullus hominum domare poteſt, ad Deum confugiendum eſt, qui domet linguam noſtram. Tu enim cùm domare volueris, non potes, quia homo es: linguam enim nullus hominum domare poteſt. Attendite ſimilitudinem ab ipſis beſtijs, quas domamus. Equus non ſe domat, camelus non ſe domat, elephas non ſe domat, leo non ſe domat: ſic & homo non ſe domat. Quemadmodum ergo, vt domentur equus,*

Silentij filius Ioannes.

C

Linguam moderari opus diuinum.

D

A *bos, camelus, elephas, leo, quæritur homo; Sic Deus quæratur, vt domettur homo*. Digna Auguſtino ratiocinatio; cum enim Salomone auctore didicerit non humanum, ſed diuinum eſſe opus linguam in officio continere, infert. *Ergo Deus quæratur, vt dometur homo*. Quaſi totius diſciplina hominis habeatur, lingua bene gubernata. Nil inordinatum, nil à recta ratione diſſonum, nil non ſanctum poterit in homine inueniri, domita lingua. Quid igitur excogitari præſtantius poteſt ſilentio? cùm ex D. Baſilio definiri debeat, *Gymnaſium bene loquendi*, vt aſſerit, & oſtendit cap. 13 in regulis fuſiùs diſputatis. Et negabis, *ſilentium ſermone præſtantius*, cùm non modò artem bene loquendi, ſed præcepta etiam tradat cum laude viuendi? Idem enim eſt linguam coercere, & hominem, vitiorum ablata ſeritate, omni virtutum genere cumulare. *Deus quæratur vt dometur homo*. Pudet me ethnicorum autoritate ſapientium vti: dicerem alioquin cum Sophocle: *Decorum ſilentium corona eſt viri boni*: cum tanti ſit momenti noſſe tacere, vt coronam probo homine digniore cogitatione aſſequi nequeamus.

Silentium, gymnaſium bene loquendi, & bene viuendi.

Teſtes profero Iſaiam, & Suſannam cum declaratione S. Ambroſij, vt quantum ſilentio ſit tribuendum, clariùs percipiamus. Iſaias cap. 6. uu. 6. & 7. de ſe ſic ſcribit: *Et volauit ad me vnus de ſeraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua*. Ergo nullus ſupererit iniquitati locus, lingua per ignem expiata? Ita ſanè. Sed aduertendum eſt id ne ab ipſis quidem Seraphim perfici poſſe. Vnde Iſaias ſignanter inſinuat verba à Seraphim prolata: *Et dixit: Ecce tetigit hoc labia tua*. Non quia ego tetigi auferetur iniquitas tua, ſed quia ignitus carbunculus tetigit. Satius erit Ambroſium proferre lib. 1. de Spiritu ſancto cap 9. ſic loquentem: *Abſtulit, & circumpurgauit. Non ego abſtuli, ſed ignis ille de altari Dei, hoc eſt, gratia Spiritus Sancti*. Non humanum, non angelicum; ſed diuinum eſt leges linguæ præſcribere. quod quidem tanti refert, vt omnis omnino iniquitas auferatur. Auferetur autem à ſilentio; cum ſilentium ſit *gymnaſium bene loquendi*: hoc eſt, illud ipſum perfecit ſilentium, quod præſtat ſolus Deus. Præclarum eſt Suſannæ exemplum, quæ maluit iniuſtè iniuſtam impudicitiæ notam tolerare, quàm ſilentij leges violare. Sed mirum non eſt; ſciebat enim ſilentij amantem turpem haberi non poſſe; purgatis quippe per ſilentium

Linguæ cuſtodia ſanctitatis mater.

Silentium cum peccato nequit coniungi.

labijs,

labijs, omnis auferatur iniquitas neceſſe eſt. Lege caput 13. Danielis, vbi Suſanna ſiſtitur coram iudicibus, & veluti turpiſſimi rea criminis, de fortunis, de capite, de fama periclitatur. Ipſa verò inter accuſatorum iurgia, inter circunſtantium irriſiones, inter minas iudicum, inter calumnias impudicorum, inter ſatellitum iniurias, ſilet; quaſi pluris faciat ſilentium, quam bonam famam. Num. 35. cit. cap. dicitur de Suſanna: *Quæ flens ſuſpexit in cælum, erat enim cor eius fiduciam habens ad Dominum*. Textum hunc S. Ambroſius lib. 3 de Spir. Sanct. cap. 8. illuſtrat his verbis: *Illa, quæ maluit ſibi caſta eſſe quàm populo; illa, quæ maluit innocentiæ ſubire periculum, quàm pudoris; quæ cùm accuſaretur, tacebat; cùm damnaretur, ſilebat; ne extorſiſſe petulantiam viderentur, qui extorquere non potuerant caſtitatem*. Credidiſſent fortaſſe nefarij pudicitiæ inſidiatores fore, vt facilè poſſent innocẽtiam expugnare, ſi integerrima mulier leges ſilentij violaret; nil enim tam nefarium eſt, cui non patefaciat aditum loquacitas. Et è contra Suſanna ſolo ſilentio & famæ conſuluit, & integritati. Nos interea à tam ſpectandæ modeſtiæ heroina diſcamus, longè præſtantius eſſe ſilere, quàm loqui: Vtinam, ſi ſe offerat occaſio tolerandi aliquid, malimus videri peccatores pro Dei gloria, quàm eſſe loquaces.

Silentio Suſanna conſuluit pudori.

Accedit ſuffragio ſuo S. Petrus Damianus huc reuocans notum illud Dei præceptum, quo iuſſit, vt in ædificatione templi Hieroſolymitani nullus omnino ſtrepitus ferramentorum reſonaret. Propterea 3. Reg. 6. num. 7. *Malleus, & ſecuris, & ferramentum non ſunt audita in domo*, ſcilicet Domini, *cùm ædificaretur*. Quod in hunc modum interpretatur Damianus lib. 7. epiſt. 6. ad ſolamen Imperatricis Agnetis: *Dum ſtrepitus humani ceſſat alloquij, conſtruitur in te per ſilentium templum Spiritus Sancti, Templum quippe Dei per ſilentium creſcit; quia cùm mens humana per exteriora ſe verba non fundit, in ſublime faſtigium ſpiritualis ædificij ſtructura conſurgit, tantòque ſuccreſcens in altiora ſuſtollitur, quantò per ſilentij cuſtodiam circumcluſa, ſe ſe extrinſecùs fundere prohibetur. Cuſtos enim iuſtitiæ ſilentium*. Si tantopere ſilentio proficimus, ſi tantum taciturnitas prodeſt; quis non eligat potiùs ſilere, quàm loqui? Silentium iniquitatem omnem aufert; ex Iſaia: ſed hoc parum eſt: omnium præbet ornamenta virtutum, ſpiritualis molem ædificij perducens ad culmen. Quid ergo dici; immo quid excogitari poteſt præſtantius? Con-

Silentio fit anima Dei templum.

A fert ſanè quàm maximè ſilentium ad imbuendum virtutibus animum: quod etiam agnouiſſe videntur ſtudioſi philoſophiae, licet chriſtianae ſapientiae luce deſtituti. *Vnde puto*, inquit S. Ambroſius ſer. 2. in pſal. 118. *Pythagoram inſtituiſſe ſectam, vt diſcipuli ſui quinquennio non loquentes, tanto ſilentio loqui diſcerent*. Verè Gymnaſium bene loquendi ſilentium eſt. Et, quod inde conſequens eſſe videtur, fit, vt ſit germanae ſchola pietatis, & palaeſtra virtutum. Hinc porrò facili quiſque negocio aſſequetur, quod ſcribit S. Hieronymus in regula Monachorum cap. 22. tractans illud lib. 3. Reg. cap. 19. nu. 11. & 12., vbi

A ſilentio diſciplina bene loquẽdi.

B dicitur Dominus non in commotione, ſed in ſibilo aurae tenuis apparuiſſe. Verba textus ſunt: *Ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis, & fortis ſubuertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in Spiritu Dominus, & poſt ſpiritum commotio: non in commotione Dominus, & poſt commotionem ignis: non in igne Dominus, & poſt ignem ſibilus auræ tenuis*. In hunc locum cit. Hieronymus ſic ait: *Plures me reperiſſe non ambigo, qui per ſeptennium nullum prorſus verbum homini alteri emiſerant, ſcientes quòd non in commotione Dominus poteſt haberi*. Hic ego non modò animaduerto, per ſilentium, iuſti animam fieri templum Dei; verùm etiam

C multò magis animaduerſione dignum cenſeo diſcrimen inter ſectatores Pythagoræ, & diſcipulos Chriſti. Illi, vt refert Ambroſius, quinque annorum ſpatio; iſti verò, vt aſſerit S. Hieronymus, annis ſeptem ſiluerunt: fortaſſe vt ex ipſo numero annorum, quantum inter ſe differant humana, & cæleſtis ſapientia, percipiamus. Septenarius ſanè numerus perfectionem ſignificat; vt fusè facta inductione probat Clemens Alexandrinus lib. 6. ſtromat. non multò ante finem; vbi profert ſeptem eſſe primogenitos Angelorum principes, ſep-

Silentium Chriſtianorum perfectius ſilẽtio pythagoreorum.

Septenarius perfectionis numerus.

D tem ſtellas errantes, quæ terram adminiſtrant: ex inerrantibus ſeptem ſunt Pleiades, totidem ſtellis conſtant Vrſæ, per quas & agricultura exercetur, & nauigatur: Luna ſeptimo quoque die figuram mutat. in humana facie ſeptem ſunt inſtrumenta ſenſuum: ex quibus, alijſque ibidem allatis concludit Clemens in fauorem ſeptenarij numeri, eidem tribuens perfectionem. Nos ergo ſiſtentes in perfectione, quam ſeptenarius numerus ſignificat, dicamus ſeptennio ſiluiſſe diſcipulos Chriſti, vt ex ſeptem annorum ſilentio Chriſtianæ, quam profitentur, perfectionem philoſophiæ intelligamus. Nihil in Chriſti ſchola reconditum eſt, aut difficultatibus implicatum,

A ſilentio Chriſti diſcipuli in ſchola virtutis perficiuntur.

catum, quod non perdiſcant qui nouerint ſilere. *Cuſtos iuſtitiæ ſilentium* dicat meritò Damianus. *Gymnaſium bene loquendi* ſilentium dicat Baſilius. Et nos ſtatuamus non ex Pythagoræ ſchola, humanam ſapientiam, rudem illam, atque imperfectam; ſed in Chriſti lyceo ſupernæ donum ſapientiæ obtineri omnibus abſolutum numeris, ſeptem annorum ſpatio cuſtodito ſilentio. Nullum ſupererit iniquitatis veſtigium, nullum virtutis deſiderabitur ornamentum, nihil ſanctum, nihil excelſum, nihil diuinum in eo deeſſe poterit, qui ſeptem annorum, hoc eſt, perfecto ſilentio ſuam linguam nouerit cuſtodire. Quinque annorum ſilentio affectabant philoſophi nomen Pythagoræ auditores: quantò æquiùs viros illos Chriſtianæ veritatis ſtudioſos, non quinque, ſed ſeptem annorum ſpatio ſilentes, philoſophos, hoc eſt germanæ ſapientiæ nuncupabimus ſectatores; cùm à Climaco gr. 4. dicatur. *Vir tacitus, Philoſophiæ filius.*

Vir ſilens filius Philoſophiæ.

Exemplo res fiet clarior. Præbebunt autem exemplum duo conſiliarij Abſalon, Achitophel, & Chuſai. Achitophel, vt habetur 2. Reg. cap. 17. à num. 1. & deinceps, ſpondet ſe nocte eadem vaſtaturum exercitum Dauid, eundemque regem è medio tollendum eſſe promittit. Chuſai reijcit datum ab Achitophel conſilium; & Dauid Chuſai monitu euadit periculum. Num. 14. cit. cap. ſic habes: *Dixitque Abſalom: & omnes viri Iſrael: melius eſt conſilium Chuſai Arachitæ conſilio Achitophel: Domini autem nutu diſſipatum eſt conſilium Achitophel.* Placet allegorica Hugonis expoſitio, his verbis à Thilmanno in Alleg. allata: *Chuſai interpretatur ſilentium, Achitophel ruina fratris. Deſtruit igitur Chuſai conſilium Achitophel; quia per ſilentium illorum, qui ſunt quaſi*

Silentium à præſenti diſcrimine vindicat.

A *ruina fratrum, annihilatur conſilium.* Silentio linguæ ſuæ frænum inijcere, non tyronum eſt exercitatio, ſed laus perfectorum. De perimendo Dauid, & exercitu Dei fugando, perdendoque florentiſſimi regni robore agitur: quod totum ſilentio committitur. Silere ſi noueris, omnia tuta: ſi linguam nequeas cohibere, præceps ruas neceſſe eſt; & vires etiam validiſſimæ contererentur, ſi Chuſai conſilium, hoc eſt ſilentium deſit. Conentur propterea inſinuare vtilitatem, dignitatemque ſilentij viri ſapientia praeſtantes, & religione venerabiles: *Silentium præclara res eſt* (verba B. Diodochi de perfectione ſpirituali

Silentium virtus perfectorum.

B cap. 70.) *nihilque aliud quàm mater ſapientiſſimarum cogitationum.* Silentium *Mater virtutum* appellatur à B. Antiocho hom. 103. *Silentium religioſi vita* nuncupatur à B. Petro Damiano epiſ. 39. ad deſid. Silentium *innocentiæ lex* praedicatur à S. Ambroſio lib. 1. de offic. cap. 3. Silentium *murus mentis* aſſeritur à S. Greg. lib. 7. moral. in fine. & à Bernardo ſer. 2. de mutat. aquæ in fine definitur Silentium *cuſtos religionis.* Nihil, nihil eſt in omni religioſa vita tam ſanctum, nil tam vtile, nil tam opportunum, quod poſſit cum ſilentio comparari. Id quidem adeò perſpicuum eſt, & meridiana, quod aiunt, luce

Silentium mater virtutum, vita religioſi, lex innocentiæ, murus mentis, cuſtos religionis.

C longè clarius; vt, quod initio credebamus magni Nazianzeni monitum eſſe: *Silentium ſermone præſtantius*: comperiamus iam dictum fuiſſe tritum, & vulgare tam Euripidis in Oreſt., quàm Plutarchi de educand. liberis, pronunciantium. *Silentium tempeſtiuum magna ſapientia eſt, & omni ſermone præſtantius.*

Videri poteſt P. Didacus de Baeza tom. 2. in Euang. hiſt. lib. 10. cap. 9. §. 9. tom. 3. lib. 14. cap. 20. §. 19.

IN CAPVT OCTAVVM

A Num. V. ad XIV.

Cùm autem introiſſet Capharnaum, aceſſit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Ieſus: Ego veniam, & curabo eum. E reſpondens Centurio, ait: Domine, non ſum dignus vt intres ſub tectum meum: ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites: & dico huic Vade, & vadit: & alii Veni, & uenit: & ſeruo meo Fac hoc, & facit. Audiens autem Ieſus miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael. Dico autem vobis, quód multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cælorum: filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Et dixit Ieſus Centurioni: Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi. Et ſanatus eſt puer in illa hora.

Et

PARADOXVM IV.

Vita præſens fabula eſt, & homines mundi perſonati.

DEPONIT in euangelico Centurione perſonam humana felicitas. Mirari etenim cõſueuimus, tanquam homines humana cõditione maiores, eos, qui magiſtratuum inſignibus fulgent, & pluribus imperant. Sed re ipſa ærumnis premuntur, & vexantur calamitatibus Dynaſtarum æquè, atque plebeiorum domus, vt in Centurione ſatis eſt manifeſtum. Accedit enim is, qui ſub ſe milites habere gloriatur, modo in genua prouolutus; & dum domeſticas exponit ærumnas, docet nos quid ſentire debeamus de eâ, quam ſola hominum opinio facit felicitatem. Hac ergo occaſione, ad correctionem dixerim, an ad inſtitutionem eorum, quos veſana fallit opinio perſuadens beatos eſſe, quos præſtantes honoribus demiratur, ſtatuo, tanquam effatum certiſſimum, vitam præſentem fabulam eſſe, & homines mundi perſonatos.

Ex antiquis philoſophis, & ſacris Romanæ reipublicæ Patribus fuere præclariſſimi quique, nec oppidò pauci, qui, cùm humanæ vitæ rationes, conſtantemque ſibi vel in ſola fictionum varietate, vel in vna deceptionum multiplicitate diſcordiã contemplarentur attentiùs, eam fabulæ, quæ in theatro datur, perſimilem eſſe docuerunt. Etenim ſicut in fabulis tragœdijſque; ita prorſus in hoc mortalitatis theatro primarum ſecundarumque partium munera, exercitationes, officia, vultus à multis interea referuntur; donec mortis vero interueniente diſcrimine, aliena quodammodo non tam facies, quàm perſona deponatur; & quem quiſque corporis, animique cultum ſuis ſibi virtutibus, ſuo ſibi labore fabrefecerat, auſpicijs æternitati proludentibus, induat; habitumque ſiue auguſtæ mentis, ſiue indecoro puluere ſordidæ retineat æquabiliter immortalem. Petronius certe Arbiter, improbandus cæteroqui autor, in Satyric.

A Ita cecinit pereleganter.

Grex agit in Scena mimum, pater ille vocatur, — Mimus humanæ vitæ.
Filius hic, nomen diuitis ille tenet.
Mox, vbi ridendas incluſit pagina partes,
Vera redit facies, diſſimulata perit.

Verùm, vt clariùs procedamus, duo ſuperius propoſita diſtinctè illuſtremus. Primum quidem, vitam, quam ducimus, fabulam eſſe; alterum verò, quod conſequi videtur ex primo, homines mundi eſſe perſonatos, Vt hinc diſcamus quo ſit habenda in pretio vita tam fallax, & quam in hominibus ſpem collocare poſſimus, quos
B nouerimus, inducta perſonâ, deceptores.

Neque verò, vt à primo incipiam, vnum aut alterum, ſed innumeros penè teſtes afferre pro me poſſum in præſentia, eoſque omni literaturæ commendatione præſtantes: videlicet Senecam, Suetonium, Horatium, Iuuenalem, Apuleium, Gregorium Theologum, Auguſtinum, Chryſoſtomum, Epiphanium, Boetium, Epictetum, Ficinum; quorum placita, Eccleſiaſtico præeunte, apud quem cap. 20. num. 21. *Homo acharis, quaſi fabula vana nuncupatur*, libentiùs recitabo. Seneca epiſt. 77. ſic claudit. *Quomodo fabula, ſic* — Homo fabula.
vita, non quamdiu, ſed quàm bene acta ſit,
C *refert: nihil ad rem pertinet, quo loco deſinas, quocumque voles deſine, tantùm bonam clauſulam impone*. Et 115. poſt medium, loquens de quadam Euripidis tragœdia, quæ data fuerat, ait: *Dabat in illa fabula pœnas Bellerophontes: quas in ſua quiſque dat*. Dum vitam ducimus fabulam noſtram damus, & eam quidem pœnis grauem. Clariùs idem Seneca hanc ſententiam explicat lib. 6. de benef. c. 30. in fine his verbis. *Ingentia ſuper ſe, ac ſuos regna ſi egerunt, nec intellexerunt* (de hominibus gloriæ cupidis verba facit, ea dicendi maieſtate, vt elegantiùs, aut grauiùs dici nequeat) *in illa Scena, & vanis,*
D *& citò diffluentibus bonis refulgente. ex eo tempore ipſos nihil non aduerſi expectare debuiſſe, ex quo nihil veri audire potuerunt*. Diſcamus ab ethnico philoſopho, ſcenam eſſe hanc vitam, fallacem, ludicram, inanem, deceptricem, innumeris compactam figmentis mendaciorum. Vt propterea, maximo cum acumine, pronunciaſſe mihi videantur Chryſoſtomus, Theophilactus, OEcumenius illud Pauli ad Cor. 1. 6. 7. *Præterit figura huius mundi: Præterit ſcena huius mundi*. Placet exemplum, quod ſubijcio, allatum ab Apuleio; licet autor omnino non placeat. Philemo poeta cùm, plaudente populo, conſcri-

Et vita hominis fabula.

ptam

ptam à ſe comœdiam recitaret, imber repentinò coortus, cœptam fabulam in ſequentem diem differre coegit. Poſtridie maxima hominum frequentia conuenit, quod reliquum erat comœdiæ, exceptura. Cùm diu expectatus Philemo non compareret, miſſi ex promptioribus, qui eum accirent, ecce eum in ſuo lectulo mortuum offendunt. Steterunt qui intrauerant, perculſi tam inopinatæ mortis prodigio. Deinde regreſſi ad populum, renunciauere: *Philemonem poetam*, verba Apulei lib. 3. florid paulo poſt init; *qui expectaretur, quò in theatro fictum argumentum finiret, iam domi veram fabulam conſummaſſe*. O quàm multi ſunt, qui ita viuunt, vt fabulam dare videantur, ſemper in ludis, ſemper inter iocos, ſemper inter mendacia! iſtis tota vita ludētibus mors inopinatò ſuperuenit. Itaque ſi vera fabula vita eſt; vel contemnenda, vtpote ludicra, & nugatoria; vel certè, ne noſtra vita, qualis illa Philemonis, vera fabula habeatur, non tales ſimus, vt ſemper ludentes, fabulam dare velle videamur, quādiu viuimus. Seriò agenda res eſt, ne de nobis dicatur illud Horatij lib. 2. epiſt. 2. in fine.

Philemonis mors inopina.

Luſiſti ſatis: ediſti ſatis, atque bibiſti
Tempus abire tibi eſt.

Sceleſtorum vita ludicra fabula.

Miſeros planè dicimus, quos obeundi, abeundique tempus reperit potu, edacitate, luſu conſumptos. Iſti, quibus viuere nil aliud eſt, quàm iocari, ludere, fabulari; ſimiles mihi videntur Sardanapalo, qui de ſe ipſo verè dicebat apud Athenæū lib. 12. *Regnaui, & quandiu Solis lumen aſpexi; edi, bibi, luſi.* O huiuſmodi fabulam veriſſimis proſequendam luctibus, vtpote fabuloſis conſumptam luſibus. *Præſens vita*, (audiamus præclarum Chryſoſtomi monitum hom. 47. ad pop.) *ludus eſt; futura verò non ludicra.* Opportunum ni fallor remedium ſuggerit, ne ludis inanibus inter fabuloſa commenta conteramur. Quaſi dicat: ſint memores, futuram vitam minimè ludicram, illi, quorum vita ludus eſt; & facilè, prætermiſſo ludo, ſeria complectentur. Nos verò, ne numeremur inter eos, de quibus eleganter, & verè cecinit poeta non ignobilis Claudianus lib. 2. in Eutropium.

Sardanapali cordatum de ſe ipſo iudicium.

Sed quàm ſæuus ineſt vitijs amor! omne futurum.
Deſpicitur, ſuadentque breuem præſentia fructum.
Et ruit in vetitum damni ſecura libido.
Dum mora ſupplicij lucro, ſerumque quod inſtat.
Creditur.

A Nos, inquam, monentem Chryſoſtomum audiamus: *Præſens vita ludus eſt; futura verò non ludicra*, neque lōgè abeſt, vt credunt cæco amore decepti.

Porrò, vt rem propoſitam firmiùs ſtatuamus, S. Epiphanij vtemur auctoritate apud Nicephorum lib. 13. cap. 13. cuius, ex vrbe Conſtantinopoli ad nauem ducti ab Epiſcopis, ſunt illa verba. *Vrbem hanc, & aulam Imperatoris, vitæque huius actionem, ac fabulam vobis relinquo; ego verò abeo, in ciuitatem aliam tranſire properans.* Accedit Gregorius Nazianzenus, *Philoſophari*, inquiens, *vt maximum, ita difficillimum eſt, nec id aggredi multorum eſt.* B *Non ne magnum eſt, ſi quis probitati ſtudeat, ac maiorem Dei, ſalutiſque ſuæ, quàm terreni ſplendoris rationem habeat? Atque hunc quidem ſplendorem, tanquam ſcenam, aut perſonam quandam ex multis, & caducis præferat huiuſmodi fabulam agens, ipſe autem eum imagine, quam ſe à Deo accepiſſe, eique debere nouit, vitam ducat.* Non potuit luculentiùs explicari, quæ noſtræ ſint partes, cùm hæc vita fabula ſit. Subſcribit Chryſoſtomus hom. 55. ad popul. poſt med. ſic inquiens; *Fabula quædam eſt, & ſomnium vita: ſicut enim in ſcena, aulæo ſublato, varietates diſſoluuntur, & omnia coruſcante luce* C *ſomnia auolant: ita nunc quoque conſummatione veniente tam communi, quàm uniuſcuiuſque, omnia diſſoluuntur, & euaneſcunt.* Vtinam non multos verè deciperet vita præſens, quae tota, quanta quanta eſt, fabula eſt. Boetium audi lib. 2. de conſol. Philoſ. proſ. tertia dicentem: *At tu in hanc vitæ ſcenam nunc primùm ſubitus, hoſpeſque veniſti.* Aud Epictetum Enchirid. cap. 22. dicentem: *Memento actorem te eſſe fabulæ, quamcumque velit is, qui docet; ſi breuem, breuis; ſi longam, longa.* Audi Ficinum epiſ. lib. 5. *Vita hominum tragœdia videtur eſſe veriſſima.* D Prætermitto Thaletis, & Bionis ſententiam apud Laertium, qui toti vitæ nomen mimi ſcenaeque dederunt. Praetermitto Iuuenalem quo auctore *Fabula vana ſumus.* Auguſtinum, & Chryſoſtomum praetermittere non poſſum: illum quidem ſerm. 46. de temp. pronunciantem veriſſimè vitam hanc mendacium eſſe: hunc autem hom. 34. in Geneſ. docentem diſertiſſimè vitam praeſentem eſſe deceptionem. Videlicet mentiri ſplendidè, & iocosè decipere, fabularum eſt.

Præſentis vitæ vanitas.

Temporalis vita mendacium.

Verùm, ne dicar rem totam ſola ſapientium virorum auctoritate conficere, ſic aio: Fabula nil eſt aliud, quam commentum fictitium abhorrens à veritate, quod

ludicra

ludicra iocoſitate, dum ludit, deludit. Huiuſmodi vitam præſentem eſſe demonſtro; ſiue nomen, ſiue diuturnitatem, ſiue ea omnia quæ ipſa complectitur, conſideremus. Ordiamur à nomine, quod quidem adeo à veritate abhorret, vt nullum tam fabuloſum excogitari queat. *Vita, vita nomen habet; ſeare ipſa labor eſt* dixit Euripides apud Plutar. *Ante necem paulatim vita ſepulta eſt* ſcripſit Manilius lib. 5. *Mors eſt vixiſſe inter tot clades, & mundi funera* pronunciauit Sidonius carm. 7. in panegyri. Auiti. Illa vita mors eſt ex Seneca ep. 75. Et apud M. Tullium in ſomnio Scipionis differit his verbis Africanus. *Vita hæc, quam dicitis, mors eſt*. O fictum, B ò mendax, ò fabuloſum vitæ nomen! Etenim, vt vulgari prouerbio circumfertur,

Vita præſens, dum ludit, deludit.

Vita labor, morbus, mors.

Non eſt viuere vita, ſed valere.

At hæc vita loquitur Auguſt. ſer. 74. *morbus perpetuus eſt* Clarius S. Ephræm de beatitudin. alijs inquit: *Vita hæc laqueis mortis plena eſt.* Immo ex Greg. Nazianzeno orat. 19. *Vita hæc eſt continua mors.* Et quaſi ſibi non feciſſet ſatis, copioſiùs explicat quid dicere velit, de natura humana col. 2. ſic loquens: *O nos duplicis ſepulturæ nomine miſeros, atque in corruptione, interitumque viuentes: vita enim, quam traducimus, annos noſtros abſumit, mihique ſenectutem inuexit.* C *Quod ſi me, confecto huius vitæ curriculo, immortale aliud, vt ſcriptura pollicetur, excepturum eſt, haud ſcio, an hæc vita noſtra mors potiùs dicenda ſit, ac mors contrà vitæ nomine appellanda: tametſi aliter vulgo videatur.* Quoniam ſatis aperta eſt ratio Nazianzeni, ne cum vulgo ſemper errante deliremus, dicamus vitam, quam traducimus, mortem eſſe, & agnoſcamus nos non vnius, ſed duplicis ſepulturæ nomine miſeros; quarum altera eſt, cùm terræ mandatur exanime corpus; altera verò cùm è materna aluo, fatali veluti ergaſtulo, educimur, damnati capite, vnius criminis rei; videlicet vitæ inchoatæ. D Vides vitæ nomen eſſe fabuloſum. Illud velim animaduertas, quo pacto vitæ huius amatores, dum eam plus nimio diligunt, ſuam vtique diligant ſepulturam; quo pacto nectant ſibi laqueos mortis; quo pacto denique perpetuum morbum, aut potiùs continuam mortem funeribus trucem, ac cladibus horrendam in delicijs habeant. Reſipiſcite tandem aliquando, quicumque tam miſeræ vitae amore deperitis inſani, memores ſententiae Nazianzeni orat. 10. dicentis *Vita afflictionis, & pœna locus*: reſipiſcite Auguſtino praedicante ſer. 113. de temp. *Quid eſt diu viuere, niſi diu torqueri,*

Homo ex duplici ſepultura miſer.

Temporalis vita minimè amanda, & cur.

A Neque ſolum nomen vitae, vt vidimus, abhorret à veritate; ſed & tempus ipſum, quo durat; & bona, quibus fruitur, fabuloſa inueniemus. Et de tempore quidem nemo eſt, qui totius vitae ſuae ſpatium non longum arbitretur; cùm tamen nihil tam falſum, & à veritate alienum excogitari queat. Vitam eleganter aequè, ac verè ſtatuit Nyſſenus or. 1. de Beatitud. *inanis bulla periturum breui tumorem. Vita hæc noſtra*, verba S. Ephraem de timore animi, *velut umbra, & inſtar velociſſimi curſoris pertranſit, tanquam flos matutinus marceſcit.* Et idem de pœnitentia, ac patientia ait: *Vitam hanc fugitiuam eſſe,* B *vt exulem, & tanquam tabernaculum, quod diſſoluitur.* Quod fortaſſe à Vate didicit purpurato; cuius illud pſal. 55. *Deus vitam meam annunciaui tibi*. hebraeus textus habet: *Deus meas fugas numeratas habes*. Viuere ergo, fugere eſt. Quae omnia licet ſatis explicent meam ſententiam, patebit tamen longè clariùs quid dicere velim, quadruplici allata ſimilitudine, Nuncij praecurrentis, Auis alarum remigio praeteruolantis, Nauis ventorum vi labentis citiſſimè, & excuſſae Sagittae. Quaeramus igitur quàm longa ſit vita; & reſponſum eſt in promptu ex cap. 5. Sapientiae à num. 9. & deinceps: *Tranſierunt* C *omnia tanquam umbra, & tanquam nuncius praecurrens, & tanquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam: aut auis, quæ tranſuolat in aere: aut tanquam ſagitta emiſſa, ſic & nos nati, continuò deſinimus eſſe*. Attendite, qui vitae huius ſpatia metimini longiſſima. quid, oro, breuius, aut fugacius dici poteſt? Itaque ſi vita huius ſeculi inſtar bullae dicto citiùs detumeſcit; ſi è veſtigio, velut vmbra fugit; ſi ſtatim marceſcit, vt flos; rapitur, vt curſor; labitur vt nauis; feſtinat, vt nuncius; auolat, vt ſagitta; quis ſibi in poſterum de vitæ longitudine blandietur? Ego sanè non demirabor in poſterum, quod hacte- D nus ſum admiratus à Plinio lib. 3. ep. 7. conſcriptum his verbis: *Quid tam circunciſum, ac breue, quam hominis vita longiſſima*. Sapit profectò ethnicus homo, qui arbitratur vitam, etiam longiſſimam, hoc eſt, plurium annorum, habendam tamen eſſe breuiſſimam; tota quippe diſſolutio, fuga, volatus eſt omni celeritate expeditiſſimus. Magnum neſcio quid dicere voluiſſe viſus eſt Seneca, cùm ep. 49. ſcripſit: *Vita punctum eſt, & adhuc puncto minor*. Quod nulli noſtrum credibile videretur, niſi concinentem Dauid pſal. 38. num. 6. audiremus: *Menſurabiles poſuiſti dies meos*. Profectò, quod menſurabile

Vita breuis, & fugax.

Viuere eſt fugere.

Vita Curſor, Sagitta, Nauis, Punctum.

Dies hominis cur menſurabiles.

dicitur,

dicitur, menſuræ debet coexiſtere; & quia vitae, quam ducimus, ſolum inſtans coexiſtit; cùm tempus praeteritum iam ſit lapſum, futurum non dum aduenerit: ſi ſumma rectè ducitur, ea ſola vita noſtra eſt, quam praeſentem habemus, hoc eſt, inſtans puncto minus. Dies mei *menſurabiles* ſunt, non numerabiles; quia numerantur abſentes, quales ſunt praeteriti, & futuri, qui numerari poſſunt non menſurari. Dicamus ergo: *Vita punctum eſt, & adhuc puncto minor*. Audiendus Gregorius Nazianzenus lib. 3. Sent. ſpiritualium de humana vita his verſibus concinens.

Trochus eſt parum certus, parumque ſtabilis
Fallacis huius curſus, & vita breuis:
Surſum, deorſum voluitur, reuoluitur.
Et cùm videtur ſtare conſiſtit minus.
Fugiens tenetur, & manens ſubducitur:
Et ſubſilit multum, tamen non effugit,
Curſu trahit, retrahitque mobilē ſtatum:
Vt vita (nam rite ſic depinxeris)
Inſomnium, fumuſue, floſue herbæ breuis.

Vita ſomniũ, fumus, flos.

Quae cùm ita ſint; quo pacto vitae fabuloſa longitudo tot homines detinet, ac deludit? Opportunè monet Hieronymus ep. 21. *Humana vitæ breuitas, damnatio delictorum eſt*. Pudeat tam breui, & momentaneo vitæ fugaciſſimæ ſpatio, tam multis, tam flagitioſis, tam nefarijs ſceleribus obſtringere ſeſe.

Breuitate vitæ damnantur ſceleſti.

Plenum cæleſti ſapientia fuit reſponſum Iacob patriarchæ, qui interrogatus ab Ægypti Rege Pharaone, vt habetur cap. 47. Gen. n. 8. *Quot ſunt dies annorum vitæ tuæ?* reſpondit, *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt, parui, & mali*. Cur parui dicuntur dies? niſi quia quò longior vita eſt, eò breuior eſſe videtur. *Nil tam circumciſum, ac breue, quàm hominis vita longiſſima*. Declaret apertiùs meum animi ſenſum diues ille qui Lucæ 12. n. 19. dicebat: *Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus, ſtulte, hac nocte repetent animam tuā*. Confer iſta duo: *Habes multa bona in annos plurimos*: & : *Hac nocte repetent animam tuam*: Et continere te poteris, quin exclames: o vita fallax! qui credebantur, immo promittebantur anni plurimi, ſiunt momenta perpauca!

Iacob ſapiēter de vitæ breuitate decernit.

Vitæ fallacia.

Fallacis huius curſus & vita breuis:
Et cùm videtur ſtare, conſiſtit minus.

Diſcamus à S. iuuene Tobia, qui vt dicitur cap. 6. n. 1. *Profectus eſt Tobias, & manſit prima manſione iuxta fluuium Tigris*. Prima noſtra manſio ſit iuxta fluuium, qui à rapido curſu Tigris eſt dictus.

Hic haereamus, hic pedem figamus, hic vigili mente conſiſtamus, & velociſſimo aquarum praeterlabentium raptu eruditi, dicamus cum muliere Thecuitide 2. Reg. c. 14. 14. *Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur*. Dilabimur, inquam, ſed velociſſimè, celerrimequè. Propterea Horatius Ode 14. lib. 2. fugaces huius vitae annos lamentabatur:

Eheu fugaces, Poſthume, Poſthume,
Labuntur anni.

Fugacitas annorum deploranda

Et Satyr. lib. 2. Sat. 1. alatam cecinit mortem, ad celeritatem eius, & vitæ breuitatem inſinuandam.

Seu mors atris circumuolat alis.

Verùm longè meliùs poeta ingenioſiſſimus idem, & ſanctiſſimus Dauid, qui vt ſæpe alibi, ita etiam pſal. 102. n. 15. cecinit: *Homo ſicut fœnum dies eius, tanquam flos agri ſic efflorebit*. Ad vitæ breuitatem declarandam nil opportunius afferri potuit: dicitur enim *flos agri*. Parum erat flori comparaſſe; licet enim flos ſua natura breui concidat, & marceſcat; tamen intra hortorum ſepta concluſus, diutiùs durat: At verò flos agri non ſolum ſua natura fertur ad interitum, & breui temporis ſpatio langueſcit; verùm etiam aratro ſcindente conteritur, beſtiarum dente reſcinditur, ſolis æſtu exſiccatur, falce conteritur, manu abrumpitur, vento proſternitur, procella abſumitur, & mille modis tunditur, ac truncatur. Huc reſpicere voluiſſe crediderim Euangelicum Vatem Iſaiam cap. 40. num. 24. *Equidem neque plantatus, neque ſatus, neque radicatus in terra truncus eorum; repente flauit in eos, & aruerunt, & turbo quaſi ſtipulam auferet eos*. Florum vita horaria eſt: adde iam florem non plantatum, non ſatum, non radicatum; & intelliges quanta ſit breuitas eius vitæ, quæ huiuſmodi flori perſimilis eſſe perhibetur. Flos agri, qui vt ſponte naſcitur nullo obſtetricante cultore, ita repente deficit tenuis auræ ſibilo perflante. Ne te derideat, dum ridet ætatis flos: memineris florem quidem eſſe, ſed campi; adeòque non natiua ſolùm decurtari fragilitate, ſed mille modis breuiorem fieri nitoris, coloriſque fugaciſſimi breuitatem.

Vita noſtra vt flos agri

Cariſſimus Deo Iob cap. 14. num. 2. vt homines animaduerterent quanta ſit prætervolantis vitæ breuitas, dicebat: *Homo natus de muliere breui viuens tempore, quaſi flos egreditur, & conteritur*. Vbi primum egreditur, ſtatim conteritur: id enim indicare videtur illa coniunctio: *egreditur, & conteritur*. Ergo ſi flos pulchritudinis ſuae riſu deti-

Hominem naſci, & cōteri idem.

net, deludit; quia ſtatim conteritur. Quò reſpicere voluiſſe crediderim Sponſam ſanctiſſimam ſimul, & oculatiſſimam Cant. 2 n. 12. concinentem: *Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit*. O flos humanæ vitæ! vix natus, dicitur amputandus: licet nec marceſcat; diuitius tamen durare non poteſt, falci deſtinatus. Verùm facta floris mentione, cur aliunde vitæ breuitas petatur, quàm ab ipſa florum natura? quæ quidem, teſte Plinio, talis eſt, vt eò citiùs defloreſcant, quò ſpectabiliores fuerint, & odoratiores. Audiamus Plinium lib. 21. cap. 1. *Flores verò*, inquit, *odoreſq; in dies gignit: magna (vt palam eſt) admiratione hominum, quæ ſpectatiſſime floreant, celerrimè marceſcere*. Quis non agnoſcat fugientis vitæ fabuloſa mendacia? Vita labens flos eſt; quia, floris inſtar, dum pulchrior videtur, marceſcit citiùs, voluitur, reuoluitur, & cùm videtur ſtare, conſiſtit minùs. Diceret non nemo cum Valerio Maximo lib. 6. cap. 9. n. 26. *Caduca nimium hæc, & fragilia, puerilibuſque conſentanea crepundijs ſunt, affluunt ſubitò, repentè dilabuntur: nullo in loco, nulla in perſona ſtabilibus nixa radicibus conſiſtunt: ſed incertiſſimo ſtatu fortunæ huc illuc acta, quos in ſublime extulerunt, improuiſo decurſu deſtitutos, profundo cladium miſerabiliter demergunt*.

Rerum inconſtantia.

Illud non ſine admiratione conſidero: videlicet ex hac breuiſſima breuitate vitæ duo inferri maximè inter ſe pugnantia. Horum alterum eſt cap. . n. 16. Iob dicentis: *Parce mihi Domine, nihil enim ſunt dies mei*. Alterum verò habes Sapientiæ 2. à n. 5. & deinceps: *Vmbra enim tranſitus eſt tempus noſtrum. Venite ergo, & fruamur bonis, quæ ſunt. Coronemus nos roſis antequam marceſcant: nullum pratū ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra*. Ex eodem principio, quàm diſſimiles illationes! Dementati, & qui nullam ſpem habent futuræ felicitatis, dicunt: *Ergo fruamur bonis*: At verò qui ſapiunt, & ſpem in Deo collocauerunt, cum Iob de impetranda venia cogitant: *Parce mihi Domine; nihil enim ſunt dies mei*. Id nos repetamus frequenter; vt à breuitate vitæ, manſuræ percipiamus fructum beatitatis.

A breuitate vitæ, Sancti diſcunt ſanctitatē, improbi nequitiam.

Iam videndum ſupereſt fabuloſa eſſe ea, quibus vita præſens delectatur, & conſtat. Hæc porrò ad tria reduci capita notum eſt; nempe honores, diuitias, voluptates. Quoties increpantem audiuimus regium Vatem Dauid pſal. 4. ver. 3. *Filij hominum vſquequo graues corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

Bona mūdi mendacia.

A *Mendacium*, inquit Aſterius, *nunc appellat rem quamlibet, quæ velociter decidat, & mutationi ſubiaceat*. Sint, necne huiuſmodi, honores, diuitiæ, voluptates, ſatis eſt manifeſtum: vt propterea dici poſſint à me fabuloſæ, dum mendacium dicuntur à Dauid; fabula enim quanta quanta eſt, mendacium eſt. Expectatis fortaſſe, vt Salomonem aliquem in mediū proferam, inter honores ſummos, diuitias, ac delicias ſuauiſſimas, ſuo doctum experimento exclamantem: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*. Præſertim cum S. Io: Chryſoſtomus hom. 55. ad pop. Antioch. circa med. id cōſideret in hunc modum: B *Audi quid Salomon dicat: Aedificaui mihi domos, inquit, plantaui hortos, & viridaria, vineas, natatorias aquarum, argentum, & aurum factum eſt mihi, feci mihi cantores, & cantatrices, greges, & armenta. Nemo namque fuit ita delicioſus nemo tam glorioſus, nemo tam ſapiens, tantum dominans nemo, nemo tantum ad vota ſibi vidit omnia ſucceſſiſſe. Quid igitur? nullam ex his cepit vtilitatem. Sed quid ait poſt hæc omnia? Vanitas vanitatum, omnia vanitas. Ei quæſo credamus*. Vera ſunt, & explorata. Verùm longè alia mihi mens eſt. Fingite vobis Principem aliquem, ſummo præſtantem imperio, C inter opes imperatorio faſtu luxuriantem. Hunc, obſecro, interrogemus, quid tandem ſentiat de vitæ ſuæ conditione? Ecce vobis Octauius Auguſtus inter Romanos Imperatores ſatis notus. De hoc ſcribit Suetonius in vita cap. 99. rem, niſi fallor, non commemoratione modò, ſed conſideratione digniſſimam. *Supremo vitæ die Imperator admiſſos percontabatur: ecquid his videretur mimum vitæ commodè tranſegiſſe?* Ergo ſi Octauium Auguſtum audiamus, qui pollet imperio, qui fulget ſceptro, qui diuitijs gaudet, & voluptatibus, mimum agit. Ad quod confirmandum idem Princeps, vt loco citato leges, poſt D recitatam interrogationem adiecit clauſulam: *Valete, & plaudite*: qua ſalutatione, vt neminem latet, exhibitæ in theatro fabulæ, claudebantur. Vt igitur indicaret Auguſtus finem ſe imponere fabulae, quam toto vitæ ſpatio exhibuiſſet, moriens pronunciauit. *Valete, & plaudite*. O mentitos honores, ò fallaces diuitias, ò falſas voluptates! Vno verbo, ò vitam fabuloſam!

Salomonis deliciæ.

Ex Auguſto Principes mimum agunt.

Amatores honorum, diuitiarum, & voluptatum videntur mihi requieſcere, non ſecus, ac Ionas ſub hedera, de qua fit mentio Ionæ 4. à num. 6. & deinceps. *Et præparauit Dominus Deus hederam, & aſcendit ſuper caput Ionæ, vt*

eſſet

eſſet umbra ſuper caput eius, &c. Notum eſt hederam hanc vna nocte exaruiſſe, verme conſumptam. In hac arbore, tanquam in hieroglyphico, honores, diuitias, voluptateſque expreſſas recognoſco, conſiderans eiuſdem hederæ vſum, proprietatem, etymologiam in hunc modum. Non ſolùm prima omnium corona, qua coronarunt ſeſe homines honoris cupidi, fuit ex hedera, vt ſcribit Plinius lib. 16. nat. hiſt cap. 4. circa medium; verùm etiam auctore eodem lib. item 16. cap. 34. init. Alexander, coronato hedera exercitu, victor ex India rediſſe fertur. Cùm itaque tanto fuerit in honore hedera; ſi in ea honorem adumbrari dixero, non reprehendar. Similiter cùm hedera ab hærendo dicta ſit, vt notat Pierius Valerianus lib. 51. tantæq; ſit tenacitatis, vt flamini Diali, non modò eam tangere, verùm etiam nominare eſſet ominoſum, ne vllo modo ligatus deprehenderetur: quis non videat, quàm bene diuitiarum vis adumbretur, quæ tenaciſſimè ligant, & animum ſemel intra opum vincula coniectum omni ſpoliant libertate, reddunt q; ſeruum diuitiarum? Denique cùm Bacchum coronatum fuiſſe hedera notiſſimum ſit, non debeo pluribus proſequi voluptatem ab hedera ſignificari, quandoquidem Libero luxuriantium patri ornamentum confert, & contexit coronamentum. Vides igitur in vna hedera multiplex honoris, voluptatis, & diuitiarum emblema depictum. Attende iam, quo pacto noctis vnius breuiſſimo ſpatio conſumi perhibeatur, & quidem verme corrodente, qui in ipſis, immo ab ipſis arboris tam incorruptæ viſceribus gignitur, ac fouetur. Ergo viror hederæ, dum ridet, deridet quos allicit; enim mox vna cum cadente arbore ſit auolaturus: luxuriant rami vſquequaque porrecti, ſed quos inuitãt, deſerunt dum delectant; quoniam germina tam generoſa, cùm videntur conſurgere, conſumuntur. O vmbra humanæ potentiæ fallax! quia, dum protegere creditur, auolauit: ò mendax humanæ voluptatis viriditas! quia, dum floreſcere cernitur, defloreſcit: ò nexus diuitiarum doloſos! quia onerant dum ornare exiſtimantur: ò mundanorum bonorum arbor plane fabuloſa! quia mentita felicitate decipit, dum detinet. *Relinque* (verbis vtor Senecæ Ep. 84. paulò ante finem) *diuitias; aut periculum poſſidentium, aut onus: relinque corporis, atque animi voluptates; molliunt, & eneruant. Relinque ambitum: tumida res eſt, vana, ventoſa.* Audiamus iterum paulò ante allatam Regis ſanctiſſimi increpationem; ſed Augustino interprete audiamus. *Filij hominum vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium. Quod mendacium quæritis?* (verba Auguſtini opportunè interrogantis Ser. 141. de tempore, qui eſt ſecundus in die reſurrectionis) *Mundũ.* Breuis reſponſio, ſed cordata. Mundus ergo, quantus quantus eſt, mendaciũ eſt. Tum ſubdit Auguſtinus Ser. cit. paulò poſt med. *Quæris aurum: quare quæris mendacium? Vis eſſe in ſæculo ſublimatus: quare quæris mendacium? Et quicquid aliud quæris amando terram: quare non ceſſas quærendo mendacium? Non vultis eſſe graui corde, qui terreno mendacio oneratis cor veſtrum? fallit vos quod quæritis.; mendacium eſt, quod quæritis.* Auctore Auguſtino, honoribus, diuitijs, voluptatibus mentitur mundus; mirum non eſt, ſi totam mundanorum vitam faciat fabuloſã. Sapienter adeò non minùs, quàm eloquenter Io. Chryſoſtomus hom. 9. quòd nemo læditur niſi à ſe ipſo, comparat hæc bona, honores, diuitias, voluptates meretrici perſonatæ quæ mentito aſpectu, quod ijs qui fabulam dant ſolenne eſt, fallat. Hæc verba Chryſ. hom. cit. paulò ante med. *Quæ eis videntur carnis & ſæculi bona, è manibus eorum, tãquam ventus & vmbra, effugiunt, & labuntur. Et ideo imagine hac, qua decipiuntur, ablata, ipſam eis interiorem impura huius, & immunda meretricis, quam complectuntur, faciem reuelemus. Meretricem namque ego appello vitam hanc, quæ in delicijs, & affluentia diuitiarum, & huius ſæculi potentia, ac voluptate tranſigitur. Et non ſolùm meretricem eam nomino, ſed & turpiſſimã atque obſcœniſſimam meretricem, cuius facies fœda, horrida, aſpera, amara, crudelis.* Non potuit neque elegantiùs, neque copioſiùs dici: Probat laudatus auctor ibidem pluribus rem propoſitam; & poſt multa ſubdit: *Sicut enim plerumq; meretricis vultus, cùm turpis, & fœdus eſt per naturam, fucis, & coloribus pigmentatus proſtituitur, ad decipiendos eos, qui ignorant, quæ fœditas ſub velamine fuci illius contégitur, ita & diuitiæ faciunt.* Mutare, & mentiri vultum conſueuerunt hiſtriones, dum fabulam dant; & mentita imagine, inducto fuco, pigmentis, & coloribus adhibitis, perſonam induunt, vt longè alij videantur, quàm ſint. Talia ſunt bona vſque ad inſaniam ab hominibus amata, honores, diuitiæ, voluptates, quæ cùm alieno vultu vſurpato ſuum tegant aſpectum, fabulam dant. Adſcititia exuta imagine, vide, quàm fœda ſit ſæcularium bonorum facies, quæ imperitis, & rudi-

Prima corona fuit ex hedera.

Hederam tangere flamini Diali, ominoſum.

Bacchi corona ex hedera.

Bona mundi dum florent deſloreſcunt.

Diuitiæ onus & periculum.

Mundus totus mendacium.

Vita præſens meretrix turpiſſima.

rudibus videtur amabilis. Intelligo iam, quàm verè ſcripſerit Seneca: *Diuitiæ, honores, potentia in opinione noſtra cara ſunt pretio ſuo vilia*.

Honores, & diuitiæ, viles.

Intelligo, quàm appoſitè pronnunciauerit Baſilius Epiſ. ad Chilonẽ *Aurum, blandiſſi mum animi inſidiatorem*

Inſidiæ.

Intelligo, quàm grauiter ſcripſerit Ambroſius lib. de Nabuthe. c. 6. *Diuitias terrenas ſomnium eſſe, non patrimonium*.

Somnia.

Intelligo quàm accommodatè dixerit Chryſologus ſer. 104. *Diuitiarum fallacem illecebram*.

Fallaces.

Illud equidẽ vix intelligo, quo pacto chriſtianæ ſapientiæ ignarus Euripides dixerit in Cyclop. *Deus eſt diuitiæ ſapientibus, cætera inania verba ſunt, & ornamenta verborum*. Quæ cùm veriſſima B ſint, exclamare libeat: proh quàm perniciosè deludunt opes, inanes planè, & nullius omnino pretij, niſi facti fictique à noſtris animis à veritate aberrantibus; opes, inquam, blandæ inſidiatrices, mera ſomnia, fallaces illecebræ, vno verbo, veriſſimæ fabulæ. Honores ſimiliter fabuloſos declararet Seneca, eos appellans fortunæ mendacia; declararet auctoritas Auguſtini lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 17. dicentis, *Honor humanus nihil, niſi fumus eſt*; declararet effatum Bernardi pronunciantis: *Honores inexpertis blanditiæ, expertis onera ſunt.*

Fabula.

Fumus.

Onera.

Vides huius vitam ſeculi, etiam ex hoc capite fabuloſam. C De voluptatibus porrò nihil attinet dicere; cùm apud ſapientes certiſſimum ſit. Vnum mihi inſtar omnium videtur eſſe, quod legimus Apoc. 14. num. 5. *In ore eorum non eſt inuentum mendacium*. Quo loco, cùm ſit ſermo de Virginibus, interrogare libet, quod nam genus laudis iſtud ſit? Etenim ſi laudaretur candor animi, cordis integritas firmitas pectoris in repellendis voluptatibus, non mirarer: at quid ſibi vult petita commendatio à veracitate? *Et in ore eorum non eſt inuentum mendacium.* Crediderim laudari conuenientiùs non potuiſſe virginitatem, ſi encomium à contrario D petendum ſit. Etenim, vt virginitas deprauantibus voluptatibus omnino cognoſcatur oppoſita, dicatur nullum in virginitate mendacium reperiri; corruptela ſiquidem carnis tota redundat mendacijs quippe quæ tota fallax, ac fabuloſa. Vnde

A corde mundo vera voluptas.

A Cant. 1. n. 1. dicebatur *Meliora ſunt vbera tua vino.* Vinum deliciarum carnalium dementat, & pro veris falſa ſupponit: at ſponſæ vbera puriſſimo fluunt lacte incorruptæ, ſinceræ, veræ voluptatis, nequaquã mentitæ, & deludentis.

Ergo ſi vita præſens, & nomine, & breuitate, & diuitijs, & honoribus, & voluptatibus detinet, ac decipit, mendax, deceptrix, fabuloſa eſt; quàm indignum cenſebimus homine cordato, quàm inutile, quàm puerile nugis huiuſmodi vacare. Turpe eſt eius amore deperire, quæ meretricis in morem vultum mentitur: ridiculũ, eam ſequi, quæ vmbræ inſtar euaneſcit: pernicioſum, eam B colere, quæ tot modis nocet, & perimit. Eſt in promptu tanto malo remedium à Io. Chryſoſtomo allatum hom. 55. ad pop. Anthioch. poſt med. *Res apprehendamus, in quibus non eſt vanitas, vbi veritas. Nonne frequenter damnamus, quoniam nihil eſt humana vita? quid circa nihil laboras? ſplendida reſpicies ædificia; & horum te fallit aſpectus: ſtatim in cælum reſpice. A lapidibus, & columnis ad illum decorem oculos reflecte: & videbis quod hæc formicarum ſint, & culicum opera. Contemplare ſpectaculum, aſcende ad cæleſtia, illinc ædificiorum diſce ſplendorem eſſe nihil inuenies: ſed paruulorum ludibria puerorum.* C

A terrenis ad cæleſtia animus erigendus.

Plura qui velit, videat P. Cornelium à lapide in cap. 34. Eccleſiaſtici ad n. 1. fusè explicantem inanitatem bonorum huius vitæ. Et ego inferius pluribus demonſtrabo in cap. 11. à num. 16. ad 14. mundanas felicitates, & magnitudines eſſe pueriles ludos.

Vide P. Io. de Pineda tom. 1. in Iob. in cap. 14. n. 1. & 2. Et ſuperius in c. 9. n 26.

Videatur etiam P. Salazar tom. 1. in Prouerb. ad cap. 10. num. 309. & ſequen.

Videatur P. Didacus de Baeza tom. 2. in Euang. hiſt. lib. 6. cap. 5. §. 7.

D Videautur P. Io. Lorinus tom. 1. in pſal. 28. ad. verſ. 7. & tom. 3. in pſal. 101. ad verſ. 12. & in pſal. 108. ad verſ. 23. nec non in pſal. 143. ad verſ. 4.

Videatur P. Didacus Niſſenus Dom. 3. poſt Paſcha aſſumpto 4. & Dom. 4. Quadrag. aſſum. 2. poſt med. 35.

IN CA-

IN CAPVT OCTAVVM

Num. V. ad XIV.

Cúm autem introiſſet Capharnaũ, acceſſit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Ieſus: Ego veniam,& curabo eum.Et reſpondens Centurio, ait: Domine, non ſum dignus vt intres ſub tectum meum: ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus.Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites: & dico huic Vade, & vadit: & alii Veni, & venit: & ſeruo meo Fac hoc,& facit. Audiens autem Ieſus miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael. Dico autem vobis, quód multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac,& Iacob in regno cælorum: filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus,& ſtridor dentium. Et dixit Ieſus Centurioni: Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi. Ft ſanatus eſt puer in illa hora.

PARADOXVM V.

Homines mundi, perſonati.

SVPEREST pars altera propoſiti thematis, videlicet, Homines mundi eſſe perſonatos, Id ego in eam gratiam demonſtrare aggredior, vt ſimulatione, fraude, inanium bonorum amore, omnibus denique flagitiorum generibus ab hominum republica exterminatis, morum candorem, longo veluti poſtliminio, reuocem, & incorruptam inſtaurem vitæ integritatem. Agè præferant facem illuſtrium oracula Literatorum. Seneca, in primis, hoc argumentum & copioſè tractat, & ingenioſè, ep. 80 ſic ſcribens. *Horum, qui felices vocantur, hilaritas ficta eſt, aut grauis, & ſuppurata triſtitia: & quidem grauior, quia interdum non licet palam eſſe miſeros: ſed inter ærumnas cor ipſum exedentes, neceſſe eſt agere felicem. Sæpius hoc exemplo mihi vtendum eſt: nec enim vllo efficaciùs exprimitur hic humanæ vitæ mimus, qui nobis partes has, quas malè agamus, aſſignat. Ille qui in ſcena elatus incedit, & hæc reſupinus dicit:*

Ridenda hominum illuſtrium iactātia.

En impero Argis. Regna mihi liquit Pelops
Qua ponto ab Helles, atque ab Ionio mari
Vrgetur Iſthmos:
Seruus eſt, quinque modios accipit, & quinque denarios. Ille qui ſuperbus, atque impotens, & fiducia viarum tumidus ait:
Quòd niſi quieris Menelae, hac dextra occides:
diurnum accipit, in cœnaculo dormit, Idem de iſtis licet omnibus dicas, quos ſupra capita hominum, ſupraque turbam delicatos lectica ſuſpendit: omnium iſtorum perſonata felicitas eſt. Contemnes illos, ſi deſpoliaueris. Huc vſque philoſophus, quo autore mentiuntur felicitatem, qui videntur eſſe felices: affectant potentes apparere, qui iudicantur plurimum poſſe, ſed reuera, tanquam in ſcena perſonati, partes agunt non ſuas, & omnino fictitias. A Deſpolientur attenta conſideratione, & fallacibus ſepoſitis apparentijs, contemnentur. Eandem idem autor ſententiam repetit ſic inquiens: *Nemo ex iſtis, quos purpuratos vides, felix eſt: non magis quàm illi, quibus ſceptrum, ac chalamydem in ſcena fabula aſſignant: cùm præſente populo elati inceſſerunt, & cothurnati ſimul exierunt, excalceantur, & ad ſtaturam ſuam redeunt.* O quantum eſt in rebus inane; ſi, dum viuimus, noſtras in ſcena partes damus! Quò reſpicere viſus eſt Marcus Tullius 2. philipp. paulò poſt med. ſic loquens: *in eius igitur copias cum ſe paulum ingurgitauiſſet, exultabat gaudio perſona de mimo, modò egens, repente diues.* B Et in Piſonem. *Qui philoſophiam profitetur, grauiſſimam mihi perſonam ſuſtinere videtur.* Si neſcis, & diuitijs opulenti, & diſciplinis exornati, & qui principatu gaudent, & vno verbo, quotquot viuunt, perſonam ſuſtinent, vel mimum agunt: quia humana omnia ludicra ſunt. *Non ſecus* (verba Chryſoſtomi ſerm. de vanitate, & breuitate præſentis vitæ, non multo poſt init.) *ſe habet hæc vita, quàm ſcena, qua ſublata, rerum omnes varietates diſſoluuntur.* Diuerſa profectò rerum facies futura eſt, abſoluto curriculo mortalitatis. Propterea vtar eiuſdem Chryſoſ. verbis C loco cit. paulò poſt dicentis: *Obſecro his rebus incumbamus, in quibus nihil eſt inane: ſed vera omnia, certa, ac ſtabilia ſunt, & cuncta lapide deſuper conſtructa; in quibus, inquam, nihil ſeneſcit, nihil præterit; quin virent omnia, & floreſcunt, neque quicquam vetuſtate confectum ad interitum tendit. Concupiſcamus ex animo Deum.* Placent iſta; ſed, vt verum fatear, libentiùs audio Salomonem Prouer. 10. ver. 4. dicentem: *Qui nititur mendacijs, hic paſcit ventos;* legit Auguſtinus cap. 9 lib. 3. contra Creſconium in fine: *Qui fidit in falſis.* Loquitur hoc loco Salomon de ijs hominibus, quos perſonatos voco; quia D huius vitæ bonis, quæ poſſident, mentiuntur quod non ſunt, perſonam omnino falſam, atque mendacem oſtentantes, qua ſe ipſos tegunt, alios decipiunt; ideoque meritò dicuntur niti mendacijs, & fidere in falſis. Diuitiæ ſanè, voluptates, commoda, & alia huiuſmodi, quibus felices haberi affectant, & beati, mendacia ſunt, & falſa: quo ſenſu pronunciat Sapiens: *Qui nititur mendacijs, vel Qui fidit in falſis, hic paſcit ventos.* Oraculū certè accommodatiſſimum argumento propoſito. Venti nanque, vt naturæ indagatores obſeruant, facillimè ad inuicem permutantur. Aquilo in

Huius mūdi ficta, non vera felicitas.

Vita hæc noſtra ſcenę ſimilis.

Nos quaſi Perſonati homines.

Serijs incūbendum.

Deus concupiſcendus, in quo vera eſt, & firma felicitas.

Diuitiæ, & voluptates, mendacia.

Quid ſit ventos paſcere, iuxta ſapientis dictum.

A in Auſtrum migrat velociſſimè: Auſter dicto citius mutatur in Zephyrum; & ſic de alijs. Hac itaque perpetua ventorum mutatione ſuppoſita, attende cur homines huiuſmodi ventos paſcere dicantur. Nimirum, cùm ijs conſtemus, quibus nutrimur, & eorum ſubeamus conditionem, quibus veſcimur; idem erit dicere, hic paſcit ventos, ac dicere; hic, ventorum inſtar, frequenter mutatur, & facilè. Id porrò hiſtrionibus, & perſonatis ſolenne eſſe, probè tenemus. Etenim tanta facilitate modò regem repræſentant, repente ſerui fiunt; nunc diuites, mox miſerrimi: ea celeritate ex vno in aliud rerum genus citiſſimè tranſeunt, qua facilitate venti ad B inuicem permutantur. Quoniam verò homines iſti ventis veſcuntur, reuocant mihi in memoriam chamæleontem, qui ſicuti dici poteſt animantium hiſtrio, propter crebram. & ſubitam colorum varietatem; ita inter homines, chamæleontes nuncupari poſſunt illi, qui celeri mutatione alij à ſe ipſis apparent. Multiformes planè ſunt homines mundi, quos modò vides ſpe elatos, omnia ſibi promittere; modò in ſumma animi deiectione omni ſpe deſtitutos, lamentari; modò ſuperbia turgidos ſuſpicis, modò exangues inuidia intueris. Quid plura? tot facies induunt, quot co- C lores variat chamæleon. Sed mirum non eſt; quia, cùm nitantur mendacijs, & fidant in falſis, ventos miſeri paſcunt.

Chamæleon animantium hiſtrio.

Chamæleonti ſimiles quorum ſæpe varia eſt fortuna.

Vel certè, ſi expoſitionem S. Auguſtini cap. ſupra citato, ipſo fine ſequi velimus, facilè fortaſſe perdito huic hominum generi timorem incutiemus. Porrò, verba Auguſtini. *Si maledictus, qui ſpem ſuam ponit in homine, quantò magis qui ſpem ſuam ponit in falſitate opinionis humanæ, vt in illud aliud incidat, quod ſcriptum eſt: Qui fidit in falſis, hic paſcit ventos: id eſt, ſit eſca ſpiritibus malignis.* Perpende illud: *in falſitate opinionis humanæ*: nullum maledictionis genus eſt, quo non ſit D dignus, qui ſpem ponit in falſitate opinionis humanæ. Opinionis humanæ falſitatem rectè dices, diuitias, honores, bona mundi, quibus, vtpote falſis, humana opinio decipitur, & tanquam veris gloriatur; non ſecus ac actores fabulæ, qui ficto habitu, tanquam vero lætantur. Maximè autem timendum eſt, quod ſubdit Auguſtinus: *In illud incidat quod ſcriptum eſt: Qui fidit in falſis, hic paſcit ventos: id eſt ſit eſca ſpiritibus malignis.* Venit in mentem quod Ariſtoteles tradit de Leone, qui nullum cibum auidiùs appetit quàm Simiam. Caro enim Simiæ leuat illum ardore febris, qua laborat quarto

Non fidendum falſitati opinionis humanæ.

Circa quæ ſit ea falſitas opinionis.

Illi fidens, fit eſca dæmonis.

Caro Simiæ cibus Leonis electi.

A quoque die. Malum dæmonem leonis nomine nuncupauit S Petrus Epiſt. 1. cap. 5. n. 8. *Aduerſarius veſter diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens, quem deuoret.* Caueant omnes rabidos tam diri leonis dentes: nullus tamen, reliquos inter animantes, diligentiùs cauere debet, quã Simia. Dicam, & fortaſſe probabitur à lectoribus meis, quod dico; ab hoc animali ſimulatores adumbrari; cùm enim Simia ad ſimulandum, atque ad fingendum facta à natura videatur, quis negabit ab hoc animali repræſentari eos, qui totam vitam fictis tranſigunt ſimulationibus: ij nempe, qui mentito ſemper habitu, re- B præſentant, tanquam in Scena, quod non ſunt, iſti paſcunt ventos, id eſt, ſi credimus Auguſtino, fiunt eſca ſpiritibus malignis. Depone ergo perſonam, ne tanquã Simia à Leone deuorante diſcerparis.

Simia Simulatores adumbrat.

Audiatur attentè maximo filio maior pater Dauid pſal. 39. ver. 7. ſic concinens: *In imagine pertranſit homo.* Vt ſententiam ſanctiſſimi Vatis aſſequaris, finge tibi ſimulacrum aliquod Imperatorem repræſentans triumphali pompa circumdatum, ornatumque cultu maximè pretioſo, comitante, communis cauſa gaudij, Paternum Senatu, plaudentibus ciuibus, ac C populo acclamante. Sed abſoluta pompa, ſimulacrum alienis exutum, & depoſitis adſcititijs, in angulo collocatur; immo projicitur, & fortaſſe indecoro puluere ſordidum deliteſcit. Eodem planè modo filij hominum, filiæque incedunt quidem *compoſitæ & circum ornatæ, vt ſimilitudo templi*, vt canitur pſal. 143. 12. ſed ornantur non ſuis. Vnde canebat Apollinaris.

Simulatores, in fine quaſi nuda, & deſpicabilia ſimulacra apparẽt.

Veruntamen homo per ſudo, ac ſimulacrum graditur.

In imagine pertranſit homo. Verè cum Seneca dicam: *Contemnes iſtos, ſi deſpoliaueris.* Veniunt mihi, hoc loco in memoriam ægyptia templa, de quibus Cælius D Rhodiginus lib. 16. cap. 5. templa, inquam, ægyptia in memoriam veniunt, quæ cùm forinſecus elegantiſſima eſſent, intrinſeca dehoneſtamenta celabant. Venit in mentem, Venus, & Gratiæ, aliorumque Deorum pulcherrimi veniunt in mentem, quibus athenienſes opifices turpes, abſurdaſque ſatyrorum ſtatuas condecorabant. His videntur mihi ſimiles perſonati homines, quos deflet Dauid *in imagine* pertranſire. Imaginem enim, & ornatum extrinſecùs micantem ſi deponant, palàm exponent intriſecam egeſtatem, deformitatem, miſeriam. Videlicet

Senſus verborum Dauid. In imagine pertrãſit homo.

Non ſemper extra quod radiat, iubar
Splendeſcit intra.

Egre-

Egregiè cecinit non minus poetarum noſtri temporis, quàm Principum Princeps, Vrbanus octauus Maphæus olim Card. Barberinus in ode, cui titulus, Adulatio pernicioſa. Et verò identidem accidit, vt multi mortalium, immo plurimi aliud eſſe videantur, ac ſint; vocarique debeant Caracallæ nummi, de quibus Dion. Certè Lucianus Myronis, & Praxitelis coloſſos, ad huiuſmodi ferè ſimilitudinem trahit in Gallo; quòd foris multo niterent ebore, multo fulgerent auro, varijſque coloribus arriderent: præterea Iouis, aut Neptuni repræſentarent imaginem, aut tridentem dextra tenentem, aut fulgur, vt planè Numen aliquod eſſe viderentur, cùm intus nihil penitùs externa illa dignum maieſtate deliteſceret præter picem, clauos, araneos, mures, atque id genus ſordes alias, haud quaquam externæ pulchritudini reſpondentes. Huiuſmodi autem plurium virorum, & præcipuè Principum, quos humanos Ioues Plautus appellat in Caſina act. 2. ſcen. 5. vitam eſſe contendit: quorum ſi ſtrepitum, & apparatum inſpicias, nihil felicius, nihil inuidioſius, nihil planè Deorum vitæ ſimilius: ſin autem curas, ſuſpiciones, odia, atque alia id genus penè innumerabilia, quibus diſcruciantur, contemplere, nihil ſit omnino calamitoſius. Tu, ſi ſapis, cùm viros primarios videris, hoc eſt, ingentia felicitatis humanæ ſimulacra, Myronis, & Praxitelis coloſſis credas eſſe perſimiles. *Contemnes iſtos, ſi deſpoliaueris.* Atque hoc ipſum illud eſt, quod ingenioſo prorſus inuento dum expreſſit Annibal, noſtram ſimul aſſeruit re ipſa, confirmauitque ſententiam. Hic, cùm ab Antiocho rege iam victo nauigaſſet in Cretam, vulgatumque iam eſſet, eum ingentem auri vim, argentique copiam ſecum ferre, ad periculum declinandum, quod ſibi à Cretenſibus imminebat, dicitur à Plutarcho in vita amphoras plumbo aurato refertas in templo Dianæ collocaſſe propter ſummam, quam ſimulabat, animi ſolicitudinem, curaſque; domi verò ſtatuas æneas, quas pecuniis impleuerat, abiecisse; Ac, dum vndique indigenæ templum cuſtodiunt, ne theſaurus auferatur, interim Annibal verum theſaurum, velis in altum datis, ſecum in Bithyniam detuliſſe. O quoties plumbum eſt, quod aurum creditur; quoties diuitem ſe eſſe mentitur, qui pauper eſt.

Ex Caracallæ nummis fallax felicitas.

Principes viri, quaſi Ioues, exterius, intus miſeri.

Annibalis ingenioſum inuentum.

Quàm ſæpè plumbũ eſt quod aurũ creditur.

Non ſemper extra quod radiat, iubar
Splendeſcit intra.

Vtinam non multi eſſent, qui cùm ſint plumbei, volunt videri aurei; vel quia iis

A félicitatibus, quas oſtentant, carent; vel quia, quod deterius eſt, cùm animum habeant planè plumbeum, nullius omnino apud Deum pretij, cùm omni careant virtute; affectant haberi aurei; hoc eſt, omni virtutum genere exornati. Iſtos ego perſonatos voco; vt meus lector attenta conſideratione ſpolier mentitis, & adſcititijs, quibus teguntur, ornamentis, & contemnat, vtpote re ipſa abiectos, deformes, ſordidos, plumbeos, nullius pretij, nullius exiſtimationis; cum formis vtantur non ſua, & ſpeciem præ ſe ferant alienã.

Sapienter, vt ſolet, Hieronymus Dauidicum illud pſal. 115. verſ. 11. *Omnis ho-*
B *mo mendax*: legit; *Omnis homo, mendacium.* Similiter Aquila tranſtulit: *mendacium.* Quaſi verò homo, non ſola linguæ mentientis culpa, mendax dicendus ſit; ſed quantus quantus eſt, mendacium eſt. Id porrò veriſſimè dicitur de ijs, qui ficta facie, & habitudine mentita, perſonati dum incedunt, non mendaces modò, ſed videntur eſſe mendacia. De quo, ni fallor, lamentabatur miſerationum pater Deus Ierem. 8. n. 5. cum diceret: *Quare auerſus eſt populus iſte in Ieruſalem auerſione contentioſa? apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti.* Nihil ſanè violen-
C tius ab eo auellit, qui veritas eſt, quàm mendacium, quod non dicitur prolatum, ſed apprehenſum. *apprehenderunt mendacium.* Neque enim hoc loco reprehenduntur, qui mentiri conſueuerunt, loquentes: iſti namque non apprehenderunt mendacium, ſed proferunt. Illi, me iudice, apprehendunt, qui toto vitæ genere mentiuntur: illi, inquam, quos fabricatores mendacij appellauit Iob. Fabrum equidem appellarem mendacij, non eum, qui lingua labens, à veritate exorbitat; ſed eum potiùs, qui mentitum efformat ſimulacrum, eo inſtituto vitæ, quam ducit: vno verbo, quos ego perſonatos voco, fabricatores
D mendacij nuncupat Iob. cap. 13 nu. 3. ſic loquens: *ſed tamen ad Omnipotentem loquar, & diſputare cum Deo cupio, priùs vos oſtendens fabricatores mendacij.* Miſeri profectò, & meritò tanquam mendacij fabricatores exſibilati, qui vel diuitias, quas non habent, iactant; vel felicitatem, qua non fruuntur, oſtentant; vel bona, quibus carent, habere ſe gloriantur; vel denique quoquo modo venditant, quod non ſunt. Iſtos moneo, vt perſonam deponant, vt aliam, à ſua, faciem non ſimulent, vt reddant ſe ipſos ſibi. Hos obiurgat, vel deſcribit Eccleſiaſtes cap. 1. n. 1 *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* ex Petri Damiani lectione, qui lib. 4 ep. 15.

Omnis homo, non ſolum mẽdax ſed mendacium.

Mendaciũ, aliud prolatum, aliud apprehẽſũ.

Qui ſint mẽdacij fabricatores?

Qui ſint vanitantes.

adijcit: *Vanitas ſiquidem efficit vanitantes, & ipſi vanitantes faciunt vanitatem; dum & mundus, qui tranſitorius eſt, homines quos decipit, vanos efficiat; & homines mundum, quem inſanè diligunt, in vanitatem vertant*. Quàm benè dicitur: *vanitantes faciunt vanitatem*! quicquid enim vanum reperitur, efficiunt iſti vanitantes. An non vanitantes dicendi ſunt, qui fallacibus deceptionibus perſonati, quibuſdam veluti præſtigijs decipiunt, ac deludunt?

Quæ omnia licet explicent ſatis, quod contendo; ſupereſt tamen propoſiti argumenti explicatio fortaſſe vtilior. Dum autem aio, homines eſſe perſonatos, perſtringere volo homines omni vitiorum genere liberaliter imbutos, omni flagitiorum turpitudine ſordidos, omni ſcelerum colluuione fœdiſſimè contaminatos: quia enim vitia poſſeſſores ſuos, varia reddunt deformitate transfiguratos, mirum non eſt, eos à me dici perſonatos, qui vitiorum identidem perſonas mutant, aut certè ſimul omnes oſtentant. *Deformes ſe tatos formis reddiderant peccatorum*: vox aurea Petri Chryſologi fuit ſerm. 167. Qui à vitio gradum ad virtutem facit, eundem à belluina deformitate, in diuinam elegantiam, & concinnitatem transferri, docuit olim Plutarchus initio eius libri, Quomodo quis ſuos ſentire poſſit profectus. Videndus Clemens Alexandrinus exhort. ad gentes. Chryſoſtomus hom. 23. in Gen. & 4. in Matthæum. Ambroſius lib. 6. exam. cap. 8. Nec non Hieroſolymitanus Cyrillus cathecheſi 2. Tertullianus de patientia cap. 13. & in fine libri de pœnitentia, cuius loci fontibus ſine dubio S. Pacianus Parænesi de pœnitentia (quod de Epicuro multa ex Democriti voluminibus in rem ſuam transferente dixit appoſitè M. Tullius de natura Deorũ) ſuos hortulos irrigauit; dignus propterea, qui & Tertulliani gratia audiatur, & ſua. *Rex*, inquit, *ille Babylonicus exomologeſim deſertus operatur, & ſeptenni ſqualore decoquitur. Leonum in illo iubas impexa cæſaries, & barbarus horror exſuperat, & longè incuruis vnguibus manus horrentes aquilas mentiebatur, cum fœnili in morem bouis ederet pallentis ruminator herbarum*. Placet in primis ille loquendi modus: *manus horrentes aquilas mentiebatur*. Hac forma dicendi ſi vti voluerimus; dicemus: leonem mentitur homo ſuperbus, canem oblocutor, vorator lupum, deceptor vulpem, & ſic de ſingulis; quia verè illam mentitur belluam, cuius vitium imitatur ſceleſtus. Interea in Ba-

Peccatores deformes, quaſi belluæ.

Talis viſus eſt Nabuchodonoſor.

A bylonio rege, tanquam in exemplari, inſpicite impij, quàm abiecta perſona vos ipſos induatis, dum flagitijs dehoneſtamini. Voluit enim Deus ſemel in Nabuchodonoſor palàm facere ad ſenſum, quod toties peccantis animo contingit, quoties ſe ſcelere obſtringit.

Habeo in promptu, quos proferam, pro præſentis argumenti confirmatione, clariſſimos ex omni literatura viros; ex prophana quidem Senecam, Iuuenalem, Perſium, Claudianum, Suetonium, Plutarchum. Ex ſacra autem magnum Gregorium, Hieronymum, Chryſologum. Senecam audi, cuius Theſeus in Hippolyto

B act. 3. ſcen. 3. ſic exclamat.

O vita fallax! abditos ſenſus geris,
Animiſque pulchram turpibus faciem induis.
Pudor impudentem celat, audacem quies.
Pietas nefandum, vera fallaces probant,
Simulantque molles dura.

O quàm *fronti nulla fides*! omnes ſimulant, ac diſſimulant: alij videri volunt quàm ſint. Hæc ſumma calamitatum eſt, vt homines vitijs deformati, perſonam induant virtutis. *O vita fallax*! quæris cur fallax dicatur? ſtatim ſubditur: *abditos ſenſus geris*.

Calamitatũ ſumma, improbus virtutis perſonam induere.

C

Animiſque pulchram turpibus faciem induis.

A ſimili ducto argumento, res fiet clarior. Si quis turpi vlcere fœdatus, circunſpiceret ſe magnificè, occulti vulneris oblitus, eò quòd aureo indumento veſtitus tegeret ægritudinem ſuam, non ne ridendus videretur? Id planè flagitioſo contingit, ſpecie ficta virtutis occultanti fœditatem ſcelerum ſuorum. Huiuſmodi ſimilitudine claudit Satyram quartam Perſius

Vitæ huius fallaces inſidiæ.

D

Cæcum vulnus habes, ſed lato balteus auro
Protegit:

Hominem huiuſmodi monet paulò poſt his verbis

Nequicquam populo bibulas donaueris aures;
Reſpice quod non es, tollat ſua munera cerdo:
Tecum habita, noris quàm ſit tibi curta ſupellex.

Ego vero ſi dixero flagitia vulnerare, immo vlcerare animam, dicam quod didici à Vate ſanctiſſimo: *Putruerunt, & corrupta ſunt cicatrices meæ*. Arrige aures, quiſquis corruptas morum prauorum cicatrices

Vitijs vlcerans animã.

catrices geſtas in corde, balteo licet aureo fulgeas; licet probitatis auro micans, extima ſorma mentitæ virtutis oculos detineâs intuentium, & probus habearis, atque integer

Nequicquam populò bibulas donaueris aures;

Reſpice quod non es.

At verò quàm multi ſunt, quos non tam carpere, quam deſcribere poſſumus verſibus eiuſdem poetæ ſequent. Satyr canentis:

Pelliculam veterem retines, & fronte politus

Aſtutam vapido ſeruas ſub pectore vulpem.

Lamentabatur, & iure Iuuenalis, tanquam maximum reipublicae malum, graſſari vitia in bonorum perniciem, ſpecie ſimulata virtutum

Vitium induit perſonam virtutis.

Fallit enim vitium ſpecie virtutis, & vmbra,

Cum ſit triſte habitu, vultuque, & veſte ſeuerum.

Nec dubiè, tanquam frugi, laudatur auarus,

Tanquam parcus homo, & rerum tutela ſuarum

Certa magis, quàm ſi fortunas ſeruet eaſdem

Heſperidum Serpens, aut Ponticus. adde quòd hunc de

Quo loquor, egregium populus putat, atq; verendum

Artificem: quippe his creſcunt patrimonia fabris.

& quæ ſequuntur, Satyr. 14. Diſce, quid contendam, cùm homines aio perſonatos: contendo deponendam eſſe ſpeciem, & perſonam, quæ virtutis videtur, ingentia tamen tegit vitia, adeò, vt deceptus populus laudet, & admiretur eos, quos reprehendere, & deridere deberet. Horridum vitium eſt; ſed blando ridentiq; nitore virtutis allicit permultos, quorum iudicio, qui auarus eſt, tanquam vir frugi, commendatur. *O vita fallax!*

Nequicquam populo bibulas donaueris aures.

At quia de homine non auaritia ſola, ſed quouis flagitio contaminato loquor, qui ſua ſcelera, mentita perſona tegere nititur; reuoco in memoriam, quod Suetonius tradit de Caio Caligula, hoc eſt, de eo, qui vel hiſtrionum Imperator, vel Imperatorum hiſtrio dici meritò poteſt: mirum enim eſt, quàm ſtudioſus fuerit, multiplicem mentiendi perſonam, & mu-

Caligula hiſtrionum Imperator, vel Imperatorum hiſtrio.

A tato habitu modò hunc, modò illum repræſentandi. Certè citatus autor cap. 52. ſic habet. *Veſtitu, calceatuq; & cætero habitu neque patrio, neque ciuili, ac ne virili quidem, ac denique non humano, ſemper vſus eſt. Sæpe depictas gemmataſque indutus penulas, manuleatus, & armillatus in publicum proceſſit, &c.* quae quidem videri poſſunt hoc cap. Praeterea cap. 19. dicitur Caligula Darium puerum, veſtitu, comitatu, equis, curru repraeſentaſſe. Dicitur etiam cit. cap. 52. Magnum Alexandrum repraeſentaſſe; immo coegiſſe alios, & vxorem etiam, vt perſonato incederent habitu. Sed, quod maximè facit pro me in praeſentia, leges cap. 22. haec ver-

B ba. *Templum etiam numini ſuo proprium, & ſacerdotes, & excogitatiſſimas hoſtias inſtituit. In templo ſimulacrum ſtabat aureum, iconicum; amiciebaturque quotidie veſte, quali ipſe vteretur.* Familiare vitium cuiuſque ſceleſti, eiuſdem idolum ſi dixero, nemo fortaſſe contradicet: idolum planè quod quotidie veſtes mutat: ſceleſtos ipſos appello teſtes, qui negare non poſſunt, ſe non in dies modò, ſed ſingulis ferè momentis habitum mutare, vt idolum occultent: auarus, ne derideatur ob auaritiam ſuam: impudicus vt ſuam turpitudinem celet, & ſic de ſingulis, quoties alieno ſe tegit indumento, morum ho-

Familiare cuiuſq; vitium eſt ipſius idolum.

C neſtatem ſimulans, & liberalitatem. Vides, quàm verè cogaris perſonam induere ab eo vitio, quo fœdaris. Abiectis adſcititijs, indue aliquando Dominum Ieſum, iuxta Apoſtoli conſilium ad Romanos 13. num. 14. Agnoſce, quàm ridiculum ſit, in quærendis aliorum perſonis, ſibique affingendis imaginibus, laborare.

Iſti videntur mihi ſimiles Antiocho, Alexandro, Neroni, mirum in modum inſanientibus. De Antiocho ſcribit Henricus Stephanus apologia pro Herodoto, de Antiocho, inquam, qui ab adulatoribus Epiphanes, ab ingenuè verum fatentibus Epimanes dictus eſt. Hic ſubinde de-

Antiochus vilẽ induit togam, depoſita regali;

D poſita regali veſte, vilem togam induebat, & in ſuorum ſe conſpectum, & familiaritatem dabat, vbique prodigus, ſtultus vbique, niſi potiùs ſemper inſanus. An non alter Epiphanes dicendus eſt, qui regia innocentiæ veſte depoſita (*Regale Sacerdotium gens ſancta* de Chriſti fidelibus dicitur p. Petri 2. num. 9.) induit ſeruilem peccatorum togam: *Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati.* Ioan. 8. num. 34.

Vel certè huiuſmodi homines imitari videntur Alexandrum Macedonem, qui, vt cit. autor ibidem ſcribit, modò Ammonis, ſiue Iouis filius haberi gaudebat; mo-

Alexander Deorum veſtem mentitur.

dò

Viuæ imagines hominum ſcelestorum.

dò Mercurij ritu talaria petaſumque & caduceum; modò Herculis more leoninã pellem clauamque geſtabat. En viua imago hominis ſuperbi, furis, efferatique, qui modò ira ſæuiens, leoninam induit Herculis pellem; modò aliena rapiens, os habitumque Mercurij ſimulat; modò tumidus elatione, filium ſe iactat Iouis; ſemper perſonatus, & aliena oris habitudine conſpiciendus, immo deſpiciendus. Vel certè Neronis veſtigijs videntur inſiſtere; qui peccant. De Nerone enim tradit Suetonius in vita cap. 21. conſueuiſſe cantare tragœdias perſonatum, ſimulatis heroum, Deorum, fœminarumque perſonis.

Nero hiſtrionem agit.

Fœminas ſimulant impudici, moribus planè effœminatis; heroes æmulantur audaces; Deos finguut ſuperbi, ambulantes in magnis, & in mirabilibus ſuper ſe. Audiamus Chryſologum opportunè loquentem in hunc modum ſerm. 120. *Neue ſimus vt Perſarum reges, qui ſubiecta nunc pedibus ſuis ſphera, vt polum, ſe calcare ciues mentiuntur; nunc radiato capite, ne ſint homines, ſolis reſident in figura; nunc impoſitis ſibi cornibus, quaſi viros ſe eſſe, doleant, effæminantur in Lunam; nunc varias velut ſiderum ſumunt formas, vt hominis perdant figuram, & nihil ſuperne claritatis acquirant. Sed iſta de ſeculi vanitate deſcendunt, & à ſapientibus tam fugienda ſunt, quàm ridenda.* Conſidero vltima verba: *Iſta de ſeculi vanitate deſcendunt, & à ſapientibus tam fugienda ſunt, quam ridenda.* Quid ſi non de ſeculi vanitate, ſed de hominis prauitate deſcendant? quales ſunt vitiorum formæ quas improbi mutant. Profectò multò magis ridenda, multò diligentiùs fugienda. Exclamet pro me, & ethnicus, & poëta Claudianus lib. 2. in Eutropium.

Quid pulchra vocabula pigris
Prætentas vitijs? probitatis inertia nomen,
Iuſtitiæ formido ſubit.

Virtutum nomina tribuuntur vitijs.

Exterminentur ab hominum republica ſimulationes iſtæ virtutum, quibus, cum tanta pernicie, & flagitia, & flagitioſi teguntur. Suus virtuti color eſt, quem qui amat, imitetur, non mentiatur. Monuit id ipſum ex Thucydide Plutarchus lib. de adulatoris, & amici diſcrimine, inquiens: *Equidem ſcribit Thucydides, nomina, hominum æſtimatione, à conſueta fuiſſe ſignificatione detorta ad res alias: audacia enim rationis expers, habita fuit pro fortitudine; prudens cunctatio pro timiditate ſpecioſa; modeſtia pro molitiei prætextu: & callida in omnibus rebus adhibita accuratio, pro ſumma ignauia.* Quàm turpè, quàm indignum eſt, peccata virtutum nomine nuncupare? ſed multò indignius non nomina ſolum virtutum, ſed earundem aſpectum, formam, naturam ita mentiri, vt prodigus, liberalis haberi velit; auarus, commendationem frugalis affectet; timidus, venditet ſeſe cautum: temerarius, celerem; amoribus deditus turpibus, amantem conſuetudinis, & propenſum ad charitatem; demum iracundus, ac ſuperbus iactet animoſitatem; vilis, humanitatem. Turpis vitij facies virtutis deponat aſpectum; & flagitioſus vſurpatæ formam probitatis exuat; ne diutius decipiat, & grauiùs noceat. Inſidiæ ſunt iſtæ, quibus impetu clandeſtino graſſatur improbitas, in bonorum perniciem, & ruinam ſanctitatis.

Quàm multi errant in indicãdo, & proferendo de virtutibus.

Amici Iob, vt aduertit Gregorius lib. 3. moral. cap. 10. exclamantes plorauerunt, ſcideruntque veſtes: aliqua doloris ſigna ediderunt, viſo ſpectaculo Iobi amatiſſimi capitis, tot inter ærumnas laborantis. Quaſi verò non intrinſecus conceptum dolorem promerent, ſed eum repræſentarent, quem à iacente, & conſternato accipiebant communicatum. Dolent dolore, non ſuo, ſed alieno; eo modo videlicet, qui familiaris eſt ijs, qui perſona ficta, & mentito aſpectu repræſentant quod non ſunt. In Iobo vlceribus fœtido, peccati ſimulacrum agnoſco. Diſce mores eorum, qui amici ſunt improbitatis: videlicet vultum accommodant, & faciem mutant, videri cupientes longè diuerſi ab eo, quod reipſa ſunt.

Vtinam perpauci inuenirentur homines, quos, vt perſonatos deſcribimus, ac deridemus. Sed vereor, ne vera ſit ſententia à Petronio Arbitro non ſemel repetita, & præcipuè in fragmentis dicente: *Ferè totus mundus exercet hiſtrionem.*

Mundus Hiſtrio.

Videatur Hieronymus ad Celantiã de inſtitutione matris familias

* * *

IN CA-

IN CAPVT OCTAVVM

A Num. V. ad XXVIII.

Cúm autem introiſſet Capharnaū, acceſſit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Ieſus: Ego veniam, & curabo eum. Et reſpondens Centurio, ait: Domine, non ſum dignus vt intres ſub tectum meum: ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites: & dico huic Vade, & vadit: & alii Veni, & venit: & ſeruo meo Fac hoc, & facit. Audiens autem Ieſus miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael. Dico autem vobis, quód multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cælorum: filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Et dixit Ieſus Centurioni: Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi. Et ſanatus eſt puer in illa hora. Et cum veniſset Ieſus in domum Petri, vidit ſocrū eius iacentem, & febricitatem: & tetigit manum eius, & dimisit

miſit eam febris, & ſurrexit, & miniſtrabat eis. Veſpere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & eiiciebat ſpiritus verbo: & omnes male habentes curauit: vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam, dicentem: Ipſe infirmitates noſtras accepit: & ægrotationes noſtras portauit. Videns autem Ieſus turbas multas circum ſe, iuſſit ire trans fretum. Et accedens vnus ſcriba, ait illi: Magiſter, ſequar te, quocúnque ieris. Et dicit ei Ieſus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet: Alius autem de diſcipulis eius ait illi: Domine, permitte me primùm ire, & ſepelire patrem meum. Ieſus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Et aſcendente eo in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius: & ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipſe verò dormiebat. Et acceſſerunt ad eum Diſcipuli eius, & ſuſcitauerunt eum, dicentes: Domine, ſalua nos, perimus. Et dicit eis Ieſus: Quid timidi eſtis, modicæ fidei? Tunc ſurgens impe-

rauit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Porró homines mirati ſunt, dicentes: Qualis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei?

PA-

PARADOXVM VI.

Supplicia huius vitæ, miſerentis Dei beneficia ſunt.

ECCE afflicta Centurionis familia: Petri domus vexata: turbæ Chriſto deuotæ, dæmonibus ſæuientibus, cruciatæ: ipſa demum Apoſtolorũ nauis, vi iactata ventorum, & tempeſtatum quaſſa turbine, penè demergitur. Quid ſentiendum nobis eſt, tot, tantiſque auditis amicorum Dei calamitatibus? Ego ſanè in ea ſententia ſum, vt credam, beneficia eſſe, & quidem maxima, ampliſſimaque miſerentis Dei, ea, quæ videntur acriora eſſe in hac vita ſupplicia. Quod, ad iuſtorum leuamen, inter ardua laborantium, placet in præſentia confirmare.

Nil notius, quàm tentatum à Deo Abraham, vt ſcribitur Gen. 22. ea vtique tentatione, qua nulla grauior, aut moleſtior: vnicum ſcilicet filium, proprijs parentis iam ſenio confecti manibus, mandat occidi. Quale, obſecro, aut tormentum durius admoueri, aut acerbius imperium viro tam probo poterat fieri? Ergone Deus, qui ſumma bonitas eſt, ſeuerè adeò cum amicis ſuis agere credendus eſt? Audi D. Baſilium Seleuc. orat. 7. rationem huius rei reddentem his verbis: *Natura fluctus in virum iuſtum ſuſtollit: amicitia diuina nundinatorem miretis*. Nundinis expoſitæ merces viliori venduntur pretio: ſi ergo Deus, dum vexat duris, nundinator fit, vt amicitiam ſuam faciliùs vendat; quæcunque dura Abrahamo, & iuſtis accidunt, licet imperitis videantur ſupplicia, re vera tamen miſerentis Dei ſunt beneficia. Io: 2. vbi Nuptiæ in Cana Galilææ fa-

Abrahami vexatio, diuinæ amicitiæ nundinatio.

A ctæ deſcribuntur, proponenti Matri, *Vinum non habent,* Chriſtus Dominus reſponſum dat plenum amaritudine, & aptius ad incutiendum timorem, quàm ad conuiuale gaudium augendum. *Quid mihi, & tibi mulier? nondum venit hora mea.* Maria ſtatim, cum maxima animi moderatione, miniſtrantibus mēſæ imperat. *Quodcunque dixerit vobis, facite.* Doce nos, obſecro, ò Parens optima, ac pijſſima Virgo ſecretum adeò reconditum; & ſublimis ſapientiæ arcanum euolue: Cur non modò de obtinenda gratia non deſperas, ſed ſpe auctior, quod negatum videbatur, expectas? Rem hanc conſiderans,

B S. Maximus ſer. 1. de Epiphan. ſic loquitur: *Sciebat profectò Mater ſancta obiurgationem illam Domini, filijque ſui, non iraſcentis offenſam prætendere, ſed miſerantis portare myſterium*: Diſcamus & nos Virgine docente, ſi fortè contingat, vt non modò non audiamur orantes, ſed reijciamur, ſi fortè, dum proſpera petimus, experiamur aduerſa; diſcamus, inquam, *non iraſcentis offenſam prætendere, ſed miſerantis portare myſterium*. Nemo verò clariùs id aperire poteſt, quàm Deus ipſe, in rem præſentem ſic loquens Deut. cap. 32. 39. *Ego occidam, & ego viuere faciam;*

Obiurgatio Mariæ in Cana Galilææ, miſerãtis Chriſti myſterium.

C *percutiam, & ego ſanabo; & non eſt qui de manu mea poſſit eruere.* Scire vellem, videatur nè amica, & blanda an ſæua, & terribilis iſta proclamantis Dei oratio? Audio percutientem Deum, infligentem vulnera, minitantem extrema ſupplicia; quapropter indignantis Dei perhorreſco furorem. Sed falleris, quiſquis hæc tecum reputas, ſi Magno Baſilio credamus, cuius indicio Dei clementia, & pietas, non ira aut indignatio patefit. Do Baſilij verba in cap. 6. Iſaiæ. *Oſtenditur vtilem eſſe, & commodum eorum finem, qui beneficij loco plectuntur. Ait enim, percutiam, & ego ſa-*

D *nabo*. Attende illum loquendi modum: *Qui beneficij loco plectuntur*: Felix, qui, dum plectitur ſupplicio, afficitur beneficio: is vir iuſtus eſt, quem percutit Dei manus, non indignata furore, ſed animata charitate; quia ideò percutit, vt ſanet. Aduerſa valetudine laborat amicus Dei; perſecutionem patitur propter iuſtitiam; pauperem vitam ducit, vt terrenis affectibus mitigatis anhelet ardentiùs ad cæleſtia: ſic, ſic percutitur, vt ſanetur. Iſta ego non ſupplicia vocanerim, ſed beneficia.

ſupplicia inflicta à Deo ſunt beneficia.

Origenes hom. 8. ſuper Exodum. *Vide*, inquit, *miſericordiam, & patientiam*

boni Dei, quando vult miſereri, indignari ſe dicit, & iraſci. ſicut per Ieremiam c. 6. ait. Dolore, & flagello caſtigaberis Ieruſalem. Hæc, ſi intelligis, miſerantis Dei vox eſt. vbi iraſcitur, & zelatur, ibi adhibet dolores, & verbera. Verùm ſi quis fortè non percipiat, quo pacto miſereatur Deus, dum videtur iraſci, audiat quid Oecumenius narret, rationem reddens, cur ab Athenienſibus erectum fuerit altare illud celeberrimum, addita inſcriptione, *Ignoto Deo*. De quo Act. 17. 27. fit mentio. Occaſio huius altaris excitandi, ſi citato autori credimus, ea fuit; quòd, cum lues Athenis graſſaretur, Athenienſes ſacra Ioui feciſſe perhibentur, vt tanto malo remedium à Superis impetrarent; ſed fruſtra. Confugerunt ad Apollinem, ſed ſine fructu; ſupplices tetenderunt manus ad Palladem, non tamen vis morbi reſedit; eodemque modo cæterorum Deorum implorato præſidio, votis inanibus; ſenior inter ipſos, coacto Patrum ſenatu, dixiſſe fertur: Nullus, vt reor, Deorum, quos implorauimus, tanti mali autor eſt; quoniam oratus exorari non poteſt: ab ignoto Deo, quicunque ille ſit, optatum incolumitatis munus poſcendum eſt. Placuit conſilium; excitatoque altari, ſacra peracta fuere; & peſtilentia ceſſauit. Ita planè contingit non rarò: inflictis flagellis reuocamur ad Deum, qui nobis idola colentibus, erat ignotus. Doloribus, ac verberibus dum Deus flagellat, miſeretur. Sic quippe ad eum ducimur, qui antea creaturarum ſimulacris inanibus detinebamur. *Quando vult miſereri, indignari ſe dicit. Dolore, & flagello caſtigaberis Ieruſalem. Hæc ſi intelligis, miſerantis Dei vox eſt: vbi iraſcitur, & zelatur, ibi adhibet dolores, & flagella.*

Ara Ignoto Deo cur ab Athenienſib. erecta

Vis noſſe qua ratione Dei flagella beneficia ſint? recole quod ſcribit Magnus Gregorius, conſiderans inuentum caſtiſſimi Ioſeph, qui ſacco Beniamin ſcyphum abſcondi mandauerat. Sic autem habet hom. 21. in Ezechielem: *Scyphus in ſacco iunioris fratris abſconditur: furti poſt eos quæſtio mouetur. Mittitur, vt reducantur addicti, in ſeruitutem decernitur, apud quem ſcyphus fuiſſet inuentus. In ſacco vltimi fratris inuenitur; tunc Beniamin reducitur, afflicti omnes fratres ſequuntur. O tormenta miſericordiæ! cruciat, & amat.* Felix ſanè ille eſt, qui nullius ſibi culpæ conſcius, cùm flagellis aduerſitatum verberari ſe ſentit à Deo, exclamare nouit. *O tormenta miſericordiæ! cruciat, & amat.*

Cur ſcyphus, iuſſu Ioſephi, in ſacco Beniamin reconditus.

Scilicet veriſſimè Sanctus Paulus ſcribebat ad Hebræos 12. num. 6. *Quem diligit Dominus caſtigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Si per flagella inter Dei filios recipimur, chariora ipſis amplexibus ſunt flagella, & verbera ipſis oſculis dulciora. Spartani, vt Plutarchus ſcribit Lib. de educ. liber. verberare ſolebant filios ante Martis ſimulacrum; quod quidem non affectu ſæuiendi fiebat, ſed deſiderio eos perficiendi, & inſtruendi ad præclara in acie perpetranda. En quomodo Deus ab Apoſtolo dicatur flagellare *omnem filium quem recipit*. Probat quippe, perficitque virtutem filiorum ſuorum, quos hoc pacto ad pugnam inſtruit, immo ad coronam exornat beatitatis. *O tormenta miſericordiæ! cruciat, & amat. Nemini*, inquit, Lactantius lib. 5. Diuin. Inſtit. cap. 23. *mirum videri debet, ſi pro noſtris ſæpè delictis caſtigamur à Deo: immo verò cùm iactamur, ac premimur, tunc maximè gratias agimus indulgentiſſimo Patri, quò corruptelam noſtram non patitur longiùs procedere: ſed plagis, ac verberibus emendat. Ex quo intelligimus eſſe nos Deo curæ; quibus, quoniam peccauimus, iraſcitur.* Sic eleganter, & dilucidè Lactantius. Huc reuocat Sanctus Auguſtinus illud Pſal. 96. *Domine Deus noſter, tu exaudiſti eos, Deus tu propitius fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinuentiones*, legunt alij, *affectiones eorum*. Quomodo propitius, ſi vlciſcens? aut quod genus propitiationis eſt, caſtigare acriter omnes affectiones eorum? *Etiam*, inquit Auguſtinus, *vindicans, propitius fuiſti*. Vtique, quia patrem ſe declarat, vlciſcendo. Sed meliùs idem Auguſtinus ſer. 37. de verbis Domini ait: *Magna miſericordia eſt, nequitiæ impunitatem non relinquere; &, ne cogatur in extremo gehennæ damnare, modò flagello dignatur caſtigare.*

Spartani, cur filios cædebant ante Martis ſimulacrū.

Deus, cum vlciſcitur, eſt propitius.

Confero duos magos, Simonem, & Elymam, obſeruatis ijs, quæ de vtroque tradunt ſacrarum monumenta literarum. Simonem, exiſtimantem argento emi poſſe poteſtatem tradendi Spiritum Sanctum, reprehendit Petrus acri obiurgatione. Sic enim Act. cap. 8. n. 19. *Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum ſit in perditionem: quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri*, & quæ ſequuntur loco citato. Cap. autem 13. vbi dicitur Elymas conari, vt Sergium Proconſulem auertat à fide, à Paulo non reprehenditur modò, ſed miraculoſa orbitate excæcatur. Sic nempe cit. c. à n. 9.

Sau-

Saulus autem, qui & Paulus, repletus Spiritu Sancto, intuens in eum, dixit. O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, non deſinis ſubuertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus. Et confeſtim cecidit in eum caligo, & tenebræ, & circumiens quærebat, qui ei manum daret. Palmare ſanè flagitium eſt, non inficior, iſtud Elymæ, mentem Proconſulis à fide auertere ſatagentis. At non minus facinoroſum eſſe crediderim conatum Simonis, Dei donum venale facientis. Cur ergo tantò grauius Elymas punitur? Reſpondebit Iſidorus Peluſ. lib. 1. Epiſ. 354. *Impium*, inquiens, *hominem prudenti conſilio Paulus coercet, inuecta ipſi, admonendi cauſa, cæcitate, qua etiam ipſum eò, tanquam porrecta manu, duxit, vt Apoſtolo ſe in diſciplinam traderet. Didicit enim eo medicaminis genere incredulitatem ſuam curare, quo etiã ſanitat*[illegible] *adeptus eſt*. Elymas cæcitate percutitur, vt ſanetur. Dei vox, & mos eſt, dicebam paulò ſuperiùs, illud vſurpare: *Percutiam, & ego ſanabo*. Is, cuius ſalus deſperata eſt, quemadmodum Simon, minimè percutitur. Sed inuecta, admonendi cauſa, cæcitate, reuocatur ad bonam frugem amicus Dei. Verè: *O tormenta miſericordiæ! cruciat, & amat*. Malo cum Elyma cæcutire, vt corporis, animique ſanitatem obtineam, quàm cum Simone, perſpicacibus oculis, incolumique corpore, perdi, ac perimi. Dicat Chryſoſtomus hom. 14. in Matt. *Vtilior eſt homini Deus iratus*.

Simon Magus & Elymas, cur diuerſimodè puniantur, ob grauia delicta.

Sæpe ſum admiratus, ſed non ſatis, conſiderans quid à Deo petat Dauid pſ. 26. 9. inquiens: *Ne declines in ira à ſeruo tuo*. Audis? rogat Deum, vt minime diſcedat, dum ira æſtuat. Immo petendum videbatur, vt iratus diſcederet. Sanè Iob malebat inferni carcere detineri, quàm Deum ſuſtinere iratum. *Quis mihi det vt in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus?* Iob. cap. 14. Oppoſitum poſtulat Dauid, eſſe videlicet cum Deo, quando ira inflammatur. *Ne declines à te in ira à ſeruo tuo. Quid times*, ait Auguſtinus in hunc locum, *ne declinet in ira? Si à te declinauerit in ira, non in te vindicabit: ſi incurras in illum iratum, vindicabit in te. Opta ergo potiùs, vt declinet à te in ira, non accedat. Quid vouit enim? Quid deſiderat? Ira eius non eſt, niſi auerſio eius*. Hactenus Auguſtinus. Sapienter Dauid petit à Deo, ne declinet, cùm iratus eſt: licet enim in ira ſit, dum-

Dauid iratum Deum ambit, Iob verò effugit, & quare.

A modo adſit, beneficus eſt, etiam cum iratus fuerit: ſolùm ſi recedat timendus eſt. Tunc ergo libelli ſupplices Deo ſunt porrigendi, vt nobiſcum permaneat, cùm videtur iratus. *Ne declines in ira à ſeruo tuo*. Charior quippe nobis eſt ira Dei, qui cùm iratus fuerit, miſericordiæ memor eſt, quàm fallax mundi voluptas, quæ, cùm blandiri videtur, perimit.

Trita vtar ſimilitudine, reuocato in memoriam eo, quod ſcribit Plutarchus in moralib. de apibus. *Sicut apes*, inquit, *ex amaris plerumque, & auſteris floribus mel; ſic gaudium ex mœrore ſæpius* B *fit*. Ita planè mihi videtur facere Deus, qui ex auſteris, amariſque iræ ſuæ furoribus, quaſi è floribus, mel educit beneficiorum. Id quod Paulus & nouit optimè, & apertiſſimè protulit, ſic ſcribens 1. ad Cor. 11. 32. *Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur*. Seueri Iudicis partes agere videtur Deus cum electis ſuis, quos laboribus conficit, & angoribus premit; ſed re vera tunc maximè ſe præbet beneuolum patrem, cùm iudex apparet iratus. *A Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur*. Iudicio ſubtrahimur extremo, dum in hac C vita corripimur. Diuinae profectò bonitatis eſt, ſpecie fulminantis amantiſſimum abſcondere Saluatorem.

Deus, inſtar apis, è rebus amaris educit mel beneficiorũ.

Loquitur Deus per os Dauid dilecti ſui pſal. 88. 33. dicentis: *Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum*. Perſiſtamus parumper in examinando huius oraculi ſenſu. *Viſitabo in virga*. Ex vno capite videtur Deus vltionum declarare velle furorem irae ſuae; Quid enim aliud virgæ, quid verbera, ad plectendas iniquitates, & caſtiganda peccata, ſignificare poſſunt? Sanè virga, ſupplicij inſtrumentum, indignantis Domini ſymbolum eſt. Vnde D 2. Reg. 7. 14. Deus ipſe, Nathan alloquens, ait: *Ego ero ei in patrem, & erit mihi ipſe in filium: qui ſi iniquè aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum*. En inſtrumenta vulnerum infligendorum: en plagarum tormenta: ſola virga. Cùm ergo virgas expedit ad flagellandum, atrociſſimam indicat futuram eſſe lanienam contra ſceleſtos. Ex alio capite obſeruo verbum illud *viſitabo*, quod vtique ad conſolandum videtur aptius, quàm ad deterrendum; viſitare enim beneuoli animi eſt, atque amici.

Deus viſitat cùm percutit.

Mirus loquendi modus, & plenus ſinè

 dubio

dubio ſapientia cæleſti. *Viſitabo in virga.* Non dixit flagellabo, vulnerabo, lacerabo; ſed viſitabo. *Iſta videlicet*, vt ſcribit Cyprianus Epiſt. 52. *cenſura pariter, & clementia comminantis ſimul, atque parentis Dei, qui more ſuo punit, vt corrigat; & cùm correxerit ſeruat. Ergo ſi dum flagellat, viſitat; quæ patimur in hac vita indignati Dei ſupplicia, beneficia eſſe fateamur: dicente ipſo Domino Apoc. 3. 19. Ego quos amo, arguo, & caſtigo.* O ſupplicium exoptandum! quandoquidem caſtigans non vlciſcitur, ſed viſitat. Addo D. Hieronymum, ex cuius etiam ſententia, tunc Deus in hac vita miſericors eſt, cùm videtur infenſus. Etenim in Commẽtarijs ſuper Ezechielem in illud cap. 7. 4. *Non parcet oculus meus, neque miſerebor. Quaſi*, inquit, *clementiſſimus medicus, incidere cupiens putridas carnes, & carioſa vulnera adurere cauterio, non parcit, vt parcat; non miſeretur, vt magis miſereatur.* Vtinam intelligeremus hunc Dei morem; neque enim tam facilè, nec tam frequenter de ijs, quæ nobis contra votum accidunt, conquereremur. Dum angimur, dum vexamur, dum premimur, ſeu morbo, ſeu calamitate, ſeu paupertate, ſeu quouis genere aduerſitatis; tunc *non parcit* Deus, *vt parcat; non miſeretur, vt magis miſereatur.* Nempe adimplet, quod dixit: *Viſitabo in virga iniquitates eorum.* Exercere videtur inſtrumenta iræ, ſed re vera, quaſi medicus viſitat, vt morbos pellat, & faciat incolumes.

Deus, cùm flagellat, beneficè viſitat; cùm videtur infenſus, miſericors eſt.

Quapropter facilè intelligere poſſumus, quàm ſapienter deſcribantur Angeli à S. Io. cap. 15. Apoc. vbi narrat ſignum magnum, & mirabile ſeptem illorum Angelorum, quorum opera ad plectendos homines vtebatur iratus Deus. Dicuntur quippe Angeli non ſolum veſtibus albis induti, verùm etiam zonis ornati aureis: ſic enim leges cit. cap. n. 6. *Exierunt ſeptem Angeli, habentes ſeptem plagas, de templo, veſtiti lino mundo, & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis; & vnum de quatuor animalibus dedit ſeptem Angelis ſeptem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viuentis in ſecula ſeculorum.* Contemplare miniſtros iræ Dei, non ferreo cingulo armatos, ſed ornatos zona aurea: vaſa ipſa furoris Domini, non ære rigentia, ſed auro nitentia. Sanè aurum, charitatis eſt ſymbolum; vt pro certo habeamus iram Dei, non furore accendi, ſed charitate exardeſcere: amat dum iraſcitur, & flammas euentilat amoris ſui, dum furore percitus, videtur accendi. Neque hic prætereibo, non ſine myſterio

Angeli albis induti, dum phialas iræ Dei effundunt, nõ tam ſupplicia quàm beneficia Dei demonſtrant.

A dici, Angelos veſte alba indutos, non pulla, aut atrata, quæ aptior videbatur eſſe, ad luctum. Videlicet alba veſtis lætitiæ indicium eſt: vnde in reſurrectione Domini, ſicut & in aſcenſione, viſi ſunt Angeli in veſtibus albis. Eadem ex cauſa dicuntur hoc loco Angeli lino mundo, & cãdido induti, ad gaudium indicandũ: gaudent porrò Angeli, peccatoribus pœnitentiam agentibus. Meritò igitur albis veſtiuntur indumentis, dum phialas iræ Dei effundunt; quia inflictis vexant ſupplicijs homines, vt ad Deum conuertantur. Nullum verò beneficium maius à beatis mentibus accipere poſſumus, quàm ſi ab ijſdem
B excitemur ad quærendum Deum. Auream charitatis zonam, candidum lætitiæ indumentum præ oculis habere debemus, dum affligimur; vt rectè ſentiamus de ſupplicijs Dei, quæ re vera beneficia ſunt, & quidem maxima, ampliſſimaque.

Id autem vſque adeò, abſque omni controuerſia, certum eſt, vt Idiota lib. 2. contemplationum cap. 21. hinc ſumat argumentum ad dignoſcendum, qui nam filij Dei ſint; quod paulò ſuperiùs innuebam iuxta illud Prouerb. 3. 12. *Quem enim diligit Dominus, corripit; & quaſi pater in filio complacet ſibi.* Sic autem habet citatus Idiota. *Qui ambulare non vult vias duras tribulationum, non eſt filius Dei, ſed*
C *ſeruus: ſcribitur namque, quòd ſeruus non manet in domo in æternum, filius autem manet. Nam ſeruus offendens Dominum flagellatur à Patre, ſed à domo non expellitur, nec habet patrem ſuum odio, nec ab eo fugit: & idcirco dicitur quòd filius manet in domo in æternum.* Sicut igitur Dominus patrem ſe demonſtrat, caſtigando; ita par eſt, vt nos exhibeamus filios, ferendo, tanquam ſigna beneuolentiæ, aduerſa, quæ nobis, Dei diſpenſatione, eueniunt. Falluntur, qui Deũ exiſtimant ſubiratum, irruentibus aduerſitatibus; tunc enim parentis in morem, in filios animaduertit. Cùm non fecerim mihi ſatis paulò
D antè curſim commemorans Dauidicum illud ex pſal. 98. *Deus tu propitius fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinuentiones eorum*, debeo iterum examinare, quomodo dicatur Deus propitius, ſi vlciſcens perhibetur. Reſponſum eſt S. Bernardi Serm. 42. in Cant. dicentis: *Hoc vocat propitiationem, quòd eorum Deus non pepercit exceſſibus.* Maxima miſerentis Dei propitiatio eſt, cùm ſingula punit peccantis hominis ſcelera; adeò, vt cùm apparet vlciſcens, re ipſa propitius ſit. Hinc perutile monitum diſco humanæ infirmitati accommodatum, videlicet, neminem conqueri

Aduerſa, vt filij, non vt ſerui ferre debemus.

queri

Gaudere debemus, cùm Deus nullum diſſimulat peccatum

queri debere, aut de ſua conditione lamentari, cùm ærumnis vexatur, aut calamitatibus atteritur; quaſi verò, Deum hoc modo experiatur iratum. Longè aliter ſeſe res habet: tunc enim Deo propitio gaudere debemus, cùm nullum diſſimulat peccatum, & vltor adeſt noſtrorum exceſſuum. Hnc reuoco legem illam Leuit. 24. quae iuxta Cyrillum Alexandrinum, eſt huiuſmodi: *Si homo maledixerit Deum, peccatum accipiet; qui autem nominat nomen Domini, morte morietur*. Miratur Cyrillus lib. 14. his verbis: *Quid eſt, quòd, qui maledixerit Deum, non habet pœnam mortis; ſed qui nominauerit nomen Domini? Nonne multò grauius eſt* B *maledicere Deum, quam nominare, quamuis in vanum nominaſſe dicatur?* Egregiè diſſerit Cyrillus: ſed non minùs aptè reſpondet Gregorius lib. 17. in Iob. cap. 3. inquiens *Neceſſum eſt, vt, cùm nos diu expectari cõſpicimus, ipſa prærogata pietatis tempora, quaſi damnationis argumenta, timeamus; ne ex clementia iudicis creſcat ſupplicium peccatoris, & vnde quiſque eripi à morte poterat, inde grauius ad mortem tendat.* Compellor dicere: ò clementiam refugiendam! ò exoptandam ſeueritatem Dei! ſæuit in hoc ſeculo, vt æternùm parcat: parcit dum ſumus in curriculo mortalita- C tis, vt ſæuiat per æternitatem: iratum experiris Deum? ſalua res eſt. Grauiora ergo Dei vlciſcentis ſupplicia, maiora ſunt miſerentis Domini beneficia.

Horrore perculſus, an gaudio perfuſus Iacob. Gen. 28. vbi celeberrimo ſomno recreatus, viderat ſcalam cælos tangentem, & oracula benedicentis Domini exceperat. Illud autem mirum eſt, quòd expergefactus, cognita Dei præſentia, ait num. 17. *Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam*. Statim ſubditur, *Pauenſque quàm terribilis eſt*, inquit, *locus iſte! non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cœli.* Vix videtur conſtare ſibi ſemiſopitus D Iacob. Cur enim paueat, aut terribilem eſſe locum agnoſcat, ſi domus Dei eſt, & porta cæli? Nil horrificum eſſe poteſt in ea domo, quæ beatitatis eſt regia: exundant Dei domeſtici gaudio, non tremore concutiuntur. Verùm ſapit Iacob. Vbi terribilem ſe præbet Deus, ibi aditum aperit ad cæleſtia bona, & inter domeſticos admittit, quos videtur timore concutere, primo aſpectu ſæuus iudex, ſed reuera amantiſſimus pater.

Deus cùm ſe terribilē præbet, aperit aditum ad Cælum.

Nil notius ſpectaculo illo Moyſi exhibito ardentis rubi, & inconſumpti, de quo Exodi 3. n. 2. & 3. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi. & vide-* A *bat quòd rubus arderet; & non combureretur*. Addit Philo libro 1. de vita Moyſis non longè ab initio, viſam fuiſſe ſpeciem quandam humana maiorem inter nitores huius rubi. Verba Phil. ſunt: *E medio promicabat forma quadam pulcherrima, nulli viſibili ſimilis; diuinum ſimulacrum luce fulgens clariſſima, vt ſuſpicari poſſet Dei eſſe imaginem. Vocemus eam Angelum.* Quorſum Deus lucem habitans inacceſſam videndum ſe præbeat ſpinas inter, & flammas? Niſi fallor, vt declaret, fore vt tunc maximè beneuolo nos aſpectu protegat, cùm flammis videtur circundatus, & ſpinis ſeptus. Pungunt ſpinæ, vrunt flammæ? B bene eſt; venerare diuinum ſimulacrum, luce fulgens clariſſima: agnoſce pulcherrimam formam bene merentis Dei. *E medio promicabat forma quadam pulcherrima. Vocemus eam Angelum.* Non hoſtis vaſtator, ſed Angelus protector adeſt, quoties lacerare videntur rubi, vel incendia abſumere. Do Philonem loco cit. paulò poſt ſic loquentem. *Hæc omnia deſignabant exhortationem quandam, tantummodo non inclamantem preſſis calamitate: Nolite ſuccumbere: hæc veſtra infirmitas eſt potentia, quæ punget vulnerabitque plurimos: Qui delere cupiunt vos, inuiti ſer-* C *uabunt; tot mala illæſi euadetis; & cùm maximè vaſtari videbimini, tunc maximè enitebit veſtra gloria*. Sic, ſic dum percutere videtur Deus, ſanat; cùm proſternit, erigit, cùm eum perimere credis, protegit. O quàm bonum habemus Dominum! quem alloquens propheta Habacuc cap. 3. 2. ait: *Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.* Amica, & amabilis ira! quæ miſericordiam dormientem, vt ita dicam, excitat ad benefaciendum.

In rubo, quem Moyſes viderat, imago Dei apparebat.

Amabilis eſt ira quæ excitat ad benefaciendum.

Exclamantem audio Euangelicum vatem Iſaiam cap. 40. num. 12. *Quis menſus eſt pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit?* Aquis aduerſa ſignificari, nemo du- D bitat; & cælum ſedem eſſe beatitatis, quis neget? iam interroget Iſaias. *Quis menſus eſt pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit?* Ad aquas menſurandas, in pugnum ſtringenda manus, & arctanda, atque corripienda eſt: at è contrario ad cæli ſpatia metienda extendenda manus eſt, ac producenda. Nimirum nunquam Deus, aquis aduerſitatum perfuſurus iuſtos, manum ſtringit, quin etiam palmum extendat, ad eoſdem muneribus cumulandos. Hic error mortalium eſt, qui neſciunt menſura vti; vt propterea interroget Dei nuncius: *Quis menſus eſt pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit?* Profectò qui arctiſſima concluſas menſura aquas cum longè ma-

iori

Supplicia huius vitæ, ſunt beneficia Dei.

iori amplitudine, cæli ſcilicet palmo circunſcripti comparauerit, facilè fatebitur, quæ videntur huius vitæ ſupplicia, miſerentis eſſe beneficia Dei. Exemplum planè accommodatum inuenio Marci 7. n. 33. vbi, vt ſurdi aures aperiret Ieſus, dicitur expuiſſe. *Apprehendens Ieſus eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius.* In alium expuere, non ſolùm iudicio hominum, ſed Dei oraculo ignominioſum eſt. Vnde Numerorum cap. 12. num. 14. Deus ipſe ait: *Si pater eius ſpuiſſet in faciem illius, nonne debuerat ſaltem ſeptē diebus rubore ſuffundi?* Iam verò nouo ritu expuit, vt ſanet; inducitque ſputo, pro confuſione, hilaritatem. Videlicet quæ primo aſpectu aduerſa videntur, & auerſanda, amica ſunt propitij Numinis ſigna, & argumenta certiſſima diuinæ charitatis.

Vtar ſimilitudine eadem, qua vſus eſt S. Petrus Damianus, vtpote vulgari illa quidem, ſed ad captum omnium accommodata: ſic autem habet lib. ad Dominicum cap. 1. *Medicus ſanguiſugas tumentibus membris apponit, viruſque ſimul cum ſanguine ab intimis viſceribus ſorbere permittit. Hirudo ſatiatur, & moritur; ægrotus autem dum perdit ſanguinem, recuperat ſanitatem. Sic omnipotens Deus diſponit, vt ex alienis vulneribus nobis medicamenta conficiat, quatenus dum hoſtile vulnus infligatur, ex eo potiſſimum ſalutis antidotum procuretur.*

Deus ex alienis vulneribus medicamentum nobis conficit.

Quis credat? & tamen negare nefarium, immo ſacrilegum eſt: dum tradi videmur acerbiſſimis hoſtibus, dum creduntur diſcerpi venæ diſſectis, dilaceratiſque membris, tunc ægritudinum noſtrarum adhibetur medicamentum. Hæc ego non tanquam ſupplicia execror, ſed tanquam munera excipio cordis amplexu iucundiſſimo. Bernardo ſanè contradicere non poteris; quin potiùs libenter aſſentieris ſer. 16. in Cant. ſic ſcribenti: *Paterna vox eſt, Percutiam, & ego ſanabo. Non eſt proindè quòd à patre formides, qui, etſi quandoque feriat, nunquam tamen vindicat.*

Iaſon Theſſalus, dum percutitur lethaliter in vlcere, incolumis redditur.

Fuit fortaſſe fabuloſum, quod de quodam Iaſone Theſſalo memoriæ proditum eſt. Hic vlcere quodam circa pectus laborabat, quod habebatur à medicis inſanabile. Accidit fortè, vt ab inimico laceſſitus, manus conferere, & digladiari cogeretur. Ecce tibi, cùm hoſtis ſtricto gladio, vt pectus tranſuerberet, Iaſonem inuadit, non vulnus infligit, ſed vlcus infringit; neque enim ſanguinem fudit, ſed ſaniem effudit, & quē necare voluerat, incolumem reddidit. Hiſce, vt dicebam, fortaſſe antiquitas men-

A tita eſt: ſed vero verſus Deum, dum 4. detur percutere, atque proſternere, re ipſa erigere, & reddere ſanitatem. Sequor Magni Gregorij ſententiam lib. 7. moral. c. 7. illud pſal. 37. explanantis, dicentiſque. *Quia enim ſancti viri corruptionis ſuæ vulnus ſine putredine non eſſe conſiderant, libenter ſe ſub manu medici ad ſectiones parant, vt aperto vulnere virus peccati exeat.* Quæ credebas ab hoſte infligi vulnera, vides amicæ manus eſſe medicamenta. Sanat, non ſauciat; parcit, non perimit, vel ipſo furore percitus, amantiſſimus Deus. Reſponde, obſecro te, Auguſtino interroganti ſer. 4. de tempore:

B *Nonne melius eſt, vt flagellet te Deus, & recipiat te, quàm parcat tibi, & deſerat te?* Aut certè, ſi reſpondere non potes, acquieſce Ambroſio oraculum D. Pauli ad Hebr. 12. n. 6. *Flagellat omnem filium quē recipit* expendenti ſer. 14. in pſal. 18. his verbis: *Aſperioribus exercet pater filium, quàm Dominus vernaculum. Sed dura patris non æſtimantur flagella; quia vult filium meliorem eſſe, quam ſeruum.*

Eadem flagelli metaphora vtitur pro re præſenti Abbas Serenus de Mobil. Animæ, & Spirit. Nequit. Collat. 7. cap 3. Vbi notam illam, & omnium ore vſurpatam dubitationem tractat: Cur, ſcilicet,

C ſceleſtis cuncta ſuccedant ex voto, iuſtis è contrario mille malorum, infortuniorumque genera eueniant? Nodum reſoluit, quia iuſti tractantur vt filij, ideoque flagellis excipiuntur; impij verò, quia æternis cruciatibus ſunt addicendi, ideò temporali ſupplicio eximuntur. Vt hinc pateat quàm præclarè cum illis agatur, quibus ſupplicia ipſa miſerentis Dei ſunt beneficia. Verba S. Abbatis: *Illi ſunt verè miſeri, ac miſerabiles, quibus nullum flagellum correptionis infertur: Non enim merentur celerem temporis iſtius, expeditamque medicinam. Contra quos propheta anxius exclamat: Mei autem penè moti ſunt pedes,*

D *paulominus effuſi ſunt greſſus mei: quia zelaui ſuper iniquos pacē peccatorum videns: in labore hominū non ſunt, & cū hominibus non flagellabuntur: ſcilicet in futuro cum dæmonibus puniendi, qui in præſenti non meruerunt in ſorte, ac diſciplina filiorum cum hominibus flagellari.* Dicat Idiota ille ſapientiæ diuinæ peritiſſimus lib. 2. de vera patientia cap. 12. *Paterna vox eſt hæc: Percutiam, & ego ſanabo. Percutis enim vt emendes, non vt vindices; quia tanquam pater miſericors flagellas filium, quem diligis. Sed in initio flagellatus, quòd te patrem pium eſſe ignoret, murmurare ſolet; & ſe innocentem, te autem crudelem*

Iuſti vt filij flagellantur hic à Deo, impij exi-

muntur à ſupplicio, vt æternis, cruciatibus addicantur.

delem pronunciare. Quia verò bonitas tua ei ſubuenit, per flagellum potentiam virtutis tuæ ſentit, & tuam ſapientiam per intellectum capit; quia talis ſapientia attingit fortiter per flagellũ, & diſponit ſuauiter per intellectum dum ei inſpiras, quòd gaudeat in tribulationibus, & ſciat quoniam patientiam tribulatio operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit. Et tunc ſe nõ quaſi ſer- A *uum puniri, ſed quaſi filium per flagella erudiri agnoſcit, vt hæreditatem accipiat.*

Videri poteſt P. Didacus de Baeza 1. tom. in Euang. hiſt. lib. 3. cap. 7. §. 9. Et Idem 1. tom. de Chriſto figurato lib. 2. c. 3. §. 48. Nec non tom. 2. lib 5. cap. 21. §. 1.

Videatur etiam P. Didacus Niſſenus fer. 3. poſt Dom. 5. Quadrag. Aſſumpt. 3.

IN CAPVT OCTAVVM

A Num. XIX. ad XXI.

Et accedens vnus ſcriba, ait illi: Magiſter, ſequar te quocunque ieris. Et dicit ei Ieſus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.

PARADOXVM VII.

Nullus theſaurus virtute ditior: opulentiſsimus eſt contẽptor diuitiarum.

SISTE gradum, ſiſte hominum cupidiſſime. Si neſcis, nullus virtute ditior theſaurus eſt. Si neſcis, ſit omnium opulentiſſimus, cõtemptor diuitiarum. Igitur, ne vnà cum hoc ſcriba quamplurimi, capti amore diuitiarum fugiant conſortium Seruatoris, vtramque propoſiti argumenti partem dilucidè confirmabo.

C Non vacat myſterio, quod legimus cap. 24. Gen. vbi dicitur Maior domus Patriarchæ Abrahæ, vbi primùm ſtatuit Rebeccam pro ſponſa Iſaac, eidem dono dediſſe inaures aureas, & armillas ſimiliter aureas. Sic habes cit. cap. n. 21. *Protulit vir inaures aureas, appendentes ſiclos duos, & armillas totidem pondo ſiclorum decem.* A Rebecca ſponſa adumbratur anima, quæ per fidem fit ſponſa Chriſti; iuxta illud Oſee, cap. 21. num. 20. *Sponſabo te mihi in fide.* Dantur autem huic virgini aurea dona; quia non niſi à metallo omnium pretioſiſſimo virtutes, quæ ornamenta ſunt animæ, poterunt repræſentari. Hæc
D ita ſe habeant. Verùm quod ſcribitur cap. 38 Gen. n. 18. à Iuda videlicet. tanquam amoris pignus, datum fuiſſe anulum Thamar, mouet mihi dubium. Quæ ratio diſcriminis? Rebeccæ dantur inaures; Thamar accipit anulum? Gaudeat anulo Thamar, hoc eſt, amatores ſeculi lætentur temporalibus diuitijs, quæ tẽpore labentes in circulari anuli figura appoſitè deſignantur: at verò virgo Iſaac deſponſata ditetur inauribus aureis. Videlicet Chriſti ſponſa in Rebecca depingitur, quæ locuples futura ſit omnium opulentia diuitiarum. Sicut enim ſine fide, nulla virtus con-

Cur Rebeccæ dantur inaures, Thamar verò anulus?

Anulus temporalia deſignat.

ſiſtere

A ſiſtere poteſt, quæ germana ſit; ita in fide chriſtianae probitatis facultates facilè recognoſcit, qui legit illud Petri 1. Ep. 2. num. 7. *Vt fides veſtra multò pretioſior auro, quod per ignem probatur, inueniatur.* Inaures Rebeccae donatae coniunguntur armillis, & quidem longè pretioſioribus; legimus enim: *& armillas totidem pondo ſiclorum decem.* Vt intelligamus, augeri ſemper pretium operum, quae per armillas ſignificantur, quibus multiplicatis in dies, fit meritoum theſaurus animae dilectae Deo. Incorruptae fidei Humilitas ſolet, ac debet eſſe ſocia indiuiſa. Hanc agnoſcens Richardus in illis verbis Can. B 5. num. 11. *Coma capitis eius, nigra ſicut coruus. Nigredo,* inquit, *bonorum eſt, quòd peccatores ſe reputant, & peccatorum ſuorum verecundiam in vultu portant, deſpectionem quippe eligunt, contemptum æquanimiter ferunt, vilia opera, & ſordidum habitum appetunt, ſcientes in hac humilitate pretioſum Chriſti theſaurum latere, hæc eſt nigredo bonorum, in qua ſe coruis aſſimilant.* Obſerua, quo nam loco inueniatur Chriſti theſaurus. Vnde Eccleſiaſticus praeconia ſanctorum hominum congerens, cap. 44. num. 6. ſic ait: *Homines diuites in virtute.* Solo quippe ditamur fundo virtutum. Id ipſum vaticinatus eſt iam pridem Ezechiel cap. 16. n. 9. C & deinceps, vbi Dominus animam à ſe virtutibus exornatam in hunc modum vel alloquitur, vel depingit: *Et laui te aqua, & vnxi te oleo, & veſtiui te diſcoloribus, & calceaui te hyacintho, & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus, Et ornaui te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum. Et dedi inaurem ſuper os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo; & ornata es auro, & argento, & veſtita es byſſo, & polymito, & multicoloribus; ſimilam, & mel, & oleum comedisti, & decora facta es vehementer nimis; & profecisti in regnum.* Quam vides digniſſimè D ornatam, opulentiſſimè veſtitam, lautiſſimè paſtam, regijs etiam opibus fulgentem nega diuitem eſſe, ſi potes. Opulentia planè beata, Charitatis auro, Puritatis argento, regni Sanctitatis ſpectanda. Videndus eſt Hugo Cardinalis in expoſitione huius loci, vbi declarat ſponſam Dei eſſe iſtam, quæ tam ditibus ornamentis veſtita deſcribitur. In hiſce porrò diuitijs virtutes repraeſentari exiſtimat his verbis: *Et veſtiui te diſcoloribus, vel ſecundum ſeptuaginta, varijs: ideſt virtutum, & bonorum operum varietate.*

Anima virtutibus exornata depingitur in Ezechiele.

Plurium porrò proferre placet ſenten- A tias virorum & ſapientia, & pietate praeſtantium. Virtus, aureus à Platone nummus, à Beda pecunia, ſeu theſaurus prædicatur, à Baſilio appellatur peculium, à Bernardo dicitur gemma ſplendida, & pretioſiſſimus fundus, à Chryſoſtomo nuncupatur adamas, à Salomone margarites pretioſis lapidibus, immo cunctis opibus pretioſior, & à Dauide omnium cumulus diuitiarum. Singulos do. Plato in Phaedone ſic habet. *Ille duntaxat rectus, ac verè aureus nummus, cuius gratia reliqua oportet commutare, atque venundare, ſcilicet ſapientia.* Loquitur autem de magiſtra morum, ſeu de Ethica, quae eadem B ac virtus eſt, ſeu morum integritas. Beda in cap. 2. Prouerb. ſic habet, de virtute loquens. *Si quæſieris eam quaſi pecuniam, & quaſi theſauros effoderis eam. Qui theſauros effodit, eijcit terræ rudera; & qui theſauros ſapientiæ inuenire deſiderat, quicquid ſibi terrenum ineſſe comperit, expurget.* Baſilius ep. 24. ſcribit. *Virtus poſſidenti pretioſum eſt peculium.* Bernardus lib. 2. de conſideratione, paulò ante med. ait: *Pretioſiſſimus fundus virtus eſt. Nulla ſplendidior gemma.* Chryſoſtomus Hom. 4. in Geneſim, ait. *Adamantibus ſolidiores, Dei gratia nos efficit.* Salomon Prouerb. 3. num. 14. *Melior eſt acquiſitio eius negotiatione argẽti.* Septuaginta, *Melius eſt* C *illam mercari, quàm auri, & argenti theſauros.* Et n. 15. *Pretioſior eſt cunctis opibus*, Hebraica lectio vertit, *Pretioſa ipſa præ cunctis margaritis.* Dauid demum pſal. 118 *In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs.* Ex his, niſi fallor, fit manifeſtum, quot, & quantæ ſint virtutũ ac virtute præditorum diuitiæ.

Virtutis præclara nomina ab illuſtribus viris recenſentur.

Virtus: Aureus nummus.

Pecunia ſeu theſaurus.

Peculium.

Gemma pretioſa.

Adamas.

Margarita pretioſa.

Cumulus diuitiarum.

Quandò autem Dauidis incidit mentio venit in mentem Regis eiuſdem iuſtiſſima lamentatio pſal. 77. num. 61. *Tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici.* Miſera planè populi Dei calamitas, cuius virtutem inimica vis fecit captiuam. Verùm, D quod genus infortunij hoc loco deploret Dauid, nemo melius, me iudice, explicabit, quàm Eucherius, quo interprete animarum noſtrarum hoſtes furantur virtutes, non ſecus ac graſſatores; cùm enim virtutes opulentæ ſint animæ diuitiæ, mirum non eſt, ſi à prædonibus rapiantur. Audi Eucherium lib. 4. Reg. ſic ſentem: *Virtus, & pulchritudo arrogantium inimici manibus traditur. Hoſtes nanque ad rapinam prouocant, qui ſuas eorum notitia diuitias denudant.* Ecce virtutibus, vtpote diuitijs, fures auernales inſidiantur, vt rapiant.

Virtutem captiuam deplorat Dauid.

Marci

Marci Tullij Ciceronis, non tam oratio, quàm ratio pro re propoſita magnam apud me vim habet, & auctoritatem: *Animus hominis*, inquit, *diues*, *non arca appellari ſolet: quamuis illa ſit plena, dum te manem videbo, diuitem non putabo*. Enim verò nulla vis auri, nulla argenti opulentia, diuitiæ nullæ pluris, quàm virtus æſtimandæ ſunt, quæ nec poteſt incendio abſumi, nec abſorberi naufragio, nec à furibus ſubripi, nec abripi tempeſtatibus, nec vlla rerum viciſſitudine peſſundari. Verùm, ne virtutis pretio detrahere videar, de eo nemo meliùs, aut veriùs loqui poteſt, quàm ipſamet Sapientia, quæ ſic habet, cap. 7. num. 8. & deinceps. *Præpoſui illam regnis & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius, nec comparaui illi lapidem pretioſum: quoniam omne aurum in comparatione illius, arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius*. Felix, qui virtutum, & benefactorum theſauros magni facit; ſed eis qui diteſcit, longè felicior.

Animus virtutibus diues, non arca.

Virtutibus diues, felix.

Præbet ſe mihi celeberrima illa Iudith omnium ſermonibus commendata. Scio in hac muliere agnoſci communiter Chriſtianæ exemplar fortitudinis: ego tamen in ea veneror ſimulacrum animae Deo carae omni diuitiarum genere locupletis. Lege ex cap. 10. hiſtoriae eiuſdem, quae habentur num. 3. his verbis: *Exuit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ, & induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ, induitque ſandalia pedibus ſuis, aſſumpſitque dextrariola, & lilia, & inaures, & anulos, & omnibus ornamentis ſuis ornauit ſe*. Vides, pulla abiecta veſte, quàm ditibus indumentis, & ornamentis fiat ſpectabilis? Diſce iam à pretio tantarum diuitiarum, quanti virtutes ſint faciendae ab aequo rerum aeſtimatore. Diſces autem facilè ex ijs, quae affert Hugo Cardinalis in expoſitione huius loci his verbis: *Veſtimentis, ideſt, bonis operibus. Apoc. 16. Beatus, qui cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus, ambulet. Dextrariola; Gloſſa ſpem futurorum bonorum, quæ dabuntur ſanctis in dextera parte collocandis, Matth. 25. Lilia caſtitatis. Inaures Gloſ. deuotionis, obedientiæ. Anulos, Gloſſ. ſignaculum fidei, de quo, anulo ſuo ſubarrauit me. Omnibus ornamentis virtutum cæterarum*. Hucuſque Hugo. Igitur bonorum operum exercitatio, ſpes beatitudinis, caſtitas, deuotio, obedientia, ſignaculum fidei, omnium denique ornamenta virtutum veſtimentis iucunditatis, hoc eſt, omnium pretioſiſſimis, ac ditiſſimis induunt.

Iudith virtutibus locuples, ſimulacrum eſt animæ Deo caræ.

Dextrariola dabuntur in ſtis in dextra parte collocandis

A Et ſanè, ſi mundus muliebris theſauros exhaurit, vt neminem latet, non negabimus diuites eſſe virtutes, quas videmus, nobiliſſimæ Heroinæ ornamenta contexere, & concinnare. Neque mirum cuiquam videri debet, quod dicimus; quoniam adeò apertum eſt virtute præditos fieri à virtutibus diuites, vt non modò Paulus Apoſtolus ſcripſerit 1. ad Corinthios cap. 1. num. 5. *In omnibus diuites facti eſtis in illo*. Verùm etiam ethnicus homo Euripides in Cyclop. pronunciauerit; *Deus eſt diuitiæ ſapientibus*. Sapientiæ autem nomine intelligit eam diſciplinam, quæ bene viuendi formam inſtituit, B & præſcribit. Vt taceam interea, quod legi apud Bernardum ſer. 21. in Ca. dicentem: *Fideli homini totus mundus diuitiarũ eſt*.

Iuſtus diues in Deo.

Quia verò nemo aptiùs, aut copioſiùs hoc paradoxum pertractauit, quàm Diuus Ambroſius; legendus eſt, præſertim ep. ad Simplicianum 15. ex editione Romana. Etenim paulò poſt initium cit. epiſtolæ, loquens de ea ſapientia, cuius initium, iuxta Dauidem, timor Domini eſt; de ea, inquam, ſapientia, quæ Dei beneplacitum docet, verba faciens, ait: *Sapientia defectus rerum ignorat*. Quales porrò debent eſſe opes illae, quae ita diuitem faciunt, vt deficere nequeant? Sanè Beliſarius, ex C ditiſſimo, in extrema rerum inopia, obolum poſtulans, manifeſtam facit, longè diuerſi generis eſſe diuitias huius mundi. Audiendus Auguſtinus in pſ. 83. ſic loquens: *Quid enim tam incertum, quàm res volubilis? Nec immeritò ipſa pecunia, rotunda ſignatur, quia non conſtat. Tales ergo, etſi habeant aliquid, pauperes ſunt*. Sicut ergo diuites huius ſeculi, quia fugacibus bonis abundant, nequeunt locupletari; ita Chriſti pauperes, quos meritò futuri ſeculi diuites appellamus, cùm diuitijs abundent, quae deficere nequeunt, locupletiſſimos fateamur. Videatur Auguſtinus ſer. D 212. de tempore, & Chryſoſtomus hom. in Eutropium. Ego interea mox laudatum Ambroſium do, Ep. citata circa med. vt fusè, ita appoſitè in haec verba diſſerentem: *Sola eſt ſapientia, quæ diuitibus pauperes præficit (ſermo autem eſt non de humana literatura, ſed de ſapientia cæleſti, hominibus communicata, quæ nos docet cum virtute viuere) & quæ facit fœnerare non pecuniam, ſed intellectum, fœnerare talentum illius dominici, æternique theſauri, qui nunquam corrumpitur, cuius & vſura pretioſa eſt, fœnerare illud intelligibile eloquiorum argentum cæleſtium, de quo lex dicit Deut. 15. fœnerabis gentibus, tu autem non mutuaberis. Ergo qui*

Beliſarius cognouit fugaces eſſe diuitias huius ſeculi.

Diuites huius ſeculi nunquam locupletantur: pauperes Chriſti locupletiſſimi ſunt.

ſapiens

Veræ diuitiæ, virtutes ſunt.

ſapiens eſt, pretio emptus oraculorum cæleſtium, illo auro, illo argento emptus ſermonis diuini, pretioque emptus ſanguinis, pretio emptus gratia O ſancti viri, inæſtimabile pretium! ò theſaurum locupletiſſimum probitatis! Iam quis dicere cunctetur cum Regio Vate, pſal. 118. num. 127. *Dilexi mandata tua ſuper aurum, & topazion.*

Lucæ cap. 21. latum à Dei ſapientia iudicium planè mirandum inuenio; decernit enim Chriſtus Dominus plus dediſſe pauperculam viduam, offerentem minuta duo, & quidem ærea; quàm diuites phariſæos. Sic habes cit. cap. à num. 1. ad 5.
B *Reſpiciens autem vidit eos, qui mittebant munera ſua in gazophylacium diuites. Vidit autem, & quandam viduam pauperculam, mittentem æra minuta duo. Et dixit: Verè dico vobis, quia vidua hæc paupercula, plus quàm omnes miſit.* Perpendo particulam, *Verè.* Nunquid veritas Dei, homines alloquens, fidem ſibi conciliare debet, aſſerendo, quaſi iureiurando, verum eſſe, quod dicit? Abſit. Immo verò Deus loqui nequit, niſi iureiurando ſeſe obſtringat; quoties enim loquitur, toties ſe ipſum teſtem adducit. Cur ergo hoc loco addit expreſsè illud *Verè*? Sed, ni
C fallor, vult dicere: in ſpeciem ditiſſima videntur munera accedentium ad gazophylacium, & deponentium argentum, & aurum, ſed vero verius eſt ditiorem eſſe pauperculæ viduæ eleemoſynam. Siquidem, qua humilitate, qua reuerentia, qua fide acceſſiſſe putatis, pauperculam viduam, ad largienda duo illa minuta ærea? Et quia veræ diuitiæ, & quæ à Deo habentur in pretio, virtutes ſunt; ideo plus dediſſe dicatur hæc vidua, cuius munuſculum, cæteroqui vile, virtutum omnium conſpiratio ditiſſimum faciebat.

Munuſculū viduæ in gazophylacio ditiſſimum, ob virtutū congeriem.

Non ſatis animaduertimus (loquitur Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagogi c. 6.)
D *quis ſit is ſolus diues, qui quæ ſunt longè pretioſiſſima, poſſidet. Magni autem pretij ſunt, non gemma, non argentum, non veſtis, non corporis pulchritudo; ſed virtus.* Vnde S. Paulus, data ad Hebræos Ep. c. 11. commemorans geſtum Moyſis num. 24. & deinceps, ſic habet: *Moyſes grandis factus, negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis; magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti.* O egregium rerum æſtimatorem! Iudicio Moyſis, locupletiores diuitiæ ſunt Chriſtiani hominis virtutes, quàm opulentiae Ægyptiaci imperij. *Maiores diuitias æſtimans.*

Virtutes hominis Chriſtiani ſuperant opulentias Ægyptiaci imperij.

A S. Ambroſius lib. de Cain & Abel cap. 4. legit: *Maius patrimonium.* Nempe non quaſque diuitias putes, cùm virtutes dicimus pretioſas; ſed diuitias iure debitas, quale eſt patrimonium, quod, ſi locuples ſit, diuitem facit.

Detur obſecro venia paululum deflectendi à propoſito: ſi tamen deflectere eſt, lectorum animos vehementiùs inflammare ad diuitiarum contemptum amore virtutis. Aio igitur locupletiſſimum cum virtute patrimonium iungi; quo diuites fiant neceſſe eſt, qui virtuti dant operam. Quaeri ſolet, cur inter creata omnia, extremo loco fuerit in lu-
B cem eductus Homo, qui Princeps omnium erat futurus? Sed mirum non eſt, ſi Baſilium audiamus, hom. 21. in hunc modum breuiter, ſed appoſitè, pro re praeſenti, loquentem. *Non enim ante omnia fecit hominem; ne pauper, inopſque foret.* Inops eſſe non poterat is, qui in ſtatu innocentiæ viuum erat, ac ſpirans ſimulacrum Diuinæ bonitatis. *Protoplaſtus ille Adam* (verba ſunt S. Irenaei lib. 3. c. 31.) *de terra adhuc virgine habuit ſubſtantiam, & plaſmatus eſt manu Dei.* Nil coinquinatum, aut fœdum; ſed opus, Dei manu perfectum, omni virtutum genere præſtans in Adamo contemplare: dices imaginem
C Dei. Sanctiſſimus, & innocentiſſimus Adā; ergo etiam ditiſſimus. *Non ante omnia fecit hominem; ne pauper, inopſque foret.* Innocentiæ, & originalis iuſtitiæ cenſu abundabat aurei feculi Princeps, Adam. Et hæc fortaſſe ratio fuit, cur ſe nudum poſt peccatum agnouit: videlicet innocentiae veſte ſpoliari, extremae inopiæ eſt.

Cur Homo, vltimo loco creatus eſt inter omnia creata?

Homo creatus à Deo, diues.

Peccator pauper.

Dauidicum illud pſal. 5. num. 11. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum*, pro re noſtra interpretatur Chryſoſtomus. Exiſtimat enim Dauidem, ſimilitudine à ſepulchro petita, inſinuare velle, qualia ſint bona, diuitiae, opulentiae, quas tanta
D auiditate congregant, & congerunt rerum temporalium amatores. Videbantur potiùs theſauri, quàm ſepulchri nomine appellandae facultates, quas aggerant cupidi diuitiarum. Accipe Chryſoſtomum, in hunc locum ſic loquentem. *Non ſit ergo os tuum ſepulchrum, ſed theſaurus. Theſauri enim multum à ſepulchris differunt, quòd illa quidem corrumpunt, quod acceperint, illi verò conſeruant. Habe ergo tu diuitias ſapientiæ, quæ perpetuò manent; ſed non maleolentiam aliquam, & putrefactionem.* Egregia illatio: putreſcunt fortunae bona; adeòque diuitiae verè nequeunt nuncupari; cùm potiùs ſepulchra, quàm theſauri cenſeri debeant loca, quae hu-

Fortunæ bona, ſepulchra.

huiuſmodi

iuſmodi facultates recondunt. Diuitiæ, quae non marceſcunt, & tanti fieri debent, quanti theſaurus inæſtimabilis. Sapientia eſt: ea vtique Sapientia, quæ nos Deo coniungit, quae nos cæleſtia docet, cuius initium timor Domini eſt: vno verbo, pretioſa ſupellex Chriſtianarum Virtutum, theſaurus ditiſſimus eſt. Hinc D. Epiphanius ad inſinuandam virtutis præſtantiam, eam comparat Carbunculo maximi ſplendoris, & pretij; vt intelligamus ditiſſimnm eſſe, qui virtutibus, hoc eſt, pretioſiſſimis abundat gemmis. *Illa gemma*, ait Epiph. de gemmis, *quibuſcunque tegatur veſtibus latere nequit, quod ſplendor eius extra veſtes appareat, vnde Anthrax, ſiue Carbunculus nominatur*. Ita virtus habens in anima ſedem, ſplendore, & pretio ſuo, theſaurum facit ditiſſimū.

Virtus pretioſo Carbunculo æquiparatur.

Reſpondit acutiſſimè Ionas à Nautis interrogatus cap. 1. n 8. Petentibus enim: *Indica nobis, quod eſt opus tuum?* Reſpondet Ionas: *Deum cæli ego timeo*. Quid ſibi velit Ionas, fuſiùs explicat, loquens apud Theophylactum in hunc modum: *Hoc ſtudium meum, hæc mea negotiatio eſt, ſeruire Deo vero per mea opera, & colere ipſum per fidem in ipſum*. Expende illa verba: *Hæc mea negotiatio eſt*. Quaſi dicat, vos luſtratis maria, nullique non parcitis labori, mercaturam exercentes, vt diuitias comparetis, perituras vtique diuitias, & tempeſtatum ludibrio expoſitas. Aliud mihi diuitiarum genus in amoribus eſt: diuitias quæro, quæ nec temporum iniuria, nec latronum rapacitate, neque deludentis fortunæ infortunio poſſunt auferri. Non nego, me eſſe negotiatorem; ſed negotiationis meæ longè diuerſum eſt genus. Id agnouit, & commendauit ſapientiſſima illa matrona, Prou. 31. n. 18. *Vidit quia bona eſt negotiatio eius*, quia videlicet bona nunquam interitura, diuitias non fluxas, omni exemptas calamitate opulentias, huiuſmodi congregat negotiatio. Acutè Chryſoſtomus perpendens quod ab Euangeliſta Matth. c. 21. n. 12. narratur his verbis: *Menſas nummulariorum euertit. Ideo*, ait, *menſas nummulariorum euertit, ſignificans, quia in templo Dei non debent eſſe nummi, niſi ſpirituales, ideſt, qui Dei imaginem habent*. Bene eſt, non extirpandus diuitiarum amor, ſed mutandus. Negotiationes eliminandæ non ſunt è domo Dei, ſed exercendæ: *Negotiamini dum venio*, monebat ipſemet Magiſter paupertatis Luc. cap. 19. num. 13 Vt negotiatio noſtra theſaurizet diuitias, quas fures nec effodiunt, nec furantur; virtutes ſcilicet, quæ Dei habent imaginem. Perbellè S. Paulinus ep. 4. Dei nummularios appellauit iuſtos, inquiens: *Vt ſecundum ſuam formam probabiles Deo cuderent nummos, & abolita de nobis figura Cæſaris, viuum Regis æterni numiſma ſignarent*.

Ionas verus negotiator Dei.

Nummi in templo non debent eſſe niſi ſpirituales.

Fuſiùs porrò idem Paulinus argumenti præſentis veritatem explicaturus Ep 34. non multò ante finem ſcribebat: In illud pſ. 40. num. 2. *Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem. Operare, igitur* (verba Paulini) *& excole hanc regionem terræ tuæ, frater, vt germinet tibi frugem fertilem, plenam adipe frumenti, magno eum fœnere centeſimum tibi fructum multiplicati ſeminis afferentem. In huius, vel poſſeſſionis, vel negotiationis appetitum, & ſtudium, ſancta & ſalutaris eſt auaritia*. Et poſt pauca: *Tales igitur diuitias concupiſcite, & huiuſmodi poſſidete patrimonium, quod in centenos fructus vobis creditor penſitet. vt veſtros quoque vobiſcum bonis perennibus augeatis heredes*. O quæſtus opulentiſſimos bonorum operum! O chriſtianæ virtutis ditiſſimas negotiationes!

Terra cordis excolenda.

Si tanti vitrum, quanti margaritum. Vetus adagium fuit, quemadmodum refert Aldourandus lib 3. de teſtaceis c 24. quo ſignificare volebant priſci illi ſapientiæ amatores, longè pluris facienda pretioſa, quàm vilia. Quaſi dicerent, ſi tanti æſtimantur res parui momenti, res ſcilicet caducae, & interiturae; quanto ſunt habendae in pretio res magni momenti, nullaque temporis iniuria abolendae? Depereunt homines cupiditate diuitiarum: Et ex hoc ipſo praepoſtero errantium à recto tramite veritatis mentium humanarum iudicio, diſce, quanti facere debeas eas diuitias, quæ hominis animum faciunt quouis theſauro opulentiorem.

Huc reuocari poſſunt plura ex ijs quae dixi tom. 1. Parad. 14. in cap. 2. & Parad. 1. in cap. 1.

* * * *

IN CAPVT OCTAVVM

A Num. XIX. ad XXI.

Et accedens vnus ſcriba, ait illi: Magiſter, ſequar te, quocúnque ieris. Et dicit ei Ieſus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.

PARADOXVM VIII.

Opulentiſsimus eſt contemptor diuitiarum.

IAM verò cupidos puto lectores meos ſciendi, quo nam pacto, contemptor diuitiarum, ſeu pauper, diues ſit: quæ pars altera eſt prolatæ initio poſitionis. Et quamuis primo aſpectu videatur difficile, quod pronuncio; pugnant enim cum paupertate diuitiæ; reipſa tamen apertiſſimè demonſtratur, auctoritate multiplici, & certiſſimis rationibus. Quas antequam afferam, ſtatuere ſemel debeo, nouum videri non debere, ſi diuites dicam, contemptores diuitiarum. Duò nanque diuitum genera inueniri, ex auctoritate Pauli docet Anſelmus, conſiderans præceptum illud 1. ad Timoth. cap. 6. num. 17. *Diuitibus huius ſeculi præcipe non ſublimè ſapere*, in quem

Duo genera diuitum.

B locum Anſel. ait: *Non adderet, huius ſeculi, niſi eſſent & alij diuites, qui non ſunt huius ſeculi. Ipſi ſunt enim quorum princeps, & caput eſt ille, de quo dictum eſt: propter vos egenus factus eſt, cùm diues eſſet, vt illius inopia diuites eſſetis.* His ex Anſelmo libatis, ad rem noſtram propiùs accedamus.

Seneca ad Lucilium ep. 62. in fine, ſic ſcribit: *Breuiſſima ad diuitias, per contemptum diuitiarum via eſt.* Immo Epiſt. 4. in fine ſcripſerat: *Magnæ diuitiæ ſunt, lege naturæ compoſita paupertas.* Deus bone! paupertas lege naturæ compoſita, diues eſt, hominis iudicio, C fidei lumine deſtituti; & dubitabimus num conſonet veritati, non naturæ, ſed gratiae lege compoſitam paupertatem eſſe ditiſſimam? At ſi petas à me, quo nam pacto ſtare poteſt, vt diues ſit contemptor diuitiarum? Ego ſanè, quia reſponſum in promptu non habeo, audiendos moneo Chryſoſtomum, & Caſſiodorum; hunc quidem Ep. 38. lib. 2. ſcribentem: *Diuitiæ noſtræ ſunt egentium leuamina*: illum verò, hom. 15. in Epiſt. ad Phil pp. ipſo initio, ſic pronunciantem. *Sæpe numero dixi eleemoſynam, non accipientium, ſed potiùs dantium gratia introductam eſſe. Nam illi ſunt, qui potiſſimum indè lucrantur.* D Ergo erogatione diuitiarum euadimus diuites, & neſcio quopacto, dum pauperes Dei amore ſumus, efficimur locupletes. Res fiet manifeſta exemplo duplici, petito ex hiſtorijs Sanctorum. Admirandum cenſeo quod de Catharina Suedica, & Barone Ludouico tradit Surius, in vita, c. 11. & 12. Martij 22. Catharina adeò amans fuiſſe dicitur Chri-

Diuitias erogando, efficimur diuites

Comprobatur exéplis 88.

ſtianæ

ſtianæ paupertatis, vt ſe ſe attritis indueret veſtibus, conſutaſque geſtaret manicas. At haec eadem pannoſa veſtis primarijs Romanae nobilitatis matronis, purpurea videbatur, & precioſa. De Ludouico ſimiler memoriae proditum eſt, dormitare conſueuiſſe in lectulo ſtramineo, abiectiſſimo, & paupertimo, qui tamen auro ornatus, & purpura tectus videbatur inſipientibus. Ecce tibi paupertas diues; neque enim ſolummodo in Regno beatitatis Chriſti pauperes futuri ſunt diuites, ſed ipſam etiam præſentis vitæ mendicitatem experiuntur maximè locupletem. Sententia, non mea eſt, ſed S. Bernardi ſerm. 21. in Cant. dicentis: *Non aſtimes Chriſti pauperes ſola caleſtia poſſidere; poſſident, & terrena, & quidem tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes: non mendicantes, vt miſeri; ſed vt Domini poſſidentes.*

Negotiatio eſt vita hominis chriſtiani.

Venio iam ad rationes, quae, me iudice, propoſitam veritatem euincunt manifeſtè. Et ſanè negabit nemo Chriſtiani hominis vitam eſſe negotiationem; ſi quidem Dominus ipſe Lucæ 19. num. 13. monuit: *Negotiamini dum venio*. Iam verò quis ſapiens, pauperem dicet mercatorem illum, qui mercimonij cauſa, procul à patria, in qua facultatibus abundat, inopis inſtar, pauperem degit vitam? Patria noſtra cælum eſt; ibi noſtri theſauri, ibi opes noſtræ; ſiquidem, *Gloria, & diuitiæ in domo eius*, cecinit Dauid Pſ. 111. ver. 3. & Dauid filius monuit: *Theſaurizate vobis theſauros in calis*. Matth. c. 6. num. 20. Ergo pauper habendus non eſt, qui negotiationi intentus, paternas diuitias auget, nihili faciens pannoſam veſtem, deſpiciens anguſtam domum, & vitæ pauperis contemnens incommoda, locuples interea ijs, quæ conſeruantur, & augentur in patria.

Mecum ipſe ſæpe conſidero illud ſiue promiſſum, ſiue oraculum Seruatoris, Matth. 5. num. 3. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum calorum*. Et quò attentiùs examino, eò euidentiùs cognoſco diuitias pauperum. Etenim ſi ſupremus Imperator patentes alicui literas exhibeat, quibus prouinciæ alicuius illum conſtituat dominum; an non hunc ditiorem dicemus, etiam antequam re ipſa, donata prouincia potiatur, ditiorem, inquam, mercatore, qui numerata gaudeat pecunia, & veſtibus holoſericis glorietur? vilia quippe ſunt iſta, & nullo habenda in pretio, ſi cum dominatu integræ prouinciæ conferantur. Mercatoribus ſimiles videntur mihi diuites huius ſeculi, quo-

A rum bona *veniunt, abeunt*, vt dicebat ille, *fluctuant ſemper: neque enim in incerto diuitiarum fidendum eſt*. Verùm Chriſtianæ ſectatores paupertatis obſignatis à ſūmo Principe patentibus literis, promiſſione gaudent Regni cæleſtis.

Diuitiarum ſectatores, pauperrimi ſunt.

Allatis contrarijs fiet propoſita veritas manifeſtior. Nam ſi diuitiarum cupidi verè ſunt, & habentur pauperrimi; profectò diuitiarum cōtemptores inter diuites ſunt reponendi. Audiamus non modò Chriſtianæ ſapientiae clariſſimos præceptores Auguſtinum, Ambroſium, Chryſoſtomum; verùm etiam Biantem, & Valerium Maximum, non ignobiles profanæ ſapientiae

B ſectatores. Auguſtinus lib. 7. de Ciuit. decernit: *Auarus ſemper eſt pauper*. Ambroſius in Ep. ad Coloſſenſes cap. 3. ſcribit: *Auaritia ſemper bibens, & ſemper ſitiens*. Chryſoſtomus hom. 13. in Ep. ad Rom. pronunciat: *Auarus tunc maximè pauper eſt, cùm magnopere diteſcit*. Immo Bias apud Auſonium: *Auarus pauper eſt*. Et Valerius Maximus, lib. 9. *Auaritia eſt latentium indagatrix lucrorum, manifeſta præda auidiſſima vorago, nec habendi fructu felix, & cupiditate quærendi miſerrima*. Perpende vltima verba: *Cupiditate quærendi miſerrima*: ecquae, oro, pauperies fingi animo poteſt calamitoſa

C adeò, atque indiga? Percipio iam clariſſimi, & ſanctiſſimi Regis Dauid ſententiam Pſal. 75. verſ. 6. canentis: *Nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis*. Dicet fortaſſe aliquis: quomodo viri diuitiarum, ſi nihil inuenerunt in manibus ſuis? An quia nullus tam pauper eſt, quàm vir diuitiarum? inexplebili enim bonorum fame ſemper mendicus eſt. Dicam clarius: viri diuitiarum nuncupantur, ad declarandum genus quoddam mēdiciſſimæ paupertatis. Quod, vt breuiter, ita concinnè explicat Chryſologus ſer. 162. his verbis: *Auarus nullius eſt; ſuus non eſt*. Vſque adeò pau-

Viri diuitiarum, qui dicantur.

D per eſt, vt non ſit ſuus, cupidus habendi. Sed, pace tanti viri, dicamus: ſuus non eſt; non tamen nullius eſt, qui quantus quantus eſt, totus diuitiarum eſt. Viri diuitiarum, & tamen nihil inuenerunt in manibus ſuis. Nimirum diuino conſilio ita comparatum eſt, vt eò minùs habeant, quò plus cupiunt auidi diuitiarum. A contrario ergo diues eſt, qui pro Deo pauper eſt. In quam ſententiam eleganter ſcripſit Minutius felix in Octauio: *Quì poteſt pauper eſſe, qui Deo diues eſt?* Rurſus audiens: *Nihil inuenerunt omnes viri diuitiarũ in manibus ſuis*, confer Dauidem cum Paulo ſic 2. ad

K 2 Cor. 6.

Cor.6. 10. ſcribente de egenis Chriſti: *Sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Vide, iſti pauperes nihil habent, & omnia poſſident. E contrà illi diuites nihil habent, cùm poſſidere multa credantur. Ergo pauper Chriſti diues eſt; diues mundi pauper eſt. Caput quartum Act. Apoſt. à num. 34. ad finem concluditur his verbis. *Neque quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorũ, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Ioſeph autem, qui cognominatus eſt Barnabas ab Apoſtolis (quod eſt interpretatum filius conſolationis) leuites, Cyprius genere. cùm haberet agrum. vendidit eum, & attulit pretium, & poſuit ante pedes Apoſtolorum.* Nota, ad pedes pauperum Chriſti poni diuitias; quia cùm poſſeſſio acquiratur per pedum poſitionem, monemur Chriſti pauperes poſſeſſores eſſe diuitiarum. *Nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Calca per contemptum pro Chriſti amore diuitias, vt eas poſſideas. Ita viſum eſt Auguſtino, qui in illud Deut. cap. 11 num. 24. *Omnis locus, quem calcauerit pes veſter, veſter erit. Ideo*, inquit, *veſter erit, quia à veſtris pedibus calcatur.* Nota etiam prima illa verba ſacri textus: *Neque quiſquam egens erat inter illos.* Certè qui pro Chriſto omnibus renunciant, egere non poſſunt.

Calcandæ diuitiæ, vt poſſideantur.

Hoc autem, quod fortè videtur obſcurum, obuia ſimilitudine manifeſtum. Finge animo maximum in terris Imperatorem, qui ampliſſimæ ditionis ſuæ condiderit theſauros, ferreis incluſos arcis, nulli peruios, omnibus inacceſſos; Hic Princeps claues theſauri habeat ferreas, rubigine conſumptas, viles, primoque aſpectu contemnendas; quae tamen ſolæ occultas recludere diuitias poſſunt. Non deſunt in imperatoria domo claues aureæ, argenteæ, gemmis ornatae; ſed opulentias imperiales ſolae claudunt claues ferreæ. Quem, obſecro, diuitem credes? eum ne, cui clauis aurea data fuerit; an potiùs eum, cui ferrea credita, & donata? Hunc ſine dubio, non illum dices locupletem: & ſapis. Ita planè Chriſti pauperibus contingere quis non videat? Paupertas ferrea clauis eſt, rudis, multa rubigine carioſa; ſed haec caeli theſauros aperit. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*, Matt. 5. numer. 3. Opes huius ſeculi, auri inſtar micant, ſed quae deludunt oculos, & fallunt habentes. Quàm liberaliter egit cum

Paupertas clauis ferrea theſauri cæleſtis.

A pauperibus ſuis Imperator Deus! quando non auream, ſed ferream donat clauem paupertatis.

Pulchrè ſanè hanc eandem ſententiam complexus eſt S. Dauid Pſ. 33. ver. 11. *Diuites eguerunt, & eſurierunt; inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono.* Res mira, & quam vix quiſque credere poſſit! diuites egent; pauperes abundant. Loquitur in præſentia Dauid de bonis externis, ſeu temporalibus, iuxta ſenſum literalem; vt communiter Interpretes, quemadmodum notat noſter Lorinus. At, ſi diuites, quomodo indigent pane? Rurſus, *inquirentes Dominum*, vtique renunciatis omnibus, quae poſſident, ſpretiſque fallacibus diuitijs. At, ſi ita eſt, quomodo omni bono abundant? Verùm mirari non debemus; quia iuſto Dei iudicio fit, vt diuitiarum amatores ſumma non rarò laborent penuria; abundantibus omni bono pauperculis amicis Dei. An non ſumma egeſtate perierunt diuites Hebraeorum, diruta obſidione Hieroſolyma ab exercitu Romanorum, Tito duce? Conſule Ioſephum lib. 6. de bello Iudaico, cap. 11. vbi narrat, ditiores coactos fuiſſe vniuerſa bona ſua vno frumenti modio permutare. En diuites eſuriunt, & egent. Rurſus apud eundem cap 14. inuenies auctam famem, adeò, vt totas domos, ac familias depaſceretur. Et tecta quidem plena erant mulieribus exanimatis, atque infantibus; viarum autem anguſta ſenibus mortuis. Adoleſcentes autem, ac iuuenes, turgidi velut vmbrae mortuorum per fora verſabantur, & vbi quem caſus occupauerat, decidebant. Item lib. 7. cap. 7. Nec cingulis, nec calceamentis abſtinuere, coriaque ſcutis detracta mandebant. Item cap. 8. ſequenti narrat fœminam filium occidiſſe, coctumque comediſſe. Vides num verum ſit, diuites egere, & eſurire. Sed adhuc ex eadem Hieroſolymitana fame clariùs demonſtrandum eſt, quod dicimus. Tradit citatus Autor lib. 6. cap. 11. quamplurimos ex ditioribus Iudaeis, poſſeſſionibus ſuis, & alijs rebus cariſſimis exiguo pretio venundatis, aureos tranſglutijſſe. O quàm miſeri, qui vorant aurum, & fame pereunt! abundant diuitijs, & eſuriunt! pretioſis implentur metallis, & indigent pane! Verè *diuites eguerunt, & eſurierunt.* Cap. 17. lib. 3. Reg. Legimus fame laborante Samaria, prodegiſſe ditiſſimos quoſque ingentem auri vim, ad emendum panem, quem inuenire non poterant. Rex ipſe Achab in omnem partem ferebatur,

Diuites egent. pauperes abundant.

Diuitum egeſtas in obſidione Hieroſolymæ

Tempore famis abundant pauperes.

daturus opem fame laborantibus; ſed in ſumma penuria nihil proficiebat. Elias interea, pauperculus Dei ſeruus, diebus ſingulis epulabatur. Vnde numer. 6. cit. cap. habes: *Corui quoque deferebant ei panem, & carnes manè, ſimiliter panem, & carnes veſperi.* Immo eodem capite narratur de vidua, cui panes non deerant, quibus ſe, & familiam ſuam aleret; reliquis omnibus fame perennribus. Cur reliqui fame tabeſcunt; vidua abundat? quia *Diuites eguerunt, & eſurierunt; inquirentes autem Dominum non deficient omni bono.* Audi Chryſoſtomum ſer. 2. in Eliam. *Neque vidua victu potuit indigere, quæ nefarijs in ſcelere nunquam potuit conſentire. Neque in eam famis potuit dominari ſententia, quam iniquorum pronocauerat cauſa, vt diuerſa merita fames diſcerneret, vt iuſtitia in neceſſitatibus non egeret.* Egenæ viduæ non deſunt panes: at diuites ſumma annonæ caritate laborantes deficiunt. Ergo, quis huiuſmodi pauperes, non diuites dicat? quis tales diuites non fateatur egenos? Exemplum ſimile Danielis ſic commemorat Cyprianus, de orat. Domin. inquiens: *Danieli in leonum lacu iuſſu Regis incluſo, prandium diuinitùs procuratur, & inter feras eſurientes, homo Dei paſcitur.* Daniel non modò omni opulentia, ſed etiam omni ope deſtitutus opiparè prandet. Hunc ego dum, inter leones video; conſidero pauperes Chriſti, quos leones, ideſt potentes, & diuites huius ſeculi vorant, atque diſcerpunt. At non rarò, qui leonum inſtar, omnia vaſtare, & ſubigere poſſe videntur, fame moriuntur; & è contrà egeni amici Dei bene paſti, bonis etiam huius vitæ ad delicias vſque perfruuntur. Dicamus cum Regio vate. *Diuites eguerunt, & eſurierunt, inquirentes autem Dominum non deficient omni bono* Subſcribit Hilarius in pſ. 118. *Cum Domino* inquiens, *opum contemptus opulentia eſt.*

Fames diſcreta eſt, iuſtos non vexat.

Opulentia in contemptu opum.

Quae cùm ita ſe habeant, non moneo animos hominum à cupiditate diuitiarum: ſed rogo ſolummodo; *Si verè diuites eſſe cupitis, veras diuitias amate.* At quandò veras diuitias congerunt, ac conſerunt, vel ſolæ virtutes, vel inanium huius ſeculi diuitiarum contemptus; quis toto pectore virtutum ſtudium non amplectatur? quis nôn remittat nuncium fallacibus, fugacibus, immo pauperibus diuitijs auarorum? Nolo praetermittere plenam ſapientia, & ſuauitate reprehenſionem B. Petri Damiani, humanae cupiditatis inſaniam, verbis hiſce exprobrantis lib. 2. Epiſt. epiſt. 23. *Erubeſcant exemplo veterum Romanorum, quos alioqui diuitiarum inexplebiles dixit Mithridates apud Iuſtinum hiſt. lib. 35. vt qui ſimul cum lupa nutricis lacte, lupinam voracitatem ſuxiſſe viderentur. Erubeſcant exemplo vnius Fabricij, quem dum Pyrrhus, Epirotarum Rex, pauperem comperiſſet, ſolicitare cœpit, quartamque regni ſui partem, ſi ad ſe transfugeret, compromiſit. Quod ille dedignatus abhorruit, & quouis glorioſior Rege in ſua paupertate permanſit. Hoc itaque Chriſtianus, qui auarus eſt, audiat: ſicque gentilitatem ſuam, & gentilis hominis euangelium erubeſcat.* Pudeat nos auaritiae noſtrae; & veras diuitias aeſtimare diſcamus à Fabricio, fidei lumine deſtituto. Aut certè diſcamus à Nolano Antiſtite Paulino, contemptores diuitiarum fieri ditiores; quia, quas contemnunt diuitias amore Dei, ab eodem Deo cum vſura accipiunt. Sic autem epiſt. 2. ad Auſonium.

Veræ opes, nempe virtutes expetendæ.

Fabritij Romani diues paupertas.

Quas videmur ſpernere,
Non vt profanas abijcit, aut viles opes;
Sed vt magis caras, monet
Cælis reponi creditas Chriſto Deo;
Qui plura promiſit datis;
Contempta præſens, vel magè depoſita ſibi
Multo vt rependat fœnere.
Sine fraude cuſtos aucta creditoribus
Bonus æra reddet debitor:
Multaque ſpretam largior pecuniam
Reſtituet vſura Deus.

Quis vnquam ſine admiratione recolere poſſit, & verſare animo verba, quibus Deus allocutus eſt Abraham cap. 15. Gen. num. 1. *His itaque tranſactis, factus eſt ſermo Domini ad Abraham per viſionem, dicens: Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum.* An non illuſtri de quatuor Regibus reportata victoria, ſpolijs diues, trophæis glorioſus, clarus triumphis exultabat tunc temporis Abraham? Ita ſanè. Cur ergo, quaſi aduerſa iactatus fortuna, quaſi metu conſternatus, tam benigno Dei ſermone iubetur meliora ſperare? *Noli timere Abraham.* Vix enim vlla ratio timoris apparet: immo dubitare poſſumus, ne ſecunda efferatur fortuna; plures enim proſpera deijciunt, quàm aduerſa. Placet opinio Chryſoſtomi aſſerentis, Abraham timere potuiſſe; quia ex ditiſſima præda multa remiſerat. Deus itaque opportunè ſubleuat Abraham, iubetque hilari eſſe ani-

Abraham ſpretis opibus, animatur à Deo.

mo: Noli timere ob contemptas diuitias: Noli timere, quaſi iam inopia premendus ob facultates ſpretas, & bona deſpecta. Verba Chryſoſ. hom. 36. in Geneſ. *Quare dixit, ne timeas? quia tantas opes contempſerat, non curatis his, quæ Rex dabat: hoc eſt. Ne timueris quòd deſpexiſti tanta dona, neque anxius ſis, quaſi imminutiores ſint tuæ facultates.* Nil timendum eſt Abrahamo; neque enim minuuntur, ſed mutantur opes illæ, quæ à Dei inimico oblatæ ſpernuntur, aut deſeruntur. *Noli timere*: verbis iiſdem compellabo vnumquemque diuitiarum contemptorem, quibus olim Abraham Deus allocutus eſt; quæ enim primo aſpectu videtur iactura; ditiſſima re ipſa vſura eſt.

Multaque ſpretam largior pecuniam
Reſtituet vſura Deus.

B. Petrus Damianus explicabit, quo pacto fiat diues, qui diuitijs Dei amore renunciat. Sic autem ſcribit Opuſc. 24. c. 4. *Proijciam ergo Chriſtum de arca pectoris mei, & loco eius pecuniam conſtipabo? Certè tàm nobilis pecunia Chriſtus eſt, vt conſortium aſpernetur omnino peculij; nec cum ſorde pecuniæ ſe patiatur includi. Vt ergo Chriſtus pectoris tui loculum impleat, arcus ab eo nummus abſcedat.* Hiſce, clericorum ſui temporis auaritiam dum reprehendit S. Cardinalis, oſtendit quo modo, ditior fiat contemptor diuitiarum.

Chriſtus pecunia eſt pauperis.

C Contèmnemus autem labentes diuitias memores aureæ S. Ambroſij ſententiæ lib. 2. offic cap. 14. dicentis: *Quid præcelſius illo viro, qui auro moueri neſciat, contemptum habeat pecuniarum? Quod qui fecerit, hunc homines ſupra hominem eſſe arbitrantur. Quis eſt hic, inquit, & laudabimus eum?* Non poſſum ſine admiratione; Immo potiùs non poſſum ſine confuſione repetere, quod de Anaxagora refert

A Laertius lib. 2. de vita Philoſophorum. Hic derelicto, ſpretoque patrimonio amplo, atque prædiuite, cùm cuidam ita ſe compellanti: Nulla ne tibi patriæ cura eſt? reſpondiſſe fertur dignam Anaxagora ſententiam in hunc modum: Mihi verò patriæ cura, & quidem ſumma eſt (intento in cælum digito, dum hæc diceret) Veris enimuero diuitijs inhiabat Anaxagoras. Et nos labentes, fugaceſque vitæ huius opulentias poſtponamus mancntibus, & duraturis diuitijs ſeculi conſecuturi. Et nos ſedulò verſemus animo, ita vt nunquam excidat mente, Senecæ monitum

B ſcribentis Epiſt. 91. *Auaritiam, multa concupiſcendo, omnia amittere.* Et nos ſeriò intelligamus aliquando, ſatius eſſe ſpernere peritura, ne hæc concupiſcendo, omnia amittamus. Extollamus itaque non tam digitum, quàm mentem ad cælum, dicamuſque: *Mihi verò patria cura, & quidem ſumma eſt*: vt eos, qui nos derident, dum diuitias contemnimus, derideamus: ipſo ſcilicet diuitiarum contemptu, facti locupletiores.

Huc reuoco dicta 1. tom. parad. 2. in c. 5. Nemo diues niſi pauper. pag. 321.

Videatur P. Ioan. Lorinus in pſal. 44. verſ. 10. & in pſal 33. verſ. 11. & in pſal. 75. verſ. 6. & in pſal. 143. verſ. 15. & alibi ſæpe.

C Videatur P. Cornelius à Lapide in Ep. 2. ad Corinth. cap. 6. verſ. 10. & cap. 8. verſ. 9. & in Epiſt. ad Timoth. cap. 6. verſ. 6. & 17.

Videatur P. Salazar in Prouerb. in c. 2. n. 2. 3. & 4. nec non in cap 3. n. 14. & 15.

Videatur P. Didacus de Baeza tom. 1. in Euang. hiſt. lib. 12. cap. 1. §. 5. & tom. 2. in Euang. hiſt. lib. 16 cap. 15. §. 11.

Videatur P. Didacus de Celada com. in Iudith cap. 10. verſ. 4. §. 6.

IN CAPVT OCTAVVM

A Num. XIX. ad XXI.

Et accedens vnus ſcriba, ait illi: Magiſter, ſequar te, quocunque ieris. Et dicit ei Ieſus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.

PARADOXVM IX.

Cupiditas diuitiarum, veriſsima inſania eſt.

QVIS nõ miretur initum ab hoc ſcriba cõſilium? qui vt artem congerendi diuitias addiſcat, facit ſe diſcipulũ Seruatoris. Ergo, vt locuples fias, laudatorem, immo autorem adis paupertatis? An neſcis hunc, rerum quidem Dominum; in ſumma tamen inopia natum, vitam traduxiſſe omni bonorum genere deſtitutam; vt ab hominum cordibus amorem diuitiarum auelleret, atque extirparet? Verùm mirentur alij ſcribae conſilium inconſultum planè, & ſinè conſilio. Ego ſanè mirari non debeo; quia probè teneo, dementatos cum hoc ſcriba pleroſque mortalium, dum diuites fieri volunt, immedicabili, & digna lacrymis inſania laborare.

Fauet in primis ſuffragio ſuo, vt eleganter, ſic etiam religioſo D. Baſilius, ſic loquens apud Damianum lib. 2. Parallel. c. 17. hom. in diteſcentes. *Quiduis aurum cernis, quiduis aurũ tibi animo fingis. Hoc dormiens ſomnias, hoc vigilans cogitas. Vt enim hi, quibus furor rationis vſũ ademit,* B *non res ipſas cernunt, ſed ea quæ morbus obijcit, imaginantur; ſic animus tuus auaritia correptus, quidlibet aurum, quidlibet argentum intuetur.* Quod de Mida fabulati ſunt poetae, re vera experiuntur auari; quibus furor rationis vſum ademit. Sicut enim, quicquid tangebat Midas, vertebatur in aurum; ita etiam quicquid diuitiarum cupidus meditatur, vtpote auaritia correptus, quidlibet aurum, quidlibet argentum intuetur. Sed vtinam, ſicut illum paenituit poſtulati, ita Dei amore faſtidiat auarus opulentiam. Sic enim Ouid. lib. 11. met. paulò poſt init.

Auarus fingit ſibi diuitias.

Auarus, Midas minimè fabuloſus.

——Effice quicquid

C (Sic loquitur Midas cum Baccho)

Corpore contigero, fuluum vertatur in aurum. *Midæ votũ*

Annuit optatis, nocituraque munera ſoluit.

Liber; & indoluit quòd non meliora petiſſet:

Vnde paulòpoſt Poeta de eodem Mida ſic canit,

Attonitus nouitate mali, diueſquè, miſerque

Effugere optat opes, & quæ modò vouerat, odit.

Copia nulla famem releuat: ſitis arida guttur

D *Vrit, & inuiſo meritò torquetur ab auro.*

Ad cælumque manus, & ſplendida brachia tollens,

Da veniam Lenæe pater: peccauimus, inquit,

Sed miſerere precor, ſpecioſoque eripe damno,

Eiuſdẽ pænitentia, & odium diuitiarum.

Ego tamen hiſce omiſſis, huc reuoco diſcrimen illud, quod S. Iſidorus Peluſiota ingenioſè affert inter cupiditatem, & reliquas animi affectiones prauas. Sic enim

ſcribit

ſcribit lib. 3. epiſt. 167. *Cætera quidem penè omnes vitioſæ affectiones, & vigorem & ſenium habent, & ſatietatem agnoſcunt, atque ad finem omni celeritate contendunt: at horrendus pecuniarum amor,*

Amor diuitiarum ſemper valentior.

cùm nobis à natura minimè inſitus ſit, verùm externè aliunde ſeſe inſinuarit; ſenium neſcit, ſatietatem contumelia afficit, lætitiam ignorat, finem capere minimè ſuſtinet; immo verò in dies vigens, fortior ſe ipſo, & valentior, atque acrior eſſe contendit. Vulgari circumfertur prouerbio, miſerandam ſtultitiæ conditionem eam eſſe, vt curari non poſſit. Fallar, niſi dicere velit Peluſiota, veram eſſe deplorandamque ſtultitiam, cupiditatem diuitiarum; inter cæteras quippe affectiones prauas, quæ animi morbi ſunt, & ægritudines mentis, ſola auaritia immedicabilis eſt.

Auaritia morbus immedicabilis

B

Exemplo res fiet clarior. Iſraelitæ, vt ſcribitur Num. cap. 32. num. 1. cùm per deſertum iter haberent, ſuſpirabant verbis illis. *Quis dabit nobis ad veſcendum carnes?* Quid audio? De inopia conqueruntur, qui de opulentiſſima rerum copia gratulari debuiſſent. An non ex Ægypto animantium, pecudumque greges innumeros eduxerunt? An non quotidiano multiplicata fœtu armenta, toto itineris longiſſimi ſpatio, hoc eſt, vſque ad ingreſſum in Palæſtinam dilectus Deo populus conſeruauit? Cur ergo carnes poſtulatis ò Hebræi, quas ex Ægypto eduxiſtis? vt Exod. 12. num. 38. habetur: *Oues, & armenta, & animantia diuerſi generis multa nimis.* Mactate agnos, iugulate vitulos; cur hædis parcitis, & vt crebris, ita iniuſtis ſuſpirijs aërem impletis, immo fatigatis? Rationem reddit pro re præſenti ſatis accommodatam Lyranus inquiens: *Propter ſuam auaritiam parcebant ſuis animalibus.* Quid obſecro excogitari poteſt tam alienum à recta ratione, quàm facere ſe miſerum, in maxima felicitate? quid tam ſtultum, quàm credere ſe inopem inter diuitias? quid tam amens, quàm ſibi ipſi eſſe moleſtum, cùm nulla omnino ſit cauſa triſtitiæ? Carnes petunt, qui carnibus abundant, & de defectu lamentantur, cùm copioſiſſima ſuppetat opulentia. Placet hîc Auguſtini aurea verba referre Ser. 5. de verbis Dom. ſic dicentis: *Et habes, & concupiſcis; & plenus es, & ſitis: morbus eſt, non opulentia.* Tu interea lege Senecam Epiſt. 8. ſic ſcribentem: *Rectum iter, quod ſerò cognoui, & laſſus errando, alijs monſtro. Clamo: Vitate quæcumque vulgo placent, quæ caſus attribuit: ad omne fortuitum bonum ſuſpicioſi, pauidique*

Iſraelitæ carnes ſuſpirant, cùm carnibus abundent.

C

D

Auarus in maxima copia ſe inopem arbitratur.

Auaro copia rerum morbus, nō opulentia.

A

ſubſiſtite. Et fera, & piſcis, ſpe aliqua oblectante decipitur. Munera iſta fortunæ putatis; inſidiæ ſunt. Et paulò poſt *Miſerrimi fallimur; habere nos putamus; habemur.* O deplorandam ſtultitiam! more animantium rationis vſu carentium, decipiuntur cupidi diuitiarum fortunæ bonis, hoc eſt diuitijs, quas dum habere putant, habentur. Tritum eſt, quod de Alexandro Macedone veterum monumenta tradiderunt. Cùm apud Imperatorem pirata neſcio quis accuſatus fuiſſet; interrogatus ab Alexandro, cur mare infeſtando, rapinis, quàm naufragijs faceret periculoſius: reſpondiſſe fertur (liberiùs quàm par eſſet; ſceleribus tamen quæ cum Imperatore habebat communia, audacior factus) *Et tu*, inquiens (vt eſt apud S. Auguſtinum lib. 4. de Ciuit. Dei, cap. 4.) *orbem terrarum: ſed quia id ego exiguo nauigio facio, latro vocor: quia tu magna claſſe, Imperator.* Appoſitè ſanè ad declarandam illorum inſaniam, qui dum ingentibus, immanibuſque diteſcunt lucris, putant ſe ab alijs magnificeri; cùm reuera tanquam prædones, omnium linguis vituperentur. Vnde ingenioſè Lucanus lib. 10. de Alexandro cecinit.

Diuitiæ inſidiæ.

B

Illic Pellæi proles veſana Philippi
Felix prædo iacet terrarum.

Alexander prædo & veſanus.

C

Inſcribatur, epitaphij loco, in Alexandri ſepulchro: Hic iacet veſanus; quia prædo fuit terrarum. Maxima quippe veſania eſt, etiam iudicio poetarum, congerendorũ theſaurorum cupiditate deperire. Grauiùs Chryſoſt. hom. cum Sarton. & Aurel. acti eſſent in exilium tom. 5. *Veſana*, inquit, *diuitiarum cupiditas, eſt morbus inſanabilis.*

Auaritia veſania.

Quandò autem exempla ſunt in promptu è ſacris petita literis; non debeo in profanis diutiùs immorari. Abulēſis Quæſ. 10. in lib. Reg. examinat verba ab Abigail dicta Dauidi irato, & rationem affert, cur Nabal coniugem ſuum nuncupauerit ſtultum. Sic enim ait, 1. Reg. 25. *Ne ponat Dominus meus Rex cor ſuum ſuper virum iſtum iniquum Nabal; quoniam ſecundùm nomen ſuum ſtultus eſt, & ſtultitia eſt cum eo: ego autem ancilla tua, non vidi pueros tuos, Domine mi, quos miſiſti: quapropter ſuſcipe benedictionem hanc.* Quærit Abulenſis, cur Nabal damnetur ſtultitiæ? Dauidi cum militibus ſuis fame laboranti negauerat Nabal annonæ ſubſidium, quod Regis nuncij officioſa, & ſupplici petierant prece. Cur non potiùs vir durus, & aſper dicatur Nabal? ſicuti eodem cap. num. 3. dicitur his verbis: *Vir durus, & peſſimus, & malitioſus: erat autem de genere*

D

nere Caleb. Aut certè, non dicatur potiùs temerarius, qui audeat Regi lectiſſimo milite ſtipato, tanta audacia repugnare? Aut potiùs Nabal accuſetur ingrati animi vitio laborans, cuius ſerui disertè teſtantur, ſe non ſemel à Dauid milite fuiſſe defenſos, Sic cit. cap. num. 16. *Pro muro erant nobis tam in nocte, quàm in die, omnibus diebus, quibus paſcimus apud eos greges*. Abigail tamen, *mulier illa prudentiſſima*, vt ſacri textus num. 3. verbis vtar, non durum, non peſſimum, non temerarium, non ingratum, ſed ſtultum appellat Nabal: & meritò; quia auaritia laborabat. Videlicet bonorum ſuorum amore vſque adeò erat dementatus Nabal, vt victū ueret Regi, coacto neceſſitate, petenti amicè, immo ſupplicis in morem, Regi optimè merito, inuicto, armis inſtructo. Quid tam ſtultum animo poteſt, & cogitatione comprehendi? Dicat propterea Abigail: *Ne ponat Dominus meus Rex cor ſuum, ſuper virum iſtum iniquum Nabal; quoniam ſecundum nomen ſuum ſtultus eſt & ſtultitia cum eo eſt*. Sapit Abigail ſupra muliebre ingenium. Et nos dubitabimus, num ſtultos inter cenſendus ſit, qui nimio diuitiarum amore correptus, negat, non Dauidi, ſed Deo petenti particulam eorum bonorum, quæ, ſicuti à Deo nobis donata ſunt, ita, quoties pauperi denegantur, ipſi Deo denegantur? *Quandiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*: dicebat ipſe Dominus Matth. 25. 40. Vnde Chryſoſtomus in morali homil. 20. monebat: *Cùm vides pauperem, corpus Chriſti, aram Chriſti te videre puta*. Ergo, vt dicebam, quod negatur pauperi, negatur Deo, hoc eſt, Imperatori maximo, Principi beneficentiſſimo de nobis optimè merito, Regi exercituum, pro quo *pugnabit orbis terrarum contra inſenſatos*. Ergo, non temerarios huiuſmodi homines, non duros ac ferreos, non rebelles atque ingratos, non peruicaces ac peſſimos; ſed ſtultos atque dementes credere, atque exſibilare debemus. Non ſolùm S. Ambroſius, ſed etiam Seneca poſſeſſorem diuitiarum appellat febri laborantem: crediderim, ex ſententia Abigail, ex eo genere febris, quæ percellit caput, atque de mentis deijcit poteſtate. S. Ambroſius de ſocru Simonis, Lucæ 4. num. 38. *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus*, ait, *Febris noſtra auaritia eſt*. Et Seneca Ep. 119. in eandem ſententiam ſcribit, his verbis: *Quod ad illos pertinet, apud quos falsò diuitiarum nomen inuaſit occupata paupertas; ſic diuitias habent, quomodo febrem habere dicimur, cum illa nos habeat. E contrario dicere debemus; febris illum tenet; eodem modo dicendum eſt: Diuitiæ illum tenent*. Huiuſmodi porrò proprietas febris, licet vitijs omnibus videatur eſſe communis; peculiari tamen modo auaritiæ conuenit, quæ tenet, & captiuum facit animum auari. Vnde *viri diuitiarum* dicuntur à Dauid, cùm diuitiæ virorum dici, & eſſe deberent. Sic Ambroſio viſum eſt cap. 14. de Nabu. dicenti, à Dauide nominari viros diuitiarum, vt oſtendat, *Eos non poſſeſſores diuitiarum eſſe, ſed à ſuis diuitijs poſſideri*. Et quod deterius eſt, tenentur, ſeu poſſidentur diuitijs, tanquam febri: ea vtique febri, quæ caput peruadit, planèque dementat. Quod à nullo meliùs quàm ab eodem Seneca declarari poteſt Ep. 74. ſcribente: *Stulta mortalium auaritia poſſeſſionem proprietatemque diſcernit, nec quicquam ſuum credit eſſe, quod publicum eſt; at ille ſapiens nihil iudicat ſuum magis, quàm cuius illi cum humano genere conſortium eſt*. Neque quiſpiam arbitretur dixiſſe me gratis, & ſine fundamento febrim auaritiæ eius generis eſſe, quæ caput peruadat, atque dementet; ſcio nanque Hippocratis aphoriſmum lib. 2. aphoriſ. 6. *Quicunque dolentes parte aliqua corporis dolorem omnino non ſentiunt, his mens ægrotat*. Vides, diuitem vſque adeò teneri amore diuitiarum, vt non moueatur ad ſubleuandum ſua pecunia egenum, ſed omnino ſenſu pietatis deſtituatur, ita vt alieno dolori nō cōdoleat. Certò ſcias hunc mente ægrotare; cum enim, vt docebat Apoſtolus ad Rom. 13. ſimus vnius eiuſdemque corporis membra, qui afflicti dolorem membri non ſentit, ægrotet mente neceſſe eſt.

Nabal ſtultus quia auarus.

Pauperes quanta digni reuerentia.

Auaritia Febris.

Auarus non poſſidet, ſed poſſidetur.

Auaritia ſtulta.

Inſaniæ indicium.

Verùm Senecæ, aut ethnicorum Philoſophorum ſuffragio non indiget, quod Diuinæ oraculo Sapientiæ pronūciatur apertè. Lucæ cap. 12. num. 20. diuitem illum compellaturus, dixit Deus: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti, cuius erunt?* Verè ſtultus: diceret Origenes; quia maledictam terram veri boni locum eſſe exiſtimans, toto cælo aberrauit. *Ea putat* (verba Origenis hom. 12. in Ieremiam) *bona eſſe quæ nulla ſunt, dicens: Dicam animæ meæ habes multa bona repoſita: frumentum, & vbertatem terrenorum fructuum, eſſe arbitratus eſt bona, neſciens quia vera bona non naſcuntur in maledicta terra, ſed in cæleſtibus regionibus: theſaurizauit ſibi in terra, quia in terra eſſe theſauros arbitratus eſt*. Agnoſcite tandem aliquando diuites qualem ſtultitiæ notam ſubeatis. Aut certè, diceret Beda in cap. 12. Lucæ, verè

Bona huius vitæ minimè bona.

ſtul-

ſtultus; quia diuitias bona ſua arbitrabatur, cùm reuera aliena æſtimare debuiſſet, iuxta Sidonij Appollinaris lib. 8. Epiſt. 4. apophthegma: *Inter quos poſiti, ſi quid agimus, noſtrum; ſi quid habemus, alienum eſt. Non in eo reprehenditur* (loquitur Beda de hoc Euangelico diuite) *quòd terram coluerit, natoſque ex ea fructus in horrea collegerit; ſed quòd omnem vitæ ſuæ fiduciam in ipſa abundantia rerum poſuerit, fructuſque, quos vberiores ſolito terra protulit, ſuos fructus, & ſua bona computans, non pauperibus erogare, iuxta imperium Domini dicentis Luca 11. 41. Quod ſupereſt date eleemoſinam; ſed factis receptaculis, ſua in futurum luxuria reſeruare ſtuduerit.* Inſanit ergo qui diuitias, quas tanquam aliquid alienum, erogandumque, pauperibus æſtimare debuerat; ſoli ſibi, luxuriæque reponit. Aut certè, diceret S. Petrus Chryſologus, verè ſtultus; quia in tanta frugum vbertate, in tanta fructuum abundantia, in tam diuite bonorum omnium exuberantia, quaſi pauper, & egenus ſuam lamentatur inopiam. *Miſerum* (verba Chryſol. ſer. 104.) *quem vbertas ſterilem, abundantia anxium, inhumanum copia, diuitiæ fecere mendicum.* Quem terra fecerat diuitem, fecit opinio ſtulta mendicum.

Auarus ſtultus, quia aliena putat ſua.

Auari mendicitas.

A

B

Adducamus in medium purpuratum illum diuitem; & autore Theophylacto diſcamus, quid de eo ſentire æquum ſit; illum dico diuitem, de quo Lucæ cap. 16. num. 19. ſic leges: *Erat quidam homo diues, qui induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè: & erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis, & nemo illi dabat.* O inſani dementiam capitis, vberioribus lacrymis, quàm vocibus proſequendam! Quid enim dementius, quàm exaturatis omni ferculorum genere, non ſcurris modò, & ganeonibus, ſed canibus etiam; homini fame pereunti, quæ de menſa concidunt, micas denegare? *Quomodo non ſtultum* (ſic loquitur Theophylactus ad illud Epiſt. 1. ad Thimoth. capit. 4. numer. 9. *Qui volunt diuites fieri incidunt in deſideria multa inutilia*; ex Græca lectione, *deſideria ſtulta & amentia. Quomodo*, inquam, *non ſtultum ſimias alere, belluas, ac piſces in viuarijs, ac ſeptis includere, equos exornare auro, intraque tectum aquam ducere, ac in ſolo, ſiue pauimento domus faciem, veluti in ſpeculo ob nitorem lapidum contemplari? Hæc ſtulta ſunt, ac noxia, quæ animæ diuitias lædunt, ſenſuſque abſumunt. Quid, quòd plerique diuites opibus ſuperbientes, tyrannidem affectantes, mortem ſibi ipſis attulerunt?* Hæc Theophylactus.

C

Epulonis ſtultitia.

D

Quæ mihi conſideranti attentiùs, videntur non ſine magna acuminis, & ingenij laude, pro præſenti argumento fuiſſe locuti Maximus Taurinenſis, & Ambroſius. Ille nanque hom. 2. de auar. *Cæca*, inquit, *eſt auaritia*. Cæca profectò; quia intellectum, animi oculum, eruit, mentemque excæcat. Scribit Artemidorus lib. 1. cap. 5. neſcio quem dormientem, ſibi in ſomnis viſum, oculos habere aureos; & re ipſa, non ſomnium fuiſſe illud, ſed auſpicium, aut vaticinium comprobauit euentus; nam excæcatus deinde eſt. Fabuloſa ſunt iſta, ſed vero verius, auari mentem auro excæcari. *Cæca eſt auaritia*, ex Maximo: Ambroſius autem, memorati paulò antè diuitis faciens mentionem, ſic ait lib. de Nabuc. cap. 4. ad illa verba: *Stulte, hac nocte repetunt animam tuam. Nocte* (verba Ambroſij) *anima auari repoſcitur, quæ à tenebris incipit, & in tenebris perſeuerat. Auaro ſemper nox eſt.* Cum igitur amatores diuitiarum, & intelligentiæ careant oculo, iuxta Maximum; & ſimiliter cùm bono ſapientiæ lumine deſtituantur, erroris, inſcitiæque tenebris obuoluti, ex Ambroſio; mirum videri non debet, ſi hos dementes eſſe dixerimus; vſū enim rationis amittit, qui oculum intelligentiæ perdit; ſanæ mentis eſſe non poteſt, qui cæca premitur nocte: & hæc demum veriſſima ſtultitia eſt.

Auaritia cæca excæcat.

Iam verò facilè aſſequemur, quid dicere voluerint, vt autoritate pares, ita ſententiis concordes Saluianus, Gregorius Nazianzenus, Ambroſius, & Cyprianus; quorum vna vox eſt, cupidos diuitiarum quibuſdam veluti vinculis alligari. Saluianus lib. 2. diaboli catenam appellat diuitias. Gregorius Nazianzenus or. in Nat. Domini, opulentos nuncupat compeditos terræ. Ambroſius lib de bo. mor. cap. 5. ait: *Laqueus in auro: dum aurum petimus ſtrangulamur, dum prædium inuadimus, alligamur.* Cyprianus denique, Epiſt. 2. de auaro, ſic ſcribit: *Nec intelligit miſer ſpecioſa ſibi eſſe ſupplicia, auro ſe alligatum teneri, & poſſideri magis, quàm poſſidere diuitias.* Immo idem Cyprianus alibi de ijs quos à vera fide abduxit amor diuitiarum, dum Chriſti Eccleſia Tyrannorum vi, atque inſolentia vexaretur, ſic habet: *Illa fuerunt remanentibus vincula, illa catenæ, quibus & virtus retardata eſt, & fides preſſa, & mens vincta, & anima præcluſa.* Quorſum, obſecro, toties à tantis viris repetita

Auari ligati.
Diuitiæ catenæ diaboli

Laqueus in auro.

petita iſthaec loquendi forma? niſi vt intelligamus inſaniam eſſe veriſſimam, amorem diuitiarum. Quemadmodum enim, ſi quem fortè laborantem inſania reddere ſanitati nequimus, adhibitis fruſtra medicamentis; coercere ſolemus vinculis; ita planè, vt deploratam, atque omnino immedicabilem inſinuent amentiam illam, quæ à cupiditate diuitiarum ducit originem, Patres ſanctitate, & ſapientia ſpectabiles, iure optimo, auaros, amatoreſque opum, vinctos, catenatoſque pronunciarunt. Quae cùm ita ſe habeant, continere me non poſſum, quin cum S. Bernardo ſer. 4. de Aduen. Domini ſub init. exclamem: *Filij Adam genus auarũ, quid vobis cum terrenis diuitijs quæ, nec vera, nec veſtra ſunt. Aurum, & argentũ nonne terra eſt, rubra, & alba, quam ſolus hominum error facit, aut magis reputat pretioſam?* En ſumma ſtultitiae humanae. Noſtra putamus, quae aliena ſunt. *Pretioſa* credimus, quae re vera, vtpote vilia, nihil facienda ſunt ab aequis rerum aeſtimatoribus.

Hominis ſtultitia in vilibus pretium fingit.

Inuentum Fenellae poteſt quidem laudari, ab ingenio; ſed debet etiam, à feritate vituperari: declarabit tamen meum animi ſenſum. Iuſſit olim Fenella ſtatuam mira arte fabricari, in cuius manu pomum erat aureum, gemmis refertum opulentiſſimis, & nitidiſſimis, quod quicunque tetigiſſet, ſtatim multis iaculis confodiebatur. Hoc illa lethali pomo Hennethũ Scotorum Regem nihil ſuſpicantem inſidioſè occidit, dum opiparo accumberet conniuio: ſic vlta necem filij, fœmina, ferocitate fœminea, ſed ſupra fœmineum ingenium ſagax. Ita refert Cauſſinus lib. 11. de lapillis ſymbolo 5. Vnum inquiro: an non dementatum omnino diceres Henuethum ſi Fenellae occultas inſidias noſcens, manum ad lethale pomum admouiſſet? Ita

Fenellæ inuentum mirum, & dirum.

Hennethi Regis mors inopina.

A planè. At non vides? mutato nomine, de te, non fabula, ſed veriſſima narratur hiſtoria. Cupiditas diuitiarum longè pernicioſiùs quàm Fenella, dum pretioſos oſtendit theſauros, abſcondit iacula mortifera, quæ accedentes confodiant, atque interimant. Quot calamitates, quot infortunia, quot ſubit aerumnas, qui capitur amore diuitiarum? Ergo Hennethum, quem ignorata, & inopina peremit mors, dicemus infelicem: iſtos verò, quos bene nota diuitiarum mala premunt, ſtultos credemus, ac mente captos. Poetae ipſi timendam à diuitijs perniciem monent Vnde Q. Horatius Flaccus lib. 3. Od. 22.

B *Vel nos in mare proximum*
Gemmas & lapides, aurum & inutile
Summi materiam mali,
Mittamus, ſcelerum ſi bene pœnitet.

Diuitijs nunc eius remittendus.

Grauiùs id ipſum teſtatur Boetius Seuerinus de conſ. lib. 2. metro. 5.

Heu quis primus fuit ille,
Auri qui pondera tecti,
Gemmaſque latere volentes,
Pretioſa pericula fodit?

Diuitiæ plenæ periculis

Immo quid aliud aurea Heſperidum mala vigili commiſſa Draconi indicant, quàm ingentia pericula, quibus ſeſe obiectat, qui aurum quaerit? O palmarem, deplorandamque ſtultitiam eorum, qui depe-
C reunt amore diuitiarũ! cùm tamen ignorare non poſſint, quod caeleſti oraculo fit manifeſtum Eccleſ. 31. à num. 6. *Multi dati ſunt in auri caſus, & facta eſt in ſpecie ipſius proditio illorum. Lignum offenſionis eſt aurum ſacrificantium: væ illis, qui ſectantur illud, & omnis imprudens deperiet in illo.*

Ditteſcentium impudentia.

Videatur P. Didacus de Baeza tom. 2. de Chriſto figurato lib. 5. cap. 19. §. 29.

Videri poſſunt, quæ dixi primo tomo in cap 6. parad. 1.

IN CAPVT OCTAVVM

A Num. XXI. ad XXIII.

Alius autem de diſcipulis eius ait illi : Domine, permitte me primúm ire, & ſepelire patrem meum. Ieſus autem ait illi : Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.

PARADOXVM X.

Sanctorum virorum, & ſceleſtorum communis eſt ſors, vt viuant mortui.

Peccator mortuus.

SEQVOR ſententiam Auguſtini Lib. 4. de Trinitate cap. 3. Lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 6. Et quæſt. 6. in Matthæum, mortuorum nomine intelligi peccatores ; & ex occaſione, qua Chriſtus Dominus, hoc loco, mortuos nominans, tam eleganti ambiguitate, quàm plana ad noſtram inſtitutionem ſapientia, vtitur hac voce ; demonſtrabo ſanctorum virorum, & ſceleſtorum ſortem eſſe communem, vt viuant mortui ; lege tamen maximè diſpari, vt legenti patebit.

Cùm de Sanctis dicere aggrediar, offert ſe mihi is, qui experimento nouit, quid ſibi velit mortuum viuere : Paulus hic eſt pronuncians diſertiſſimè : *Viuo autem, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus* ad Galat. 2. 20. Neque id ſolius Pauli priuilegium eſſe arbitremur ; quandoquidem ipſemet ad Galat. cap. 5. num. 24. ſcribens, ait : *Qui autem ſunt Chriſti, car-*

Iuſtus viuit mortuus.

B *nem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs*. Chriſto viuit, ſed cruci confixus Chriſtianæ cupidus perfectionis. Theophylactus orat. de cruce apud Gretſerum tom 2. *Non enim*, inquit, *aliam notam habent, ex qua ad Chriſtum pertinere dignoſci queant, quàm ſi carnem cum vitijs, & concupiſcentijs crucifigant : cuius rei teſtis eſt Paulus, qui cruce tanquam regio quodam inſigni gloriatur, & propter eandem iam non Paulus, ſed quodammodo Chriſtus ipſe eſt : Viuo, inquit, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus*. Exemplum nobilius proponit Paulinus Epiſt. 21. quæ eſt ſecunda ad Amandum Epiſc. aitque à

Crux pro regio inſigni Paulo.

C Chriſto Domino diſcere nos debere viuificum, de quo loquimur, genus mortis. Verba Paulini loco cit. paulò ante med. *Domini paſſione, & reſurrectione non ſolum ad ſpem, ac fidē reſurrectionis inſtruimur ; ſed vt non ſola reſolutione carnali, ſed & voluntaria ab hoc ſeculo receſſione mori nouerimus ; & moriendo per fidem huic mundo, viuificemur Deo. Vita enim huius mundi amica, mors animæ eſt.*

Vita carnalis mors animæ.

Trita quæſtio eſt apud ſacros ſcriptores, cur in lege veteri ſacrificari conſueuerint animalia tam terreſtria, quàm volatilia, non autem aquatilia. Cur ſoli piſces veluti profani arcebantur ab altari ? An non

Soli piſces à ſacris arcebantur.

D Deus ſicut terræ & aeris ; ita maris Dominus eſt, & aquarum ? Ita planè. Rationem reddit Abulenſis in c. 1. Leuit. quæſt. 13. his verbis : *Quia ea, quæ Domino offerebantur in animalibus, viuentia eſſe debebant ; & quia piſces rarò adduci poterant viuentes ad Dominum, ideo non decebat de illis offerri*. Dignum præpotente Deo holocauſtum, vt qui ſe Deo mactare velit, immolet viuum. Sic Paulus ad Rom. c. 12. n. 1. *Obſecro vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem*

Viua hoſtia Deo offerenda.

uentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Exigit Paulus viuam quandam mortem in nobis, vt dignũ Deo ſacrificium offeramus: vt videlicet concupiſcentijs moriamur, viuamus charitati; moriamur terrenis deſiderijs, viuamus bonis cæleſtibus; moriamur vitijs, viuamus virtutibus & ſanctitati. *Vnuſquiſque* (inquit Origenes in hunc locum) *ſi ſuperbiam corporis ſui vincat, & reſecet, immolat Deo vitulum; ſi iracundiam, arietem; ſi libidinem, hircum; ſi vagos, & lubricos cogitationum volatus, columbam, & turturẽ*.

Quas hoſtias Deo ſacrificare debeamus.

Et idem hom. 1. in Leuit. dixerat: *Habes & tu vitulum, quem offerre debeas. Vitulus eſt, & quidem valde ſuperbus caro tua*. Sed meliùs ſine dubio ex Salomone, quàm ex antiquis cæremonijs, quod contendimus percipiemus. Can. c. 7. n. 5. de Sponſa ingenioſo myſterio dicitur: *Corona capitis tui ſicut purpura Regis*. Vbi, ex Ambroſio, fit mentio ſanguinis Chriſti: ſic enim ſcribit. Ambroſ. ſer. 17. in pſal. 118. *Sanguis Chriſti purpura eſt, qui inficit ſanctorum animas*.

Sanguis Chriſti purpura animæ.

Quis neſciat Chriſti Domini ſanguine, tanquã cæleſti & regnatrice purpura coronari ſolùm eas animas, quæ patientis veſtigijs Chriſti inſiſtentes, piæ deuotionis conatu, & continuæ mortificationis paſſibus inhærentes, cũ Apoſtolo dicere poſſunt ad Col. 1. n. 2. *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionũ Chriſti in carne mea?* Hæc ſacris altaribus hoſtia digna. *Hoſtiã viuentẽ*. Quia mortua ſibi, Chriſto viuit, coronata vt victima; ſed corona purpurea, quia fuſo ſanguine, non niſi mortua viuit; Chriſto commoriens, & ſpirans Deo, quia ſuſpirãs ſolùm pro cæleſtibus, ac diuinis. *Quoties*, inquit S. Cyprianus de cæn. Dom. *te in conſpectu Domini video ſuſpirantem, Spiritũ Sanctũ non dubito aſpirantẽ*. Videlicet, qui inter pœnitentiae ſuſpiria penè animã agere videtur, Sãcti Spiritus vitali recreatus aura, quaſi mortuus viuit. *Exhibeatis corpora veſtra hoſtiã viuentem*. *Adflictatio carnis*, aureũ Tertulliani monitum eſt de patient. c. 13. *hoſtia Domino placatoria, per humiliationis ſacrificium; cum ſordes cum anguſtia victus Domino libat*. Et pari elegantia Auguſtinus: *Noli*, inquit in pſ. 50. *extrinſecus pecus, quod mactes, inquirere: habes in te quod occidas*. Macta prauarum affectionum laſciuienria pecora, immola ſuperbiae tauros, lita arrogantiæ vitulos. Fuſiùs id proſequitur Anſelmus in c. 12. ad Rom. n. 1. expendens quomodo poſſit ſimul eſſe, & hoſtia, & viuens: *Hoſtiam viuentem. Hoſtia* (ait) *& immolatur, & viua eſt, quãdo & ab hac vita homo non deficit, & tamen ſe à carnalibus deſiderijs occidit. Hoſtia enim occiditur, vt offeratur, ſed hoſtia viuens eſt corpus pro Domino afflictum, quod & hoſtia*

Hoſtia viuens quæ.

Mactandæ prauæ affectiones.

Hoſtia viuens qui moritur peccatis, & viuit virtuti.

dicitur, & viuens, quia viuit in virtutibus, & eſt à vitijs occiſum. Hoſtia videlicet, quia iam huic mundo eſt à prauis actibus mortuum; viuens autem, quia cuncta, quæ praualet, bona operatur.

Neque nouum videri poteſt ſapienti, ſi dixero mortuos eſſe debere amicos Dei, dum in hoc ſeculo viuunt. Vir ſiquidem, licet cæteroqui affectata ſimulatæ ſanctitatis cõmendatione ridendus, hac tamen in re caſtigatiſſimè loquens, ſanctiſſimequè, cæleſti planè doctrina eruditus, ſe ipſo melior, atque religioſior Balaam, cùm Num. 23. numer. 10. pronunciauit: *Moriatur anima mea morte iuſtorum*, nil aliud dicere voluit, ſi Ambroſio credimus lib. de bono mort. c. 4. Vbi ſic vertit, & interpretatur: *Moriatur anima mea morte iuſtorum: Moriatur anima mea in animis iuſtorum; id eſt conſepeliatur vt ſua vitia deponat, iuſtorũ aſſumat gratiam, qui mortificationẽ Chriſti in corpore ſuo, atque anima circumferunt*. Hinc fortaſſe fundamentum aſſertionis ſuæ ſumpſit Baſilius, apud Nazianzenũ, apud quem orat. pro Baſilio, Baſilius ipſe, vt minas Modeſti Cæſareæ Præfecti mortẽ minitantis irrideat, tanquam inania terricnlamenta, ſic reſpondet: *Mors beneficij loco mihi erit: citiùs enim me ad Deũ tranſmittet cui viuo, & munere meo fungor, maximaque ex parte mortem obij*. Felix, qui cum Baſilio viuis exequijs parentat ſibi. Immo verò, ſi idem Baſilius ſit audiendus, non maxima ſolùm ex parte, ſed omni planè ex parte mortem obiuit, qui, vt Deo viuat, moritur huic ſeculo, & concupiſcentijs. Vnde meritò idem Baſilius in pſal. 32. decernit, *Corpus affligere, æquiualere martyrio*. Cuius ſententiã ſecutus S. Bernardus ſerm. 1. in Oct. Paſch. *Eſt* (ait) *martyrij genus, & quadam effuſio ſanguinis, in quotidiana corporis afflictione*. O ſanctiſſimos martyres charitatis, quos Dei amor mactat, & ardentia vitæ aſperioris deſideria, ſine laniena immolant, ſed nõ ſine laurea ſacrificant! Hoc martyrij genus, quo viuentes Deo morimur explicat fuſiùs B. Petr. Damianus ſer. 30. qui eſt prim. de S. Apollinari in hunc modũ *Vis adhuc apertiùs diſcere, qualiter in pace ſancta Eccleſia valeas martyriũ inuenire? Aſcende tribunal mẽtis, & temetipſũ pertrahe ad iudiciũ quæſtionis: Cogitatio accuſet, animus iudicet, pœnitens conſcientia velut carnifex feriat, lacrymarũ riuus, velut vulnus erũpat. Sic, ſic per martyrij ſimilitudinẽ, ad veram peruenies martyrum dignitatem*. Huc reſpexiſſe Dauidem illis verbis pſal. 115. n. 4. *Calicem ſalutaris accipiam*, credit Hieronymus; ſic enim Epiſt. 20. ad Marcellam ſcribit: *Calices mortificationem carnis o-*

Mortificatio ſepulchrum.

Mors iuſto chara.

Seruus Dei maxima ex parte mortuus ante mortem.

Mortificatio martyrium.

L ſten-

ſtendunt & ſemper animum ad martyrium preparatum. Habes genus mortis planè vitale, quo, ſine dubio placebis Deo, vel vitia ſepulturæ mandando, vt monebat Ambroſius, vel pretioſo voluntariæ afflictionis martyrio, vt contendunt Bernardus, & Damianus.

Vtinam perciperemus, quo pacto conueniat nobis mori in hac vita, vt vitam traducamus iuſto homine dignam. Intelligebat id optimè, qui breuiſſimè, ſed apertiſſimè de ſe ſcribebat ad Corinth. cap. 15. n. 31. *Quotidie morior*. Vtinam, inquam, tam vtilem, tam ſanctam notionem mente complecteremur. Experiremur enim, quod docuit Chryſoſtomus, hom. 1. ad illud Apoſtoli: *Salutate Priſcam*. *Qui ſemel* (inquiens) *vitam deſpexit præſentem, magna cum facilitate conficit omnia, cæli municeps eſt, & ad futuram feſtinat vitam*. Verùm non à Paulo ſolùm, ſed longè antè à Patriarcha Iacob inuenio id nobis inſinuatum, ſacra illa, & celebri cæremonia, qua Racheli vxori chariſſimæ parentauit. Geneſ. 35. n. 20. honorem ſepulchri inſcripto cenotaphio coronauit: *Erexitque* (verba textus) *Iacob titulum ſuper ſepulchrum eius*. Vbi autor Cat. græcæ ait: *Cùm plures ſanctorum Patrum mulieres dormiuerint, ſoli Racheli cippus erectus eſt. Ea enim typum geſſit Eccleſiæ, quæ ſola victrix trophæum mortis tulit in Chriſto*. Priuilegio Rachelis ſepulchri, titulo, & inſcriptione exornati, placuit Patriarchæ Iacob præludere, præmonſtrando venturam Eccleſiæ prærogatiuam. *Quæ ſola victrix trophæum mortis tulit in Chriſto*. Mortuus eſt Chriſtus, vt nos viuamus Deo: Genus viuentis mortis, vel mortuæ vitæ inuexit, quam experiuntur, qui cum Paulo verè dicere poſſunt: *Viuo autē iam non ego, viuit verò in me Chriſtus*. Sepeliūt ſe ſe humilitate, mortificatione, patientia, ſerui Dei; & in hoc ſepulchro dum mortui viuunt, trophæum mortis ferunt in Chriſto, & per Chriſtum.

Mundo mortuus cæli municeps.

Mortis trophæum fert.

Seruus Dei viuit mortuus.

Neque verò mortalis & humanæ, ſed ſupernæ planeque diuinæ Sapientiæ axioma eſt, vt qui Deo ſeruiunt, mortui viuant. De cælo quippe venit, angelico prolata oraculo ſententia illa Apoc. c. 14. num. 12. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*. *Quis* (inquit Ambroſius in hunc locum) *mortuus mori poteſt? Nullus proculdubio mortuus mori poteſt*. Deinde ipſemet reſpondet interrogationi, & dubitationi ſatisfacit his verbis: *Illi ſunt beati, & illi in Domino moriuntur, qui prius moriuntur ſeculo, poſtea carni: qui prius veterem hominem, id eſt, omnes nequitias ſpirituales, & carnales in ſe extinguunt, vt poſſint dicere cum Apoſtolo: Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*. Aduerte obiter, nobis iam ſerio admittendum eſſe, vt vetus homo moriatur, vt ſepeliātur ſeculares cupiditates, vt nequitiæ interimantur. Non leuiter, & quaſi per iocū conficienda res eſt: non eſt ſatis veterem hominē caſtigare: non ſufficit ſenſus cohibere: parum eſt carnē, & prauas affectiones in ſeruitutem redigere: ſed exigitur à nobis, vt vitijs, voluptatibus, carni, nobis ipſis moriamur. Explicant id Patres & ſapientia, & ſanctitate venerabiles, modo quodam ſublimiore, deſumpta nobiliore ſimilitudine à ſacrificijs. Facem præfert Rex Dauid pſ. 4. n. 6. *Sacrificate ſacrificiū iuſtitiæ*. Ex Chaldæo. *Domate concupiſcentias veſtras, & reputabitur vobis ſacrificium iuſtitiæ*. Sacrificio cultum Deo exhibemus præſtantiſſimum. Et ſacrificium quidem præſtare videtur mactationi, ſeu immolationi, quam ſuprà ex Origene, & Auguſtino indicauimus. Mactatæ quippe victimæ, & immolatæ hoſtiæ, cadūt, & moriuntur in honorem Dei: At ſacrificium videtur habere vitam; viuida namque flāma, vi caloris accenſa inſinuat, hoſtias mortificatæ mentis, charitatis igne conſumendas, vt ſimul ſit, & mortuus mundo, & viuus Deo, qui ſui ipſius iuge offert ſacrificium Altiſſimo. Hinc fit magis perſpicuū, quo pacto mortui viuant. Subſcribent Gregorius, Origenes, Hugo Carenſis. Et Gregorius quidem hom. 22. in Ezechielem ſic loquens: *Quod eſt altare holocauſti, niſi mens bene viuentium? qui peccatorum ſuorum memores, lacrymis ſe lauant, carnē per abſtinentiam macerant, vbi ex mœrore cōpunctionis ignis ardet, & caro conſumitur*. Ardente igne cōſumitur caro; quia viuida, & vitalis eſt huiuſmodi mors. Si interroges, quæ pars animæ altare ſit? Origenes reſpondebit in Cat. græc. 2. Thren. *Anima altare* (inquiēs) *eſt pars in nobis rationis cōpos; in quo paſſiones mortificatæ ſacrificantur*. Subſcribit Hugo Carenſis, præſcribens formam huius altaris, in pſal. 25. in hunc modum: *Mens eſt altare, in quo debemus Deo offerre ſacrificiū ſpiritus contribulati. Hoc altare debet eſſe concauum, & inane per humilitatem, non ſolidum per propriam confidentiam*. Ergo ſacrificate ſacrificium iuſtitiæ, ita vt igne ardente, tanquam calore cælitus communicato, vt vult Gregorius, viuatis. Dum pœnitentiae cultro mortui, in mentis altari mactatis prauarum affectionum hoſtias, ſacrificiū, vt vult Origenes, ſpiritus contribulati, ſine conſumptione conſumitis.

Iuſtus moritur mortuus.

Caſtigatio carnis ſacrificium iuſtitiæ.

Iuſti mens Altare.

Illuſtre profectò, & omni ſeculorū commēdatione digniſſimum in ſe ipſa præbuit exemplum, noſtris etiam temporibus, huiuſce

huiuſce

Thereſia viuit mortua.

iuſce morientis pro Deo vitæ Thereſia virgo ſanctiſſima, cuius non tam cedro, quàm cælo digna vox erat: *Aut pati, aut mori*. De Thereſia ſanè, corpore tot modis cruciato, quod de ſorore ſua pronunciauit Nazianzenus orat. de Gorg. non immeritò dici poteſt. *O corpus etiam ante diſiunctionem mori coactum, vt anima libertatem naciſceretur, nec à ſenſibus impedimenti quicquã acciperet.* Dicat ergo, & re & voce Thereſia: *Aut pati, aut mori*. O vitam morte circunſcriptam! immo morti conſanguineam! vtpote compactam angoribus, & doloribus animatam. Vitam huiuſmodi viuunt & filij Thereſiæ ex Carmelitana familia, aſperitate, & ſanctitate morũ ſpectabiles religioſi viri; qui iure quidem, vſurpare poſſunt illud Paulini Antiſtitis ſanctiſſimi, & eloquentiſſimi ad Aprũ ſcribentis: *Sibi habeant literas ſuas oratores: ſibi ſapientiã ſuam philoſophi: ſibi diuitias ſuas diuites: ſibi regna ſua Reges: nobis gloria, & poſſeſſio, & regnũ Chriſtus eſt, in quo mihi mundus occiditur, & ego mundo.* Id quod miro modo perfectum fuiſſe à S. Elzeario Comite Ariani, ſcriptores eius hiſtoriæ, poſteritati tradiderunt in vita eiuſdem c. 30. Receperat ſe ſe in montem Peſſulanum, vt ſibi vacaret & Deo; immo vt Deo viueret, mundo mortuus Elzearius. Dalphina eius vxor, ſed virgo (vitã enim ducebant cælibem) data ad eum epiſtola ſciſcitabatur, cur tam longas duceret moras, ipſius domus ſuæ exul, & à patria extorris; obnixè rogans, vt ſi minùs vellet ſibi, ſaltem vxori chariſſimæ & domeſticis parceret, quos diu iam afflixerat abſentia tam diuturna, & tam moleſta. Acceptis à tabellario Dalphinæ literis, in hunc modum reſpondet Comes heroica magnanimitate memorandus, & innoxius ſui homicida, vt ſibi mortuus, viueret Chriſto. *Sanus* (verba Elzearij) *ſum corpore, & ſoſpes. Quòd ſi me videre cupis, quære me in vulnere lateris Chriſti. Illic enim habito, & ibi poteris me inuenire, fruſtra alibi quæſitura.* Hoc enim vero eſt mortuum viuere. Chriſto patienti compatiens, ipſe hoſtia viuens eſt. *Eia ergo*, ſic loquitur Auguſtinus, *dulciſſime Deus, hoc mihi tecum pactum erit: planè moriar mihi ipſi, vt tu ſolus in me viuas: totus intra me ſilebo, vt tu loquaris in me: totus quieſcam, vt tu ſolus opereris in me.*

Iuſtis nil carius quàm viuere mortuos.

Elzearius Comes viuit mortuus, quia viuit in latere Chriſti.

Acutè profectò declarat Baſilius Seleuc. quo nam modo Dei ſeruus, mortuus ſimul debeat eſſe, ac viuus. Faciens enim mentionem excitati à morte pueri precibus Eliæ, vt ſcribitur 3. Reg. c. 17. n. 21. in hunc modum loquitur orat. 13. *Elias primùm li-*

A *berauit à morte mortuum, & mortuus, contactu mortuum expergefecit.* Expende Prophetam dici mortuum; mortuum quidem, ſed expergefacientem, excitãtemque; quia ſeruus Dei ita mortuus eſt, vt poſſit alijs dare vitam: mortuus voluptatibus, & concupiſcentijs; viuus operibus charitatis: mortuus honoribus, & diuitijs; viuus ſanctimoniæ & pietati: vno verbo, mortuus caducis, & tranſitorijs; ſpiritualibus, & cæleſtibus viuus: *Mortuus, contactu mortuum expergefecit.* Nec minori elegantia Guerrici Abbatis verba, licet ad aliud ſignificandum prolata, id ipſum inſinuabunt. Ait enim ſerm. de ſcripturæ B vtilitate: *Et ſi ſepulchra in hortis, nunquid tamen horti in ſepulchris? Ita fortaſſis; ſed in ſepulchris iuſtorum: ibi planè vernabit gratiſſima quædam amœnitas.* O rarum iuſtorum priuilegium! hortos inuenies in ſepulchris iuſtorum. Nempe cùm ſepultos vides contemptu rerum omniũ, & humillimo vitæ genere tumulatos, tunc vernabunt, ac viuent germinantium flores virtutum. *Horti in ſepulchris*: fit enim hortus concluſus deliciarum Sponſi is, qui humanis omnibus interclusſo aditu, vt creatori viuat, moritur creaturis.

Elias mortuus ſimul, ac viuus.

Vitæ germen è ſinu mortis.

Habes ergo, qua ratione Dei ſeruus, mortuus viuat; nempe, vel vt cæſa Deo C victima pœnitentiæ ferto; vel vt incruentus martyr volũtarijs aſperioris vitæ cruciatibus; vel vt ſacrificium ardens flamma charitatis inextinguibili. Audi Auguſtinum tract. 65. in Io. in hunc modum ſcribentem: *Mors electorum eſt, qua etiam cùm in carne mortali adhuc mouetur, cor ſurſum ponitur, de qua morte dicebat Apoſtolus: Mortui enim eſtis. Hinc fortaſſe dictum eſt: Valida ſicut mors dilectio. Hac etiam dilectione fit, vt in iſto adhuc corruptibili corpore conſtituti, moriamur huic ſeculo, & vita noſtra abſcondatur cum Chriſto in Deo.* Id quomodo fieri poſſit, interroganti, faciet ſatis S. Io. Chryſo- D ſtomus his verbis, dilucidè ſcribens, & copioſè in Epiſt. ad Romanos. *Sed quomodo* (verba Chryſoſt.) *corpus, inquies, hoſtia fiet? Nihil mali reſpiciat oculus, & factus eſt hoſtia. Nihil turpe loquatur lingua, & facta eſt oblatio. Nihil iniqui committat manus, & facta eſt holocautoma. Immo non ſufficiunt iſta; ſed vt bona etiam faciamus opus eſt, nimirùm vt eleemoſynam faciat manus, calumniam inferẽtibus benedicat os, auditus diuinis continuò ſermonibus vacet.* Atque vt iiſdem verbis Apoſtoli, quibus exorſus ſum, finem dicendi faciam, hæreat noſtris mentibus Paulinum illud Apophthegma ad Galat. cap. 2. num. 20.

Mortificatione ſenſuum corpus fit hoſtia.

L 2 *Viuo*

Viuo autem iam non ego viuit verò in me Chriſtus. Cui ſubdet Auguſtinus lib. de continentia cap. 14. tom. 4. *Vbi enim non ego, ibi felicius ego; vt, quando ſecundùm hominem reprobus vllus motus exurgit, cui non conſentit qui mente legi Dei ſeruit, dicat etiam illud: iam non ego operor*. Mortem hanc, quæ bonorum omnium, & ip-

B ſius vitæ nunquam effœta ſemper fœcunda parens eſt, non poſſumus non amare, ſi ſapimus. Hinc idem Auguſtinus Tom. 10. ſer. 11. ad fratres in Eremo poſt med. hortatur: *Talem te præpara, vt mortem timere non poſſis, vt poſt mortem viuere incipias, qui ante mortem moriendo viuebas, vel viuendo moriebaris*. Vt poſt mortem viuas, viuus moriaris.

IN CAPVT OCTAVVM

A Num. XXI. ad XXIII.

Alius autem de diſcipulis eius ait illi: Domine, permitte me primùm ire, & ſepelire patrem meum. Ieſus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.

PARADOXVM XI.

Peccator viuens, mortuus eſt.

VIDIMVS quàm ſingulare ſit beneficiũ, Iuſtum viuere mortuum; viſuri mox, Deo fauente, quàm graue ſupplicium ſit, Peccatorem mori miſerrimo necis genere; licet, blanditias inter, ac ſcelera, viuere videatur. Ita ſentit S. Paſchaſius lib. 5. in Matt. vbi inquirens cur Chriſtus huic adoleſcenti mortuos ſepelire prohibeat: ait, *non vt ab officio Patris filium reuocet, ſed vt à conſortio impiorũ eum ſecernat*. Verè itaquè impij, mortui dicuntur, & ſunt.

D

Perbellè ſanè, etſi rudibus lineamentis, propoſita veritas adumbrari poteſt, notiſſima illa hiſtoria Dionyſij Tyranni, de quo nuncij veritatis teſtantur annales veterum, quendam à quo prædicabatur felix, & habebatur beatus, regio in throno aſſidere feciſſe, gladio capiti imminente, filo tenui alligato. Non potuit Dionyſius neque expreſſiùs, neque ingenioſiùs imperitam mentium humanarum inſcitiã erudire. Obſtupuit miſer ille, in throno quidem, ſed intra gladij minitantis ictum collocatus, ſuoque didicit periculo, vulgi errorem eſſe, felicitatem in throno, ac purpura reponentem. Monet Oleaſter in cap. 22. Iſaiæ: *Videbis ſæpiùs homines omnibus peccatis plenos, veſtibus pretioſis ornari, ſericis indui, pretioſis vnguentis vngi, lætos ac gaudentes; ac ſi Deum non haberent offenſum. neque ſuper capita eorum enſis diuinæ vltionis penderet*. Pone tibi ob oculos homines florentes honoribus, abundantes diuitijs, dignitatibus conſpicuos, delicias inter, ac lautitias bene fartos, ac bene paſtos: ſed attende ſimul pendentem diuinæ vindictæ gladium, quemadmodum prædixerat Dauid pſ. 7. num. 13. *Gladium ſuum vibrabit*. Hinc magno cũ lepore ſententiam Dei apud Ezechielem c. 33. n. 11. *Nolo mortem impij* idem Propheta ante retulerat in hæc verba c. 18. n. 32. *Nolo mortem morientis, dicit Dominus*. Quaſi moriens quædam vita, ea ſit, quam peccatores ducunt. His ita conſtitutis, quid de huiuſmodi hominum conditione ſentis? Tam præſenti diſcrimine cõſiderato; extremo in momenta excidio imminente; num tu vitam credes eam quam vides morte præſentiſſima abſorberi? Ego verò ſpirantem potiùs, immo ſuſpirantem prædicabo mortem, tot inter angores agentem ſpiritum, anhelantemque. Aſſentietur facilè D. Paulinus, qui Epiſt. 12. ad Seuerũ, habens præ manibus illud Pauli ad Epheſios cap. 5. n. 14. *Surge qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Chri-*

Regum mẽſita felicitas, ex Dionyſij facto.

C

Peccatorum felicitati, diuinæ gladius vltionis impendet

Peccatorum vita mors ſpuſ.

Chriſtus, dum paululum, ea qua ſolet elegantia, verba immutat, nos monet appoſitè in hunc modum: *Surge qui dormis, & attinges Chriſtum, hoc eſt, diſcute carnalis inertiæ ſomnum; à mortuis curis, hoc eſt, à conuerſatione carnali eripe mentem, & attinges Chriſtum obtemperando præceptis eius.* A mortuis curis nos vocat ad Chriſtum; quia ſicuti in Chriſto vita eſt, ipſo docente Io. 14. num. 6. *Ego ſum via, veritas, & vita*, ita in conuerſatione carnali, nil niſi mortuum inuenitur: *A mortuis curis, hoc eſt à conuerſatione carnali, eripe mentem*: Diſcute carnalis inertiæ ſomnum. *Exurge à mortuis.*

In conuerſatione carnali nil niſi mortuum.

At, qua de cauſa, quærimus à Dionyſio tetras inter humani ingenij vmbras, quod bono diuinæ Sapientiæ in lumine, ſacris expreſſum literis, poſſumus intueri? Geneſ. cap. 3. num. 21. dicitur: *Fecit quoque Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Cùm Deus Dominus omnium dicatur, & ſit; cur proprijs manibus tunicas ſuit pelliceas? An non conſultiùs fuiſſet, id Adamo imperare? Quorſum hiſce tunicis veſtiat primos parentes rerum omnium procreator? Profectò non ad nuditatem tegendam; ipſe quippe Adam vnà cum vxore, id præſtiterat, vt legitur eodem c. n. 7. *Cumque cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.* Fortaſſe Deus docere voluit Adamum, quod ignorabat: ſciebat ſe eſſe nudum; ſed ignorabat ſe ſpirantem adhuc viuentemque, meliore ſui parte defunctum. Mortuis pellibus, poſt peccatum induuntur progenitores noſtri; quibus, & nobis omnibus dicere vult Deus, quid contingat poſt patratum peccatum, quod diſertis poſtea protulit verbis diuinæ voluntatis nuncius, atque arcanae interpres ſapientiae Paulus 1. ad Tim. cap 5. num. 6. *Quæ in delicijs eſt, viuens mortua eſt.* Audi Origenem hom. 6. in Leuitic. ante medium: *Fecit Deus tunicas pelliceas, &c. Illa ergo tunica de pellibus erant ex animalibus ſumpta. Talibus enim oportebat indui peccatorem; pelliceis, inquit, tunicis; quæ eſſent mortalitatis, quã pro peccato acceperat, & fragilitatis eius, quæ ex carnis corruptione veniebat, indicium.* Quoties contingit, vt peccantes homines, quaſi virentes inter frondes vernare ſibi videantur? Tunc viuere ſe, ac vigere arbitrantur, calore male vegeto cupiditatum ardentiùs æſtuante. Adami hic error eſt. Exue viridantium foliorum viuidum nitorem, mortuas indue pelles; & à necatis animalibus diſce, mori vt animal eum, qui animalis in morem,

Tunicæ pelliceæ primorum parentum, quid denotent?

A omni rationis abiecto fræno, volutatur in volutabro luti.

¶ Placet rem noſtram triplici ſimilitudine illuſtrare; quarum duas Ambroſius, tertiã eius in Chriſtianae profeſſione ſapientiae diſcipulus Auguſtinus ſuppeditabit. Vis ſcire, quo pacto peccatores mortui viuãt? lege epiſtolam 6. Ambroſij ad Iræneum ſcribentis, his verbis. *Verè ſunt ſicut cicadæ, quia de die in diem viuunt, quæ ſluque rumpuntur ſuo. Quid enim aliud ſunt homines nullius ponderis, niſi videantur ſicut cicadæ ad mortem nati diurnam? Qui ſub ardore feruentium cupiditatum ſe mulceant cantu, ſtatim occidant.* Non po- B tuit ſceleſtorum ſors explicari clariùs, aut elegantiùs: ad mortem nati diurnam, dum recreari videntur cantu, diſrumpuntur. Æſtuant inter anhelitus, dum creduntur ſuauiùs recreari. Idem Ambroſius, Cainũ conſiderans, alia vtitur ſimilitudine, pro re praeſenti vnicè facta. Hanc antequam proferam, reuoco in memoriam Dei imperio vetitum fuiſſe, vt nullus auderet Cain è medio tollere. Geneſ c. 4. à n. 15. *Dixit Dominus: nequaquam ita fiet, ſed omnis, qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur. Poſuitque Deus in Cain ſignum, vt non interficeret eum omnis, qui inueniſſet eum.* Ergo parum erat Deum vetuiſſe, ne quis C auderet Cain interficere; niſi, appoſito inſuper ſigno, tribueret notam quandam, & quaſi teſſeram ſecuritatis? Cur, obſecro, tantam gerat curam, rerum aequiſſimus arbiter Deus, ne perimatur fraterna caede fœdatus Cain, auctor immo inuẽtor facinoris tam criminoſi? Reſpondebit melleus ſemper Ambroſius in pſal. 35 loquens in hunc modum: *Meruerat quidem* (de Cain loquitur) *vt percuſſor imbiberetur: ſed ſine vlla intermiſſione, ipſe ſibi carnifex erat, ipſe percuſſor*, Pone tibi ob oculos carnificem ſaeuũ, immitem, truculentum, infligentem vulnera, inferentem mortẽ, dilaniantem, diſcindentem, in fruſta ſe- D cantem. Talem dicas eſſe in ſe ipſum, eum, qui ſe flagitio quouis obſtringit; & collimaſti. Do cum Ambroſio Auguſtinũ ſerm. 1. de tempore ſic dicentem, deplorantemque peccantium calamitatem: *Quàm infelix eſt illa conſcientia, toto lacrymarum fonte lugenda, quæ ſe ita malis operibus cruentauit, vt in ea non Chriſtus requieſcere, ſed diabolus incipiat dominari!* O vitam planè mortiferam traductam inter vulnera, mananteque perenniter ſanguine cruentatam! perquam appoſitè Beatus Alcuinus conſiderat qua tandem ex cauſa, ſeu quo fato, vt ita loquar, in ſe ipſum mortis tulerit ſententiam

Peccator comparatur cicadæ.

Eſt ſibi ipſe carnifex.

dementatus furore Cain. Nemo ſanè tenetur ſe ipſum prodere; multò minùs debebit quiſpiam ſe ſe extremo damnare ſupplicio, & tamen iuuenum perditiſſimus, & infeliciſſimus Cain, ſic loquitur, Geneſ. cap. 4. n. 14. *Omnis igitur, qui inuenerit me occidet me.* Quo autore tu id didiciſti, ſupeſte fratris Abel, immo funeſtiſſime tui ipſius pluſquam parricida? B. Alcuinus interrog. 89. *Cur, ipſe ſe morte damnauit, dicendo: Omnis, qui inuenerit me, occidet me? Reſpon. Deſperando dixit, vel vt compendio mortis, cruciatus euaderet præſentes.* Nota acumen in illo: *compendio mortis.* Videlicet rea peccati conſcientia prolixam, & productam in longũ pati compellitur mortem, præ cuius moleſtia, appetitur, tanquam moleſtiſſimæ, & diuturnæ inflictæ à ſcelere necis compendium, mors ipſa, qua anima à corpore ſeparatur. Immo ſi audiendus ſit Philo, non tam ſententiam mortis in ſe ipſum tulit Cain, quàm intulit ſibi mortem ipſam. Lib. enim Quod deterior potiori inſidietur, verba vulgatæ lect. Geneſ. 4. num. 8. *Conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum,* vertit Philo: *interfecit ipſum.* Tum ſubiungit huiuſmodi interpretationem: *Inſurrexit Cain in Abelem fratrem ſuum, & interfecit ipſum, prima quidem ſpecie Abelem occiſum ſubindicat: ſin autem diligentiùs rem expendas, ipſum Cain à ſe ipſo. Proinde ſic legendum: Inſurrexit Cain, & occidit ſe ipſum, & non alterum; & meritò quidem. Anima enim, quæ ex ſe ipſa tollit dogma pium, & virtutis amicum, virtuti eſt mortua.* Hæc Philo; cuius ſententia, abijt, non obijt innocens Abel, cùm mori nequaquam dicendus ſit, qui vinculis mortalitatis ſolutus, vitam viuit beatiorem; ſicuti è contrà, qui ſceleribus viget, minimè viuit.

Cain ſeipsũ morte damnat.

Peccatum, prolixa mors eſt.

A ſimilitudinibus ad rationem nos manuducit idem Auguſtinus, pro præſenti argumento, ſtatuens in hunc modum, Tract. 47. In Io: *Vita carnis tuæ anima eſt; vita animæ tuæ Deus eſt. Quomodo moritur caro, amiſſa anima, quæ vita eſt eius: ſic moritur anima amiſſo Deo, qui vita eſt eius.* Spiritus animæ noſtræ is eſt, qui via, veritas, & vita eſt. Vides emiſſo ſpiritu cadauer emaciatum, luridum, exangue? imaginem vides peccantis animæ, cuius viuum habes in mortuo ſimulacrum. Do vaticinantis oraculum Iſaiæ, cap. 59. n. 5. *Oua aſpidum ruperunt: qui comederit de ouis eorum morietur, & quod confotum eſt, erumpet in regulum.* Oua aſpidum pulchra ſatis apparent extrinſecùs, abſcon-

Vita animæ noſtræ, Deus eſt

A dunt tamen virulentam quaſi apothecam veneni, quod frangentibus ſolet eſſe lethiferum. Eodem planè modo nefaria peccatorum conſilia, & oblectamenta, primo aſpectu, pulchra videri ſolent, & amabilia; peccantibus tamen mortem inferunt, pernicioſa omnino, atque funeſta. Notanda ſunt vltima verba. *Quod confotũ eſt, erũpet in regulum.* Qualis eſt vita eius, qui gremio fouet baſiliſcos? De ſerpente ſcribit Ælianus, ſi morſu hominem interfecerit, non poſſe deinde ingredi latebram ſuam, ſed hàc illac ſine lege vagari errantem, vtpote homicidij reum; quaſi verò diuinæ iuſtitiæ vindictam experiatur vltri-

B cem. Longè deterius eſt genus mortis, à peccati veneno animæ illatum; tantum enim abeſt, vt necata anima, aberret virulentus ſerpens, vt potiùs in anima reuiuiſcat. Vt hinc pateat quàm mortifera ſit ſceleſtorum vita, qui cùm lætantur dum malefecerint, & exultãt in rebus peſſimis; tunc erumpit regulus, & peſtifero tabo baſiliſcus reuiuiſcit. *Peccatũ,* loquitur Chryſoſtomus tom. 5. ſerm. de pœnitentia, *conceptum, coluber eſt; in præcordijs hominis parit mortem.* Vt ſilentio inuoluam, quod tritum eſt, aptè ſcilicet peccatum baſiliſco comparari, eò quòd ſicuti baſiliſcus ſolo necat aſpectu, ita multò magis perimit culpa, quæ non aſpicitur modo, ſed admittitur & perpetratur à peccante. De

C regulo Plinius hæc tradit lib. 8. cap. 21. *Necat frutices, non contactos modò, verùm & afflatos, exurit herbas, rumpit ſaxa: tanta vis malo eſt.* Non poterat ergo magis ad viuum repræſentari mors, quæ à culpa peccanti infertur, quàm peccatum regulo comparando. *Quod confotum eſt, erumpet in regulum. Conceptum, coluber eſt, in præcordijs hominis parit mortem.* Sanè, ſi Solino credimus c. 90. ſic ſcribenti: *Ipſas etiam corrumpit auras* (loquitur de regulo) *ita vt in aëra nulla alitum impune trãſuolet infectum ſpiritu peſtilenti.* Si, inquã, hæc credimus, meritò mortem, de qua loquimur, pertimeſcemus.

Serpens homicida latebras ingredi non poteſt.

Peccatum ſerpente deterius.

Simile baſiliſco

D Propterea grauiter æquè, & ingenioſè conueniunt Theodoretus, Ambroſius, & Guerricus, ſceleſtum hominem, vtpote mortuum in præſenti ſeculo, tanquam ſepultum, & terræ commiſſum, defleri debere. Theodoretus ad illud Ep. 1. ad Tim. c. 5. num 5. *Quæ in delicijs eſt, viuens mortua eſt: Immodicæ,* inquit, *deliciæ rationem obruunt, & efficiunt, vt in corpore, tanquam in aliquo ſepulchro iaceat.* Copioſiùs Ambroſius proſequitur hoc idem lib. 2. de Cain, & Abel, cap. 9. *Impij, etiam ſi videantur viuere; miſeriores tamen ſunt* omni-

Peccator deflendus, vt mortuus, & ſepultus

omnibus mortuis, carnem ſuam, ſicut tumulum circumferentes; cui infelicem infoderunt animam ſuam. Quid enim aliud eſt, quàm ſepulta, quæ intra humum voluitur & terrena auaritia cupiditatibus, cæteriſque vitijs includitur, vt gratia cæleſtis auram ſpirare non poſſit? Inſiſte in illis verbis: *carnem ſuam, ſicut tumulum circumferentes, cui infelicem infoderunt animam ſuam*. Infelix prorſus illa anima eſt, quæ, non ſecus ac terræ mandatum cadauer, conſcientiæ corroditur vermibus, & putredine conſumitur peccatorum; quemadmodum Rex pœnitens lamentabatur, pſ. 37. n. 6. *Putruerunt, & corrupta ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ.* Dilucidè Guerricus Abbas, ſerm. 1. pro deuot. pſal. dicebat: *Corpora peccatorū, quid ſunt, niſi ſepulchra mortuorum?* De Artemiſia notum eſt, Mauſoli coniugis cineres hauſiſſe, quaſi non poſſet digniore condere tumulo quàm pectoris eum, quem tanquam cor ſuum amabat. Fuerit hoc dementatæ amore mulieris prodigium inauditum: longè ſanè prodigioſius eſt, peccatorum corpora, hoc eſt ſepulchra mortuorum ex Guerrico, extincto diuinæ charitatis igne, frigidos ſolummodo terrenarum affectionum cineres tumulare. Grauiter Senec., & ingenioſè, quoties per villā Seruilij Vaciæ tranſibat, eam dicebat viui hominis ſepulchrum. Vacia dines & prætorius, vt ſibi vacaret & voluptatibus, remiſſo negotijs nuncio, receperat ſeſe in villam, omni deliciarum genere affluentem. Hunc mortuum viuere exiſtimauit Seneca. Quantò æquiùs à nobis haberi, & dici debebit, viuens mortuus eſſe, qui flagitijs, & criminibus vacat, & viuit. Id ſcribit Seneca lib. 7. Epiſt. 56. ad Lucilium: *In hac ille prætorius, diues, nulla alia re, quàm ocio notus, conſenuit, & ob hoc vnū felix habebatur. Exclamabant homines: O Vacia, ſolus ſcis viuere. At ille latere ſciebat, non viuere. Nunquam aliter hanc villam, Vacia viuo præteribam, quàm vt dicerem, Vacia hic ſitus eſt.* Viuentem in delicijs, qui ſapiunt, ſepultum putant; & voluptatum rura, amœniſſima iucunditate virentia, Philoſophia magiſtra, ſepulchra ſunt teterrima mortuorum.

Peccatoris corpus, mortuæ animæ ſepulchrum eſt.

Artemiſia cineres coniugis condit ſepulchro pectoris.

Deliciæ, viui hominis ſepultura.

Nunquam recolo Ieremiæ verba cap. 13. num. 15. *Vox in Rama audita eſt ploratus, & vlulatus multus: Rachel plorans filios ſuos*. Nunquam, inquam, hæc recolo, quin admirer aſſerri ab Euangeliſta Matthæo cap. 2. num. 18. deſcribente Innocentium infantium cædem. At, non videtur facere ad rem Rachel plorans filios; ſcimus enim, viuente Rachele, nul-

Cauſa ploratus Rachelis.

A lum eius filium fuiſſe mortuum. Myſterium declarat Hilarius, inſinuando, pias à Rachele lacrymas non fuiſſe effuſas, ob illatam Innocentibus necem; neque enim deflendi videbantur, qui à mortalitatis erepti ærumnis, immortali vita donabantur. Fleuit quidem tam ſancta, tam pia parens, non interemptos, ſed interemptores, qui tanto ſe ſcelere maculantes, funeſtiorem ſuis animabus inferebant cædem, quàm triſtem afferrent paruulis, tanta cum laniena, internecionem. Audi Hilarium: *Cuius ploratus ex filijs, non idcirco, quia peremptos dolebat, auditur; ſed quia ab his perimebantur, quos primùm genitos filios retinere voluiſſet.* B *Denique conſolari ſe noluit, quæ dolebat; non enim non erant ij, qui mortui putabantur; in æternitatis enim profectum per Martyrij gloriam efferebantur: conſolatio autem erat res amiſſæ præſtanda, non aucta.* Quod de vno peccati genere docet Hilarius, nos de quocunque affirmare non dubitemus, Auguſtino magiſtro, ac duce, ſic ſcribente, lib. de decem plagis: *Mortui ambulant, & viuentes portant funera ſua. Viuere quidem videntur in corpore, ſed mortui probantur in corde.*

Peccator corpore viuus, corde mortuus.

Faceſſit aliquibus negotium, quod legimus cap. 32 Exodi, vbi deſcribitur Moſes de monte à Dei alloquio deſcendens, in C idololatras exardeſcens. Imperauit, vt armata manu, inuaderent vituli profanos adoratores, eoſque trucidarent, qui à Deo tam impiè defecerant. Sic à num. 26. cit. cap. *Stans in porta caſtrorum ait: ſi quis eſt Domini, iungatur mihi; congregatique ſunt ad eum omnes filij Leui, quibus ait: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael. Ponat vir gladium ſuper femur ſuum; ite, & redite de porta, vſque ad portam, per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem & amicum, & proximum ſuum.* Moyſi, Dei nomine imperanti adſunt alacres filij Leui, factoque in impios impetu, conati D ſunt, turpem fidei deſertæ notam effuſo abluere ſanguine nefariorum. Si quæras, quot fuerint è medio ſublati poſt Moſis edictum: Reſpondet lectio vulgata interfectos fuiſſe viginti tria millia hominum, numer. 28. *Feceruntque filij Leui iuxta ſermonem Moyſi; cecideruntque in die illa viginti tria millia hominum.* Sed ſi de numero occiſorum ab Hebræis quæras, ex textu hebræo affirmabunt, interemptos non expleuiſſe numerum trium millium hominum. Verba textus ex hebræa lectione ſunt: *Ceciderunt in die illa, quaſi tria millia hominum.* Maximum ſanè diſſidium inter aſſerentes cecidiſſe vi-

ginti tria millia hominum, & inter dicentes interfectos fuiſſe, quaſi tria millia. Abulenſis nodum ſoluit in Exod. quæſt. 36. his verbis: *Computantur in litera hebraica ſolum illi, qui fuerunt occiſi tanquam principales in ſcelere idololatriæ: in litera noſtra computantur illi, qui fuerunt peccantes, & occiſi.* Non ſolùm vides tam peccantes, quàm gladio interemptos, cenſendos eſſe inter mortuos; ſed nota diſcrimen: Auctores Hebræi, vtpote rudiores, craſſioreſque in percipiendis diuinis, non computant inter mortuos, niſi quos perimens gladius è medio ſuſtulit; non enim percipiunt aliud mortis genus, longè lacrymabilius, & deflendum magis, quod non in corpus tantùm deſæuiens gladius, ſed in animam infert culpa debacchans, quouis percuſſore atrocior, quouis interemptore crudelior. S. Fulgentius ad Mo-nimum lib. 1. ait: *Prima mors animæ, quam ſibi homo intulit, ſecunda mortis eſt cauſa. Et ſecunda mors, quam Deus homini reddit, primæ mortis eſt pœna. Et quia iſtam ſibi homo iniuſtus iniuſtè intulit, illam à iuſto Iudice iuſtè percepit; vt qui in iſta volens, ſemen iniquitatis ſeminat peccator improuidus, in illa metat fructum punitionis inuitus.* Non vnum tantùm genus mortis, qua perimitur corpus, agnoſcunt, qui ſpiritualis intelligentiæ bono fruuntur lumine; ſed cenſent etiam inter cadauera, & meritò, eos qui per peccatum mortem animæ intulerunt. *Prima mors animæ, quam ſibi homo intulit.*

Inter cadauera recenſentur

Geminam do ſimilitudinem, alteram S. Io. Chryſologi; S. Nili alteram: vtra ingenioſior habenda ſit, & vtilior, neſcio; ſcio tamen vtramque præſenti inſtituto accommodatam. S. Nilus in Inſtitution. ad Monach. ſic ait: *Quemadmodum torrens ſibi ipſe per præceps aditum patefacit, ſic & peccator ſibi ipſe per ſcelera, mentis parat interitum.* Quo impetu, ruptis marginibus, torrens confluentibus exundat aquis, præcipiti circumuolutione demergens; eodem ſui ſibi interitus autor eſt, qui peccat. Accipe iam Chryſologum ſerm. 111. differentem in hunc modum. *Peccatum, ò crudelis fera, & non vno capite in hominum genus ſæuire contenta! ò truccem feram trino ore tota humana ſtirpis germina tam pretioſa deuorantem! trino ore fratres, peccatum capit, mors deuorat, deglutit infernus.* Quid mirum itaque ſi viuere peccator nequeat, cùm à fera crudeli cædatur, ac lanietur? Quin immo trucidet, & perimat lethalis culpa peccantem animam neceſſe eſt, quoniam ex Chryſoſtomo hom. in pſalm 39. *Melius eſt à fe-*

Præcipites ruunt vt torrens.

A culpis quaſi à feris ſæuientibus trucidantur.

A *ris, quàm à peccatis circumdatum comprehendi.* Interpretatur Magnus Gregorius Dauidicam illam proſopopeiam, qua Martyres loquentes inducuntur, pſalm. 43. num. 20. *Humiliaſti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis.* Et ſic ait Greg. lib. 4. mor. cap. 17. *Vmbra mortis mors carnis accipitur, quia ſicut vera mors eſt, qua anima ſeparatur à Deo, ita vmbra mortis eſt, qua caro ſeparatur ab anima. Vnde rectè voce Martyrum per Prophetam dicitur: Humiliaſti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis. Quos enim conſtat non ſpiritu, ſed ſola carne mori, nequaquam ſe vera morte,*

Peccatum vera mors.

B *ſed vmbra mortis dicunt operiri.* En profero delapſum de cælo teſtem. Sic enim ſummi Patris, nuncius Spiritus Lucæ 1. n. 13. Ioſeph alloquitur *Vocabis nomen eius Ieſum: Ipſe enim ſaluum faciet populũ ſuum à peccatis eorum.* Ex Syriaco leges: *Ipſe enim viuificabit populum ſuum à peccatis ipſorum.* Ergo viuificans Ieſus vitæ reddit, quos morte affecerant culpæ lethales. Magno ſanè cum lepore vt ſemimortui ſenis cadentem, ac ſenũiuã vitam breui ſermone deſcriberet, dixit Quintilianus declam. 9. circa finem. *Video ſenem meliore ſui parte præſepultum.* Videtur quipppe ante ſepulturam ſepultus is, qui meliore ſui parte

C quaſi præmoritur. Vidit id Plinius, à quo fortaſſe accepit Quintilianus; ſic enim ſcribit Plin. L. 7. nat. his. c. 1. circa med. *Natura nihil hominibus breuitate vitæ præſtitit melius. Hebeſcunt ſenſus, membra torpent, præmoritur viſus, auditus, inceſſus, dentes etiam ac ciborum inſtrumenta, & tamen vitæ hoc tempus annumeratur:* Miratur & iure Plinius vitæ nomine nuncupari eam, quæ mors potiùs præuia & præcedens dicenda eſſe videretur. An non caligantes in ſene oculi, obtuſus auditus, fractus vigor, infirmata membrorum firmitas; anticipata quædam mors eſt? cùm videantur praemori oculus, aures, dentes,

Vita breuis felicitas magna.

D & ſic de ſingulis. Dicamus itaque, vt multa complectamur paucis, cum Quintiliano, ſenem praeſepultum, cum Plinio praemortuum. Quantò aequiùs impium, & peccatorem vocabo, immo deplorabo praeſepultum, & praemortuum; cùm anima, praeſtantiſſima ſcilicet praecipuaque ſui parte, praemoriatur, & praeſepeliatur.

Peccator præſepultus & præmortuus meritò vocatur

Horreſco recolens quod ſcribit S. Auguſtinus lib. 5. contr. Petil. cap. 15. de iis, qui quondam inciderunt in manus Hetruſcorum praedonum, quorum ſaeuiſſima immanitas referri ſine animi commotione non poteſt. Etenim viatores, quos expoliabant, tollebant è medio, & ad exaggera-

Hetruſcorum prædonum crudelitas.

tam

tam crudelitatis rabiem exſaturandam, viua corpora cum mortuis colligabant, ita vt ſingula viuentis membra, membris cadaueris correſponderent. Quid tam dirum, aut immane? Quid tam fœdum, aut horrendum? Nihil ſanè, niſi quod peccatoribus contingit; quorum mortuae animae viuis corporibus nexu infeliciſſimo copulantur. Qui ideò à S. Hilario in pſal. 67. num. 7. dicuntur, *Intra corporum ſuorum emortua domicilia conſepulti*. Solet cordis humani pietas mortuos proſequi lacrymis; vel quia nulla calamitas dignior luctu cenſetur, quàm mors: vel quia nil tam conueniens homini videtur, quàm huiuſmodi humanitatis extrema officia exhibere. Ex vtroque capite ea, de qua loquimur, mors peccatoris luctu, & lacrymis eſt digniſſima. Eccleſ. 22. num. 13. dicitur: *Luctus mortui ſeptem dies: fatui autem, & impij, omnes dies vitæ illorum*. *An verò* (verba ſunt Auguſtini. ſer. 13. de Sanctis, circa finem, Tomo 10.) *non in te ſunt viſcera Chriſtianæ miſerationis, vt plangas corpus, à quo diſceſſit anima, & non plangas animam, à qua receſſit Deus?* Nullum ſenſum humanitatis habet, qui commiſeratione ad lacrymas non mouetur, vt mortuam per peccatum animam, hoc eſt vltimum terribilium, vberrima lacrymarum profuſione proſequatur. Nos ſanè proſequemur procul dubio lacrymis funus tam acerbũ; niſi, quod abſit, duri fuerimus ac ferrei, quales fuiſſe ſcimus Iſraëlitas, quorum peruicaciã caſtigaturus Deus, ignitos è cælo ſerpentes miſiſſe dicitur; ſic Numeri c. 21. n. 5.

Igniti Serpentes, cur à Deo immiſſi.

Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes. Quo ſupplicij genere, quid ſibi voluerit Deus, accipe ex Anſelmo in c. 9. epiſt. 1. ad Corinth. ſcribente: *Quibus Deus ad ſignificanda peccata, quorum veneno inuiſibiliter moriebantur, viſibiles ſerpentes, quibus admonerentur, immiſit, & plaga emendatoria mortes animarum, mortibus corporum figurauit*. Nos itaque non ſolùm tam prodigioſo ſupplicio, ſed tot ſanctorum Patrum rationibus, tot oraculis ſcripturarum eruditi, mortem, & quidem ſæuiſſimam, & luctuoſiſſimam animarum, eſſe peccatum; par eſt, vt mortem huiuſmodi defleamus; præſertim cùm pœnitentiæ fletu, & mortuæ animæ vitam, & peccato mortem allaturi ſimus, vt videbimus in ſequentibus.

Videri poteſt Pater Ioannes Antonius Valazquez Tomo ſecundo in epiſtolam ad Philippenſes, in capite tertio, verſu vigeſimo octauo, & vigeſimo nono, in expoſitione literæ, ad illud: *Nunc autem & flens dico*, præſertim à numero decimotertio, & deinceps, vbi plura inuenies, & ingenioſa.

IN CAPVT OCTAVVM

A Num. XXI. ad XXIII.

Alius autem de diſcipulis eius ait illi: Domine, permitte me primùm ire, & ſepelire patrem meum. Ieſus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.

PARADOXVM XII.

Lacryma mors peccati, peccatoris vita.

FVNERI, præſertim acerbo, lacrymas iungi, nec mirum, nec nouum videri poteſt, immo nec iniucundum; cùm non rarò concepti vis doloris, lacrymis erumpentibus minuatur. Vnde poſt peccatoris mortem, qua nulla triſtior, aut luctuoſior, lectorem meum opportunè ad fletum deduco. Non me latet S. Bernardi monitum, ſerm. 26. in Cantic. *Videmus mortuos quotidie plangere mortuos ſuos: fletum multum, & fructum nullum. Plorantur damna gloriæ carnis, vitæ præſentis incommoda: ſed plorandi, qui ita plorant.* Legi etiam apud S. Paulinum, Epiſt. 37. ad Pammachium, paulò ante finem: *Acceptior eſt Deo grata lætitia, quàm diuturna, quaſi querula triſtitia. Nam hoc illo Dauidico docemur exemplo, vt inanes lacrymas non effundamus*; (alludit ad Dauid, qui mortuum filium lacrymis non eſt proſecutus, vt Reg. 2. cap. 12. n. 23.) *quæ vtique ſuperfluò mortuis donātur, nihil conferentes recepto, & grauantes relictum. Ideo Dauid viuente filio fleuit, functo gratulatus eſt.* Haec, inquam, aliaque huiuſmodi me non latent, quibus prudenter & religioſè inanes interdicuntur lacrymae à funeribus proborum. Ego verò in praeſentia non ad muliebres, & inaniter lamentatrices excito lacrymas, ſed voco ad lacrymas viro dignas, hoc eſt mortis inſtauratrices, planèque viuificatrices. Spondeo etenim me liquidò demonſtraturum, pœnitentis lacrymam mortem eſſe peccati, peccatoris vitam.

Plorandi qui pro mortuis plorant.

C Singulari acumine Petrus Cellenſis dum laudes congerit pœnitentium lacrymarum eas aſſerit, Naufragium vitiorum. Sic enim ſcribit lib. de panibus cap. 12. *Lacryma portas refringit inferni, carbones extinguit ferreæ fornacis. Quid plura? vincit inuincibilem, ligat omnipotentem, naufragium eſt vitiorum.* Vbi nota, inter prærogatiuas ſingulares, quibus lacrymæ extolluntur, vltimo loco dici, Naufragium vitiorum. Cum enim, iuxta bene compoſitæ locutionis leges, creſcere ſemper debeat oratio; dum dicitur; Naufragium vitiorum, nihil de illis dignius pronunciari poteſt, diuinius nihil, nihil nobis prædicari vtilius poteſt.

Pœnitentium lacrymæ, vitiorū naufragium

D Ea quippe, quæ, dum vigent In cordibus noſtris, peccata animam necant; necantur obuoluta, & ſubmerſa lacrymis, hoc eſt felici, beatoque naufragio vitiorum. Neque emphaſi caret deſumpta à naufragio ſimilitudo; non enim icta gladio, aut lancea confoſſa, aut ſclopo petita cadere dicitur culpa, & expirare; ſed aquarum inundantium naufragio è medio tolli. Acutè ſanè: naufragium etenim, non ſpiritum auſert ſolummodo, & vitam, ſed triſtes etiam emortui exuuias corporis infelici vndarum tumultuantium recondit tumulo. Ita planè vitiorum naufragium lacryma eſt; quia pœni-

tentis

tentis fletus eſt proprium, non quomodocunque delere, ſed abolere penitùs, & omnino auferre, quicquid chriſtiani hominis animum fœdat. Et ni fallor, naufragium hoc, quauis optabilius ſerenitate, quanis amabilius tranquillitate, quo exundante minor mundus non expurgatur modò, ſed à mortuis excitatur, adumbratum fuit, in illa mundi maioris inundatione, cùm aquis erumpentibus, vniuerſus terrarum orbis, ſe demerſum ingemuit; vt legimus cap. 7. Geneſ. à num. 17. Quo loco, pro re noſtra, debeo in medium adducere Auguſtinum lib. 1. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ cap. 4. proponentem enodantemque ingenioſam dubitationem his verbis: *Quamobrem terrena animalia humana vindicta plusquàm aquatica, ſuccumbunt? In peccato primi hominis, terra, de qua guſtauerant, ſtatim maledicitur; per diuinum namque oraculum ita infertur: Maledicta terra in opere tuo. Qua in re notandum, iſſa animalia, quæ maledictam terram manducauerant, expertia maledictionis eſſe non poſſe.* Digna Auguſtino ratiocinatio: Animantia omnia, ſolis exceptis piſcibus, cum homine peccatore demerguntur. Nimirum expiatrices aquæ fuerunt, aquæ diluuij, quibus ſupra montes ſtagnantibus, communi erant naufragio inuoluenda illa ſolùm animalia, quæ terræ, primorum parentum ſcelere contaminatae, & Dei maledicto proſcriptae labem contraxiſſent, ac fœditatem. Ideo demerguntur terreſtria, aquatilia ſpatioſiùs vagando recreantur; vt intelligamus, in minoris mundi erumpentium diluuio lacrymarum, ſolùm demergi, & abſorberi, quicquid terrenum, & luteum eſt; vt viuat, vigeatque, quod terrena ſordè inuenitur immune, omnique contagione immaculatum. Et fortaſſe ab hac ſententia non longè receſſit Rex Dauid: ille, inquam, Dauid, qui cilicio maluit veſtiri, quàm purpura: cilicium ſcilicet, cum beatitatis immortali paludamento mutaturus. Sic enim alloquebatur Deum Deorum, Pſal. 73. num. 13. *Contribulaſti capita Draconum in aquis.* Huius hemiſtichij acumen breuiſſimè explicat, & aptiſſimè Vrbanus IV. in pſal. 50. dicens *Contribulare venenatæ ſuperbiæ caput in diluuio lacrymarum.* Vnum lacrymarum amicum, & amabile diluuium conterit, confringitque caput ſuperbiae venenatae. Nullus draco adeò virulentus eſt, vt cum ſuperbia conferri queat. Hanc demergendo interimit naufragium lacrymarum. Cùm autem à ſuperbia, tanquam à fonte tam perenni, quàm peſtifero, ſcelerum omnium lues emanet: fluentes vbertim lacrymae omnia facinorum genera necant, atque demergunt. Concludo pauciſſimis cum Auguſt. tom. 10. ſer. 11. poſt med. qui eſt ad fratres in eremo, de lacrymis, compunctione, & pœnitentia, praedicante, *Fletum diluuium eſſe, quo interioris hominis caput optimè abluitur.*

Lacrymarũ naufragio Pœnitentiũ animæ non abſorbentur ſed viuificãtur.

Pœnitentiũ lacrymæ, diluuium.

Plures porrò ſunt numero, & conditione non ignobiles autores, qui ſuis firmant calculis poſitionis noſtrae veritatem. In primis autem D. Ephraem Syrus ſerm. de iudicio, & compunctione; cuius mentem vt aſſequi facilè poſſimus, ſtatuere debemus nobiſcum, humani affectiones animi eſſe veluti arbores, in cordis noſtri horto germinantes. Sponſa ſanè à Dilecto ſuo Can. 4. num. 12. dicitur: *Hortus concluſus, ſoror mea ſponſa, hortus concluſus.* Bis repetita horti nuncupatio ſatis apertè indicat, non vltimam eſſe laudem famulatricis animæ Dei, ſi horto comparetur. Attende iam, & ex Ephræm intellige huius horti plantas beneficio lacrymarum viuere, ac vigere. Ad has hortaturus ſic habet loco cit. *Compunctionem dico non vnius tantùm diei, ſed qua die noctuque intus in anima, velut fons exuberat. Semper & abſque intermiſſione plantas tuas lacrymis irriga, frater, vt ſic irrigata creſcant, fructumque ferant de die in diem.* Sicut nimia ſiccitate moriuntur plantæ, ita fœcundo lacrymarum fonte recreatæ cordis humani affectiones, reuireſcunt, ac reuiuiſcunt, non ſolùm florum foliorumque honore conſpicuæ, ſed fructuum vbertate feraces. Itaque dum lacrymæ hyemali rigori, hoc eſt, peccatis adimunt vitam, tribuunt animæ vim viuificam, vitalemque. Sed opportunius erit S. Petrum Damianum hanc eandem ſimilitudinem clariùs explanantem audire Opuſc. 13. c. 12. in haec verba: *Lacrymarum mador animam omni labe purificat, & ad proferenda virtutum germina noſtri cordis arua fœcundat. Sæpe namque miſerabilis anima, velut ſub pruinali glacie comas, & foliorum ornamenta deponit, & recedente gratia, ipſa ſibimet derelicta tota remanet arida, & quaſi decidentium foliorum videtur decore nudata. Sed mox vt lacrymæ ex munere intimi inſpectoris eruperint, protinus hæc eadẽ anima reuireſcit, torporis ignaui frigore ſoluitur: & tanquam arbor verna Auſtri fomite recaleſcens, redinitiuo virtutum ſuarum flore veſtitur.* Ergo ablatam à frigore vitam plantis reddit verna temperies, quae ſicuti non immeritò dici poteſt mors inclemen-

Cordis humani affectiones lacrymarum fonte rigatæ reuireſcunt, & reuiuiſcunt.

mentiſſimi rigoris; ita appellari debet fœcundae parens fertilitatis. Sic planè pœnitens lacryma charitati calorem, & ſanctitati vitam reddit; quia fugat, immo perdit peccatum, ac perimit.

Lacryma, fons, ſcelerũ extinguens faces, & extincta virtutum lumina accendens.

Neque praetermittere volo, quod mihi ſuggerit modus loquendi S. Ephraem, quo auctore non quomodocumque fluere lacrymae debent, ſed fontis inſtar exuberare. Fontis iſthaec appellatio reuocat mihi in mentem, quod ſcribit Plinius lib. 2. cap. 103. circa med. his verbis: *In Dodone Iouis fons, cùm ſit gelidus, & immerſas faces extinguat, ſi extinctae admoueantur, accendit.* Id fortè non verum prodigium, ſed commentum eſt fabuloſum. At B verſſimum eſt, non ficti Iouis, ſed Dei beneficentiſſimi munere, vnũ eundemque lacrymarum fontem, accenſas prauarum cupidinum faces extinguere, & ſimul extincta virtutum lumina accendere, ac viuificare. Et meritò ſanè flammantibus facibus peccata comparabimus, quae vel ab aeſtuanti, humano in corde, turpium affectionum, fornace erumpunt accenſa, vel ab infernali Aetna iaculata comburunt. Ignem porrò flammis voracibus populantem, graſſantemque nil citiùs, aut efficaciùs reſtinguit, quàm aqua: ideò dicamus necari, & quodammodo interfici C à lacrymis peccatum, ſicuti ignis ab aqua micanti calore, & quaſi viuido viduatur. Accipe Clementis Alexandrini in exhortatoria ad Gent. paulò ante finem, ſententiam omnino auream: *Confligamus instructa acie aduerſus malum, ignita mali iacula extinguamus aqueis à verbo tinctis cuſpidibus.* Quotquot vitia conamur repellere; in acie ſumus: itaque confligendum eſt. In acie dimicantibus nil aequè cordi eſt, ac hoſtem perimere ac trucidare. Nos autem manus conſerimus cum hoſte, iaculis dimicante; hoſtem quaeris? malum eſt, ſiue ſcelus peccatorum, iacula contorquens flammantia. Ergo aqueis tinctis cuſpidibus pugnandum eſt. D Arma veneno infici ad hoſtes perimendos, notum eſt. Aquam ſi dixero violentum ignis venenum eſſe, nemo abnuet, qui ſit veritatis amicus. Agite: peccatum, hoſtem teterrimum confodite, confringite, trucidate. Trucidabitis autem cuſpidibus aqueis, quae vulnus maximè lethale infligent Igni, quem reſtinguere, vtique perimere eſt.

Ignis Diaboli tela lacrymae extinguunt.

Plena leporis eſt admonitio S. Theophili Alexandrini contra Origeniſtas epiſt. 1. Paſchali ſcribentis his verbis. *Peccata pœnitentia corrigamus, praeſenti fletu redimamus futura gaudia; aculeoque conA ſcientia, in morem apum noxios peccatorum fucos repellamus, plena tetus, ac melle aluearia reſeruantes.* A mello deſumpta ſimilitudo planè mellea. Conſcientiae, per pœnitentiam ſe ſe liquantis in lacrymas, quot guttas numeras, tot mellis, hoc eſt roris caeleſtis munera vides. Sed quod praecipuè animaduertendum cenſeo, illud eſt, praeſenti fletu ita corrigenda peccata, vt conſcientiae aculeo, in morem apum, noxios peccatorum fucos repellamus.

Pœnitens lacryma, compunctionis aculeo, peccatorum fucos repellit & fugat.

Non ſum ignarus adeò legum, quibus bene diſpoſita apum reſpublica gubernatur, ac floret, vt non teneam, decreto inuiolabili fucos proſcriptos, & tanquam graſB ſatores, praedatoreſque ſumma diligentia veluti reipublicae proditores quaeri ad necem; immo vtpote iam deſignati ad caedem, ſi fortè reperiantur, omnium confoſſi aculeis perimuntur. Vnde Plinius lib. 11. cap. 17. poſt med. *Certum eſt, ab apibus fucos interfici.* Cordis, intimo dolore affecti pœnitens lacryma, ſine compunctionis triſtitiaeque aculeo eſſe non poteſt. Habes ex apibus munus lacrymarũ. Fucis enimuero ſimillima peccata ſunt; quia, ſicuti fuci, fures ſunt mel rapientes, & melleum liquorem auferentes; ita peccata mel diuinae gratiae, quod ex ore caeleſtis ſponſi manat abunde, ab humano C corde, furto rapiunt inexpiabili. Simus ergo memores, certum eſſe, *Ab apibus fucos interfici.* Peccata pœnitentia corrigamus, praeſenti fletu, *in morem apum noxios peccatorum fucos repellamus.*

Apes fucis infeſtae.

Ænigmati ſimile viſum eſt mihi, quod legi ſaepiùs, & ſemper cum admiratione cap. 4. Ionae nu. 6. vbi dicitur Vati, mœrore confecto præparaſſe Dominus hederam, vt quiete ac ſomno vim triſtitiæ minueret. Prædixerat Ionas exeidium Niniue, quæ voce Ionae ad bonam frugem reuocata, pœnitens Dei flexit commiſerationem, vt notum eſt. Propterea cùm mœrorem inter & iracundiam Ionae aniD mus fluctuaret; ſic enim num. 1. cit. cap. *Afflictus eſt Ionas afflictione magna, & iratus eſt: & orauit ad Dominum & dixit: Obſecro Domine, numquid non hoc eſt verbum meum, cùm adhuc eſſem in terra mea?* Cùm, inquam, reluctantes inter cordis commoti aeſtus Ionas iactaretur, nec ſibi ſe ipſum reddere poſſet furore, mœroreque diſtractum, abalienatumque; placuit ſummae bonitati Dei, afflicto ſolatium afferre, atque leuamen, quo, & mens Vatis tot, tantiſque depreſſa anguſtijs ſubleuaretur, & fieret manifeſtum, aequum fuiſſe, vt Deus ignoſceret Niniuitis; licet tam disertè excidium indixiſſet, atque

inter-

A interneciones? Quid ergo expectatis? Mirum eſt, quod ſum prolaturus. Tanti momenti negocio opportunum remediũ allaturus (videbatur enim de prononciati oraculi diuini veritate poſſe dubitari) Tanti, inquam, momenti negocio remedium allaturus Deus, dicitur hederam dormituro Ionæ præparaſſe. Expectabam è cælo nuncium, vel certè reſonantem è nubibus vocem, quæ aperto hominibus arcano diuini conſilij, faceret manifeſtas inueſtigabiles ſummæ ſapientiæ vias, & Dei iudicia inſcrutabilia; quæ, cùm in incertum tanquam errantia, & à ſcopo deflectẽtia videntur, tunc maiori digna ſunt veneratione. B Verùm Dei ſapientia in hac re nil nouum molitur, aut admirabile. Immo eò admirabilius deprehendemus, quò longiùs videtur ab admiratione abeſſe. Num. 6. cit. cap. *Et præparauit Dominus Deus hederam, & aſcendit ſuper caput Ionæ*. Cum animo Ionæ, angoribus excruciato quam connexionem habet hedera, vt dicatur Deus ipſe præparaſſe hederam? Quæ nam eſt, inter arbores reliquas, tanta hederæ prærogatiua? Eximia planè, & ſingularis, pro eo, de quo agitur. Hedera, pœnitẽtiæ ſymbolum accommodatius, quàm dici, aut cogitari poſſit, Deum à calumnia vindicando, potuit rudem Prophetæ animum erudire. C Habet hedera lacrymas, quæ, vt tradit Dioſcorides lib. 2. c. 168. vi quadam à natura indita, pediculos necant. Diſce ab hedera, quid Niniue contigerit, quid peccatoribus fiat, ad mentis ſanitatem redeuntibus. Peccatis Chriſtiana roditur mens; animæ vita, ſaluſque vitijs, fœdis veluti lumbricis lacerantur. Meliùs, ſine dubio, cordis dolore commoti lacrymæ vitia necabunt & ſcelera perimẽt, quàm ſtillãtibus hederæ lacrymis lumbrici, atque pediculi emoriantur. Viuere ergo Niniuitæ debuerunt, quia mortuum in Niniuitis erat peccatum, & quæ, viuente nequitia, exarſerat iuſtitia Dei, D eadem ſublata è medio, defunctaque nequitia, modum ſibi non potuit non imponere ſine iniuſtitiæ nota, hoc eſt ſine deſtructione ſui.

Pœnitentium lacrymæ peccantis vitam adimunt peccatoribus tribuũt.

A morte peccati, ad peccantis vitam faciamus gradum; lacrymæ enim, vt initio dicebam, quam peccato adimunt vitam, tribuunt peccatori. Deuteron. c. 32. n. 39. Dei vox eſt: *Ego occidam, & ego viuere faciam*. Portentum nouum, ſed amabile! occidendo viuere facit, qui vita eſt. Omnia, verba ſunt Dei ipſius, quem ſic loquentem inducit Seuerus Antiochenus in Catena Græca; *In veſtram ſalutem tracto, & propterea pœnas in hac vita à peccatoribus exigo, vt per pœnitentiam ipſis vitam largiar. Eos, qui ob impietatem mortui ſunt, vt ne amplius malum committant* &c. Licet autem priuilegium, reuocandi ad vitam mortuam per peccatum animam, pœnitẽtiæ in vniuerſum à Seuero tribuatur: intelligendum tamen eſt id proprium eſſe, & peculiare donum lacrymarum; quemadmodum luculenter teſtatur S. Baſilius Seleuc. dum inueſtigat, cur nominatim S. Lucas, narrans viduæ Naim filium à mortuis reuocatum, expreſſam faciat mentionem, ab eodem Seruatore excitante à morte redditum fuiſſe matri. Sic enim c. 7. n. 15. *Dedit illum matri ſuæ*. Scimus Lazarum fuiſſe ſuſcitatum; non tamen dicitur Lazarum ſororibus dediſſe. Scimus puellam ſynagogæ principis filiam ereptam à faucibus mortis, redditam fuiſſe vitæ; non tamen patri reddita dicitur. Quid peculiare elucet in vidua Naim, vt eius filius non ſolùm ſuſcitari debeat à morte, ſed inſuper matri reddi ab ipſo vitæ autore? Sic reſpondebit citatus Baſilius orat. 10. *Viduæ lacrymæ vnigenitum Dei filium hodie traxerunt ad reſtituendam vnigenito vitam*. Exigunt lacrymæ iure ſuo, vt morte interempta, qui mortuus fuerat reuocetur ad vitam. Id autem animae per peccatum mortuae frequenter contingit, & longè feliciùs, quàm viduae Naim filio contigiſſe legamus. *Viduæ lacrymæ vnigenitum Dei filium hodie traxerunt ad reſtituendam vnigenito vitam*. Non caret emphaſi verbum. *traxerunt*: videtur enim ſignificare lacrymarum vim, atque potentiam, cui ne ipſe quidem Dei filius valeat reluctari.

Non inanibus, mortuiſue lacrymis Chriſtus nos flere docuit, ſed vitalibus, ac viuificantibus

Hic mihi venit in mentem ſententia Auguſtini, tract. 49. de Chriſti lacrymis breuiter quidem, ſed appoſitè in hunc modum decernentis: *Quare autẽ fleuit Chriſtus, niſi quia homines flere docuit?* Ergone digna Auguſtino videtur aſſertio? Homines profectò docere non debuit Chriſtus, quaſi ignaros flendi, artem plorandi: plus nimio miſero homini nota eſt diſciplina plangendi, quam, natura magiſtra, diſcit inuitus. Plinius lib. 7. in proœm. nouercam, ait, non parentem eſſe naturam, quae, *Hominem* (verba Plinij) *abijcit ad vagitus ſtatim, & ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lacrymas, & has protinus vitæ principio*. Et Tertullianus addit inſuper interpretationem humanarum lacrymarũ in ipſo vitæ limine: Nam, inquit, lib. de anim. cap. 9. *De proſpectu lacrymabilis vitæ, quidam augurem incommodorum vocem illam flebilem interpretantur*. Cùm itaque, vel à natura nouerca compellatur, vel calamitate magiſtra doceatur homo lacrymas fundere; quomodo conſonum eſt verita-

ti effatum Auguſtini pronunciantis: *Quare fleuit Chriſtus, niſi quia homines flere docuit?* Immo ipſe Auguſtinus lib. 21. de ciuit. cap. 14. eleganter ait: *Infantia, quòd non à riſu, ſed à fletu orditur hanc lucem, quid malorum ingreſſa ſit, neſciens, prophetat quodammodo*. Quæ cùm ita ſe habeant, num rei notiſſimæ dicemus ignarum, &, quod caput eſt, ſibi contrarium dicemus Auguſtinum? Nequaquam: non enim ſecum pugnat, ſed nos inſtituit apex ingeniorum Auguſtinus. Pone tibi ob oculos, vel ad Lazari monumentum, vel in proſpectu Hieroſolymæ, vberrimis plorantem lacrymis Seruatorem; tum excipe Auguſtinum: *Quare autẽ fleuit Chriſtus, niſi quia homines flere docuit?* Docuit vtique homines flere non inanibus, ac inutilibus lacrymis, atque, vt ita dicam, mortuis; ſed ijs lacrymis, quas ex vitæ fonte manare par erat; vitalibus nempe, ac viuificantibus. Nimirum vt à Lazaro quatriduano, vitam reddi poſſe homini ſceleſto, putridas inter fœditates diù conſepulto, percipiamus, docet homines flere; quia pœnitentiæ lacrymæ ademptam à peccatis vitam reddunt, non ſine diuinæ amplificatione beneficentiæ. Nimirum, vt à diruta Hieroſolyma, ab anima noſtra vel auertere diſcamus excidium, vel illatum inſtaurare; *Homines flere docuit*.

Infantium lacrymæ indices humanæ miſeriæ.

Et id quidẽ patebit clariùs triplici Bernardi, Auguſtini, & Athanaſij auctoritate. Bernardus ſerm. in Cant. Ezechiæ, profert verba illa ſancti Regis Iſa. cap. 38. nu. 15. *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ*. Tum latiſſimum aperit campum ad leuamen eorum, quibus animæ vitam peccatum abſtulit, docens per lacrymas poſſe denuò renocari ad vitam. Sic autem loquitur: *Oportebat, ſi fieri poſſet, reuiuere me, vt ita loquar, denuò, quod malè vixi; ſed quia hoc non poſſum, ſaltem recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: faciam recogitando, quod recuperando non poſſum*. Mœrens cordi contriti recogitatio, lacrymæ ſcilicet, de quibus loquimur, tribuunt reuiuere, ſeu denuò viuere, quemadmodũ ex Bernardo intelligis. Iam arrige aures docenti Auguſtino; ſic enim loquitur ſer. 11. ſupra cit. ante med. *Fletus ſunt fluctus, per quos filij Iſraël tranſierunt ad terram promiſſionis: Verè peccatores ex Aegypto vitiorum exeunt, mare rubrum tranſeuntes, dum ſubmerguntur hoſtes, & vitia ſuffocantur*. Miraris, cùm audis, demerſo Pharaone, vixiſſe, & euaſiſſe incolumes Iſraëlitas? At multò magis gaudere debes, certò ſciens, portentum ſtupendo adumbratum fuiſſe, quod

Lacrymis pœnitentis anima reuiuiſcit, & per illas demerſo ſcelere ad terram promiſſionis tranſit.

A pœnitentibus à Dei bonitate ſumma parabatur. Sicut enim Ægyptiorum mors, vita fuit Iſraëlitarum; ita planè mors peccatorum, vita fit peccantium. Tandem Athanaſius, allata in medium ſimilitudine Dauid pſal. 2. num. 9. dicentis: *Tanquam vas figuli confringes eos*, hæc habet in Cat. Græca, *Conterit figulus vas, quod è manibus cadit, non delens, ſed reformans; non aliud lutum, quàm vetus, aquam tantùm addens: quod & Chriſtus fecit*. Quod reuocaturus in vitam Lazarum ſemel præſtitit Seruator ſanctiſſimus, ſæpius perficit momentis ſingulis vitam gratiæ tri-

B buens pœnitentibus. Attende quid figulo contingat, & percipies quod proſequor. Dum vas luteum habet præ manibus, fingit mille modis, diffingitque; ſed dum frangit vt reformet, ſolius aquæ beneficio in meliorem redigit formam, quod confregerat. Igitur lutea corda noſtra lacrymis reformantur. Sicut enim vas luteum, quandiu integrum conſeruatur, viuentem repræſentat hominem; ita ſi frangatur, mortuum hominem adumbrabit; vt hinc ſatis pateat, fluentibus lacrymis vitam reparari, quam ſcelera ademerunt. Rem totam concludat Auguſtinus, cùm nemo poſſit ingenioſiùs, accomodatiùs nemo.

C Sermone cit. paulò ante finem leges hæc verba: *O lacryma, tu contra ruinas hominum ſuaue ſolatium, quæ paſſionis Chriſti es vicaria, contra peccatum ponens remedium*. Plenus acumine modus loquendi. Quod ad peccatum attinet, vicaria paſſionis Chriſti, lacryma nuncupatur. Vnde differendi in hunc modum, occaſionem ſumo. Ex vna parte Præſulis, & Vicarij idem tribunal eſſe affirmant Doctores, iuxta illud, quod decernitur cap. Romana de appellationibus in ſexto, c. 2. de conſuetudine, in eodem lib. Ex alia verò, in paſſione ſua tribunal in cruce erexiſſe Chriſtum Dominum, teſtatur S.

Lacryma Vicaria Paſſionis Chriſti peccato mortem, animæ vitam tribuit.

D Leo ſerm. 8. de Paſſione exclamans: *O admirabilis potentia crucis; in qua tribunal Domini, & iudicium mundi, & poteſtas eſt Crucifixi!* Porrò in tribunali crucis, quã potiſſimùm in re poteſtatem iudiciariam, immo dominantem demonſtrauerit Chriſtus, notiſſimum eſt; nempe mortem inferendo morti, & necata morte, mundo reddendo vitam. Sic canit Eccleſia: *Mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit*. Bene eſt: Nemo eſt, qui hæc neget; nemo qui neſciat. Illud animaduertendum, quod inſinuat Auguſtinus; videlicet, lacrymas vicarias eſſe paſſionis Chriſti, quantum ad peccatum attinet. Ex quo infero

lacry-

lacrymam animae vitam tribuere, dum morti infert mortem: eo planè modo, quo ex tribunali crucis ſupremus Dominus minabatur Oſeé cap. 13. numer. 14. *Ero mors tua. O mors:* cùm ergo idem ſit tribunal Vicarij, & Praelati; lacryma, quæ paſſionis Chriſti Vicaria eſt, contra peccatum eadem auctoritate inſurget, dicendo: *O mors ero mors tua*. Mortem enim animae, peccatum eſſe alibi oſtendo pluribus; & cum per lacrymas peccatum perimatur; mors vtique perditur, & vita inſtauratur.

Pœnitens lacryma ſcelerũ extinguit flammas, & diuinæ charitatis incendium nutrit, ac fouet.

Inter naturae miracula relego veſtigiũ aliquod eius, quod dico, ſi vera refert Ariſtoteles de admirandis auditionibus cap. 110. vbi aſſerit Põto Thraciae fluuio lapides deferri ardentes, qui ſi reſpergantur aqua, refulgent magis, pulchriorique flamma flagrant; verùm ſi inter carbones ijdẽ lapides proijciantur, extinguuntur citiſſimè follibus excitati. Audi portentum; ardentes lapides, viuas vt feruent natiui caloris flammas, aqua ſunt reſpergendi; & è contrà ſi foueãtur igni, extinguuntur. Mirum opus naturæ: Sed lóngè mirabilius gratiae prodigium, vt flamma diuini luminis, quod ſuper ſaxea corda noſtra ſignatũ eſt *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*. Pſ. 4 n. 6. Prodigium, inquam, maximum, vt hæc flamma aqua lacrymarum reſperſa conſeruetur, immo augeatur; at ſi inter carbones conijciatur prauarum affectionum, extincta illico emoriatur. Ita eſt: lacryma pœnitens peccata extinguit, carbonibus adumbrata, *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum*, Thren. 4. num. 8. de peccante anima dictum eſt: Et lacryma eadem incendium diuinæ charitatis in cordibus noſtris nutrit, ac fouet.

Solifuga venenoſum animal.

Solinus Cap. 10. Polyhiſtoris autor eſt, Sardiniam in ſuis fodinis gignere animal quoddam, cui Solifuga nomen, eò quòd diem fugiat: reptat occultim; in metallis argentarijs plurima eſt: perexigua illa quidem, ſimiliſque araneis forma; ſed veneno adeo nocenti, vt ſuperſedentibus per imprudentiam peſtem faciat. Tanto malo opportunum parauit remedium, medici munere functa, parens natura; ſcribit enim idem Solinus fontes calidos, & ſalubres aliquot locis efferueſcere, qui abolent virus à Solifugis inſertum. Liceat dicere calidos lacrymarum riuos vi charitatis eductos ex oculis fontes eſſe; qui inſertum peccati virus ita demergunt, vt felici naufragio dum culpa aboletur, viuat vitam gratiae, & ſanctitatis: qui, cùm tenebras amet (etenim, *qui malè agit odit lucem*, Io. 3. num. 20.) iure ſolifuga nuncupabitur. Aut certè Dodonæo fonti in Epiro Græciæ regione mananti dicamus lacrymas pœnitentis non eſſe abſimiles. Quandoquidem non ſecus ac fons iſte accenſas extinguit faces, & accendit reſtinctas; ita planè lacryma accenſam concupiſcentiae facem extinguit quidem, ſed ſimul etiam extinctae charitati vitam cum luce reſtituit. *In Epiro*, ſcribit Auguſtinus lib. 21. de ciuit. Cap 5. *perhibent eſſe fontem; in quo faces, vt in cæteris extinguuntur accenſa, ſed non vt in cæteris accenduntur extincta*. Vt meritò lacryma eadem, quæ peccati mors eſt, vita ſimul ſit peccatoris.

Mira fontiũ calidorum vis.

Fons Dodonæus accendit faces extinctas.

IN CAPVT OCTAVVM

Num. XXIV. ad XXVII.

Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipſe verò dormiebat. Et acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & ſuſcitauerunt eum, dicentes: Domine ſalua nos, perimus. Et dicit eis Ieſus: Quid timidi eſtis, modicæ fidei? Tunc ſurgens imperauit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna.

PARADOXVM XIII.

Quò grauiores ſunt afflictiones, eò teneriores ſunt Dei conſolantis blanditiæ.

DOMINANTIVM Dominus quieſcit placidè, non inter amplexus amicæ tranquillitatis, ſed in ſinu ſæuiſſimæ tempeſtatis. Gratus eſt laboranti ſomnus, ſed gratior Deum amanti, inter calamitatum angores, complexus dilecti ſui. Age: Chriſto dormiente, glomeratos inter vndarum reciprocantium vortices, agnoſcamus, quò grauiores ſunt afflictiones, eò teneriores eſſe Dei conſolantis blanditias.

Adeſt in primis Nolanus Antiſtes Sanctus Paulinus præſentis aſſertionem paradoxi tam eleganter, quàm religiosè confirmaturus Epiſt. 2. ad Vitricum data, in qua ſic ſcribit. C *Agitato in furias Tribuno, diſtrictus es in verbera, & vaſtis fuſtibus fractus; nec tamen victus es, quia crucis ligno innitebaris; geminataque non corpori pœna, acuto teſtarum fragmine laniatâ inhumanibus plagis membra, ſubſtratus es, tunc molliùs fulciente Chriſto; cuius tibi gremium lectulus erat, & dextra puluinar.* Vides, tunc molliùs fulciente Chriſto; tanquam in lectulo quieſcere ſeruos Dei, cùm atrociora ſubeunt, & patiuntur tormenta. Nunquam Chriſti blandientis expertum te ais amplexus, nunquam oſculis, & delicijs exceptum: Credo equidem, quia nun- D quam aut afflictum carcere, aut contuſum verberibus, aut catenis reuinctum, in gratiam virtutis, diuini te oculi perſpexerunt. Tres pueros Babylonico damnatos incendio cum S. Zenone recolamus. Scimus Danielem cum ſocijs iuſſu Tyranni fuiſſe captiuos; ſcimus minis perterritos, vinculis ligatos; non tamen Dei ſui cõſpectu recreatos, niſi inter flammarum turbines; ſæuitiis nimirum, & fornacis, & furoris gemino incendio debacchante. Tunc etenim Dei conſolantis nos fouent blanditiæ, cùm atrocioribus conterimur afflictationibus. Do Zenonem lib. 2. ſer. 35. *Piee, & ſtupa armatum exci-*

Patienti prô Chriſto Chriſti gremium lectulus, & dextra puluinar.

C 18

excitatur incendium æſtuantibus globis, rubeſcit quoque ipſum alienis ignibus cælum. Illic præcipitantur inſontes; ibidem eum, propter quem patiuntur, inueniunt. Dei frui conſpectu, Dei gaudere conſuetudine, amica, Deo praeſente, recreatione ſubleuari, paradiſi gaudium eſt; quo, in ſummo tantum afflictae, aduerſæque fortunae diſcrimine, Dei ſerui perfruuntur. Neque praetereundum eſt, quod expreſſe tradit ſacer textus; videlicet non ſolùm fuiſſe Deum cum tribus pueris, ſed viſum etiam oculis ipſius Tyranni, ſpecie praeditum diuina. Vndè Dan. 3. num. 92. *Species quarti ſimilis filio Dei*. In quem locum Chryſoſtomus: *Quid tale potuit imago inanis monſtrare? Ecce Dominus in auro non lucet, ſed in flammis oſtenditur.* Ita planè: in flammis aerumnarum, non in felicitatis auro ſuae dulcedinem diuinitatis communicat Deus, & quos incendio damnauerat inſolentia tyrannica, rore perfundit ea bonitas, quae ſentiri geſtit inter duriora gratior, atque ſuauior.

Deus cõſolator non quaiumcumque, ſed grauiſſimarum ærumnarum.

Autor Imperfecti pulchram proponit dubitationem, & ſoluit accommodatè pro praeſenti inſtituto. Quaerit, cur Angelo iubente, Ioſeph cum Maria, & paruulo Ieſu in Ægyptum potiſſimum ſe ſe recipiat. Matt. 2. num. 13. *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum*. Inter omnes mundi regiones vna eligitur Ægyptus; & quidem ſummi Patris decreto, Angelo monente: cur, obſecro? *Quare*, verba ſunt Imperfect. in hunc locum, *venit in Ægyptum? Numquid alia terra defecit? Semper enim aduerſus populum eius Ægyptus extitit inimica. Sed etiam recordatus Dominus, qui non in finem iraſcitur, neque in æternum indignatur, quanta mala fecerit ſuper Ægyptum; ideo mittit filium ſuum in eam; & dat illi magnæ recordationis ſignum, & perpetuæ amicitiæ pignus, vt decem plagas Ægypti vna medicina ſanaret. O commutatio dexteræ excelſi!* Ergo par erat, vt infantuli Chriſti blanditijs recrearetur Ægyptus, quae tot, tantiſque plagarum generibus afflicta fuerat, atque diuexata. At quis non videat aequius, & multò magis rationi conſonum eſſe, vt animae Deo dilectae ſuauiùs recreentur, quò grauiùs premuntur; ſi terra, impijs regibus, iniquis habitatoribus ſemper caelo inimica, caelo eodem annuente, immo imperante, præſidio tam dulci à calamitatibus ſubleuatur?

Deus quò grauiùs percutit, eò blãditur ſuauiùs.

Facilis erit ſine dubio gradus à Chriſti cunis, ad eiuſdem pueritiam; pueritiam, inquam, quauis ſenectute ſapientiorem, quæ propterea ad arcana Chriſtianae

A Theologiae aperienda aptiſſima eſt. Lucae cap. 2. numer. 48. lamentanti matri; *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*, quo pacto, reſponſo ſapientiſſimo fecerit ſatis, is bene percipiet, qui eundem Ieſum apud Timotheum Hieroſolymitanum oratione de S. Simeone, audiet loquentem cum matre his verbis: *Vt quid me quærebatis? ſed & vbi me quærebatis? In cælum non aſcendiſtis, ad infernum non deſcendiſtis, in ceto Ionæ non habitaſtis*. O plenum cæleſti doctrina reſponſum! O dignum Dei Verbo oraculum! Vel in cælo, vel in inferno, vel in ceto Ionæ quærendus eſt puerulus, hoc
B eſt blandiſſimus, Ieſus; qui tam certò inter extremas inuenitur ærumnas, quàm in cælo. Felix, qui cum Dauide, animo inter aduerſa laborante, in infernum deſcendit: Felix, qui cum Iona fluctus inter, tempeſtateſque calamitatum, in ventre ceti latitat; præſentem enim, & ſocium, immo Deum habet coſolatorem, remuneratoremque: quandoquidem profitetur ſe in ceto, & in inferno eſſe quaerendum ſicuti in caelo; quia, quemadmodum in caelo exultant, & delectantur Dei conſpectu ciues beatae patriae; ſic etiam recreantur iucundiſſimè in maximis calamitatum anguſtijs, qui pro Deo patiuntur. Te ego
C teſtem appello inuictiſſime, atque ſanctiſſime Martyrum anteſignane, Stephane beatiſſime. Te, inquam, quem dum iudaicus furor lapidibus obrutũ arbitratur, regnantis Dei recreat aſpectus. Felix, cui beatae ſerenitas patriae, in ipſa lapidum tempeſtate illuceſcit. Continere ſe non poteſt Chriſti bellator, quin exclamet Act. 7. num. 55. *Ecce Video cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei*. Dei bonitas, & Iudaeorum crudelitas ita concurrunt, vt certare quodammodo videantur. Paulò antè Stephani facies angelica pulchritudine ſpectabilis videbatur; quia contumelijs ſolummodo afficiebatur ab aduerſarijs nominis Chri-
D ſti. Nunc autem, quando à verbis ad verbera ventum eſt, & à clamore vocum, ad ſaxorum fragorem factus eſt gradus; par eſt, vt blandimentis charioribus ſumma Domini clementia excipiat eum, qui tanto verſatur in diſcrimine; dignus profectò, qui Deum videat, praeter ſolitum, qui pro Deo, praeter ordinem patitur. *Vide*, ſic loquitur Euſebius Emeſenus, *quantum agat, in pectoribus ſeruorum ſuorum diuina charitatis ardor? Quod ſperabatur deſiderijs, oculis demonſtratur: Necdum explet famulus miniſterium ſuũ, & iam Dominus aperit regnum ſuum.*

Deus noſter Deus eſt extremarum calamitatũ.

Deus, inter ſumma incommoda, tanquam in ſede beatitatis.

Dei conſolatio creſcit grauioribus malis ingruentibus.

Feſtinatum regnum recreat, quem dirio-ra pro Deo affligunt tormenta. Illuceſcet antelucana beatitatis lux, ſi pro Deo contigerit cruciari.

Contemplemur attenti, quod orationis ſuæ coloribus depingit egregiè ſanctiſſima Sponſa, ponens nobis ob oculos Salomonis ſui dignitatem, maieſtatemque. Can. 3. num. 9. *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis libani: columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum: media charitate conſtrauit propter filias Ieruſalem.* Obſerua diuini ſapientiam Salomonis planè ſtupendam. Conſtrauit charitate propter filias Ieruſalem: videlicet, ne noſtra imbecillitas viæ retardaretur aſperitate, ipſa charitas, qua nihil ſuauius, aut amabilius, aditum aperit, & præbet iter ad ferculum adeò nobile, columnis exornatum argenteis, & pretioſis Libani lignis fabrefactum. In hac conſideratione conſiſtit S. Thomas Archiep. Valen. ſer. 1. in Quadrag. his verbis: *O Domine, quàm pulchrum eſt ferculum! ſed aſcenſus arduus; quis aſcendet per illum? ſed nolite diffidere, nam media charitate conſtrauit propter filias Ieruſalem tenellas & delicatas. Sanguinem in charitatem, crucem in amorem commutauit.* Subſiſte parumper, & intellige, tunc tanquàm tenellam filiam, animam ſerui Dei modis tractari blandiſſimis, dum aſcenſum ſubit arduum, & nihil difficile, aut durum refugit. Sed pergamus cum S. Thoma: *Non exigitur hodie à te, Chriſtiane, mors; non ſanguis, non ſupplicia; ama, & regna: Quid facilius, quàm amare? O quàm conſtrata eſt via, & quàm plana! vt diligendo peruenias, quò peruenit Laurentius patiendo.* Quid potuit clariùs dici? Benigniſſima Dei bonitate fiet, vt amoris dulcedine recreeris ſuauiùs ibi, vbi aſperiorem calcaueris viam. Quid indignius dici poſſet, quàm nolle inter blanditias, & ſuauitates eò peruenire, quò Laurentium tormenta tam dira euexerunt.

Facilis via ad perfectionis culmen, quia ſternitur charitate.

Ardua fiunt à charitate facilia.

In ore omnium eſt vaticinãtis Iſaiæ promiſſum, an potiùs oraculum c. 7. num. 15. vbi de naſcituro inter homines filio Dei verba faciens, ait. *Butyrum & mel comedet.* Miror ſanè, tum quia non legimus apud Euangeliſtas, Chriſtum puerum butyro, & melle paſtum; tum etiam quia cibi adeò ſuaues, & delicati non modò non videbantur conuenire paupertati, in qua natus eſt Chriſtus, ſed multùm diſcrepare ab ea vitæ aſperitate, quam verbo & exemplo erat docturus. Sed fallor: butyro & melle paſcendus meritò prædicetur is, cuius beneficio, aſperrima quæque, & perpeſſu difficilia futura erant butyro ſuauiora, dulciora melle. Auctorem habeo S. Cyrillum Alexandrinum in Cat. Græca D. Lucae cap. 2. num. 32. ſic loquentem. *In omnium Saluatore Chriſto magnum erat, eximiumque miraculum. Nam cùm adhuc infans eſſet, comedit butyrum, & mel. Butyrum autem, lac Virginis vocat Propheta, quòd non ex muliebri molitie, voluptateque, ac diſſolutione natum ſit; ſed leue eſſet, ac firmum; nullam peccati amaritudinem habens, ſed mellis dulcedinem. Siquidem omnia quæ à Deo ſunt, dulciora ſunt ſuper mel, & fauum.* Pende hæc extrema verba. Cur lac Virginis melle, ac butyro ſuauius accidit puello Ieſu? quia omni peccati amaritudine caret, & quia, quæ à Deo ſunt, ſuauitate pluſquam mellea dulceſcunt. Virgo pauperrima, in ſumma ſtabuli inopia, inter barbaras Ægypti gentes, quaſi in exilium acta, deſtituta, profuga, regum petita inſidijs, lac præbet melle dulcius. *Siquidem omnia, quæ à Deo ſunt, dulciora ſunt ſuper mel, & fauum.* Creſcant labores, augeantur ærumnæ, multiplicentur calamitates; dummodo peccatum abſit, & amaritiem culpæ non miſceat, dulcedinem ſenties, & ſuauitatem. Blandiùs enim fouere Deus ſolet, ac recreare, quos grauiùs afflictos videt.

Quomodo Chriſtus butyrū, & mel dicatur comedere, cùm aſperrimè vixerit.

Lac Virginis melle & lacte ſuauius infanti Ieſu.

Exodi cap. 3. num. 2. deſcribitur ſpectaculum illud Moyſi exhibitum omni ſeculorum memoria celebratum; cùm medias inter ardentis rubi flammas videri voluit ſummus rerum opifex. Verba textus cit. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Non vna eſt huius loci expoſitio. S. Ambroſius ſer. 5. in pſal. 118. obſeruat duo; lucem videlicet, & ignem, ſic inquiens: *Lux vt luceat, ignis vt conſumat.* Hæc monſtrantur Moyſi ad eruditionem; futurum enim erat vt populus Iſraël per deſertum luce indigeret; quam daturus erat Pater luminum. Sic Exod. 13. num. 11. *Præibat Dominus per noctem in columna ignis.* Quaſi diceret, ſi Clementem Alexandrinum audiamus in exhortatoria ad gentes: *Si obedieris, lucem; ſi non obedieris, ignem.* Luce homini nocturnis tenebris obuoluto, nil gratius, nil iucundius eſt: igne conſumente tormentum nullum dirius, aut atrocius. Adeſto iam ò Moyſes, & intellige diuini ſenſum oraculi. *Apparuit ei Dominus in flamma. Lux vt luceat.* Iuſtis quippe adeſt diuinæ lux conſolationis, fugatiſque tenebris horrorem diſcutiens, recreat iucundiſſimè. Hæc Sanctorum ſors eſt, vt, vbi impij igne conſumuntur in ſuo-

Deus blandus ſimul & ſæuus.

Iuſtorum recreatio reorum ſupplicium.

ſuorum vindictam ſcelerum, iuſti recreentur luce iucunditatis. Aliam rationem reddit Auguſtinus quæſt. 7. ex veteri teſtam. cur apparuerit Dominus Moyſi *in flamma ignis de medio rubi*, his verbis: *Ideo Dominus in igne apparuit, cuius natura ſemper ad ſuperiora tendit, vbi Chriſtus eſt*. En quid ſibi voluerit Deus. Iuſtus inter ſpinarum aculeos laceratus, ſi Chriſtum habeat ſocium charitate, & innocentia animi, non modò detrimentum non patietur à ſpinis, ſed eo modo, quo ignis aſcendit, non ſolùm ſine difficultate, ſed iuxta naturalem ſuam inclinationem, recreabitur tendens ad ſuperiora ipſis ſpinis, tanquam pabulo enutritus. Sicuti flammæ æſtuanti ſpinarum dumeta non nocent, ſed ſeruiunt; ſic aduerſitatum aculeis non laceratur, ſed recreatur animus, in quo Chriſtus Dominus ſedem poſuerit charitatis. Sed longè accommodatiùs pro præſenti inſtituto loquetur S. Chryſoſtomus orat. in Annuntiat. Mariæ apud Metaphraſtem in hunc modum: *Ignis ille, qui diuini ignis præſentiam ſignificabat, rubum potiùs irrigauit, quàm combuſſit.* Ignem credis vorantem, abſumentemque: rorem inuenies. Nil aſperum aut atrox, nil moleſtum aut durum, reipſa inuenitur, inter labores pro Chriſto ſuſceptos, & vbi lacerantes videntur ſpinæ, vbi flammantes apparent incendij globi, ibi roris ætherei indeficiens vena decurrit.

Iuſti aduerſitatibus recreati[illegible]

Quis credat (& tamen veriſſimum eſt) ingenium mulieris, licet cæteroqui non adeò perſpicax, & ad altioria quædam intelligenda minùs aptum, aſſecutum tamen fuiſſe, quod in præſenti contendimus demonſtrare? Libro 1. Reg. cap. 1. num. 14. Samuelis mater, duriſſimè ab Heli excepta, non modò obiurgantem non mordet, ſed moderatiſſimè reſpondet, catalogum texendo ſuarum calamitatum. Sic enim leges citato loco: *Vſquequo ebria eris? Digere paulisper vinum, quo mades*. Sunt verba increpantis Heli, cui præſtátis animi fœmina, mente impauida tale reſponſum dat. *Nequaquam Domine mi; nam mulier infelix nimis ego ſum, vinumque, & omne, quod inebriare poteſt, non bibi.* Obſerua mulierem hanc ſuam opponere infelicitatem, tanquam clypeum ad retundenda iacula contumeliarum. Putabam, muliebri furore exarſuram in Helim, aut ſaltem accuſaturam audaciam obiurgantis. Sed ſola infelicitatis ſuae commemoratione contenta eſt. *Nam mulier infelix nimis ego ſum*. Quid tum? Audi ex ſacro textu. Tunc Heli ait ei: *Vade in pace; & Deus Iſraël det tibi petitionem tuam.* Mira loquendi diuerſitas! ea, quae paulò antè obiurgationibus, atque iniurijs afficiebatur, modò dimittitur amicae pacis auſpicijs, & donorum caeleſtium promiſſione largiſſima. Bene eſt: nouerat, Deo magiſtro, erudita mulier, eò promptiorem eſſe diuinae opis conſolationem, quò grauiori premimur infelicitate. *Mulier infelix nimis ego ſum*; Propterea digna, quae audiat: *Vade in pace, & Deus Iſraël det tibi petitionem tuam.* In hunc locum Chryſoſtomus, *Pro contumelia*, inquit, *copioſo accepto pacis viatico, diſceſſit; eumque nacta eſt propugnatorem, & interceſſorem, quem habuerat obiurgatorem*. Conſidera mulierem omni aduerſitatum genere infelicem, obiurgationibus reprehenſam; adde irriſiones, iniurias, contumelias; & tunc caeleſtia pacis munera confluent, tunc bonorum omnium fiet acceſſio. Didicerat id fortaſſe tam mira ſpectanda prudentia mulier ex Abrahamo, de quo narratur Gen. 21. n. 14. quo pacto Iſmaëlem, & matrem è domo dimiſerit. *Surrexit*, verba textus, *itaque Abraham manè, & tollens panem, & vtrē aquæ, impoſuit ſcapulæ eius, tradiditque puerum, & dimiſit eam*. Quis non miretur Abrahami duritiem? Ergo tam carae coniugis dos: ergo tam amati filij patrimonium erit ſolus panis cum vtre aquae? An non hic ille Abraham eſt liberalitatis commendatione notiſſimus? Hic profectò Abraham eſt, qui non modò excipere conſueuit hoſpitio peregrinos, ſed eoſdem menſa diuite, & ciborum varietate referta recreare. At nunc & coniugi, & filio dat ſolummodo panem, & vtrem aquæ. Quod Agar & Iſmaël moleſtiùs fortaſſe tulerunt, quàm è domo fuiſſe eiectos. Ita eſt: duriſſimum fuit. Sed caue, ne Abrahami damnes perfidiam, cum fidem debeas reuereri: Etenim vbi primùm didicit præcepto Dei, & filium & coniugem amandandos; certiſſimè ſibi perſuaſit eò citiùs futurum, vt Deus opem ferret afflictis, quò eos grauiori preſſos neceſſitate conſpiceret. Nouerat Abraham, Deo in more poſitum eſſe, recreare ſuauiùs, quos aſperiùs tractat neceſſitas. Hanc ego ſententiā accepi ex Lippomano in Cat. ſic ſcribente: *Quantò Abraham ancillæ in exilium deſtinandæ pauciora dedit, tantò fidei ardorem maiorem expreſſit. Nec tentauit Dominum, ſed fidem maximam in eo habuit, quod euentum eſſet moderaturus*. O plenam Deo Abrahami mentem! cui exploratum eſt, & abſque controuerſia certum, quò grauiores ſunt Deo, vel

Calamitas infelix, mater benedictionis.

Abraham aſper in coniugem & filium.

Deus noſter Deus eſt afflictorum.

iubente, vel permittente, aﬀlictiones, eò tenetiores eſſe, eodem conſolante, blanditias.

Quoniam verò Abrahæ incidit mentio, hinc nobis recedendum non eſt, niſi priùs videamus autore Chryſoſtomo, quo nam modo ſtet veritas diuini promiſſi Exodi c.3. Vbi Abrahamum alloquens ſpõdet ſe, educto de Ægypti captiuitate populo donaturum terram melle, & lacte manantem. Nunquam tamen melle, aut lacte manauit terra promiſſionis. Verba Dei cit. cap. num. 17. ſunt: *Educam vos de affictione Aegypti, ad terram fluentem lacte, & melle*. In hunc textum Chryſoſtomus hom.14. in c.22. Matt. ſic habet. B *Dixit Deus ad Abraham; Omnem terram, quamcumque tetigeris pedibus tuis, tibi dabo eam, &c. Quam terram? terram orientalem, fluentem lac, & mel. Quod verum non eſt de terra illa Iudaea; quoniam illa terra nunquam fluxit lacte, & melle: ſed terram rationabilem, quam Chriſtus ſuſcepit*. Itaque promiſſio Abrahæ facta, myſtico ſenſu, accipienda eſt. Cùm, reipſa, terra ſolùm rationabilis, ſuſcepta per Chriſtum, hoc eſt noſtræ mortalitatis caro, melle, & lacte fluat. Qua Chryſoſtomi interpretatione non tollitur difficultas, ſed augetur; ſcimus enim terram rationabilem, quam Chriſtus ſuſcepit, C amaritudinibus plenam, nequaquam lactea, aut mellea ſuauitate manantem. Fallor niſi Chryſoſtomo mens fuerit arcanum huiuſmodi reuelare. Melle abundat, & lacte ſuſcepta à Chriſto carnis noſtræ rationabilis terra, quia tantò dulciores conſolationum fontes erumpunt, quantò ſunt aſperiora, & inſuauiora, quæ pro Dei gloria toleranda ſubimus, exemplo Chriſti, tunc lacte, & melle terram fluentem poſſidenentis, cùm è ſinu Patris delapſus ærumnoſæ vitæ pertulit calamitates.

Chriſtianorum vita eò dulcior quò aſperior.

Non procul à Laodiceæ littoribus, vt Strabo autor eſt lib. 16. de ſitu orbis pag. D 135. Inſula ſita eſt, ſaxoſa, circumfuſo mari, ſeptem ferè ſtadiorum ambitu ſpectabilis. Incolæ aquarum copiam partim ex ciſternis habent, partim è mari. Quod mirum eſt, abundantis aquæ fontem in medio freto habent, in quem immerſa vaſa hauriẽdæ aquæ cauſa, ſalſam primo hauſtu trahunt, eamque maritimam; reliquo autem hauſtu dulcẽ gratiſſimique ſaporis. Arrige aures: inter ſaxorum duritiem circumfuſo aequoris amarore, cùm Dei ſeruos videre tibi videris, eorum te ſaepe numero miſeret: Verùm percipe tandem aliquando quicquid primo intuitu auſterum apparet ac durum, dicto citiùs ſuaue fieri, iucundum ſentiri ac dulce; vt pro aſperitate ſaxea, ſalſoque ſapore, mella fluant, roſæ germinent, ſpirent balſama, manet nectar omni ſuauitatis genere periucundum!

Aquæ primo hauſtu amaræ; deinde dulcis.

Miratur adhuc ætas noſtra, quod nequiuit antiquitas admirari ſatis, de imminente Siciliæ montibus Ætna, è cuius radicibus, vt experientia docet, & ſcribit Plinius lib. 2. cap. 103. tanto impetu erumpunt flammarum globi, vt ad quinquagena, & centena millia paſſuum eructent arenas. Erumpit vapor præmiſſo priùs fremitu, qui boatu horrifico per clandeſtinos cauernarum anfractus diu perſtrepit, nec antè flammarum euomit globos, B quàm interni reſonent mugitus. Mirum hoc; ſed longè mirabiliùs, quòd in illo, ſeu ardentis naturæ camino, ſeu æſtuantis terræ fornace, miſtæ ignibus niues appareant. Licet enim voracibus, ingentibuſque exudet incendijs Ætna; ſummo tamen apice concreto gelu, & niuibus obnoluto, quaſi ſenilem canitiem cum iuuenili coniungit ardore. Inuicta profectò in vtroque violentia: nec calor frigore retunditur, nec frigus calore diſſoluitur. Me ſanè hæc in admirationem rapere non poſſunt, dum conſiderò miraculum ſtupendum magis; cum æſtuante humano corde inextinguibili superni in- C cendio amoris ita gelu aﬀlictionum coniungi, vt quò grauiores ſunt aﬀlictiones, eò ſint teneriores Dei conſolantis blanditiæ. Enim verò *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*. Cant. 8 num. 7. O nexum praclarum, prodigio quouis admirabiliorem! vnà cum aggeſtis niuibus, confluentibus aquis, immo gelu obdureſcente aﬀlictantium calamitatum inextincta amoris iungitur flamma, atque incendium vitale Dei blandiſſimè conſolantis. D

Ætna niuibus ſimul riget, & flammis æſtuat.

IN CA-

IN CAPVT OCTAVVM

A Num. XXIII· ad XXVIII.

Et aſcendente eo in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius: & ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipſe veró dormiebat. Et acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & ſuſcitauerunt eum, dicentes: Domine, ſalua nos, perimus. Et dicit eis Ieſus: Quid timidi eſtis, modicæ fidei? Tunc ſurgens imperauit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Porró homines mirati ſunt, dicentes: Qualis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei?

PARADOXVM XIV.

Acerbiſsima infortunia pro Deo tolerata prænuntiant huius vitæ felicitatem.

IN nauis, qua portatur ſalus humani generis, & cæli vehuntur deliciæ, vi tempeſtatis quaſſa, & conſligentium coniuratione ventorũ penè demerſa, dicto citiùs reddita æquori tranquillitate, cæloque ridente, reſpirat iucundiùs, quàm paulò antè periculoſiùs iactaretur. Acerbiſſima nimirum infortunia Deo comite, & auſpice Deo tolerata, iucundiſſimos habent euentus. Quoniam verò mare, & venti ſuppeditant argumentum; poterit idem ſatis aptè illuſtrari, petita à ventis ſimilitudine, auctore Auguſtino interpretante ſentẽtiam Dauidis, qui de ea, qua premebatur, perſecutione à Saüle excitata loquens, ſic ait pſal. 9. num. 5. cum Deo ſermonem miſcens. *Quoniam feciſti iudicium meum, & cauſam meam.* Loquitur de iudicio, quod
D tulerat Saul, decernens dignum morte Dauidem. Itaque Dauid reus capitis declaratus, tanquam proditor omnium ſibilis exploſus, tanquam facinoroſus omnium iurgijs laceſſitus, ait: *Feciſti iudicium meum.* Immo vero, ob tam peruerſam ſententiam, ob iudicium adeò iniquum, ob damnationem tam iniuſtam, debet potiùs apud Deum ſummum iudicem appellare. Satisfacit Auguſtinus his verbis: *Hæc ei militauerunt ad liberationem: ſicut & nautæ dicunt ventum ſuum, quo vtuntur ad bene nauigandum.* Non ergo irritanda Saülis ſententia eſt, non accu- Aduerſa militant Dauidi ad liberationem.

ſan-

A ſandus iniquus Iudex, non lata ſententia excecranda; ſed ſapienter dicit Dauid: *feciſti iudicium meum*; quandoquidem tam iniquo, tam ſæuo, tam peruerſo iudicio è fluctibus perſecutionum emergit; non ſecus, ac flante vento nauigia cõpelluntur ad litus. Ad litus, inquam, aut potiùs ad portum quietæ ſtationis, atque exoptatæ tranquillitatis aduerſa compellunt, ex Ruperto Abbate lib 7. in Geneſ. cap. 41. vbi de afflictionibus, quas Iacob à Laban perpeſſus fuerat, ſic loquitur Rupertus: *Igitur & hæc, quæ prædicta ſunt, &c. in illud bonum ſancto viro cooperantur, vt quò vocabat Deus, illuc ipſa aduerſitate impellente, citiùs inſequeretur.* Sed aptiùs,

Aduerſa compellunt ad portum tranquillitatis, citiùs, & ſecundùs.

B pro re præſenti, ibidem de filiabus Laban, hæc habet Rupertus, reddens rationem, quo pacto anguſtiæ, & aduerſa prodeſſe potuiſſent. *Nihilominùs & ipſis coniugibus in idipſum bonum cooperata eſt inclementia patris non amabilis*, & cæt. *Hoc vento aduerſo nauigium feliciter impellente, vltro portum aſpiciunt.* Exoptent alij ventum ſecundum; ego verò hoc aduerſo vento contentus ſum; quoniam eltiùs, & ſecuriùs impellit in portus optati tranquillitatem. Quis è Salo, in quo nauigat, conſolationum intuens portũ, deſæuientes tribulationis procellas non ſuſtineat

C fortis; immo non excipiat hilaris.

Decipiar, niſi id Dei oraculo, cæleſtibus veluti coloribus adumbretur. Moyſi Dominus imperat Exod. 13. num. 13. *Primogenitum aſini mutabis oue*. Miror ſanè, omnium animalium primogenita Deo conſecranda. Vnde ſuperiori num. 12. legitur: *Separabis omne quod aperit vuluam Domino, & quod primitiuum eſt in pecoribus tuis*. Cur ergo ſolius aſini primogenita excluduntur? cùm animal, ignobile quidem, ſed tolerans laborum, non fuerit poſtea indignum Chriſto Domino triumphum agente. Agnoſce myſterium, conſiderato Dei præcepto: *Primogenitum aſini mutabis oue*. Aſinus

Aſini primogenitus, cur oue mutandus.

D Oue mutandus non parum illuſtrat, quod proſequor: Aſinus laborioſum animal, & vilibus quibuſque addictum: Ouis verò fructuoſum animal, & quod magno ſtudio ac diligentia à Dominis cuſtoditur. Aſinus oue mutetur à populo Dei; quia videlicet laboris aſperitas in fructuum ſuauitatem tranſire debet. Fiunt ex Aſinis oues ſerui Dei; cùm enim grauantur ponderibus cum excipiuntur fuſtibus, cum nullo habentur in pretio, immo contemnuntur, ac contemnuntur; tranſeunt, immutabili Dei imperio, ad conditionem ouium, quæ nulla grauantur ſarcina, ſed

A aluntur, cuſtodiuntur ab inclementia cæli, ab aſperitate locorum, à famis iniuria, à corruptela morborum, à luporum ſeuarumque voracitate. Vno verbo, facta comparatione inter laborioſum animal, & fructuoſum, facilè intelligi poterit, quàm præclarè cum ſeruis Dei agatur, qui, ſi vexentur aduerſis, certi debent eſſe, fore vt proſperis aduerſa permutent; & ex animantibus onere depreſſis, & fuſtibus contuſis, fiant oues, quæ paſcuis recreentur, & vigili paſtoris induſtria, mille modis reficiantur. Exemplũ habeo in promptu in Iſaac; quod vnicum quidem eſt, ſed ni fallor, multorum inſtar. Ille Iſaac,

Serui Dei aduerſa mutantur proſperis,

B qui immolandus à patre, lignis onuſtus, tanquam aſellus pergebat ad montem; ſed mutatus in ouem, immo in arietem, qui pro ipſo mactatus fuit; & ſuo didicit experimento, & nos ſuo docuit magiſterio, iucundiſſimis finiri euentibus infortunia tolerata pro Deo. Audi Zenonem Epiſcopum Veronenſem ſer. 1. de Abraham. *Lætatus eſt puer, patre fideli ipſe quoque fidelior, nec recuſabat mortem, quam Deus, qui vitam dederat, imperabat. Lætatus eſt pater, filio quoque gaudente; & cum gaudio vnici pignoris alligat manus, quas ille vinciendas libentiùs offert; pedes quoque conſtringit, ne in exitu mortis*

Aries pro Iſaac immolatus quid innuat,

C *concitata victima calcitraret*. Mox admiratione perfuſus, exclamat Zeno. *O Pater, qui ſeruum Domini ita ſe eſſe meminerat, vt patrem ſe eſſe neſciret! Ecce ſub oculis iacet filius vinculis aſtrictus; Vbi ſunt lacrymæ, vbi dolor, qui in humanis ſenſibus verſari conſueuit? in tanti filij caſibus lætatur, & gaudet, & ſe Dominum promeruiſſe triumphat. Accepit iam præmia quæ meretur*. Quem priùs admirer, Iſaac, an Abrahamum? ſed neutrum admirabor, cùm ſciã panorem in exultationem, anguſtias mœrentis animi, in exultationem mentis tranſire; quia conſueuit Deus, aſpera pro ſuo nomine ſubeuntibus, mutando vices, euentibus occur-

D rere iucundiſſimis. Nota vltima verba: *Accepit iam præmia, quæ meretur.* Si quæras, quodnam ſit hoc præmium: audi eundem Zenonem loco citato. *A filio ad agnum tranſtulit dexteram, ſemper lætus & gaudens; nec mutatus eſt vultus eius; cùm eſſet victima commutata; cum tanta lætitia arietem obtulit, cum quanta obtulerat & filium; vbi enim fides fuit, non erat dolor*. Præmium eſt obtuliſſe agnum pro filio. Nimirum filius factus vt iumentum, onuſtus faſce dolorum non minùs quàm lignorum, in ouem mutandus erat, eùm, Dei decreto immutabili, ab aſperi-

tate

Labores ſequitur gaudium.

tate laborum ad fructuum ſuauitatem faciendus ſit gradus ijs, qui pro Dei amore aduerſis premuntur, & æquo animo ferunt.

Quoniam vero Abrahæ incidit mentio, quòd dicimus, in eodem Sancto Patriarcha ſatis luculenter intueniemns expreſſum. Quis enim Abrahamo, aut pluribus, aut grauioribus vexatus moleſtijs? Abrahamo Saram vxorem amatiſſimam bis Reges abducunt: Abraham tolerat ſuperbiam Agar, non modò domi rixantem, ſed fugientem domo: Abraham ab Iſmaële, domeſticam pacem crebris rumoribus perturbante, vexatur: Abraham grahi, immolandi filij Iſaac, præcepto vrgetur: Abraham domeſticis egredi laribus, immo è finibus patriae cogitur exulare. Sed attende, quo pacto tot, tantarumque calamitatum genera, fine concludantur iucundiſſimo: Nimirum frondoſa quercus excipit itinere fatigatum; amœniſſima terra donatur ſuae exul patriae: & qui cognatis carere debuit, in Dei conſortium admittitur, & familiaritatem. Perhorreſcis audiens, paupereulum Abrahamum è Meſopotamia, per terram Chanaan, confinia luſtrantem ſeptentrionis,

Abrahami moleſtiæ iucunditate compenſantur.

atque Orientis, longiſſimi moleſtia itineris deſatigatum? At, cur non verſas animo, eundem Abrahamum, in valle amœniſſima, & frondoſae quercus amica vmbra, poſt taedium laſſitudinis moleſtiſſimæ quieuiſſe? Verum eſt, Abrahamum triginta trium annorum ſpatio peregrinatum, inopem rerum omnium, per mille temporum iniurias, per mille incommoda, moleſtiſſimis confectum angoribus: Negari tamen non poteſt, Abrahamo terram fuiſſe conceſſam, omni bonorum genere abundantem, in qua conquieſceret, qua frueretur, quam poſſideret vt Dominus. Negari, inquam, non poteſt, hoc in loco Abrahamo conceſſum fuiſſe palatium Deo dignum, in quo Dei ipſius alloquio frequenter eſt vſus. Audi Auguſtinum, & Cyrillum. Auguſtinus quidem ſerm. 68. de tempore ſic ait: *Ingreditur lucum arboris Abraham, ſub qua conſtruitur qualecunque ſuffugium, anguſtum quidem homini, ſed ſufficiens Maieſtati: dignum tamen Deo palatium fides deuota pingebat, in quo fuiſſet Maieſtas Superna manſura.* Præclarè tecum agitur Abraham: quandoquidem extructo palatio digno Deo, Deum ipſum hoſpitem, conuiuam, commenſalem habes. Iam loquatur Cyrillus. *Cùm in terra patria ſua habitaret, & nondum in Sanctam terram conceſſerat, vnum tantùm datum eſt Abrahæ*

Palatium Deo dignũ.

oraculum: vbi autem venit in terram Chanaan, diuinæ operationis gratia data eſt. Iam os ad os Abrahæ loquitur Deus, & quaſi arctiſſimo neceſſitudinis vinculo coniunguntur. O bene ſuſceptos peregrinationis labores, ſi tantum Abrahæ profuit & patriam, & parentes, & agnatos, vocantis Dei nutu, deſeruiſſe! Non poſſum prætermittere pulcherrimam Ambroſij tropologiam, de terra Sichem, quæ terminus fuit laborum, incommodorumque peregrinantis Abraham. Sic autem habet lib. de Abraham Cap. 2. *Egreſſus perambulauit vſque Sichem, quod latina interpretatione dicitur, humerus, vel, ceruix: per quæ executionem præſcripti operis intelligimus; ſiquidem, & infrà habemus ſcriptum: ſuppoſuit humerum ſuum ad laborandum; vnde per figuram locorum, id aduertimus expreſſum, quòd deuotionem ſuam Sanctus Abraham, non ſolum ſtudio, ſed etiam efficacia probauerit fructuoſa, qua ad quercum vſque peruenerit.* Recole Abrahamum fatigatum, laborantemque: gratulare placidè quieſcenti. defatigationi peregrinationis ſtationem ſub quercu coniunge; & eſto memor Sichem, quæ terra feraciſſima eſt, media inter duos montes Gelboë, & Hermon amœniſſima & fœcundiſſima vallis, in extremitate terræ promiſſionis, in confinio lateris orientalis, & auſtralis, omni frugum, & bonorum genere refertiſſima. Eſto, inquam, memor Sichem, quæ humerus, ſiue ceruix interpretatur, vt diſcamus eos, qui labori ſupponunt humeros, & qui aſperitatibus durati anhelant, amœniſſima, & opulentiſſima ditione donari. Neque verò vnius hominis teſtimonio opus habeo, cùm ſit in promptu totius Iſraelitici populi experimentum. Conſule cap. Exodi 3. vbi leges Iudæos, Ægyptiorum tyrannide conculcatos, tractando luto, conficiendiſque lateribus addictos, diro, duroque ſeruitutis iugo contritos, audiuiſſe Dei promittentis vocem num. 17. *Educam vos de afflictione AEgypti, in terram Chananæi, & Hethæi, ad terram fluentem lac, & mel.* En, quò perducat aſperitas Pharaonis; in melleam dulcedinem: En quò euadant lutum, paleæ, lateres; in lacteam ſuauitatem. Accommodatiùs pro noſtro inſtituto loquitur Ambroſius, qui lib. de manſionibus, animaduertit, nequaquam dilatam fuiſſe vſque ad finem peregrinationis Iſraëlitarum conſolationem; ſed antequam ad terram promiſſionis peruenerint, iucundiſſimè ſunt recreati. Verba

Terra Sichẽ terminus laborum Abraham.

Pharaonis ſæuitas perducit Hebræos in terram fluẽtem lac & mel.

Ambro-

Palea, lutũ lateres, farina, argento, auro permutantur.

Ambroſij; *Filij Iſraël dederunt paleas, & receperunt farinam; dederunt lutum, & receperunt argentum; dederunt lateres, & receperunt aurum*. Ergo quiſquis paleas humanae paupertatis refugit, carebit farina: quiſquis de luto conqueritur ſuarum calamitatum, perdet argentum: quiſquis euentuum contrariorum lateres auerſabitur, auri faciet iacturam; cum ſoleat Deus iucundis triſtia compenſare. *Haec audientes*, loquitur Chryſoſtomus hom. 62. in Geneſ. *in afflictionibus animum nunquã deſpondeamus: ſed magna patientia clari, & ſpe bona foueamur; ſcientes, quòd ſinens nos Dominus experiri aſpera, non relinquit; ſed vult vt certantes clariori corona* B *cingamur*.

Patientiæ ac ſpei clarior corona.

Ioſeph in medium adducamus; illum inquam Ioſeph, qui in Pharaonis domo ſcholam aperuit ſanctitatis, & impudicae Dominae thalamum mutauit in cathedram caſtitatis. In hoc iuuene, puritatis angelicae alumno, agnoſcit Rupertus, quàm felici concludantur euentu, iuſtorum aerumnae. Sic autem ſcribit, examinans, quod Caput 41. Geneſ. de Ioſeph, è carcere ad regni ſolium euocato, complectitur. *Pro compedibus, in quibus humiliauerunt pedes eius, torquem aureum Ioſeph ſuſcepit: pro pallio, quo in manu adulteræ relicto, nudus effugit, ſtola byſſina indutus eſt: pro ſeruili nomine regium* C *geſtat annulum: & pro carceris humilitate, ſuper altum ſedet imperij currum*. Licet autem magnificè declaret, quod volo, luculenta Ruperti animaduerſio; non tamen Chryſoſtomo facit ſatis; qui, vt clariùs euincat, quàm bene prouideat Deus ſuorum afflictionibus, maiores tribuendo felicitates; facta comparatione Ioſeph inter, & Dominam, ſqualorem illius, carcere detenti, anteponit iſtius purpurae, tam fœda improbitate maculatae. *An non*, verba Chryſ. hom. 22. in epiſ. ad Rom. *in carcere erat Ioſeph, quæ verò inſidias illi tetenderat adultera illa in ædibus* D *ſplendidis, & illuſtribus? Vtrius ergo loco haberi velles? ipſa vtrinque facta expende; & ſic millies carcerem cum Ioſepho ædibus illis, in quibus mœcha erat, præferes. Etenim, ſi vtriuſque animum inſpexeris, videbis iſtum in ſumma latitudine multa fretum fiducia: Aegyptiaca verò animum, in anguſtia, pudore, mœrore, turbatione, multaque triſtitia*. Parum eſt Ioſephum, carcerem mutaſſe cum aula, catenam cum torque, compedes cum monilibus: Parum à ſqualore feciſſe gradum ad purpuram, è ſeruitute ad imperium, è patibulo ad ſceptrum: ſed haſce inter anguſtias, iuuenis conſilij inops, patriae exul, laeſæ maieſtatis reus fœmina illa, quae toro recumbebat purpureo, felicior eſt; quia tot, ac tanta calamitatum genera innocens ſubit.

Ioſephi ærumnæ quã felici concludantur euentu.

Iuſtorum afflictionibus maiores Deus tribuit felicitates.

A

Videtur Deus talem ſe cum ſeruis ſuis gerere, qualem ſe Ioſeph cum fratribus ſuis geſſiſſe accepimus, ex cap. 42. & 43. Geneſ. Quod conſiderat S. Auguſtinus ſer. 82. de tempore in hunc modum: *Ioſeph vir ſanctus, per huiuſmodi tribulationem fatigatos fratres, ad confeſſionem criminis, & ad medicamentum pœnitentiæ prouocare volebat. Denique cum ingenti dolore dixerunt illi, ſe meritò pati illa; quia* B *peccauerunt in fratrem ſuum. Cum autem illos, pro peccato humiliter videret afflictos, deoſculatus eſt ſingulos*. Sic Deus, fratris in morem amantiſſimi, fatigat vt amplectatur; vexat, vt recreet, affligit, vt deoſculetur. Annuit hiſce, experimento doctus, dilectus Deo Iob. Sic enim legis cap. 38. num. 1 *Reſpondens autem Dominus Iob de turbine dixit*: ſiue iuxta textum Græcum: *Dixit Dominus Iob per procellam, & nubes*. Cur obſecro per procellas, & nubes loquitur lucis amator, qui in ſplendoribus ſanctorum, lucifero ſplendidior, lucem habitat inacceſſibilem? Fortaſſe per nubila; quia poſt nubila Phœ- C bus; & ſicut nubes citò euaneſcunt, ſic nubibus calamitatum diſſipatis, gratior ſol illuceſcit, & clarior diuinae conſolationis. Per procellas, & nubes; quia citò exorta procella, non longo temporis ſpatio aëris aufert ſerenitatem; quo pacto etiam aduerſa, quibus concutimur, breui ridentem caeli reddunt tranquillitatem: Didici id ex D. Methodio in cat. Graeca, dicente: *Vt Iobi res, à tempeſtate ad ſerenam tranquillitatem oſtenderet demigraſſe, per nubes etiam Dominus loquitur*. Immeritò ergo caelum queſtibus imples, quiſquis tribulationum procellis iactaris: Aduerſa quæ angunt, nebulae ſunt illico euaneſcentes; vapores crede, citiſſimè D diſſipandos.

Iuſti vexati maioribus augentur beneficijs.

Aduerſa cur turbini, nebulis, procellisque comparentur.

Mirum hoc, quin immo diuinum arcanum, è ſacratiſſimo Chriſti latere, fonte perenni Sacramentorum eruemus. Confoſſo latere, ſcribit Io. cap. 19. numer. 34. *Continuò exiuit ſanguis, & aqua*. Ad rem Auguſtinus trac. 20. in Io. *Non dixit: lancea latus eius percuſſit, ſed aperuit; vt illic quodammodo vitæ oſtiũ panderetur*. Oſtiũ profectò vitae panditur, cùm aqua, qua abluimur, & ſanguis, quo ſanctificamur, emanant. Hæc aqua baptiſmum adumbrat; ſanguis verò paſſionum calicem, quo moriens Dominus Martyribus, ijſque qui

Latus Domini, quaſi vitæ oſtium lancea apertum.

propter

propter iuſtitiam patiuntur, propinauit. Propinauit autē? immo fortes reddidit ad tolerandū, ex ſententia Bernardi in pſ. 100. dicentis: *Vbi ergo tunc anima martyris? nempe in tuto, nempe in petra, nempe in viſceribus Ieſu, vulneribus nimirum patentibus, ad introeundum*. Verum id quidem: ſed illud, ex eodem Bernardo in pſ. *Qui habitat*, ſer. 8. notandum eſt, Chriſti Domini latus à dextera parte, non à ſiniſtra fuiſſe apertum. Vt videlicet pateſiat, nihil aduerſi iuſtis contingere, quod ſiniſtrum haberi debeat. Verba Bernardi: *Dominus meus Ieſus etiam dextrū ſibi, propter me paſſus eſt latus fodi: quod videlicet, non niſi de dextera mihi propinare vellet*. Ergo, cùm calamitatū hauriendus eſt calix, cùm dolores corporis vexant, aegritudines animi conficiunt, memento venam tibi aperiri vitae, manare fluenta gratiarum, vno verbo, nihil acerbum adeò, atque iniucundum cōtingere, quod ſiniſtrum ſit: eo plane modo, quo latus ipſum non ſcinditur, ſed aperitur: neque enim cor Chriſti cadit furoris victima, ſed amoris. Dicamus cum S. Iob c. 30. n. 12. *Ad dexteram orientis calamitates meae illico ſurrexerunt*. Quot in nos conſpirant calamitatum furiae, non ſiniſtra habēda ſunt, quae in occaſum perducant; ſed dextera, quae perducant ad orientem. Quoties vulnus credimus, quod vena felicitatis eſt: quoties, lancea percutiente, vitae panditur aditus, non mortis reſerantur ergaſtuli.

Iuſtis nil accidit quod ſiniſtrum haberi debeat.

Vos ego teſtes appello, è cruce latronē, è captiuitate Tobiam, è domeſtico luctu Samuelē. Latro maximo dedecore damnatus, inter dolores, & dedecora fit beatus. Hic ergo extremi ſupplicij finis, vt, antequam vinculis mortalitatis ſoluatur, fiat ciuis cæli? Præclarè Auguſtinus in pſ. 86. *Hoc fecit ille latro, fortior in cruce, quàm in fauce*. Quaſi dicat; ambiguum eſſe poſſet, cui tam felix exitus ſit tribuendus; cruci ne, in qua pendet; an orationi, qua Deū implorat? Magnam ſanè vim habet oratio vt in c. 7. à n. 7. ad 12. demonſtro: ideoque meritò credi poterat fuiſſe id, miraculum orationis. Sed Auguſtinus omnem adimit dubitationem, cruci aſſerens tribuendum euentum tam felicē malorum tantorum. Nimirū quò acerbiora ſunt, quæ patimur pro Deo, eò iucundiore exitu concluduntur. Adeamus Tobiam viuum infortuniorum omnium ſcopum, vtpote modò dura preſſum captiuitate, ſed rerum omnium inopia laborantem; & quod peius eſt, orbatum lumine oculorum, hoc eſt omni omnino deſtitutum gaudio, confectum curis atque ægritudinibus. Quid autem de Tobia ſentiendum, ſic accipe, ex eodem

Bonus latro fortior in cruce quàm in fauce.

Acerbiora, iucundiora ſunt.

A Auguſtino ſer. 228. de temp. *Ad hoc Tobias caecitatis incurrit exitium, vt Angelum ſuſciperet medicum*. Aduerſitatum omnium in cæcitate compendium, qui cum Tobia deflet, ſcire debet, famulantis miniſterio Angeli, futurum paulò poſt longè gratius, atque iucundius leuamentum calamitatū. Saulem reprobatum amariſſimis proſequebatur lacrymis Samuel, quem his vocibus compellat Deus Reg. 16. n. 1. *Vſquequo tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum, ne regnet ſuper Iſraël? Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Iſai Bethlehemitem; prouidi enim in filijs eius mihi Regem*. O quàm optatus euentus finem

B imponit lacrymis Samuelis! Plorabat, angebatur, & meritò, publicae felicitatis ſolicitus; iam verò geſtit prae gaudio, iuſſu Dei Regem conſecraturus, omni ſeculorum memoria celebrandum. Saülem luget, & inuenit Dauid; deflet Regem Deo inuiſum, vt Principe gaudeat ſecundum cor Dei. O quàm optādo clauduntur exitu infortunia proborum! Illud obiter aduerto Saülis regnum breue fuiſſe, ac lubricum; Dauid autem imperium ſtabile, ac diuturnum: fortaſſe quia Saul in conuiuio Rex à Samuele fuit declaratus; Dauid verò ab aſpero ruſticanoque vitae genere

Iuſtorum infortunia quàm felicia.

C euocatus fuit ad purpuram. Scilicet poſt duros labores, regni tranquilla quies inuenitur: at verò delicijs ruinae ſuccedunt.

Laboribus quies, delicijs ruinæ ſuccedunt.

Samuelis fletibus iungamus, obſecro, lacrymas Magdalenae. Magdalenae, inquam, non pœnitentis, ſed amantis, quam ad ſepulchrum Domini deplorantem interrogāt Angeli Io. 20. n. 13. *Mulier quid ploras?* Nemo eſt qui neſciat, acerbiùs cruciari vexatum mœſtitia animum, ſi doloris ſui cauſam cogatur retexere. Quis credat, beatas mentes ignorare potuiſſe, Magdalenam abire in lacrymas, vi duplici doloris & amoris acriùs impellente, ob ereptum dira morte dilectum Ieſum? Cur ergo affli-

Magdalenā cur Angeli interrogēnt quid ploraſ.

D ctionem addunt afflictae superni Spiritus, ſauciatae mentis refricando vulnus, interrogatione, ſi fas eſt dicere, importuna, aut ſaltem moleſta? Satisſaciet Drogo Card. Oſtienſis lib. de Sacr. Dom. Paſſion. inquiens: *Equidem benè noueratis, ò pijſſimi Angeli, quid ploraret, & quē quæreret: quare illā iterum cōmemorando intus excitaſtis? Sed propè erat inſperatæ cōſolationis gaudiū; ideo tota vis doloris, & plorationis excurrat*. Debuit Magdalena grauiùs affligi; quia gaudium appropinquabat: augetur cruciatus; quia properat leuamentum. Calcanti angorum, moleſtiarumque vias intus bene eſt; quia, annuentibus ſuperis, & ſocijs Angelis, ad ſolatium pergit. Cuius rei exemplum agnoſcit Ambroſius

Dolores augentur ad gaudium

In eo, quod de ſe ipſa narrat Spõſa Can. 3. n. 4. *Paululum cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea*. Animaduerte, quo pacto matrona honeſtiſſima intempeſta noctis hora, non modò ſurgat è lecto; ſed domo egreſſa omnem circumeat ciuitatem, magno ſine dubio cum incommodo; & quod præcipuè conſiderandum eſt, incidit in cuſtodes ciuitatis, à quibus aſperè vtique excepta, dilectum ſuum inuenire, & tenere non potuit, niſi poſt tot anguſtias atque incommoda. Propterea breuiter, & bene concludit Ambroſius lib. de Iſaac c. 4. *Ergo cùm tranſierit cuſtodes, verbum inuenit.* Sic, ſic per dura, per incõmoda, per ardua itur ad amplexus dilecti. B

Per aſpera itur ad gaudia.

Neque aliunde petenda nobis cõfirmatio eſt, quàm ex hoc eodem c. 3. Cant. quod præ manibus eſt; cùm, Abbate Giliberto interprete, id ipsũ eleganti ſymbolo inſinuetur. Sponſa quippe Salomonis ſui regiã ſedem deſcriptura, inter ea, quæ notatu digna enumerat, eſt aſcenſus purpureus, vt patet n. 9. & 10. *Ferculum fecit ſibi rex Salomon de lignis libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum*. De hoc ſermon. 18. in Can. Gilibertus Abbas verba faciẽs, ſic ait. *Hæc tibi purpura ſufficiat ad ſtatum, ſufficiat ad aſcenſum, ſufficiat ad gloriam, vt non glorieris, niſi in cruce Domini tui Ieſu Chriſti. Aſcenſus te purpureus reclinatorium perducet ad aureum*. Sanguineus purpuræ color, crucem, paſſionemque repræſentans, ponit ob oculos, tolerandos labores vſque ad vulnera, & ſanguinis profuſionem. Verum eſt: ſed quis horreat, aut refugiat, quandoquidem ad aureum vſque reclinatorium perducit, aſcenſum? C

Ferculum Salomonis cum aſcenſu purpureo quid ſignificet.

Iterum vox flebilis ad aures accidit, attentè, immo deuotè excipienda; vox enim gementis Dei eſt Thren. c. 1. n. 12. *O vos omnes, qui tranſitis per viã, attendite, & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Quis durus adeò, vt negat afflicto Regi gloriæ, non dicam tributum lacrymarum, ſed theatrum conſiderationis; noliteque ſpectator eſſe tragœdiæ adeò calamitoſæ? *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite*. Vim huius interpellationis Drogo Cardinalis Oſtienſis lib. de Sacram. paſſ. declarat, his verbis loquentem faciens Dominum: *Tranſite à me in vos; & videte, ſi ſimilis dolor in vobis ſit, ſicut dolor meus. Et nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſos flete. Nam ille, quem tranſitis, & non attenditis, magis eſt flendus quàm dolor meus; propter ſcelus enim veſtrum percuſſus ſum*. Digna loquente Deo proſopopeia. Non vocat ad flendum dolorem D

A ſuum, ſed prouocat nos ad tranſcundum ad dolorem noſtrum. Duo enim malorum genera reperiuntur: malum pœnæ, quo angebatur ſaturatus opprobrijs Chriſtus Dominus; ſed breui duraturum, & poſt dies paucos exitu iucundiſſimo concludendum; ac propterea nequaquam eiulatu dignum, ac lacrymis: aliud porrò malum culpæ; quod longè grauiùs angit; cùm interitu, atque exterminio finiatur. Pone ex vna parte hominem ſceleſtum ſuis actum furijs, & doloribus cruciatum acerbiſſimis; eum inquam, de quo pſal. 7. n. 15. *Concepit dolorem*. Hic perpendendus eſt dolor, hic fletibus amariſſimis proſequendus; quia ad iniquitatem perducit. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Ex alia parte repone Redemptorem, cui à planta pedis vſque ad verticem capitis, furente impietate, non eſt ſanitas. Quid tum? mox victa cadet mors, expugnatus fugiet mundus, ruet profligatus diabolus, & pro lamentatione, triumphale carmen reſonabit. O quàm felix exitus, finis quàm gratus! *Tranſite à me in vos*. Nolo vt meis veſtras iungatis lacrymas: quia, vt loquitur S. Leo ſerm. 10. de paſſione, *non decebat luctus triumphum, nec lamenta victoriam*. Flebilibus parce modis, conſiderans iuſtorum incommoda, quæ citò in gaudia, in exultationes, in triumphos ſunt permutanda. Nolo vt meis veſtras iungatis lacrymas: *Tranſite à me in vos, & videte, ſi ſimilis dolor in vobis ſit, ſicut dolor meus. Et nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſos flete*. Non omnis deflendus eſt dolor, non omnis auerſandus eſt mœror, non omnis accuſanda amaritudo: ea quippe, quæ ſucceſſu clauditur peroptando, ſereno excipienda eſt animo, & corde impauido, aut potiùs amico ſtringenda. Vnus peccati dolor cordatum virum vexat, & angit: reliqua, ſi quæ mala vocari poſſunt, non modò euaneſcunt, ſed ablata ad breue tempus bona mox reddunt, & quidem fruentibus gratiora. Vnde S. Proſper lib. 2. de vita contempl. c. 19. ſcribit. *Dulcior fit ſalus, cùm dolor excruciat: & ſanitatis amiſſa dulcedinẽ languoris amaritudo commendat*. Itaque vrgente calamitate, prouocandus eſt animus ad mala culpæ luctibus proſequenda: *Nam ille, quem tranſitis, & non attenditis, magis eſt flendus*.

Cur magis proſequendum lacrymis malum culpæ, quàm pœnæ.

Porrò gratius erit à planctu redire ad cantum, & qui paulò antè canentem Sponſam non inuiti excepimus, quid Sponſus reſpondeat audiamus. Audiemus vtique canentem: Muſicam, quippe, docet amor. Cant. 6. num. 3. *Pulchra es amica mea, ſuauis & decora, ſicut Ieruſalem*. Percipio

Sponſa, cur decora ſicut Ieruſalem.

pio commendari ſuauitatem morum; laudari maieſtatem oris non me fugit: At comparatam vrbi Ieruſalem dilectam, non bene percipio. Si en m floris elegantia, vel cum candore lucis contuliſſet, ſatis accommodatè loqueretur ad captum noſtrum. Cur, oro, ſicut Ieruſalem? Fortaſſe, quia haec ciuitas, ſupra caeteras maximè afflictata obſidionibus, aſſultibus diruta, bellis vaſtata, hoſtilibus appetita machinis; his veluti experimentis probata, inuenta eſt digna ſponſo Deo. Quare Septuaginta legunt: *Sicut probata*, ſiue: *Tanquam probatio*. Ergo probamur aduerſis, vt ſtringamur arctiſſimo vinculo coniugij cum animarum ſponſo.

Aduerſa nos probãt.

A

B Apud Scythas in more poſitum fuiſſe accepimus, non iungere matrimonio mulierem vllam, quae non deſcendiſſet in aciem, & inimicũ aliquem non peremiſſet: glorioſum quippe credebatur, illuſtri victoria ſternere ſibi ad thalamum aditum. Similiter etiam, vt Troiani belli longiſſimas moleſtias tolerarent milites, ſolebant aliquando Helenae ſimulacrum proferre, cuius aſpectu recreati, laborem duritiem ſubleuabant. Nimirum nil acerbum ſentiemus, aut arduum, propoſitis gaudijs, quibus ſponſæ Chriſti perfunduntur, poſtquam bellorum diuturnitate, & varietate certaminum fuerint probatæ.

Scytharum mos.

Gaudia impellunt ad labores.

C Doloribus, paupertate, ægritudine, omnium congerie malorum, quaſi vallo circundatus animus meminerit, hiſce probari debere, non deſtrui; & eum, qui multo milite quatitur, futurum breui Ieruſalem, quæ viſio pacis interpretatur. Experimenta ſunt ad thalamum, quæ tormenta apparent ad internecionem. Hunc textum examinat Theodoretus, inſiſtens allatae verſioni Septuaginta, in hunc modum. *Quemadmodum ſponſa ſponſum, deſiderium, nominauit; ex affectione ſua, qua illius ardebat deſiderio, ei nomen imponens; ſic etiam ipſe probans, & volens eam ſibi ſponſam adiungere, probationem vocat ipſam, ſic enim, inquit, es pulchra, vt probata à me, atque dilecta.*

Sponſus cur deſiderium nominatur.

D Præſtat Chryſoſtomo, eloquentiſſimè, & veriſſimè peroranti aures præbere. Sic enim proſequitur illud Pauli 2. ad Cor. 12. n. 10. *Cùm infirmor, tunc potens ſum. Vbi afflictio, ibi conſolatio: quando igitur in carcerem coniectus eſt, tunc admiranda geſſit, quando naufragium paſſus, atque in barbaram regionem eiectus, tunc maximè inclaruit: quando ad tribunal vinctus acceſſit, tunc & iudicem vicit.* Quod longè antea in Dauide, rerũ moderator Deus fecerat manifeſtum. Quare pſ. 117. n. 13.

Vbi afflictio, ibi cõſolatio.

A canebat. *Impulſus euerſus ſum vt caderem, & Dominus ſuſcepit me.* In quem locum rurſus Chryſoſtomus ait: *Hoc eſt tẽpus diuini auxilij: & ideo nec pueros eripuit à principio, ſed poſtquam fuerunt coniecti in fornacem; nec Danielem antequam eſſet immiſſus, ſed ſeptem poſt diebus, cùm rerum humanarum nulla iam eſſet ſpes relicta; tunc ſuum oſtendit auxilium.* Hæc Chryſoſt. hom. 26. Nonne, Deoque dignum miraculum! vt Paulus per vincula, per carceres, per naufragia geſtis admirabilibus clarus, de hoſtibus, de iudice, de accuſatoribus, de mundo, de pernicacia hominum reportet victoriam.

B Inauditũ, & ſupra captum humanae imbecillitatis diuinae opus omnipotentiae! vt per doloſa impiorum artificia ſalutem inueniat Dauid; vt Babylonici pueri per fornacis incendia, ad lenem ſuauis aurae flatum; & Daniel per voraces leonum fauces non incolumis modò, ſed laetitia geſtiens felicitatum omnium acceſſione fruatur. Ergo, ſi per abrupta infortuniorum, & per calamitatum ſaltus, Deo duce, peruenimus ad amabilem optatorum euentuum planitiem; quis non agnoſcat, cum eodem Paulo, inueſtigabiles eſſe Domini ducentis vias? Quis non exclamet? *O altitudo diuitiarum ſapientia, & ſcientia Dei!*

C *quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles via eius!* Ad Roman. 11. num. 33 Mihi ſanè gratulor, id ipſum, tanquam admirabile à Gregorio Nazianzeno fuiſſe prædicatum orat. 32. his verbis: *Deus, qui mortificat, & viuificat, qui ſola voluntate omnia facit, atque immutat, qui ex nocte diem facit, ex hyeme ver, ex tempeſtate tranquillitatem, ex ſiccitate pluuiam.* Sume exemplum ab anni tempeſtatibus; & ſicuti nocti dies, hyemi ver, tempeſtati ſuccedit tranquillitas; ita certò ſcias, aduerſa, atque infortunia ſecundo rerum exitu terminari. Quod ſtatim probat Nazianzenus exemplo Ioſephi, & He-

D braeorum. Mox ſubiungit: *Quid hoc admirabilius, aut illuſtrius diu ina magnificentia argumentũ, cùm ex rebus perditis, & deploratis, iter ſecũdis aperire voluerit?* O ſtupendum iter, ò vias inueſtigabiles!

Aduerſa iter aperiſſe ad proſpera.

Videatur P. Benedict. Fernandez in Gen. tom. 3. c. 35. ſect. 9. n. 11. & c. 39. ſect. 1. n. 4.

Videatur P. Didacus Baëza de Chriſto figurato lib. 5. cap. 15. §. 5.

Necnon P. Franciſcus de Mendoza tom. 1. in lib. reg. Annot. 2. proœmial. ſect. 9. num. 15. & tom. 2. cap. 8. num. 8. Annot. 34. circa lit. ſect. 2.

Videri poſſunt etiam, quae dixi 1. tom. Parad. 10. in cap. 1. & Parad. 3. cap. 5.

IN CAPVT OCTAVVM

A Num. XXVIII. ad Vltimum.

Et cúm veniſset trans fretum in regionem Geraſenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, ſæui nimis, ita vt nemo poſset tranſire per viam illam. Et ecce clamauerunt, dicentes: Quid nobis, & tibi, Ieſu fili Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos? Erat autem non longé ab illis grex multorum porcorum paſcens. Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare: & mortui ſunt in aquis. Paſtores autem fugerunt: & venientes in ciuitatem, nunciauerunt omnia, & de eis, qui dæmonia habuerant. Et ecce tota ciuitas exiit obuiam Ieſu: & viſo eo rogabant, vt tranſiret à finibus eorum.

PARA-

PARADOXVM XV

Quæ peccantem iucundiùs delectant, acerbiús cruciant.

SCHOLAM Epicuri (quæ vtinam noſtra etiam aetate non frequentaretur) & haberi,& nuncupari porcorum gregẽ notius eſt, quàm à me dici queat. In ore omniũ eſt Horatianum illud lib. 1. ep. 4. in fine.

Epicuri Schola grex porcorum:

Me pinguem, & nitidum bene curata cute viſes
Cùm ridere voles Epicuri de grege porcum.

Voluptuarij ſues.

C Et verò Socratem, apud Hieronymum lib. 2. contra Ioninianum, voluptuarios homines Suis nomine nuncupantem quis ignoret? Neque aliam ob cauſam, ſi Clementi Alexandrino credimus lib. 7. ſtrom. c. 3. & lib. 5. ſtrom c. 4. interdicta fuit Iudaeis ſuilla caro, niſi quia hoc animal ſit ad obſcœna procliue; & colentibus Deum non liceat cum impuris hominibus, & inhoneſta Venere pollutis familiariter conuerſari. Luculenter Lactantius 4. inſt. 7. in hunc modum: *Interdixit, ne porcina carne vterentur, ideſt, ne vitam porcorum imitarentur: ne ventri ac voluptatibus ſeruientes, ad faciendam iuſtitiam inutiles eſſent, ac morte afficerentur. Item ne ſe fœdis libidinibus immergerent, ſicut ſus, quæ ſe ingurgitat cœno: vel ne terrenis ſeruiant ſimulacris, ac ſe luto inquinent: luto enim ſe oblinunt, qui Deos, ideſt, qui lutum, terramque venerantur.* Hæc ex Lactantio recolebam, cùm porcorum gregem, malis actum ſpiritibus, præcipitem ruere animaduerterem, ex præſenti Euãgelij textu. Vnde facilè mihi venit in mentẽ ſors miſera hominum voluptuoſorum, qui ijs ipſis delectabilibus carnis illecebris, quibus fruuntur, cruciantur acerbiùs tam in præſenti ſeculo, quàm in futuro. Vtinam à præcipiti porcorum ruina ita erudiantur

Iudæis ſuilla caro interdicta, & cur

Sus animal pronum ad libidinem.

A homines, prauis effœminati concupiſcentijs, vt eas tanquam dirorum artifices cruciatuum refugiant, atque auerſentur.

Senecam, & Saluſtium non poſſum hoc loco non laudare: Illum quidẽ ep. 51. in fine de voluptatibus ita ſcribentem: *In hoc nos ampleꝃuntur, vt ſtrangulent*: Hunc verò conditionem hominum voluptatibus deditorum his verbis explicantem: *Quibus corpus voluptati, anima oneri eſt*. Si ſtrangulant amplexus, ſi tantundem oneris additur, quantùm voluptati tribuitur; an non cruciare magis, quàm delectare iudicabuntur? Sed longè accommodatius D. Chryſoſtomus hom. 1. in Iob; vbi conſi-

Voluptates amplexu ſtrangulant.

Voluptates onerosæ

B derans delicias, lautitiaſque filiorum Iob, quos abſtulitè medio mors inopina, dum vino indulgebant & genio, ſic habet: *Quæ ipſis vna eademque hora, domus & ſepulchrum, conuiuium & tumulus, feſtum & fletus facta eſt*. Horrifica planè permiſtio, qua docemur cruciari magis, quàm delectari miſeros homines illecebris deliciarũ. Illam autem irati Numinis minacem vocem, apud Ezech. c. 23. quis ſine animi horrore recolere poteſt? *Propterea*, (verba ſunt clt. cap. nu. 10. *tradidi eam in manus amatorum ſuorum, ſuper quorum inſaniuit libidine, ipſi diſcooperuerunt ignominiã eius, & filios, & filias tulerunt, & ipſam*

Funeſtæ, & ferales

C *occiderunt gladio*. Non habet ira Dei tormentum maius, pro vlciſcenda animarum laſciuarum impudicitia, quàm eaſdem ſuis tradere amatoribus. Nullum pœnæ genus atrox adeò excogitari poteſt, ad plectendam impudentiam cordium fœdorũ, quàm eadem transfodienda exponere manibus amicorũ ſuorum. Nullus aequè ferus carnifex eſt, atque impurus criminũ ſocius, ad torquendum turpem illum nefandumque, qui prauis ſenſuum affectibus ſubiugatur.

Vltrices, & ſæuæ.

Audio Salomonem (quis autem audire renuat virorum ſapientiſſimum?) Prou. 9. à n. 13 ad finem: *Mulier ſtulta, & clamo-*

D *ſa, plenaque illecebris, & nihil omnino ſciẽs ſedit in foribus domus ſuæ ſuper ſellam in excelſo vrbis loco, vt vocaret tranſeuntes per viam, & pergentes itinere ſuo: Quis eſt paruulus declinet ad me. Et vecordi locuta eſt: Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuauior: Et ignorauit quòd ibi ſunt gigantes*. Non potuit magis ad viuum exprimi plena leporibus, plena blanditijs facies illecebroſa voluptatum; ſequor enim Caietanum, & Bedam hic, Hieronymum verò in c. 13. Oſee docentes ſub perſona, habitu, incitamentis meretricis, voluptatem, ac delectationem carnis repraeſentari. Tum recitò phraſim Chaldæam, quæ extrema verba

A *Et ignorauit, quòd ibi ſint gigantes*, legitur: *Et ignorat, quòd ibi deijcit gigantes*. Putabam aliter declarandam eſſe deceptionem incautorum, qui capiuntur oblectamentis fallacibus corruptæ voluptatis. Ideò itaque decipiuntur miſerrimè, quia latent ſub dulcibus oblectamentis ruinæ, & tormenta grauiſſima: hæc autem quænam ſunt? audi: *Et ignorat, quòd ibi deijcit gigantes*. Fabuloſo commento diuina veritas poterit fortaſſe illuſtrari. Gigantes olim vim cælo machinantes, proſtratos proſtratoſque, fabuloſa poëtarum natio decantauit, illos dico gigantes, quos in cælum irrûpere, & de Regia Iouem deturbare voluiſſe antiquitas cômenta eſt. B Temerarios hoſce prædones, graſſatoreſque, vltra fines mortalitatis profligatos aiunt ipſis, quos cumulabant môtibus, vt violenta manu, Deorû Regiam popularentur. Quid illo gigantum excidio truculentius? aut quid acerbius, vel luctuoſius illa bellantium, ac bacchantium carnificina, quos ferali veluti ſepulchro incluſerunt, ac tumularunt ipſa ſuæ perfidiæ machinamenta? Attende quid ſibi velit Salomon: *Mulier ſtulta, & clamoſa, plenaque illecebris locuta eſt: Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuauior. Et ignorauit quòd ibi ſint gigantes.* C Vel: *Et ignorat quòd ibi deijcit gigantes.* Dulces videntur deliciæ carnis, ſenſuſque voluptates: quibus ſi capiaris, time: tormento omnium truculentiſſimo, atque ex ijs ipſis voluptatibus, quas quaſi montes montibus aggeras cupiditate inexplebili, diſcinderis, ac ſecaberis in fruſta, non ſecus ac gigantibus contigit. O plena veris cruciatibus inania oblectamenta! Iam autem facile erit intelligere ſenſum Senecæ philoſophi lib. 6. de benefic. cap. 25. dicentis: *Ferè idem eſt exitus odij, & amoris inſani*. Concipe mente, quò perueniant conatus antiquiſſimi odij, atque inteſtini; concipe vulnera, excidia, lanienas, ablata viſcera, diſciſſa membra, tranſuerberata præcordia, & ſi quid atrocius ab odio, atque inimiciſſima voluntate prouenire poteſt, animo apprehende: & tantundem ab amoris inſani impetu timeas, vt rectè iudices, ac ſapienter. Non id ex me, ſed ex Philone Carpathio, in Cantica initio ſic dicente perdiſcas: *Horum omnium perniencioſiſſima eſt amicitia, atque teterrima: hi enim* (loquitur de inſano amore coniunctis) *lethali œſtro voluptatis capti, ſibimet crudeliſſimi ſiunt inimici; omniſque talis, & amor, & amicitia in ſempiternas ipſis vertetur inimicitias, odiumque peſtiferum*. Quantò

Inanis in cælum conatus Gigantum.

Voluptuoſi ſibi ſæui ſunt.

Inimiciſſimæ amicitiæ impudicorum.

A carior, tantò & grauior ſit coniunctio turpium amatorum.

Prodit ſe mihi plenus zelo, & quâ oculis, quâ fronte, quâ toto corporis habitu cæleſtis iræ ignem ſpirans Elias, qui, vt impium Achab terrore compleret, ob indignam, ſceleſtamque pijſſimo viro Naboth illatam necem, ſic fatur apud S. Ambroſium lib. de Naboth. cap. 11. ex lib. 3. Reg. cap. 21. num. 19. *Occidiſti, & poſſediſti? Propter hoc hæc dicit Dominus: In loco, in quo linxerunt canes ſanguinem Nabuthe, in eo lingent canes ſanguinem tuum: & meretrices lauabunt ſe in ſanguine tuo*. Non vnum fuit Regis nefarij cri- B men; adeòque & pœna plectendum multiplici. Quia Achab interfecit virum iuſtum Naboth, & ipſe necandus eſt: Et quia Iezabelis amore captus Achab, ſcelus tantum patrare auſus eſt, damnetur ideo proportionato tanto facinori ſupplicio: Ecquodnam hoc erit? Nimirum ob meretricis amorem peccaſti; meretrix ipſa tuo lauetur ſanguine: *Et meretrices lauabunt ſe in ſanguine tuo*. Sic turpium deliciarum opifices, carnifices ſunt ſanguinolentæ crudelitatis. Canebat bene Gregorius Nazianzenus in diſtichis.

Mala res eſt dracones: mala res & aſpides:
C *Duplex mulieris malitia inter feras.*

Non draco, non aſpis, non fera vlla fera adeò eſt, quàm ferrea inuenitur voluptas contra amatores ſuos. Sed meliùs Ambroſius ipſe in eo modò citato, rem totam declarat his verbis: *Quid ſibi autem vult, quòd meretrices lauerunt ſe in ſanguine eius? niſi fortè, vt meretricia quædam, in illa feritate, fuiſſe Regis perfidia proderetur, vel cruenta luxuries; qui ſic fuit luxurioſus, vt olus deſideraret; ſic cruentus, vt propter olus hominem occideret*. Luxurioſi hominis carnificinam ipſa exercet luxuria: *Et meretrices*, non inimici, non perduelles, non feræ, ſed *meretrices* D *lauabunt ſe in ſanguine tuo*.

Satis, ſuperque peroraſſe ſibi viſus eſt Quintilianus declamatione 14. ad reuocandas à voluptatibus fœdis pronas hominum voluntates, ex Commodi ſententia differens, his verbis: *Diliguntur immodicè ſola quæ non licent: breuis, de conceſſis, & ſtatim ſatietati vicinus affectus eſt. Non fouet, non nutrit amorem concupiſcendi, vbi frui licet.* Quis non refugiat ab ijs delicijs, quas vix deguſtatas, præ ſatietate, cogimur nauſeare? Nauſeare autem, tanquam inſipidas? hoc parum eſt: immo, tanquam redundantes amaritudinibus, compellimur auerſari

Voluptates carnifices.

Qualis fera effrænatorum.

Sic

Sic monebat non humana inſignis eloquentia, ſed cæleſti imbutus ſapientia, Iſaias cap. 38. n. 17. *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima*: ſiue, vt legit Pagninus: *Ecce, dum eſſem in pace, amaritudo mihi amaritudo fuit*. Cùm ad delicias vſque omni voluptatum genere perfruerer, cùm oblectamentis omnibus ſatur, laxatis concupiſcentiæ habenis, nulla delectationis ſuauitate carerem; tunc tanto dolore afficiebar, tanto vexabar cruciatu, vt non vna tantùm, ſed geminata amaritudine aerumnoſi angorem cordis meritò repraeſentem. *Ecce, dum eſſem in pace, amaritudo mihi amaritudo fuit*. Nec breuiùs, niſi fallor, nec meliùs dici poteſt, niſi pronuncietur à nobis de praua voluptate illud ipſum, quod S Ephraem in tract. aduerſus improbas mulieres ſic protulit: *Expetita rabies: vipera veſtita*.

Plena amaritudinibus.

Impudica mulier, vipera.

Summi rerum opificis plenum diuinitate, & conſilium, & oraculum fuit; illud, inquam, ſeu conſilium captum, ſeu oraculum prolatum Gen. 18. num. 20. *Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum, & Gomorrha multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis. Deſcendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint*. Cuius ſententiæ ſenſum germanum, pro re præſenti nemo explicauit aptiùs, quàm Sanctus Petrus Damianus, quo auctore conſiderandum eſt, quam habeat connexionem clamor cum neſando Sodomorum peccato, & quam affinitatem cum fœditatibus Gomorrhæorum. Etenim omnis, qui male agit, lucem odio habens, nocturni ſilentij latebras quærit; ſed potiſſimum impudica laſciuia, quæ, cùm, fœditate ſua, ſupra quàm dici poſſit inuiſa ſit, latere cupit, & ſatagit abſcondi. Cur ergo infames cinœdi perhibentur, laſciuiæ licentia, cælum clamoribus compleuiſſe? Accipe à Damiano reſponſum lib. 2. ep. 18. *Excitat enim venatorem vox clamoris, cum te accendit flamma libidinis. Nullà quippe vox criminis ſonoriùs eleuatur in cælum, de qua dicitur, clamor Sodomorũ venit ad me*. Ab eo, quod venatoribus contingit, ſenſus diuini oraculi eſt eruendus. Venatores ad captandas, mactandaſque feras conueniunt alacres, & facto agmine tuba præcedente, armis, ſclopis, omni telorum genere inſtructi, videntur in arenam deſcendere pugnaturi. Cùm ecce tibi, dum ludicro vacant certamini, inopinatus clamantium fragor venatorum aures pulſat, & corda concutit tremore. Dicto citiùs, quæ arma in feras fuerant inſtructa, conuertuntur in perniciem immoderato clamore vociferantium. Iamque alacritate animorum verſa in furorem, contra inimicos eò magis infeſtos, quò minùs expectatos, qui ad laxandum animum conuenerant, ad hoſtium internecionem conſpirant implacabiles. Deum ſanè venatoris perſonam ſuſcipere, parteſque explere, ad populi ſui fugientes animas curſu velociſſimo tenendas, conſequendaſque, ipſemet Dominus teſtatur apud Ieremiam cap. 16. numer. 16. *Mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum*. Delectatur venatione Dominus, ſuiſque ad venandum conuocatis, per abrupta montium errantibus inſiſtit, ne pereant. At verò percipiant, qui voluptatibus capti impudicis, ſenſuum tripudijs detinentur; percipiant, inquam, fœditatibus huiuſmodi, quaſi inopino clamore excitari, ac veluti concuti venatorem, adeò vt ea inſtrumenta, quibus ad ludicrum certamen erat inſtructus, adhibeat ad carnificinam, importunè clamantium. *Excitat enim venatorem vox clamoris, cùm te accendit flamma libidinis*. Tranſit hilaritas animorum in iracundiam, ideoque venantium furor acerbior eſt, nec ferro ſolum, aut iaculo, ſed omni armorum genere deſæuit in auocantes hoſtili clamore à relaxatione gratiſſima venationis. Quot vulnera timeas, quot funera horreas, quot tormenta, quot mala, quot excidia neceſſe eſt perhorreſcas, quiſquis concupiſcentiæ melle delectaris? *Excitat enim venatorem vox clamoris, cùm te accendit flamma libidinis*.

Deus venator

Tacebo libens, vt gemina ſapientiæ, ac ſanctitatis antiquae clariſſima lumina, infantiae meae fugatis tenebris, eluceſcãt. Adeſte, attentè excepturi Iſaiam & Salomonem verba facientes, pro re praeſenti. Iſaias cap. 29. num. 8. ſic habet. *Sicut ſomniat eſuriens, & comedit; cùm autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima eius: & ſicut ſomniat ſitiens, & bibit; & poſtquam fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit, & anima eius vacua eſt*. Egregia ſanè ſimilitudine depingit, quod dicere volebam. Carnalium voluptatum ea miſerrima conditio eſt, vt inanibus oblectamentorum ſomnijs non recreet, ſed moleſtet; nec ſitim expleat, ſed rabidam accendat ſitim. Tu iſthaec, ſi ſapis, tormenta potiùs credere debes, quam oblectamenta. Sanè Hieronymus, in hunc locum monet veriſſimè. *Ardentior ſitis fit, qua caſſa potione deluſa eſt*. Iam verò Salomoni verba facienti aures beneuolae ſunt praebendae. Sic autem habet Prouer. 30.

Impudicitia clamat.

Voluptas ſomnium.

uer. 30. num. 15. *Sanguiſuga duæ filiæ dicentes, affer; affer*. Vel eum Origene ex Hebraeo, *dicentes, da, da*. Meritò comparatur praua voluptas ſanguiſugae duas filias habenti; quia videlicet mollibus oblectamentis corrupta mens, geminas veluti filias infando fœtu progenerat, concupiſcentiam carnis, & concupiſcentiam oculorum. Haec cogitanti mihi veniebat in mentem, quod ſcribit Plinius lib. 11. cap. 14. Sanguiſugae naturam explicans, proprietateſque in hunc modum *Vnum animalium, cui cibi non ſit exitus, dehiſcitque nimia ſatietate, alimento ipſo immoriens*. Dignum itaque Salomone acumen. Vis ſcire, qualis nam ſit venereæ dulcedinis oblectatio? Diſce ex ſanguiſuga: quæ ſicuti, inter omnia animantia, eo ipſo, quo ſuauiùs veſcitur, ſanguine, dirumpitur, & emoritur; talis ſimiliter eſt blandior ſenſuum oblectatio, qua ſi caperis, dehiſcis, diſrumperis, emoreris, ſanguiſugae in morem. Verùm Salomonis mentem meliùs aſſequetur Cyprianus, & feliciùs exponet eloquentia ſua in hunc modum libro de ſingularitate Cleric. circa finem: *Rabiem concitat haec cupido, porrigit furiam, caſus exaltat, ripas eripit, præcipitia inſtruit, per infinita dedecora multiplices mortes inuehit*. Cupido carnalis, quaſi ſanguiſuga ſanguinem expetit voraciſſimè. Miſerum planè, quem dulcedinis venereæ morſus tetigit. Blandam credis, plenamque leporis eam, quae tuum ſitit ſanguinem, eam, inquam, quae tuis exhauſtis cruore venis, pingueſcit. Ne ſatiari putes ſitim tam diram: Et rabiem concitat, & furias excitat, & ſine termino funera, dedecora, praecipitia, omniumque voraginem infortuniorum, ac calamitatum barathrum miſerrimarum ſecum portat, & parat tibi.

Inexplebilis.

Diſrumpuntur voluptate carnali.

Voluptas concitat rabiem, non extinguit ſitim.

Euoluamus ex 4. lib. Reg. caput 23. num. 7. vbi de Rege Ioſia haec leges: *Deſtruxit quoque aediculas effœminatorum, qui erant in domo Domini, pro quibus mulieres texebant quaſi domunculas luci*. Omni ſeculorum memoria dignum, Ioſiæ fuiſſe conſilium, inficiabitur nemo. Conuocato enim, coactoque in templo populo, percuſſit cum Domino fœdus, & à Sacerdotibus, audientibus omnibus, legi iuſſit Deuteronomium. Tum per Helciam, alioſque templi miniſtros, eiectis profanis vaſis, quibus idolis immolauerant, & luco in puluerem redacto, veræ cultum religionis inſtaurauit. Notandum tamen eſt vaſa extra Ieruſalem, lucum in conualle Cedron ſimiliter extra ciuitatem fuiſſe combuſta. Et meritò; ſolerit enim pro publicis maleficiorum ſupplicijs certa deligi loca, ad maius damnati dedecus, ac turpitudinem. Quod cùm ita ſit, cur non eodem modo Ioſias, ad plectendos effœminatos, eoſdem ſuis aedibus auulſos, extra vrbis mœnia educi iubeat, ad augendā damnatorum pœnam, metumque ſpectantiū? An fortè mitiùs agere voluit cum impudicis? Abſit, vt Ioſias indulgeat ijs, quos igneo abſumendos turbine declarauit Deus. At verò ſapientiſſimè Ioſias, vt pœnas repetat ab effœminatis, non alium quærit locum, quàm ipſas eorum ædes, non alium vocat carnificem, non alias diſponit cruces; ſed ſolùm *Deſtruxit quoque aediculas effœminatorum*. Nimirum nulla aut grauior, aut ignominioſior pœna dari poteſt effœminato ea ipſa, qua fruitur, voluptate. Eijciantur ex vrbe idolis ſeruientia vaſa, ad quærendum turpis ignominiae locum accommodatum, & inueniendum ſupplicium tanto ſceleri par. Effœminati, & dedecus, & tormentum ſecum ipſi ferunt, & habent domi. Vnde Seneca, voluptatem, ſcribit, rem infamem eſſe ep. 59. Sed longè meliùs, & copioſiùs S. Ambroſius lib. de Elia, & ieiunio cap 14. *Rogas ad iucunditatem: cogis ad mortem. Inuitas ad prandium; efferre vis ad ſepulchrum. Cibos promittis; tormenta irrogas. Vina prætendis; venena ſuffundis*. Miſera voluptatis mancipia an non ſentitis, quae veſtra ſint oblectamenta? tormenta veriſſima, & atrociſſima. Propterea D. Paulus ad Rom 1. num. 24. de huiuſmodi loquens hominibus, belluarum more fœdatis, inter immundos concupiſcentiae amplexus, dicebat: *Tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis*. Tu tibi contumelioſus, tu tibi patibulum, & lanieoa, tu tibi perſecutor, & tortor, ſi fallacibus ſenſuum blanditijs corrumparis. Quod eleganter explicuit in Sampſone Paulinus Epiſ. 4. ad Seuerum, hominem quemlibet voluptatibus effœminatum deſcribens, in hunc modum. *In ſemetipſo piſtrini ergaſtulum patitur, ſaxum cordis ſui, pertinacia iniquitatis induratum, quaſi molam verſat, farinam beſtibus ſuis, de corrupta anima ſua fruge conficiens*. Hæccine blanditiæ, quibus Dalilæ ſuæ excepti complexibus, voluptuoſi homines perfruuntur? *Tradidit*, nimirum, *illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis*.

Voluptas pœna omnium grauiſſima.

Luxurioſus ſibi ipſi patibulum.

Placet Magni Gregorij afferre ſententiam, cùm explicat vaticinium, ſeu oraculum

tulum Ieremiae cap. 31. num. 30. dicentis: *Omnis homo qui comederit vuam acerbam, obſtupeſcent dentes eius. Vua acerba*, loquitur Gregorius lib. 11. moral. cap. 15. *eſt fructus ante tempus: quiſquis enim præſentis vitæ delectationibus ſatiari deſiderat, quaſi fructus ante tempus comedere feſtinat. Qui igitur vuam acerbam comedunt, dentes eis obſtupeſcunt.* Sicut vua acerba, pro ſuauitate, ſtuporem dentium, & pro guſtu, inſuaue acerbitatis ſuae taedium affert: ita carnis oblectamenta moleſtia ſua ſatis conficiunt, & affligunt. Liceat mihi dicere id indicatum fuiſſe à M. Tullio Cicerone lib. de natura Deorum his verbis: *Sui, ne putreſceret, animam pro ſale datam eſſe dicit Chryſippus.* Vbi dum Chryſippum deridet, nos seriò monet, impudicorum hominum vitam redundare moleſtijs. Sicuti enim ſal corrodit, & exſiccat, ita iſtis anima pro ſale eſt; pungit enim corroditque verme conſcientiae, ſalis inſtar, rationis praeſes animus. Cœnoſo voluptatis luto qui volutantur, acido ſalis morſu corroduntur, ac conſumuntur. Neque verò abſonum eſt, ad porcos iterum retuliſſe fœdos hoſce paraſitos, ventris, venerisque mancipia impura. Sicut enim primo guſtu ſapida eſt ſuilla caro, ita poſtmodum morbos gignit grauiſſimos, vt ex Plinio lib. 8. cap. 51. colligi facilè poteſt. Nominatim verò, teſte Tacito lib. 5. porcinae carnis eſus inducit ſcabiem, cui hoc animal eſt obnoxium. Vt hinc etiam naturae magiſterio, extra controuerſiam pro certo ſtatuamus, ita comparatum eſſe, vt ſibi ipſis, & pœnam, & ſupplicium dirumque tormentum inferant ipſis voluptatibus ſuis, qui turpium delectationum amore capiuntur.

Voluptas mordet, & corrodit.

Verùm, quia nullum in hac vita malum diuturnum eſſe poteſt, ſi grauiſſimum ſit, ideo fortaſſe, quæ hactenus dicta ſunt, ſegniùs irritant animos, ad remittendum voluptatibus nuncium. Maiorem ſine dubio habituræ ſunt vim pœnæ, quæ, & grauiſſimæ, & æternae voluptuoſos homines apud inferos cruciabunt. De his Amos cap. 6. num. 7. *Migrabunt in capite tranſmigrantium, & auferetur factio laſciuientium.* Migraturi ſunt laſciuientes non modò in Babylonicam captiuitatem, ſed in ſeruitutem aeternam: Et quidem *migrabunt in capite tranſmigrantium*: quaſi inter omnes damnatos principem obtineant locum; inter inimicos capitaliſſimi hoſtes, adeoque plectendi grauiùs, laſciuientes. *O delicate*, verba S. Bernardi ſer. 19. de diuerſis, *qui delicijs*

A *& diuitijs circumfuſus confuſiones expectas, & mortem: non eſt regnum Dei eſca, & potus; non purpura, & byſſus; quia diues ille vtroque circumfuſus, in puncto ad infernum deſcendit.* Geneſis cap. 38. Iudas, vt Thamaris existimatæ meretricis fruatur amplexu, vt mulieris animum alliciat ad concubitum, turpis lucri pretium pollicetur petenti; ſic enim num. 16. & 17. *Quid dabis mihi vt fruaris concubitu meo? Dixit, mittam tibi hædum de gregibus.* O egregiam mercedem! O dignam operis nefandi compenſationem! Audi S. Zenonem: *Hædum ei promittit, id eſt, quæ ſit peccati merces oſtendit.* Im-

B pudicitiæ peculiari modo tribuitur, vt ſegreget ab agnis: Proprium eſt libidinis, inter haedos, hoc eſt inter reprobos, aeternis addictos cruciatibus reponere voluptuoſos; cùm nihil dici, aut excogitari poſſit durius, aut acerbius. Quod commune eſt omnibus damnatis, peculiari modo tribuitur impudicis.

Luxurioſi æternis addicẽdi ſupplicijs.

Id porrò apertiùs declarabitur a Salomone Prouerb. cap. 7. Vbi meretricis impudentem deſcribit licentiam, & obſcœna lenocinia, ad captandos incautos: Tum concludit num. 27. *Via inferi domus eius, penetrantes in interiora mortis.* Quaeris, quæ ſint iſta interiora tartarei ſpecus?

C Reſpondebunt ſeptuaginta, vertentes, *in receſſus*, vel, *penates mortis*. Reſpondebit Chaldaeus interpres, *ad cubicula ſepulturæ*. Sed meliùs, pro re praeſenti, Sanctus Hieronymus in hunc locum, his verbis: *Interiora autem mortis, acerrima gehennæ tormenta, quaſi arctiora, & obſcuriora dicit, quibus hæreticos, & fornicarios conſtat eſſe mergendos.* Non eſt ſatis infernus ad ſupplicium impudicorum, ſed ipſius carnificinæ laniena crudelior, ipſius fornacis incendiũ voraciſſimum, ipſa tormentorum vis ſæuior ad laborant, vt pares referant fracto, eneruatoque volup-

Luxurioſi grauiſſima inferni manent tormẽta.

Luxurioſis & hæreticis par pœna.

D tatibus pœnas. Non primo conſiſtunt in limine carceris auerni libidinoſi, ſed intimis excepti receſſibus, tormentorum cumulo, ruinarum aggere, dolorum omnium funeſtiſſima conſpiratione, conteruntur: *Via inferi domus eius, penetrantes in interiora mortis.* Quis non horreat primum limen voraginis infernalis? Dauid ſanè deprecabatur, ne includeret illum ira Dei intra clauſtra inferni. Pſalm. 68. num. 16. *Neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.* Quid, ſi in ima proijcendus fuiſſet? quid, ſi obſcuriores intra cuniculos, & ſecretiores anguſtioreſque angulos recludendus? Ser. 2. de Nupt. ſic hunc locum interpretatur Hilarius: *Ideo dixit:*

Neque

Neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum, qui, cùm ſuſceperit reos, claudetur ſurſum, & aperietur deorſum; dilatabitur in profundum; nullum ſpiramen, nullus liber anhelitus, clauſtris deſuper vrgentibus, relinquetur: detrudentur illuc, valedicentes rerum naturæ: vltrò neſcientur à Deo, qui Deum ſcire noluerunt, morituri vitæ, & morti ſine fine victuri. At, ſi hæc omnibus damnatis communia ſunt mala; quantò maiora putabimus futura eorum, in quos vt ira Dei deſæuiat, in interiora mortis, hoc eſt, in acerrima gehennæ tormenta, pronunciauit eſſe conijciendos, conterendoſque.

Cruciabantur, acerbiùs quàm alij damnati.

Itaque qui ſapit, nequaquam fidet venenatis oſculis, & mortiferis amplexibus obſcœnæ cupiditatis, memoria tenens, & animo verſans id, quod ſcribitur lib. 2. Reg. cap. 20. num. 9. Vbi Ioab Amaſam dum oſculatur, vulnerat; dum amplectitur, necat. O oſcula atrociora funeribus, ò amplexus morte diriores! *Dixit itaque* (verba textus cit.) *Ioab ad Amaſam, ſalue mi frater. Et tenuit manu dextera mentum Amaſæ, quaſi oſculans eum* (nil blandiùs, aut ſuauiùs) *Porrò Amaſa non obſeruauit gladium, quem habebat Ioab, qui percuſſit eum in latere, & effudit inteſtina eius in terram, nec ſecundum vulnus appoſuit.* Quid acerbius, aut ferocius? Si primo ictu iacet conſternatus Amaſa, quid, ſi vulnera vulneribus ſuperaddantur? Nunquam obliuiſcaris Siſaræ, quem Iahel, vt leges 4. Iud. num 21. proditione turpiſſima, & crudeliſſima morte ſuſtulit è medio, cùm amico exciperet hoſpitio, & purum lac porrigeret, pro aqua, quam ad leuandam ſitim poſtulauerat. *Da mihi* (verba textus) *obſecro, paululum aquæ, quia ſitio valde, quæ aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere.* Et paulò poſt: *Tulit itaque Iahel vxor Haber clauum tabernaculi, aſſumens pariter, & malleum; & ingreſſa abſcondité, & cum ſilentio, poſuit ſupra tempus capitis eius clauum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum, vſque ad terram* — *Clauus eſt libido,* ait Ambroſius, de bono mortis cap 5. Duo hoc loco obſeruo. In clauo, quo Siſara vulneratus occumbit, recognoſco firmam eſſe, ſtabilemque, pluſquam clauo confixam trabali, pœnam effœminatorum; quod adumbrat clauus, terræ infixus, & hoc quidem commune habent, cum omnibus reprobis, & filijs perditionis. Alterum verò quod noto, eſt, confoſſum Siſaræ caput, immo capitis partem nobiliſſimam, & maximè dolori obnoxiam fuiſſe terebratam, dilaceratamque: quod eſt pecu-

Voluptas perdit & perimit dum blanditur.

A liare eorum, qui ſenſuum blandimentis capiuntur, & corrumpuntur: Nimirum cruciatus iſtorum, tantò reliquorum ſupplicijs trucior eſt, quantò caput reliquis corporis membris præſtat. Tandem nunquam obliuiſcaris latæ à Deo ſententiæ, in Babylonem meretricem magnam. hoc eſt, in homines meretricijs corruptos oblectamentis cap. 18 Apocalyp. num. 7. *Quantùm glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantùm date illi tormentum, & luctum.* Inter detruſos inferno carcere, nullus miſerior, aut afflictior eo, qui luxuriæ laxatis habenis, in omnem excurrit licentiam. Sicut enim nemo, inter ſceleſtos dulciùs

Voluptuoſo nullus inter damnatos miſerior.

B oblectatur, effœminato; non iracundus, non auarus, non inuidus, & ſic de ſingulis, tanta voluptate perfunditur; ita nemo grauiùs affligitur, aut lancinatur. Etenim ab exceſſu deliciarum, mœroris, & angoris menſura deſumenda dicitur. *Quantùm in delicijs fuit, tantùm date illi tormentum, & luctum.* Scio viros tam humana, quàm diuina ſapientia præcellentes plura, eaque veriſſima protuliſſe, ad reuocandum hominum amorem à noxijs hiſce, fucatiſque voluptatibus: Scio inquam, luxuriam, armis ſæuiorem, decantatam fuiſſe à Iuuenali ſat. 6 — Inopiæ matrem, luxuriam dictam à Plauto in

Voluptas armis ſæuior.

Mater inopiæ.

C Stico act. 5. ſcen. 5 — Libidinem, diram comitem magnæ fortunæ, peſtemque delicatas domos eligentem, à Seneca in Hipp. act. 1. ſcen. 2. dictam fuiſſe, non ignoro. Immo etiam dicitur luxuria, Charybdis ſalutem vorans, à Hieronym. Ep. ad Heliod — Fœdiſſima ſeruitus, libido nuncupatur à Cæſario hom. 5. ad Monachum, à Gregorio 27 mor. cap. 5. — Dæmon voluntarius, à Chryſoſtomo — Sæuus criminum ſtimulus, ab Ambroſio, de Abel & Cain. Quid plura? Depopulatricem humani generis, luxuriam dicit Caſſiodorus lib. 11. variar. epiſt. 3 — Generis

Peſtis.

Charybdis;

Dæmon voluntarius.

Stimulus criminum.

Depopulatrix.

D humani ſepulturam, Chryſoſt in pſalm. 50 & hom. 11. in 1. ad Cor — Tyrannam confuſionis cauſam, Auguſtinus 22. de ciuit. cap. 17. Hæc nempe ea animorum perturbatio eſt, quam vt declaret Nazianzenus in tetraſt. num. 42. ait, libidinem & dæmonem æqualia eſſe. Tertullianus de pudic. cap. 4. libidines, furias impias; non delicta, ſed monſtra. Libidinem quis non auerſetur, ſi ab Haymone in 2. ad Cor. meritò venenum dicitur? Luxuriam quis non refugiat, ſi cæcus & obſcurus carcer habendus eſt, indicio Auguſtini in pſal. 118.? Te ergo non demulceat inſidioſè blanda voluptas ſenſus. Etenim religioſè Boëtius lib. 3. met. 10.

Sepultura.

Tyranna.

Furia; Monſtrum.

Venenum;

Carcer.

Ter-

Catena

Terrenas hebetans libido mentes,
Ligans improbis catenis.

Te ergo non fallant mentitæ carnis dulcedines: ſanctiſſimè etenim Ambroſius lib. de fuga ſeculi cap. 4. *Libido, tanquam furioſa domina exagitat, furit, incendit.* Quæ ſi mente excidant, hæreat altè cordi inſculptum: Quæ peccantem iucundiùs delectant, acerbiùs cruciant. Vt hoc, veluti monitore, ſemper præ oculis habentes, & præſentis, & futuræ vitæ incommoda, quæ à voluptate proueniunt; in officio contineamur. Ego ſanè diuinæ delectationem iucunditatis expertus, & prauarum acerbitatem voluptatum probè tenens, continere me non poſſum, quin cum S. Bonauentura ſtim. amor. cap. 2. exclamem. *O cor peſſimum, iam non humanum, ſed diabolicum; vſquequo reſiſtes immenſæ largitati diuini amoris? Quare non magis delectaris in vulneribus Ieſu Chriſti, dulcioribus ſuper mel, & fauum, quàm in delectationibus mundi & carnis, omni amaritudine plenis?* Quo loco non poſſum mihi non gratulari, cùm animaduertam Chriſtianæ Principes eloquentiæ, de argumento propoſito, tanto orationis ornatu differentes, vt certare de elegantia videantur. Ij ſunt, non ſolum bene dicendi, ſed etiam bene viuendi magiſtri clariſſimi, Hieronymus, Chryſoſtomus, & Valerianus Epiſcopus Cemelienſis. Et Hieronymus quidem Epiſt. 10. ad Furiam hæc ſcribit. *Non Ætnæi ignes, non Vulcania tellus, non Veſeuus, & Olympus tantis ardoribus æſtuant, vt iuueniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ.* Qui ſe voluptuoſis ingurgitat compotationibus, Veneri indulgens, & Baccho, excitat in ſui ſecreto pectoris incendium; & quale incendium, Deus bone? Vulcano ſaeuius & Æthnaeo ardentius. Chryſoſtomus de verbis Iſaiae hom. 3 ſic ſtatuit: *Quæ poſſit illic eſſe voluptas, vbi metus, vbi diſcrimen, vbi periculum, vbi tantorum malorum expectatio, vbi tribunalia, vbi accuſationes, vbi iudicis ira; vbi gladius, vbi carnifex, vbi barathrum?* Heu dolor; quali inficitur felle prauae mel voluptatis! Valerianus demum hom. 6. loquitur in hunc modum: *Nemo inſidioſis cantibus credat, nec ad ea libidinoſa vocis incitamenta reſpiciat, quæ, cùm oblectant, ſæuiunt; cùm blandiuntur, occidunt.* Quibus conſideratis videntur mihi turpia oblectamenta comparari poſſe, cum Pyrite lapide Perſico, qui ex Auguſtino lib. 21. de Ciuitate Dei cap. 5. ſi tracte-

Impudici cor, diabolicum.

Voluptas incendium

Plena metu, & horrore.

Luxurioſus cum Pyrite lapide comparatur.

A tur manibus, adurit, abſumitque incendio; cùm caeteroqui aſpectu delectet, & recreet mirum in modum; cùm argentei ſit aureique coloris, teſte Plinio lib. 36. cap. 19. initio. Eodem prorſus modo, quae peccantem iucundiùs oblectare videntur primo aſpectu, cruciant re vera acerbius cùm attrectantur. Aut certè delicias huiuſmodi non incongruè comparabis aeneae equae, fictæ olim, efformatæque mira cum laude artis in Heraclea Elidis Peloponneſi prouincia. De hac ſcribit Cardanus lib. 18. de ſubtilitate, aitque tàm eximiae fuiſſe pulchritudinis, vt equi aſpicientes, inire conarentur, impetu adeo B vehementi, vt ſtare loco non poſſent: immo, cùm ob æris leuitatem dilaberentur, aſcenſum toties repetebant, donec vngulae frangerentur, & non niſi acti fuſtibus deſiſtebant: ea conſpecta, non hinnlebant modò, tanquam reperta equa, verùm etiam accendebantur ad eam, multas inter ſtatuas vexandam, aggrediendamque. Illitis fæce impuri amoris, dicere poſſumus Dauidicum illud: *Nolite fieri ſicut equus.* Pſal. 31. num. 22. Etenim quod allicit, trahitque, videtur oblectamentum; cùm tamen tormentum eſſe, comprobet experientia: aeneo ſimulacro durius deprehendes genus illud voluptatis, cuius amore flagras vſque ad inC ſaniam.

Cum equis Heracleæ.

Memorandus, immo admirandus, meo quidem iudicio, fons Aponis, de quo mentionem facit Caſſiodorus lib. 2. variarum Epiſtola 39. quæ eſt Theodorici Regis Italiæ ad Aloyſium Archirectum, de balneis huius fontis; de quo inter reliqua refert nominatim, habere aquas iucundiſſimè perſpicuas; aitque lauacrum delicioſum eſſe, & ſalubre ſupra quàm dici poſſit. Hæ ſanè prærogatiuæ ſunt minimè contemnendæ. Verùm omnem ſuperare cenſeo admirationem, quod idem auctor tradit ibidem; videlicet eundem fontem, indita D quadam à natura inaudita, & omnino ſtupenda continentiæ lege, non ferre vtrunque ſexum ſimul. Etenim, ſi in idem balneum, quo tempore viri recreantur, mulier deſcendat, inuiſæ impudentiæ quodammodo impatiens vnda incenditur, & inardeſcit. Quaſi ad inuiolatam illibatæ pudicitiæ laudem tuendam, vltrici flamma, concepto ardore ebullit, ſæuitque in procaces integritatis, & modeſtiæ graſſatores. Sic vrit, quod paulò antè recreabat, vt credas certò certiùs, ex ijs, quæ natura ſua delectarent iucundiùs, cruciari acriùs nefaria temeritate peccantes. Quãdò autem aquarum incidit mentio; ſilen-

In Aponis fonte homines, & mulieres ſimul ſtare non poſſunt.

tio

A tio præterire non poſſum, quod legi apud Solinum Cap. 24. Polyhiſtoris de Hypane; his verbis: *Hypanis amnis Scythicorum amnium princeps, purus, & hauſtu ſaluberrimus vſque dum Callipedum terris inferatur, vbi fons Exampeus liquido admixtus fluori, amnem vitio ſuo vertit, adeò vt diſſimilis ſui in maria condatur*. Videtur mihi Hypanis hieroglyphicum eſſe voluptatis, quæ iucunda initio, & ſuauis delectat; mox in inſuauem degenerat amaritiem; quæ poſteà moleſtius cruciat, quàm blandè antea recreaſſet. Id expertum ſe fuiſſe teſtatur, & lamentatur Princeps ille 1. Reg. 14. n. 43. *Indicauit ei Ionathas, & ait: Guſtans guſtaui in ſummitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, & ecce ego morior* Heu quàm verum eſt, melleum ſaporem in felleam mortis triſtitiam commutari! Ipſemet gentilis M. Tullius in Hortenſio pronunciauit: *Quæ confectio eſt valetudinis? Quæ deformitas coloris, & corporis; quod turpe damnum, quod dedecus, quod non euocetur, atque eliciatur voluptate?* Quid, oro, voluptatis habent, ò fœdi impuræ libidinis amatores, voluptates veſtræ, ſi vires eneruant; corpus commaculant; & nullum tam turpe, aut damnoſum dedecus eſt, quod non inferant, dû oblectare creduntur ab incautis? Hi mihi videntur ſimiles incolis illis Fortunatæ inſulæ, qui, vt ſcribit Pomponius Mela lib. 3. de ſitu orbis Cap. vlt. dum fontis cuiuſdam deguſtant aquam, ad riſum excitati; dum hilari videntur iucunditate perfundi, cachinnos inter, riſu ſoluuntur in mortem. Heu, quibus proſequendæ ſunt fletibus iucunditates huiuſmodi, tam ferales, tam mortiferæ; tam atroces!

Voluptatis dulcedo degenerat in amarorem.

Incolæ Fortunatæ inſulæ inter cachinnos moriuntur.

B Videri poſſunt P. Blaſius de Vlegas in Apoc. cap. 12. comment. 1. ſect. 9. n. 4. & cap. 14. com. 1. ſect. 4. num. 4. P. Didacus de Baeza in Euang. hiſt. tom. 3. lib. 14. cap. 1. §. 1. P. Franciſcus de Mendoza 1. tom. in lib. 1. reg. cap. 2. num. 6. & tom. 2. cap. 4. num. 3. §. 13.

Vide etiam quæ dixi 1. tom. Parad. 10. & 11. in cap. 5.

EVAN-

EVANGELIVM
Secundum Matthæum.

CAPVT NONVM.

1 ET aſcendens in nauiculam,
transfretauit, & venit in ci-
2 uitatem ſuam. Et ecce of-
ferebant ei paralyticum ia-
centem in lecto. Et videns
Ieſus fidem illorum, dixit
paralytico: Confide fili, remittuntur tibi pec-
3 cata tua. Et ecce quidam de Scribis dixerũt
4 intra ſe: Hic blaſphemat. Et cum vidiſset Ie-
ſus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogi-
5 tatis mala in cordibus veſtris? Quid eſt faci-
lius dicere: Dimittuntur tibi peccata: an di-
6 cere: Surge, & ambula? Vt autẽ ſciatis, quia
filius hominis habet poteſtatem in terra di-
mittendi peccata, tunc ait paralytico: Sur-
ge, tolle lectum tuum, & vade in domum

7 tuam. Et ſurrexit, & abiit in domum ſuam.
8 Videntes autem turbæ timuerunt, & glorifi-
cauerunt Deum, qui dedit poteſtatem talem
9 hominibus. Et, cum tranſiret inde Ieſus, vi-
dit hominem ſedentem in telonio, Matthæũ
nomine. Et ait illi: Sequere me. Et ſurgens;
10 ſecutus eſt eum. Et factum eſt, diſcumbente
eo in domo, ecce multi publicani, & peccà-
tores venientes diſcumbebant cum Ieſu, &
11 diſcipulis eius, & videntes Phariſæi, dicebant
diſcipulis eius: Quare cum publicanis, &
peccatoribus manducat Magiſter veſter?
12 At Ieſus audiens, ait: Non eſt opus va-
13 lentibus medicus; ſed male habentibus.
Euntes autem diſcite quid eſt: Miſericordiã
volo, & non ſacrificium. Non enim veni
14 vocare iuſtos, ſed peccatores. Tunc acceſ-
ſerunt ad eum diſcipuli Ioannis, dicentes:
Quare nos, & Phariſæi ieiunamus frequen-
15 ter: diſcipuli autem tui non ieiunant? Et
ait illis Ieſus: Numquid poſsunt filii ſponſi
lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus? Ve-
nient autem dies cum auferetur ab eis
16 ſponſus: & tunc ieiunabunt. Nemo au-
tem immittit commiſsuram panni rudis in
veſtimentum vetus: tollit enim plenitudi-
nem

nem eius à veſtimento: & peior ſciſsura fit.
17 Neque mittunt vinum nouum in vtres ve-
teres, alioquin rumpuntur vtres, & vinum
effunditur, & vtres pereunt. Sed vinum no-
uum in vtres nouos mittunt: & ambo con-
18 ſeruantur. Hæc illo loquente ad eos, ecce
princeps vnus acceſsit, & adorabat eum, di-
cens: Domine, filia mea modo defuncta eſt:
ſed veni, impone manum tuam ſuper eam,
19 & viuet. Et ſurgens Ieſus, ſequebatur eum,
20 & diſcipuli eius. Et ecce mulier, quæ ſangui-
nis fluxum patiebatur duodecim annis, ac-
ceſsit retro, & tetigit fimbriā veſtimenti eius.
21 Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantùm
22 veſtimentum eius: ſalua ero. At Ieſus con-
uerſus, & videns eam, dixit: Confide filia,
fides tua te ſaluam fecit. Et ſalua facta eſt
23 mulier ex illa hora. Et cum veniſset Ieſus
in domum principis, & vidiſset tibicines, &
24 turbam tumultuantem, dicebat: Rece-
dite: non eſt enim mortua puella, ſed dor-
25 mit. Et deridebant eum. Et cùm eiecta
eſset turba, intrauit: & tenuit manum eius.
26 Et ſurrexit puella. Et exiit fama hæc in
vniuerſam terram illam. Et tranſeunte
inde Ieſu, ſecuti ſunt eum duo cæci,

clamantes, & dicentes: Miſerere noſtri, fili
28 Dauid. Cum autem veniſset domum, ac-
ceſseruut ad eum cæci. Et dicit eis Ieſus:
Creditis quia hoc poſsum facere vobis?
29 Dicunt ei: Vtique, Domine. Tunc tetigit
oculos eorum, dicens: Secundum fidem ve-
30 ſtram fiat vobis. Et aperti ſunt oculi eorum:
& comminatus eſt illis Ieſus, dicens: videte
31 ne quis ſciat. Illi autem exeuntes, diffama-
32 uerunt eum in tota terra illa. Egreſsis autem
illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum,
33 dæmonium habentem. Et eiecto dæmonio,
locutus eſt mutus, & miratæ ſunt turbæ, di-
centes: Nunquam apparuit ſic in Iſrael.
34 Phariſæi autem dicebant: In principe dæ-
35 moniorum eiicit dæmones. Et circuibat Ie-
ſus omnes ciuitates, & caſtella, docens in ſy-
nagogis eorum, & prædicans euangelium
regni, & curans omnem languorem, & om-
36 nem infirmitatem. Videns autem turbas,
miſertus eſt eis: quia erant vexati, & iacen-
37 tes, ſicut oues non habentes paſtorem. Tunc
dicit diſcipulis ſuis: Meſsis quidem multa,
38 operarii autem pauci. Rogate ergo Domi-
num meſsis, vt mittat operarios in meſsem
ſuam.

IN CA-

IN CAPVT NONVM

A Num. I. ad IX.

Et aſcendens in nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem ſuam. Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto; & videns Ieſus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidã de Scribis dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat. Et cum vidiſset Ieſus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Quid eſt facilius, dicere: Dimittuntur tibi peccata tua: an dicere: Surge, & ambula? vt autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et ſurrexit, & abiit in domum ſuam. Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus.

PARADOXVM I.

Calamitas, magiſtrà morum, & diuini index amoris.

HIC ille eſt paralyticus de quo Marcus cap. 2. & Lucas cap. 5. circunſtantiam explicāt, quam prætermittit Matthæus; tot ſcilicet homines in domum, vbi Chriſtus erat, confluxiſſe, vt aditu omnino interclusó, coacti fuerint in tectum aſcendere, qui paralyticum portabant, tectoque detecto, paralyticum ante Chriſtum demiſiſſe. Nouum ſanè inuentum, & inauditum, attentè ſine dubio conſiderandum. Sicuti etiam cenſeo animaduertendum, quaerenti corporis ſanitatem, Chriſtum Dominum non modò ſanitatem, ſed largitum inſuper peccatorum remiſſionem. Nil porrò videbitur mirum, ſi attentè contemplationis oculos in paralyticum coniecerimus: Nempe calamitas magiſtra morum eſt, & diuini index amoris. Vides hominem omni humana deſtitutum ope, decumbentem in lecto, totius tremore corporis horrendum miſeriarum ſpectaculum circumferentem, à ſalutari Chriſti conſpectu, hoc eſt ab omni ſpe incolumitatis excluſum. Qualis heu, ac quanta calamitas! Haec enimuero ingenioſa magiſtra, ſicuti docet quaerere ſibi, & facere aditum per tectum, ita diuini eſt index amoris; proptereaque non modò vocatur à Chriſto, filius: *Confide fili:* Verùm etiam, obloquentibus, ac repugnantibus ſcribis, plus obtinet, quàm poſtulauerat: *Remittuntur tibi peccata tua: Surge tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.*

Calamitas virtutum diſciplina.

Et primò quidem veriſſimè, apertiſſimèque pronunciauit Minutius Felix in ſuo Octauio, paulò ante finē: *Calamitas ſæpius diſciplina virtutis eſt.* Fuſiùs, & enucleatiùs Olympiodorus in Salomonis Eccleſiaſten enarrat c. 7. poſt medium, in hunc modum: *Congruè Deus, atque appoſitè, quod videtur nobis malum adducit: vt, exempli gratia, bene quis valet, & hoc fruitur bono viuens ſecundum virtutem; paulòque mox in aduerſam incidit valetudinem, vel de opulento pauper efficitur.* Si percunctemur, quo nam modo dici queat, congruè, & appoſitè tot, taleſque nobis contingere calamitates? faciet ſatis idem Olympiodorus citato loco paulò poſt, inquiens: *Et Deum pio colimus metu, & cognoſcimus, Conſonum eſt itaque, quod eſſe videtur diſſonum, & æquale eſt, quod inæquale videtur.* Putabam diuinæ ſolius Sapientiae munus eſſe, Dei docere timorem, iuxta illud pſal. 33. num. 12. *Venite filij audite me, timorē Domini docebo vos.* Verùm, ex aduerſitatum exedra ipſa quoque & metum Dei calamitas docet, & ſummi boni tribuit notionem: Vrgente nēpe calamitate, *& Deum pio colimus metu & cognoſcimus;* Ergo ſi calamitas timorem Domini docet; docet vtique primam, atque principem eius partem ſapientiae, quae ſupernis animum imbuit inſtitutionibus. Rectè Sapiens Eccleſ. 1. num. 25. *Radix ſapientiæ eſt timere Dominum.* Placet excogitata à Petro Cellenſi ſimilitudo lib. de panibus cap. 14. vbi ad dandam timoris, de quo loquimur, notionem, comparat Pædagogo; virtutes verò reliquas, quibus Chriſtiani hominis animus exornatur, confert puellis traditis cuſtodiæ Paedagogi, ſcilicet timoris. Paedagogi illæ ſunt partes, vt bene viuendi tradat praecepta: Id ipſum quandoquidem perficit cum virtutibus reliquis timor, profectò perſpicuum eſt, doctrinam omnem ad rectè beatéque viuendum, à calamitate manare, quae timorem docet. Verba Petri Cellenſis ſunt: *Habeamus bonas, & pulchras gratiarum puellas; ſed ſub cuſtodia diligentiſſimi Pædagogi, ſcilicet, timoris.* Experto credendum eſt. Thren. 1. n. 13. Ieremias palam profitebatur: *Miſit ignem in oſſibus meis, & erudiuit me.* Nouus doctor; & inauditus docendi modus! Quis vnquam igni vim tribuit erudiendi? Si dixiſſet, miſit ignem, & purgauit me, tanquam aurum; vel vſſit renes meos, & cor meum; aut certè ignis micante fulgore mentis abiecit tenebras; facilè perciperemus vim ſententiæ. Verùm dicat: *Miſit ignem in oſſibus meis, & erudiuit me:* Nimirum igne calamitatum oſſa vorante, & aduerſitatum flammis bacchantibus in oſſa, caeleſti diſciplina animus eruditur. Propterea Baſilius in caput 1. Iſaiae pronunciat, de angore, quo actus afflicti hominis animus cruciatur, verba faciens: *Pædagogus eſt ad exercendam pietatem.*

Virtutum Pædagogus timor Domini.

Pietatis magiſtra calamitas.

Fabu-

Fabuloſum fortaſſe, atque alienum videbitur à veritate, quod ſcribit Athenæus lib. 8. cap. 1. Clotoris fluuij aquis eam ineſſe vim, vt vocales faciat piſces. O nouum, inauditumque miraculum! piſces natura muti, ac protſus elingues vocem formare diſcunt ab aqua. Hæc dùm admiratione perfuſus commemoro, audio purpuratum Vatem, pſal. 119. num. 1. canentem: *Ad Dominum, cùm tribularer clamaui*. Clamat, cùm tribulatur, qui inter felicitates tacebat: Nimirum calamitatum aquæ, vocales faciunt, & ſacris orationibus, modulandæ vocis artem tradunt. Bene canendi, immo ſanctè viuendi præcepta a calamitate tam clarè explicantur, vt facilè percipiantur. Ita Gregorio Nazianzeno viſum eſt, oratione ad ciues Nazianzenos circa medium, in hunc modum pronuncianti: *Prudenter illi faciunt, qui calamitatibus erudiuntur; ac inque illis, velut aurum igne, purgantur, Dauidicum illud in ore habent: Bonum mihi quia humiliaſti me: quòd videlicet ea res iuſtificationum Dei cognitionem in nobis excitet*. Perpende illa verba: *Calamitatibus erudiuntur*. Tum attende quod genus ſit eruditionis; nempè formandæ vocis, & ingerendæ mentibus noſtris cogitationis iuſtificationum Dei. Quæ vtilior diſciplina, aut quæ ſalubrior iuſtitutio excogitari poteſt? Dicat ergo B. Petrus Damianus, quod olim lib. 8. Epiſt. Epiſt. 14. initio ad ſorores ſcribebat his verbis. *Nota eſt regularis illa ſuperna iuſtitiæ linea, qua inuiſibilis arbiter eos in hac vita temporalis ærumnæ flagellis erudit, quibus tradere perpetuæ hæreditatis iura diſponit*.

Calamitatibus mirum in modum chriſtana mens eruditur.

Proferet, & exponet Iſaiae oraculum Ruffinus, vt Dei decernentis auctoritate noſtrae propoſitioni ſubſcribat. Intonat Dei nomine Oſee, cap. 4. num. 18. & 19. *Separatum eſt conuiuium eorum: ligauit eum Spiritus in alis ſuis*. Complectitur his verbis Iſraëlitarum calamitates: ſenſus enim eſt: *ſeparatum eſt* à lautitia ſolita *conuiuium eorum*: non fruuntur delicijs ſolitis; pro vino reperies acetum, pro ſaccaro abſynthium. *Ligauit eum ſpiritus*; ideſt ventus, ſeu turbo diuinae indignationis, & ſupernae vindictae. Heu miſerum Iſraëlem ventorum arbitrio, immo ludibrio traditum. Quem non miſereat Hebraei populi, mox in Aſſyriam transferendi, inde toto orbe diſpergendi? Qua violentia iactatae, concitataeque paleæ, ventis ſublatae, & circumactae turbinibus contorquentur; impetu non abſimili diſſipabuntur, ac diſpergentur Hebraei.

Prementiū calamitatū magiſterio mortalium mentes cæleſtibus Deus imbuit diſciplinis.

A Quo, obſecro, conſilio, quaue mente Deus, qui licet fortis, & potens ſit; eſt tamen etiam pater miſericordiarum, ita diſponit cum populo ſuo? Reſponſum accipio à Ruffino in hunc locum, his verbis: *Gens ſubiecta hoſtibus truculentis, per ſolitudinem ingredi cogetur; quam tamen non vſquequaque prouidentia diuina deſtituit: propter quod dicit: Nunc paſcet eos Deus; ſed vt impoſitæ calamitatis magiſterio intelligat*. O præſtans magiſterium prementium calamitatum! quo vtitur ipſe Deus, ad rudes hominum mentes diſciplinis cæleſtibus imbuendas. *Vt impoſitæ calamitatis magiſterio intelligat*.

B Exclamet Epicharmus: *O improbe, non ne planè malus es, qui non habes res aduerſas?* Ego verò cum Dauid deprecabor pſalm. 118. *Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me*. Quia nimirum idem eſt, docere ſcientiam bene viuendi, tradere probæ vitæ præcepta; & diſciplinæ aſperitate coercere.

Iacob mirandam vidit ſcalam, mirabilior ipſe, tam clara perfuſus luce, etiam cùm dormiret. Quis vnquam tanta praeditus facultate dicendi reperiri queat, qui referat, quas intimo in animo cæleſtis ſapientiae inſtitutiones, quae praecepta virtutum, quam ſupernorum arcanorum
C hauſerit notionem, ſomno illo, quauis vigilia oculatiore? Didicit ſanctus patriarcha ab humanae inſcitiae terra, ad caeleſtis culmen doctrinae, quaſi per gradus aſcendere; atque à reciproco aſcendentium, ac deſcendentium Angelorū motu, & ſuae demiſſionis rudimenta percepit, & omnis apicem ſapientiæ attigit, cognoſcendo Deum. O ſcalam ſanctioris exedram diſciplinae, caeleſtium diſciplinarum ſcholam, ſupernae Theologiae Lyceum, bonarum artium vniuerſitatem! Quis non flagret deſiderio audiendi, quo nam magiſtro didicerit Iacob tam ſancta, tam mira, tam diuina genera diſciplinarum?
D Id quidem facilè percipiemus ex verbis eiuſdem Iacob, Geneſ. 28. num. 17. *Quàm terribilis eſt, inquit, locus iſte!* Cur, obſecro, terribilis? Cur non potiùs, Quam ſacer, quàm venerandus, quàm religioſus! Quandoquidem hàc itur ad aſtra: quandoquidem hic myſteria reuelantur: quandoquidem hic mortalibus patet aditus, & quidem facilis, & obuius ad immortalitatem. Iacob tamen exclamat: *Quàm terribilis eſt locus iſte!* Nempe ſolùm timorem ducem agnoſcit, & veneratur magiſtrum; cùm ſolius ſit timoris, abiectis humanæ inſcitiæ tenebris, ſapientiæ, quæ de ſurſum eſt, aditum patefacere.

Timor Domini doctrinæ ſapientiæ dux eſt atque magiſter.

Vnde

Vnde Rigotius, Philippum Auguſtum laudaturus, de geſtis Philip. ait: *A prima ætate ſua timorem Domini pro pædagogo habuit.* Et nos ex Pachomij regula pro certo habeamus, timorem Domini nos ſanctis cogitationibus erudire, ſuper decem millia pædagogorum, magiſtrorumque doctrinam.

Diuini erga nos amoris index, calamitas.

Iam verò diuini amoris indicem videamus, calamitatem. Mihi ſanè non facilè perſuaſerim, Dei erga homines amorem calamitatibus indicari; & tamen veriſſimum eſſe confirmabit religioſiſſimus Paſchaſius, lib. 3. in lamentation. Ierem ex tom 9. part. 1. Bibliot. PP. Ad illud cap. 3. lament. num. 34. & 35. *Vt contereret ſub pedibus ſuis omnes vinctos terræ, vt declinaret iudicium viri in conſpectu vultus Altiſſimi.* Audis vinctos pedibus conterendos? Sed quorſum? num, vt perimantur, & conculcentur? Nequaquam. Immo conculcantur, vt declinent iudicium. Sed meliùs Paſchaſius his verbis: *Quos vt contereret Dominus ſub pedibus ſuis, ignorauit: quia nec ſic abiecit, vt repelleret, immo vt ſub ditione ſua homines conſtitueret, eò quòd de filio inquit: Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius.* Notanda planè animaduerſio: Cùm Deus conculcare videtur pedibus; tunc declarat, agnoſcere ſe inter ſuos, quos ſub pedibus habet; poſſeſſio namque habetur, & declaratur per pedum poſitionem. Poſſidet ergo Deus, ſuumque agnoſcit, quem videtur tanquam inuiſum, & extraneum conculcare. Vnde concludit paulò poſt citatus Paſchaſius. *Ergo aduerſitas, quæ à Domino eſt, plena iuſtitia, plena æquitatis, plena miſericordiæ eſt.* Nunquam Deus affligit calamitatibus, quin ſe demonſtret miſericordem. Id quidem probè tenere viſus eſt Anſelmus lib. 1. epiſt. 44. ſic ſcribens: *Cùm audio, quòd frequentibus, & grauibus moleſtijs ferè vſque ad mortem caro veſtra atteritur, contriſtat me humana mæſtitia, meus affectus: ſed cùm conſidero, quia per hæc anima veſtra ad æternitatem nutritur, conſolatur me ſpirituali lætitia veſter profectus.* Ne vos decipiat humanus affectus: plenus miſericordiæ rigor eſt: quoniam, dum nos calamitatibus conterit Deus, tanquam ſuos agnoſcit, & alit ad æternitatem. Ecquod indicium certius, aut clarius operari poteſt diuinæ erga nos beneuolentiæ?

Tribulationibus mortalium anima ad æternitatem nutritur.

Deo dignus loquendi modus mihi ſemper viſus eſt, planèque dignus animaduerſione is, quo vtitur rerum Dominus Oſee cap. 2. num. 6. Quem dùm conſidero, non facile decerno, vtrum admoneat, an mi-

A netur: ait enim, hominè alloquens: *Sepiam viam tuam ſpinis.* Spinæ, quæ lacerant, & pungunt, audientis animo ingerunt calamitates, atque incommoda: ſed ex alio capite verbum illud, *Sepiam*, cuſtodiam ſignificat, & munimen; ſæpe namque circundamus delicias hortorum, & vinearum fructus, ab incurſu beſtiarum, & ab inſolentia latrunculorum: Senſus igitur erit Dei; amantiſſimè noſtris commodis conſulentis: curarum, calamitatumque ſpinis vias tuas circunducam, vt quacunque velis, pede libero poſſis excurrere omni aduerſantis mali depoſito metu. Ita me docuit Hieronymus, in hunc locum

Tribulationum ſpinis, non laceratur, ſed defenditur iuſti anima.

B ſic ſcribens: *Ex quo intelligimus, quòd prouidentia Dei, ſæpe nobis accidant mala; ne habeamus ea quæ cupimus; & varijs calamitatibus huius ſeculi ad Deum redire cogamur.* Ingruentes calamitates, ſunt circunductæ ſepes, quæ defendant; non dumeta impedientia, quæ lacerent, aut retardent. Hac de re audiendus eſt gentium doctor maximus Paulus 2. ad Theſſal. cap. 3. num. 5. ſcribens: *Dominus autem dirigat corda veſtra in charitate Dei, & patientia Chriſti.* Eruditiſſimè, & accommodatiſſimè duo coniungit Paulus, nempe charitatem Dei, & patientiam Chriſti. Quaſi dicat: paucis

C vos volo, qui gemitis inter aduerſa; adeſte quos confodiunt aculei calamitatum; accipite, quos dilaniant curarum vngulæ: Inter hæc memineritis charitatis Dei. Deus ſcilicet non inflammatur ira in nos ſed erga nos æſtuat incendio charitatis, dum preſſuris nos atterit, & diuexat infortuniorum inſolenti, & irrequieta acerbitate. Dicamus cum Dauid pſalm. 32. num. 20 *Anima noſtra ſuſtinet Dominum, quoniam adiutor, & protector noſter eſt.* Tunc enimuero, & protectorem & adiutorem, & magnificè prædicamus, & verè, cùm eundem nobis inferentem incommoda cogimur ſuſtinere.

D Profero in medium, tanquam ſummæ auctoritatis aduocatos, meam cauſam ſuſcepturos Guigonem Carthuſianum, Idiotam, & Primaſium. Et Guigo in primis, ex tomo 12. part. 2. Biblioth. SS. PP. cap. 14 medit. rationem reddens calamitatum ſeruorum Dei, ſic inquit: *Ne inueniat, vbi requieſcat pes mentis tua: vt ſaltem coacta, ò anima, redeas ad arcam, ſicut columba Noë.* Felix prorſus, & optanda neceſſitas, quæ ad meliora compellit. Satiùs eſt ſedem in arca figere, quàm hærere luto. Chariſſimum profectò amoris eſt pignus compelli ad ſecuritatis aſylum, ne naufragemur in cœno. Pater eſt

Ad Dei ſpecam, ad ſecuritatis aſylum per tribulationes facillimè tranſit anima.

non

non parricida, qui, tonante vndique cælo, vbique eluuione graſſante, vt nos ab interitu eripiat, recipere cogit in arcam. Aſſentitur ſimili loquendi modo Idiota de vera patientia lib. 2. c. 3. hiſce verbis Dominum alloquens: *Tua miſericordia Domine Deus electis tuis iter aſperum præbes, ne delectati in via, obliuiſcantur quæ ſunt in patria*. O plena amoris incommoda viæ, ſi excitamenta ſunt ad petendam patriam celeriùs, atque expeditiùs! Primaſius in Epiſt. ad Hebræos cap. 12. circa medium ſic habet: *Quem ſanctorum ab hoc ſeculo ad hæreditatem ſupernam legimus perueniſſe ſine flagellatione diuina?* B *Quapropter tantò minùs de flagello, quo caſtigamur, murmurare debemus, quantò arctiùs in eo paternæ dilectionis affectum ſentimus: vnde ipſe dicit: Ego quos amo, arguo, & caſtigo. At verò multi flagellantur, vt Antiochus, & Herodes, non vt ad hæreditatem aſſumantur, ſed vt hic demonſtretur ex parte, quæ mala paſſuri ſint poſt mortem. In diſciplina perſeuerate: Tanquàm filijs chariſſimis vobis offert ſe Deus*. Agnoſce in calamitatibus affectum patris; nec te diſciplinæ pigebit ſeuerioris, quæ tanti eſt amoris indicium. Dum calamitatibus atterit, *tanquam filijs chariſſimis, vobis offert ſe Deus*. Quod quidem C non dicenti mihi, ſed palam profitenti Regi Dauid credendum eſt. Quis autem abnuere audeat tanto Principi facienti fidem pſalm. 9. num. 1. cuius ea legitur inſcriptio: *In finem pro occultis filij*. Quid ſignificare velit, obſcuro hoc modo loquendi, accipe ex Auguſtino in hunc pſal. Occulta filij, ex Auguſtino, ſunt mala, calamitates, & aduerſa, quibus Deus homines vexat. Hæc porrò veriſſimè dicuntur occulta; quia re ipſa longe diuerſa ſunt, ac appareant. Apparent quippe primo aſpectu aduerſa, inimica, fugienda & deploranda: cùm tamen amica, optanda, lætoque excipienda ſint animo, vtpote D maxima ingentiaque beneficia, quæ filios probent, & faciant. Calamitates non atterunt, non perdunt, non delent; ſed ſocordiam abigunt, pietatem augent, virtutem perficiunt. Verba Auguſtini: *Occultum itaque iudicium eſt, pœna, qua nunc vnuſquiſque hominum, aut exercetur ad purgationem, aut admonetur ad conuerſionem, aut, ſi contempſerit vocationem, & diſciplinam Dei, exercetur ad damnationem*. Vnuſquiſque poteſt ſibi interpres eſſe huius occulti; dignoſcens enim exerceri ſe ad purgationem, cùm calamitatibus, infortunijſque proficiat, cùm hiſce, tanquam paterna correctione, obſequen-

Paternus Dei erga homines affectus in tribulationibus patefit.

A tior erga Deum, ac reuerentior fiat; horum animi ſenſuum conſcius ſibi, ſtatuat certo certiùs ſe filium eſſe, & futurum ſummi Patris hæredem. *Pro occultis filij*. Tam impij flammis deſtinati; quàm ad regnum electi vexantur, & atteruntur. Occultum id eſt, ſub quo tam filius latet, quàm inimicus. Certam habes diſcriminis notam, & occulti arcani interpretationem: Si reſipiſcas, Deo irato inferente flagella, Patrem venerare, teque potes iure merito relatum inter filios gratulari: Si vocationem, & diſciplinam Dei corripientis contempſeris, actum eſt; iactam aleam arbitrere, & collimaſti.

B Scribit Pauſanias lib. 10. Phocicorũ pag. 430. de amne Cephiſo ex Lilæa oppido oriundo, circa meridiem ſtrepitum edere adeò reſonantem, vt tauri mugitum edere, atque imitari videatur. Hinc ſymbolum deduco ad præſens inſtitutum ſatis, ni fallor, accommodatum. Aquis aduerſa adumbrari teſtabitur orbis terrarum, erumpentibus aquarum torrentibus conſepultus. Aquæ autem Cephiſi, dum terram alluunt, mugire creduntur ab imperitis, & quaſi ira percitus taurus à rudibus ingenijs creditur tunc maximè, cùm ſolum reddit multiplici feracitate fœcundius. C Ita planè ſe ſe res habet, cùm Deus aduerſitatibus angit: creditur mugire tanquam taurus, atque omnia metu concutere, & pauore cõplere; cùm tamen re vera tribuat fœcunditatem. Ingenia ruſtica, rerumque diuinarum ignara horrent, tanquàm mugientem, detonantemque furore, quem amantiſſimè deberent excipere, & iucundiſſimè. Fateor vltro, non omnibus datum eſſe, poſſe id animo comprehendere, aut ſermone complecti. Vnum Iob quò breuiùs, eò elegantiùs id expreſſiſſe animaduerto, cùm cap. 10. num. 16. Deum ſuum alloquens profiteretur: *Mirabiliter me crucias*. Mirabiliter profectò: quid enim mi- D rabilius, quàm tormenta, paterni eſſe amoris argumenta? quid admiratione dignius, quàm teſtari cruciatibus paternæ amplitudinem charitatis?

Cruciando paterni erga nos amoris argumẽta prodit Deus.

Aut certè, audito Ariſtotele, concinnum aliquod emblema depingamus. Pontus Thraciæ fluuius, vt leges apud Ariſtotelem de admirandis auditionibus num. 110. ardentes defert lapides, qui follibus excitati, quàm citiſſimè extinguuntur; aqua autem reſperſi refulgent, pulchriorique flamma flagrant, ac nitent: Oppoſitum omninò in ligneis carbonibus experimur. Quid ni de hoc miraculo aquâ flagrantium carbonum, in hunc modum liceat ratiocinari? Ita comparatum eſt,

Tribulationum aquæ, diuini amoris flammas in nobis nõ extinguunt, ſed magis accendunt.

Deo

Deo inbente, vt calamitatum, perſecu- A
tionum, infortuniorum aqua non extin-
guantur, ſed aceendantur, non ſeeus ac
igniti lapides Ponti, iuſti viri, qnibus no-
ua lucis, & caloris acceſſione, ſuum hoc
modo teſtatur amorem, qui ignis dieitur:
Deus noſter ignis conſumens eſt. Venti fol-
libus excitati, hoc eſt, ambitionis huma-
næ inanis aura, & ſecundarũ rerum euen-
tus, venti inſtar labuntur; ſed ignem amo-
ris diuini, in noſtris cordibus exeitatum,
non raró extinguunt. Can. 8. num 7. me-
ritò dieitur: *Aqua multa non potuerunt
extinguere charitatem, nec flumina ob-
ruent illam*. Verum id quidem, ſed parum
eſt. Non modò aquæ calamitatum non B
extinguunt, ſed augent flammam. Agno-
ſcamus ergo aquas haſee diuini amoris in-
dices, & cauſas charitatis ſemper flagran-
tioris.

At verò reliqua, quæ poſſent afferri, pre-
mantur ſilentio. Vnius ſit ſatis auctori-
tas Auguſtini, quo neminem religioſiùs
vnquam, aut aecommodatiùs hac de re
crediderim verba feciſſe. Sic enim ait ſer.
34. ex 40. nouis. *Abundant mala, & Deus
voluit vt abundarent mala; vtinam non
abundarent mali. Mala tempora, laborio-
ſa tempora: hoc dicunt homines. Bene vi-
uamus; & bona ſunt tempora. Sed quid fa-*
cimus? Quare contriſtamur & cauſamur A
*Deum? Abundant mala in mundo, vt non
ametur mundus. Magni verò fideles ſan-
cti, qui contempſerunt mundum ſpecioſum.
Nos non poſſumus contemnere nec fœdum.
Malus eſt mundus: ecce malus eſt, & ſic
amatur, quaſi bonus eſſet*. Vide quò ſpe-
ctent mala, quibus premimur. Hæc nimi-
rum abundant, non vt obruant, ſed vt
àuocent ab amore mundi, quo contem-
pto diſcimus facilè amare cæleſtia. Quan-
tum nobis mala mundi parient bonum, ſi
nos erudiuerint, mundum nequaquam in
delicijs habendum, ſed fugiendum, abhor-
rendumque! Agnoſeo ergo, indicem diui-
ni amoris, & morum magiſtram eſſe B
calamitatem: Quid enim vti-
lius doeere poteſt; aut quo
pacto Dei erga nos
beneuolentiam
apertiùs in-
dicare,
quã
mundum demonſtrando
noſtro indignum amo-
re, vt eum ſolus
ſibi concilliet
Deus?

IN CAPVT NONVM

Num. I. II. XXII. XXVIII. & XXIX.

Et aſcendens in nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem ſuam. Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et videns Ieſus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

At Ieſus conuerſus, & videns eam dixit: Confide filia, fides tua te ſaluam fecit. Et ſalua facta eſt mulier ex illa hora.

Cum autem veniſſet domum, acceſſerunt ad eum cæci. Et dicit eis Ieſus: Creditis quia hoc poſſum facere vobis? Dicunt ei: Vtique, Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem veſtram fiat vobis.

PARA-

PARADOXVM II.

Fides, ſicut ordine prima, ita inter virtutes, dignitate præcipua eſt.

QVAMVIS litem omnem, quæ de primatu, inter virtutes oriri poſſet, diremerit Paulus, diſertè pronuncians 1. ad Cor. 13. num. 13. *Fides, ſpes charitas, tria hæc: maior autem horum eſt charitas*. Tot tamen, ac tanta ſunt, quæ hoc capite fidei tribuuntur à Chriſto Domino, vt audeam fidei tribuere quodammodo principatum. Non modò enim reddita cæcis videndi vis; non modò duodecim annorum ægritudine vexata mulier, dicto citiùs ſana, atque incolumis, tribuitur fidei; ſed ipſa peccatorum abſolutio accepta fidei referenda eſt. Cur non potiùs miſericordiæ, aut bonitati? cur non Diuinitati, aut omnipotentiæ? niſi ad extollendam, atque exaggerandam fidei Chriſtianæ præſtantiam, cui propterea principem inter virtutes locum, ſtatuemus.

Quod antequam aggrediar illuſtrare, moneo mihi exploratiſſimum eſſe, charitatem virtutum virtutem haberi, & prædicari veriſſimè. Neque enim ignarus ſum adeò, vt neſciam, certiſſimum id catholicæ effatum ſapientiæ fuiſſe his verbis à S. Bernardo religioſiſſimè pronunciatum opuſc. de charitate cap. 12. *Charitas eſt lex vitæ, diſciplina morum, pax conuiuentium, gloria concordium, criminum abolitio, legis plenitudo, Sacræ Scripturæ compendium, præceptorum Dei conſummatio, virtutum virtus, & bonorum impletio meritorum*. Hæc, inquam, aliaque huiuſmodi ſexcenta me non latent. Quis autem neſciat in virtutum choro ſceptrum deberi ſuo iure charitati; quæ virtutum regina, ſine controuerſia eſt. Ea tamen, quæ benigna eſt ex Apoſtolo, dabit procul dubio; vt ad extollendam fidei, hoc

Charitas virtus virtutum.

A eſt, ſororis præſtantiſſimæ dignitatem, breui temporis interuallo, eidem fidei primatum, ſine ipſius charitatis inuidia tribuamus.

Præit Chryſoſtomus gemina veluti face, & eloquentiæ ſuæ, & eius, qua pro hac re vtitur comparatione. Expendens enim reſponſum à Chriſto Domino datum mulieri Chananeæ Matt. 15. num. 18. *Magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis*. *Fides quidem tua*, inquit, *maiora quàm petis, poſſet impetrare; verumtamen fiat vt vis*. *Hæc vox illi affinis eſt, quæ dictum eſt. Fiat cælum; & factum eſt cælum*. Ergo, ſicuti nulla vox beneficentior fuit huic rerum

B vniuerſitati, quàm diuinum illud *Fiat*, quo partem orbis potiſſimam, & nobiliſſimam, nempe cælum, ſcimus fuiſſe procreatam; ita inter virtutes nulla diuinior ea, quæ verbo Domini, & quidem præſtantiſſimam orbis partem perficienti, comparatur. Et quoniam à ſimilitudinibus eloquentiſſimi Chryſoſtomi ſumpſimus exordium, aliam ab eodem allatam differre diutiùs nolo. Hom. in Eutropium reconſiderans verſiculum 11. pſalm. 44. *Audi filia* (quæ ſponſi cæleſtis ſunt verba altè anima poſtulantis, vt credat: *Audi*, hoc eſt, crede; fides enim ex auditu) ſubijcit Chryſoſtomus hæc verba; *Dos ſpon-*

C *ſa in auditu erat. Quid eſt in auditu? In fide, non in fruitione*. Ergo, ſi fides dos eſt dilectæ ſponſi cæleſtis; quis non videat virtutibus reliquis præſtare fidem? Virtutes enim diuitiæ ſunt, & quædam, veluti pretioſa indumenta, veſtiunt ſponſam, vt candor animi; quædam aureo ornant torque, vt charitas; aliæ denique mundum veluti muliebrem componunt. Spes in Deum mentem erigit à caducis bonis; facit gratam manſuetudo; ditat miſericordia; modeſtia reddit ſpectabilem; deuotio venuſtam, pœnitentia amabilem. At fides eſt, quæ dotat, & ditat. Vt quemad-

D modum, inter ſponſæ bona, dos eſt, quæ maximi fit, & meritò, ita inter virtutes, præſtet omnibus fides. Quare D. Cyprianus in expoſitione Symboli ad prima verba. *Credo in Deum*. *Fons*, inquit, *& origo omnium bonorum ponitur, cùm dicitur: Credo in Deum*. Qui bonorum omnium fontem aſſerit fidem, eandem virtutibus, quæ vera ſunt bona, tam clarè anteponit, quàm fons perennis currente riuo potior eſt. Aut certè ſi Alexandrino Cyrillo aures præbeamus, eundem audiemus lib. 12. in Leuit. dicentem: *Fratres vocat credentes, in ſe* (loquitur de Chriſto) *& de genere ſuo dicit animã, quæ ei in fide, tanquam nuptijs ſociatur*. Nuptiali die nullus ſponſæ gratior

Fides, cæleſtis ſponſæ dos eſt.

Fides bonorum omnium fons.

eſt,

A eſt, nullus amabilior. Vt hinc animæ noſtræ fide nil charius, aut pretioſius eſſe dignoſcamus.

Sed minora ſunt iſta. Vt præcellentem fidei dignitatem intelligamus, in mentem reuocemus diuinum illud promiſſum Deuter. c. 11. num. 24. *Omnis locus, quem calcauerit pes veſter, veſter erit*. Tam multa, verbis tam paucis promitti ab eo, qui falli non poteſt, nec fallere, ſi mireris; ſcias ſolius id fidei beneficium eſſe, ex S. Bernardi ſententia, ſer. 32. in Cant. ſic ſcribentis: *Quemcunque locum calcauerit pes veſter, veſter erit. Magna ſiquidem fides, magna meretur, & quatenus in bonis Domini fiducia pedem porrexeris, eatenus poſſidebis*. B Parum eſt fidem, animæ dotem eſſe; immo dominatum, poſſeſſionem, imperium donat. Agnoſcis, terram promiſſionis fuiſſe fidei præmium; vt hinc facilè facias coniecturam, fore vt futuri ſeculi terra promiſſæ beatitatis, nobis à fide potiſſimùm expectanda ſit. Expectanda autem? immo expetenda eſt beatitudo cæleſtis, quaſi iure debita homini fidei virtute præſtanti; cùm fides miro quodã modo meritum augeat. Hinc gentium Doctor egregius c. 11. epiſt. ad Hebræos, vbi, præcellentes fidei prærogatiuas pluribus enumeraturus à n. 3. ſic exorſus eſt. *Fide plurimam hoſtiam Abel, quàm Cain obtulit Deo*. C Vbi pro, *plurimã*, Græci interpretes, *ampliorem*, ſeu *præſtantiorem* reponunt; vel pluris, & maioris pretij, ex Chryſoſtomi, Theophylacti, aliorumque expoſitione. Vnum do Ambroſium lib. de Nabuthe c. 16. ſcribentem. *Fides eſt, quæ dona conciliat; humilitas eſt, quæ oblata commendat. Fides Abel plurimam hoſtiam obtulit Deo*. O fidem conciliatricem; parentem donorum! Et quorum donorum, Deus immortalis? vtique cæleſtium; quibus in beata promiſſionis terra perfruemur. *Fons, & origo omnium bonorum ponitur, cùm dicitur; Credo in Deum. – Omnis locus, quem calcauerit pes veſter, veſter erit. – Magna ſiquidem fides* D *magna meretur*.

Fides imperium, & dominatum credentibus donat.

Fides cæleſtium donorum parens.

Hæc porrò bona, magna fortaſſe, atque præclara non nemini videbuntur, ſed expectanda diutius, donec exacto peregrinationis noſtræ itinere beatam patriam teneamus. Ant certè videbuntur minùs apta ad homines ad amorem fidei alliciendos, qui non ſolent inflammari vehementiùs, niſi ſenſibilibus bonis, & quæ ſub aſpectum cadunt. Age fidei præconia ducamus ab ijs, quæ ad excitanda hominum corda vim maiorem habere poſſint. Celebris eſt collocutio illa, Angelum inter, & Gedeonem, quæ narratur Iudicum c. 6. à n. 13. & dein- A ceps: vbi, poſt multa vltro citroque allata, concluditur tandem, fide expugnandos hoſtes, exterminandoſque. *Dominus tecum* (ſic loquitur Angelus, loco cit.) *fortiſſime virorũ*. Reſpondet ſtatim Gedeon: *Si Dominus nobiſcum, vbi ſunt mirabilia eius, quæ narrauerunt patres noſtri, atque dixerunt, de Ægypto eduxit nos Dominus?* Hinc concludit Angelus, agnoſcens Gedeonis fidem: *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſraël de manu Madian*. Madianitarũ vires franges Gedeon, & victoriæ palmam conſequeris præſtantiſſimam; dummodo credas: credis autem aſſerens nil non ſuccedere ex ſententia, dummodo B adſit Deus. Do Theodoretum quæſt. 12. dicentem: *Memor erat Gedeon mirabiliũ Dei, firmamque de Deo habebat opinionem, & meruit audire ab Angelo, proficiſcere in robore fidei huius, & vinces*. Fides in Deũ adeò robuſta eſt, adeò fortis, adeò inuicta, vt ea munitus, cuiuſuis inimici non ſuſtinere modò impetum queat, ſed contemnere. Vnus mihi inſtar omnium ſit iuuenis Dauid, de quo Reg. 1. c. 17. legimus, cum gigante congreſſurum, oblata à Saüle arma abiecisse. Quò te nimium audax iuuenis impellit impetus? Ergo tanti furorem hoſtis ſubibis inermis? At Dauid cit. cap. n. 39 *Non poſſum ſic incedere – & depoſuit* C *ea*, ſcilicet arma Saülis. An non ſummæ temeritatis eſt, in arenam deſcendere cum armato hoſte congreſſurum, omni armorum præſidio deſtitutum? Tu tamen caue, Dauidem reprehenderis audaciæ: ſed audi Chryſoſtomum hom. 1 in pſ. 50. breuiſſimè, ſed accommodatiſſimè ſic loquẽtem: *Proÿcit arma, & induit fiduciam: egreditur nudus, & loricatus fide*. Inermem ne dixeris, quem fides obarmat? Paulinus ſanè poëmate Natali octauo, ante medium canebat:

Fide munitus Hoſtiũ impetus nõ modò ſuſtinet, ſed etiã contemnit.

—— Super omnia ſemper
Arma fides valuit; tali puer ille puſillus
D *Robore grandis erat, qui ſpretis fortior armis*
Perculit armatum ſilicis virtute gigantem.
Arma fide ſemper, numquam cognouimus armis.
Induiſſe fidem ——

& quæ ſequuntur, quæ loco citato videri poſſunt; vbi Holofernis, Siſaræ, aliaque ex ſacris literis exempla congerit. Immo id ipſum probauerat in fine Epiſ. 2. ad Seuerum, exemplo Abrahami, qui armis fidei munitus, quinque regum exercitus debellauit, Geneſ. 14. num. 15. Verba Paulini ſunt: *Sicut Abraha dedit aduerſus*

quatuor Reges, quos ille fidei pater hoc myſterio ſuperauit: quo fides noſtra, totidem corporis noſtri elementa verbo Dei ſubiget. Et ſicut ille pro fratre, à quinque regibus victo, victor; ita & fides pro anima, quæ totidem ſenſibus viget, victrix, de exteriore homine triumphabit; in quo de totidem elementis compoſito quatuor regum forma concluditur. Nega, ſi potes, reliquas inter virtutes, fidei principatum, ſi ſola Madianitarum exercitus debellat, giganteas vires proſternit, rebellantium contumaciam ſenſuum calcat, ac cohibet.

Verùm hac de re nemo meliùs, aut clariùs locutus eſt, quàm Paulus Apoſtolus, (B) qui ad Epheſios ſcribens, cap. 6. num. 12. primò excitat ad pugnam, tum arma ſuppeditat his verbis: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* Quaſi dicere velit, ſi Hieronymum audias: *O Epheſij, quæ de prælijs Iſraëlis aduerſum Ægyptios, Idumæos, Ammonitas legitis, ſcripta ſunt propter nos, vt intelligamus ex illis, nobis non eſſe pugnam aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus ſpirituales quaſdam, & inuiſibiles poteſtates.* (C) Benè, eſt: belli genus ferum, & atrox gerendum proponitur. Vnde ſumenda ſunt arma? Audi ex Paulo, ſequen. n. 13. *Propterea accipite armaturam Dei: State ſuccincti lumbos veſtros, in veritate, & induti loricam iuſtitiæ, calceati pedes in præparatione Euangelij pacis, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere: & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.* In omnibus: Vatablus vertit: *ſuper omnia.* Videlicet præſtat fides virtutibus omnibus. Veritas lumbos defendit, iuſtitia pectus, manum armat verbum Dei, ſalus caput: at vna fi- (D) des omnia tela retundit, ac frangit. Hic ego verbis illis Sancti Baſilij in c. 15. Deut. vtar, dicamque: *Attende tibi ipſi; miles es: milita bonam militiam contra ſpiritus nequitiæ aduerſus vitioſas carnis affectiones, induitor omnem armaturam Dei.* ſic Baſilius. *In omnibus,* vel *ſuper omnia ſumentes ſcutum fidei, vt poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.*

Fidei ſcuto omnia inimicorum tela retunduntur.

Porrò, ad fidei, ſupra virtutes reliquas, præſtantiam prædicandam, ſit parum, fidem, animæ Chriſti ſponſæ dotem eſſe: ſit parum fidem, animi pro Deo militantis armamentarium eſſe tutiſſimum: inſuper fidem, animo robur, pectori fortitudinem, (A) pugnantibus palmam triumphi tribuere, parum ſit: Immo fidem bonorum omnium fontem, promiſſæ pignus beatitatis, & quod caput eſt, fidem omnia omnino poſſe, æquè ac verbum Dei, hoc quoque ſit parum. Illud certè parum non eſt, quod paulò antè laudatus Nolanus Antiſtes Paulinus, in Rege Nabuchodonoſor fidei præcellentiam agnoſcens, proſequitur his verbis, epiſt. 4. ad Seuerum, ante medium: *Regi Aſſyrio, in ſolitudinem, feritatemque damnato, luctuoſa concretio capitis intonſi in iubam leonis horruerit: vt etiã corporis ſpecie tranſiret in belluam, qui non ſolum à regnis ſuis,* (B) *ſed etiã à ſenſibus exulabat humanis, coma triſti leonem; vncis vnguibus, vulturem; ſenſu, & pabulo bouem referens: ne vnius tantum belluæ ſimilitudinem ferret in pœnis, qui multarum ſimilis fuiſſet in moribus. Intellecto tamen tandem Deo, & ſenſui reformatus, & regno; factus, & ipſe nobis eſt in exemplar fidei.* Vides in Nabuchodonoſor, multiplici ferarum commiſtione compactum, confuſumque monſtrum, planè deforme, atque atrox. At quantum huiuſmodi conſpectu horreſcis perfidiæ pœnam, tantundem in homine è fera ad regem reducto ſuſpice, & venerare fidei (C) meritum, atque prærogatiuam. Agnoſce extra rationalis naturæ fines exulantem, ad ſolium reuocatum; agnoſce è feritatis non contubernio modò, ſed conſortio, immo conſanguinitate ereptum, humanitati redditum. Vnius fidei beneficium eſt. Leonem quippe ſuperbiæ vincit humilitas; rapacitatem vulturis domat mite ingenium beneficentiæ Chriſtianæ; bouis tarditatem excitat ardor cæleſtis ſpiritus. At monſtrum, belluarum omnium deformitate concretum, non domat modò ſola fides, ſed demit omnino à cordibus hominum. *Ipſe nobis eſt in exemplar fidei.*

Fidei merito ex bellua in hominem, immo & in regem reducimur.

Hæc ego dum commemoro tam ampla, (D) atque eximia in commendationem fidei valde dubito, ne fortè aliquis plus nimio ſibi de fide blandiatur. Adeſdum quiſquis es, paucis te volo. Ne grauere, obſecro, in memoriam reuocare obiurgationem illam Chriſti, ſuos diſcipulos reprehendentis, Matt. c. 8. Vbi cùm nauicula, Domino dormiente, iactaretur vi tempeſtatis repentè exortæ, diſcipuli perterriti opem implorant: num. 25. *Domine ſalua nos, perimus.* Attende quid metu conſternatis Apoſtolis reſpondeat Dominus, num. 26. *Quid timidi eſtis modicæ fidei?* Veneror Chriſti oracula: non video tamen, qua de cauſa reprehendi poſſint, quaſi modicæ fidei. Immo quia magnæ ſunt fidei,

auxi-

auxilium, praeſentiſſimo in diſcrimine petunt ab eo, cui probè tenent ventos, & maria obedire. Cur igitur modicae fidei dicuntur, qui fide tam viua, ab autore fidei praeſidium petunt? Audi Baſilium Seleuc. orat. 22. ſenſum Domini exponentem in hunc modum: *Vult Dominus, fidei vim rebus conditis eſſe valentiorem, & ad fidei praeſentiam omnem ab anima deſperationem eliminari.* Ergo, ſi fides Apoſtolorum digna reprehenſione cenſetur, putas ne tuam laudibus cumulandam? Ille ſuae fidei iure fidit, qui de ſummæ tranquillitatis culmine non modò non deturbatur, ſed ne perturbatur quidem. Mugiat praeſentis vitae inquietum mare, multiplici calamitatum conflictu quaſſum; fremant aduerſitatum turbines, tempeſtateſque aerumnarum percrebeſcant; cor tamen, Chriſti fide ſerenum, non modò non agitetur, ſed ne ſolis quidem nubibus, vel breui temporis ſpatio obducatur; ne cum Apoſtolis reprehendaris: *Quid timidi eſtis modicae fidei?* Habes in Suſanna, celeberrima illa integritatis propugnatrice, exemplar fidei omnibus numeris abſolutum. Memoria nunquam excidat illa Suſanna, cuius fides in ipſo famelicae mortis hiatu viua, inter calumniarum conatus erecta, inter execrantis populi clamores inconditos tuta, euicit, coactam licet, deſtitutamque, iniquitatem inter atque potentiam, germanam in Deum fidem premi quidem poſſe, non deprimi. Danielis cap. 13. omni humana ope deſtituta Suſanna, iudicante iniquitate, damnata, iam iam lapidibus obruenda ſic exclamat, à num. 42. *Deus æterne, qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia antequam fiant, Tu ſcis quoniam falſum teſtimonium tulerunt contra me: & ecce morior.* O fidem omni ſeculorum memoria prædicandam! Audi Auguſtinum ſer. 242. de tempore ſic loquentem: *Quam ſententia praua deiecerat, illuſtres conſcientiae integritas erigebat, metuſque Dei, & imminentis ſacri iudicij indubitata credulitas.* Mendaciſſimi criminatores, Suſannae, eximiae integritatis matronae, paternae domicilium domus, honeſtas pomarij relaxationes, immo etiam pudicitiae famam incorruptam poſſunt auferre; auferre tamen non poſſunt ſacri iudicij indubitatam credulitatem. Vtinam in noſtris operibus tales nos mundo, & Angelis, & hominibus exhibeamus, vt fidei indubitatae lux ſplendeat.

Vbi fides, nulla ibi deſperatio nul laque animi perturbatio dominatur.

Fides huiuſmodi ea eſt, de qua non tam ſplendidè, quàm verè dici poſſit: ſicut ordine prima, ita reliquas inter virtutes dignitate præcipua eſt: qualem hactenus adumbraui; qualem in Suſanna non admirandã modò propoſui, ſed imitandam. Hanc porrò dignã eſſe principatu, ſubſcribent Paulinus, Ambroſius, Auguſtinus, Drogo Oſtienſis. S. Ambroſius adumbratam agnoſcit fidem, in primogenitis Ægyptiorum interfectis, de quibus Exodi cap. 1. num. 2. *Factum eſt autem in noctis medio, percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui in ſolio eius ſedebat, vſque ad primogenitum captiuae, quae erat in carcere.* Appoſitè autem fides ſignificatur hoc loco; ſicut enim poſt plagam tenebrarum, primogeniti ſunt interfecti; ita poſt peccatorum tenebras, incidit peccator in haereſes, fide intereunte. Verba Ambroſij lib. 1. de Sacram. cap. 1. *In Chriſtiano prima fides eſt.* Clariùs loquitur Auguſtinus lib. de decem plagis: *Primogenita cordis noſtri fides eſt. Omnia opera tua bona, quaſi filij tui ſunt ſpirituales: ſed inter iſtos filios tuos, primogenita tibi eſt fides.* Igitur eminet fides inter virtutes, ſicut ſolent primogeniti filij reliquis natu minoribus: dentur fidei primogeniturae priuilegia; & mihi ſit ſatis. Ad illuſtrandam Auguſtini mentem legatur Abulenſis in cap. 25. Geneſ. vbi de priuilegijs primogeniturae. Nobis interea Paulinus audiendus eſt, qui vtitur ſimilitudine panis quo veſcimur. Quemadmodum enim panis inter cibos maximè naturalis eſt, nobiſque in primis accommodatus; eodem modo, fide tanquam pane nutrimur: quia licet virtutes omnes cibi ſint mentis; inter hos cibos, panis eſt fides. Verba Paulini, ep. 5. ad Seuerum, paulò ante finem, ſunt: *Imitare imitatorem Chriſti, vt mortuus viuas, crucifigens te mundo, & tibi mundũ, quotidie moriens per fidem verbi, & viuens in verbo fidei. Non enim in pane ſolo viuit homo, præſertim Chriſtianus; de quo propriè ſcriptum eſt: Quia ex fide viuit. Nunquid dixit, ex pane? Quid igitur à me famem metuis, ſi fidem habes? Panis tuus tecum eſt.* Epiſcopus Oſtienſis Drogo à præſtantiſſima, & maximè ſpectabili humani corporis parte, nempe ab oculi pupilla ſententiam ducit, aitque ſer. 1. de Sacramento Dominicæ Paſſion. *Quomodo pupilla oculi, ſic acies fidei.* Ex quibus fidei præcellentia, vel me tacente, facilè patet. Sicut enim pupilla, cariſſima inter omnia membra; ſicut inter cibos, panis maximè accommodatus; ſicut inter filios, primogenitus principem obtinet locum; ita virtutibus reliquis vna præſtat fides. Vt propterea ſapientiſſimus

Fidei, virtutum principatus debetur.

Humani cordis primogenita fides.

Fides, animæ panis.

Fides, pupilla mentis.

æquè, ac amantiſſimus pater familias, Lucæ cap. 15. longo poſtliminio, non tam locorum, quàm errorum reuocato filio, annulum nominatim dari iuſſerit: nu. 22. cit. cap. *Date annulum in manu eius*. In quem locum Rabanus in Allegorijs: *Annulus eſt ſignaculum fidei; & in Euangelio, Date annulum in manu eius, ideſt fidem in opere ſuo*. Perpendo hæc poſtrema verba; quibus explicatur, per annulum, non modò ſignificari fidē, ſed *fidem in opere ſuo*. Vt diſcamus omnium operum perfectionem, & quaſi characterem, & notam, fidem eſſe. Adeò vt nec ſtola prima, qua indutus eſt; nec calcei, quibus calceatus; nec vitulus, quo bene paſtus; nec oſcula patris, quibus exceptus; nec amplexus, quibus recreatus; nec data venia, qua ſibi redditus, & paternae domui, quidquam prodeſſe poſſint, niſi fide obſignante pretium accipiant, & aeſtimationem. *Date annulum in manu eius, ideſt fidem in opere ſuo*. Hoc primum, hoc praecipuum, hoc maximum, & decus, & praeſidium reliquorum operum omnium; fides.

Videtur mihi emblema haud obſcurum deſumi poſſe pro re noſtra, à celeberrimo illo Gnei Pompeij triumpho, de quo Plinius lib. 37. capit. 2. initio: Tertiò triumphum egit nobiliſſimum Pompeius, non modò de Piratis, ſed etiam Aſia, Ponto, alijſque regibus debellatis. Vix credi poteſt, quot, qualeſque diuitias eo triumpho oſtentauerit; gemmas eximiae magnitudinis, ſtatuas aureas tres, coronas ex margaritis triginta tres, montem aureum quadratum cum ceruis, & leonibus, & pomis omnis generis, circumdata vite aurea. Hiſce, alijſque tradit Plinius, omnium ſtupore celebratum fuiſſe Pompeij triumphum. Sed inter omnia, pretio eminebat, & pulchritudine Muſeum ex margaritis, inter quas, omnium oculos, ad mirationemque trahebat ad ſe ſe imago Gnei Pompeij, è margaritis mira arte fabrefacta, & concinnata. Dicerem inter reliquarum virtutum margaritas gemmaſque nitidiſſimas, eum tenere locum fidem, quem imago Pompeij, pretioſioribus expreſſa margaritis. Fides quippe eſt, quae Deum obijcit oculis mentis noſtrae: & licet mortalitatis caligine circumfundamur; fides tamen, tanquam lucerna lucens in caliginoſo loco; non monſtrat ſolummodo, quem poſtea videbimus, ſicuti eſt; ſed etiam eius nobis format ſignum, & quaſi ſimulacrum. Nunc ſanè videmus per ſpeculum in aenigmate, fide nobis Deum repraeſentante. Vincit itaque pretio, aeſtimatione, virtutum reliquarum gemmas, margaritas, aurum; ſicuti margarita Pompeium repraeſentans maieſtate, ac venuſtate, reliquis pretioſiſſimis gemmis, ſigniſque antecellebat.

Atque haec in fidei commendationem ita ſint dicta, vt in regno religionis, ac ſanctimoniae, imperium charitatis nequeat in controuerſiam reuocari; cum allato ſiquidem initio, Bernardo, eodem de charitate opuſc. cap. 2. ſic ſtatuo: *Charitas non tam virtus potens, quàm virtutum potentia dicenda eſt, eò quòd ab illa omnes aliæ accipiant, vt vera virtutes ſint. Hac eſt vita fidei, ſpei robur, & omnium intima vis, & medulla virtutum*. Viuat ergo calore charitatis fides noſtra, vt teneat in Chriſtianis cordibus principatum.

Videri poteſt P. Didacus de Baeza tom. 1. de Chriſto figurato lib. 2. cap. 3. *§*. 11. & tom. 2. c. 27. *§*. 5. & 6. occ non tom. 4. lib. 8. cap. 14. *§*. 5.

IN CAPVT NONVM

A Num. IX. ad XIV.

Et, cúm tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine, Et ait illi : Sequere me. Et ſurgens, ſecutus eſt eum. Et factum eſt, diſcumbente eo in domo, ecce multi publicani, & peccatores venientes diſcumbebant cum Ieſu, & diſciſcipulis eius. Et videntes Phariſæi, dicebant diſcipulis eius: Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat Magiſter veſter? At Ieſus audiens, ait: Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus. Euntes autem diſcite quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium; Non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.

PARADOXVM III.

Voluptatem vincere, fugere, reſpuere, voluptas eſt maxima.

NOVI Philonem Hebraeum lib. de Merc. Meretr. non accipienda in ſacrarium, ſeu non inducenda in ærarium, ſcripſiſſe, voluptatem, ac virtutem duas euiuſque noſtrum vxores, ſemper ſibi infenſas inuicem, animæ domum replentes contentionibus, zelotipijs. (Ex quo fortaſſe mutuatus eſt Ambroſius lib. 1. de Abel, & Cain cap. 4.) Pulchrè ſanè, ad auocandos hominum animos à voluptatum amore, eaſdem demonſtrat Philo contrarias, repugnanteſque virtuti. Sed efficaciorem, ſine dubio vim habet, ad inferendum humanis cordibus faſtidium voluptatum, quod hac Euangelij narratione continetur. Dicitur enim, abducto, Chriſti Domini vocantis imperio, à diuitijs, ac voluptatibus Matthaeo, opiparè fuiſſe cœnatum. Quid epularum deliciæ, cum auſteritate Chriſtianæ diſciplinæ? aut quo pacto conueniant conuiuales lautitiæ cum apoſtolicæ vitæ aſperitate? Dicam quod ſentio: hinc diſco, veriſſimè Tertullianum ſcripſiſſe de ſpectac. cap. 28. *Quæ maior voluptas, quàm faſtidium ipſius voluptatis?* diſco, ſapientiſſimè olim fuiſſe à Diogene Cynico pronunciatum: *Voluptatum contemptus, iucundiſſimus eſt*. Enimuero Chriſtus Dominus, poſt vocatum Matthæum, voluptuoſas inter conuiualis mēſæ delicias, ac lautitias, blandus, amicuſque conuiua declarat, voluptatibus ſeculi renuntiantes, maxima voluptate perfundi.

Id ne videar gratis aſſerere, confero Iſaiæ vaticinium, cum Sponſæ præconio. Conſule Iſaiam cap 60. num. 16. vbi Dei promiſſum his verbis inuenies expreſſum: *Suges lac gentium, & mamilla regum lactaberis*. At verò Cant. 4. num. 10. Sponſus ſanctiſſimus in hunc modum loquitur:

A *Quàm pulchræ ſunt mammæ tuæ, ſoror mea ſponſa!* Vides, vel me tacente, diſcrimen: promittit quidem beneficentiſſimus Deus regium lac; ſed vna tantum mamilla exprimendum; *Mamilla regum*, non mamillis: Sponſa autem non ab vna mamma, ſed à geminis vberibus commendatur. Placet Giliberti Abbatis conſideratio ſer. 31. in Cant. Ait enim, gemino lactandos vbere eos, qui in amplexibus Sponſæ omnibus mundi voluptatibus renunciauerunt. Videlicet, non vnus ſatis eſt fons lactis contemptoribus voluptatum: duplicantur blandiſſimi deliciarum canales, ad augendum blanditiarum cumulum eorum, qui voluptates terrenas generoſo faſtidio reſpuerunt. *Qui verò* (verba Giliberti) *poſſeſſionibus cunctis renunciant, qui rebus temporalibus valedicunt, tales vtique gemino conſolationis lactandi ſunt vbere*. Præclarè nobiſcum agitur, qui in lege gratiæ, Chriſtianæ perfectionis imbuti documentis, blandis, ſuauibus, charis bonorum temporalium iucunditatibus diſcimus valedicere, vt longè dulciore recreemur lacte, ab vberibus ſponſæ. Olim mamilla promittebatur populo Dei: nobis duo intumeſcunt vbera nunquam defecturæ iucunditatis; dummodo iucunditatibus nugarum carere velimus.

Diuina duplicatur voluptas contemptoribus voluptatis terrenæ.

Patebit clariùs, voluptate maxima plenum eſſe, voluptatibus renunciare, ſi reuocare velimus in mentem, quod tradit Lucas Euang. cap. 15. 16. de filio prodigo. Intueor in hoc iuuene ſpecimen hominis voluptuoſi: ſine modo enim, ac ſine lege, vſque adeò prauis abripitur voluptatibus, vt omnem conſumat ſubſtantiam, viuendo luxurioſè. Sed attende, quo pacto miſer, voluptatum illicio abſtrahatur à paterna domo, vt fiat alieni iuris, cuſtos porcorum. Pro patre dominum, pro lautitijs egeſtatem, pro ſaturitate famem nactus, vitam ducit infeliciſſimam. D Hoccinè gaudium voluptatum eſt? An non iucundius fuerat, his voluptatibus caruiſſe? Sed aptiùs monebit Ambroſius. Conſidera, quo cupiat impleri adoleſcens, inter diuitias, & blanditias educatus; nēpe ſiliquis. *Quis autem* (verba Ambroſij) *aptior huiuſcemodi hominibus cibus eſt, quàm is, qui ſiliqua modo, intus inanis, foris mollis eſt, quo corpus non reficitur, ſed impletur; vt ſit magis oneri, quàm vſui?* Conſideres, obſecro, plurimum calamitatis, voluptatis habere vel nihil vel minimum, quas voluptates vocas; & audias Bernardum ſerm. 6. de Aſcenſione monentem his verbis: *Vſquequo miſer di-*

Maxima voluptate plenum eſt, mūdi voluptatibus valedicere.

Mundana voluptas onerosa animis.

diuerticula captas, & conſolationes propriæ voluntatis tanto labore quæritas, tanto rubore mendicas? Si labore quærendæ, & rubore mendicandæ ſunt voluptates, quis non ſequatur philoſophum declamantem: *Non tanti emo pœnitere*. Ergo dum reſpuo voluptates, ſubtraho me labori, rubori, pœnitentiæ.

Eſt ne quiſpiam ignarus adeò ſacrarum hiſtoriarum, vt non teneat miſeram Sampſonis calamitatem, nullis vnquam fletibus deplorandam ſatis? Cadit in Dalilæ ſinu virorum fortiſſimus, infelix æquè, ac cæca victima amoris inſani, quemadmodum narratur Iudic. 16. num 19. Audi, obſecro, Abulenſem quaeſt. 35. grauiſſimè, & veriſſimè ſic dicentem: O *nimis plangende vir, immo virorum flos, qui miſerabilis mulierculæ pulchritudine tractus, in extremam veniſti ſortem, ita vt cunctorum, quos legerim, miſerior factus, turpiter ab hoſtibus vtroque priuatus lumine, ad molam aſinariam molere cogaris*. Perpende cumulum miſeriarum, & obſerua, quo pacto in amplexibus lateant vincula, in libertate abſcondatur captiuitas. Vides pro libertate oculorum cæcitatem, pro molli puluinari molam aſinariam, pro luxu tribui ſeruitutem. Aſpice virorum florem, ludibrium hoſtium; fortiſſimum ducum, vt vile iumentum; exemplar fortitudinis, compendium factum calamitatum. Diceret Seneca, quod ſcriptum reliquit epiſt. 39. his verbis: *Quis hoſtis, in quenquam tam contumelioſus fuit, quàm in quoſdam voluptates ſuæ ſunt?* Et nega, ſi potes, talium voluptatum fugam maximè eſſe voluptuoſam.

Terrenarũ voluptatũ fuga voluptuoſa ſatis.

Dicenti, immo experto crede Auguſtino lib. conf. 9. cap. 1. in fine. *Quàm ſuaue mihi ſubitò factum eſt, carere ſuauitatibus nugarum! & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eyesebas enim eas à me vera tu, & ſumma ſuauitas: eijciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior.* Ita Auguſtinus; qui gaudio perfunditur, voluptates dimittendo, immo permutando cum verioribus, & amabilioribus voluptatibus.

Habeo in promptu Senecæ philoſophi autoritatem Epiſt. 110. vbi, enumeratis omnium voluptatum generibus ab Attalo philoſopho ſapienter differente, quid ipſe Seneca ſentiat, ſubijcit his verbis. *Hoc itaque ipſi mihi dico, quoties tale aliquid perſtrinxerit oculos meos, quoties occurrerit domus ſplendida, cohors culta ſeiuorum, lectica formoſis impoſita calonibus. Quid miraris? Quid ſtupes? Pompa eſt. Oſtenduntur iſta res, non poſſi-*

Terrena voluptas tranſitoria.

A *dentur; & dum placent, tranſeunt.* Non poterat aptiùs, aut ingenioſiùs explicari, quod volo. Quæcunque illa ſint, quæ delectant, duplicem ſecum trahunt conditionem, teſte philoſopho. Primò quidem, dum placent, tranſeunt: At, quid, oro, moleſtius fingi poteſt, quàm velociſſimus, citiſſimuſque receſſus earum iucunditatum, quæ maximè placent? Tales porrò ſunt huius ſeculi voluptates: vt propterea iucundius ſit, illis carere, quàm earum, in ipſa voluptate, tranſitu amariſſimo cruciari. Alterum verò, quod in huiuſmodi voluptatibus eſt attendendum, innuit illis verbis: *Oſtenduntur, non*
B *poſſidentur*. Acerbiſſimum tormenti genus eſt, ſpectare oculis ſuis, quod iucundum eſſet; & poſſidere non poſſe. Propterea Deus eam Moyſi pœnam duriſſimam impoſuit, vt viſa terra promiſſionis eam poſſidere non poſſet. Vnde Deuteron. 34. num. 4. *Vidiſti eam oculis tuis; & non tranſibis ad illam*. Propterea Epuloni tartareis addicto cruciatibus Abrahæ ſinus, hoc eſt, ſedes beatitatis oſtenditur: videt nempe, vt inuideat, & ipſo aſpectu eius boni, quod obtinere non poteſt, grauiori pœna torqueatur. Plena ſale illa apud Suidã eſt vox, voluptates omnes quaſi Tantali hortos eſſe. Sicuti enim Tantalus iu-
C cundo rerum aſpectu non recreabatur, ſed torquebatur; cùm videret, quod aſſequi non ſperaret: ſimiliter etiam voluptatibus dediti homines dicuntur, præ oculis habere, non præ manibus delectabilia; ideoque conficiuntur mœrore ex tali ſpectaculo, non ſubleuantur.

Terrena voluptas amatores ſuos torquet.

Ex his habes, quo pacto voluptates crucient amatores ſuos; quia videlicet oſtenduntur, non poſſidentur: immo ne oſtenduntur quidem, ipſis fatentibus amatoribus voluptatum. Sanè apud regium pſaltem pſalm. 4. num. 6. leges: *Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona?* Ex Hebræo vertitur: *Multitudo iſta*
D *dicere ſolet*. In mulitudine carnales homines, & voluptatibus deditos agnoſce: tum Hieronymi in hunc locum, & Auguſtini lib. 9. Conf. cap. 4. lectionem attende; legunt enim, non, *oſtendit*, tempore præſenti, ſed, *oſtendet*, in futuro. Sciunt miſeri, & disertè fatentur, ne videri quidem ab ipſis ea gaudia, quae tanta auiditate perquirunt. *Quis oſtendet?* Non ait quis donabit, aut quis dabit? Nimirum oſtenduntur, non poſſidentur; immò antèquam oſtendantur, diutiùs expectari debent, non ſine maximo illo angore, quo afficiuntur, qui rem optatam expectare coguntur. Et negabis magna cum voluptate remitti nũcium huiuſmodi

volu-

voluptatibus? Aſſero Paulinum Epiſt. 39. ſuauiſſimè, & veriſſimè ſcribentem in hunc modum: *Nunquam in carnalibus affectionibus ita quieſcit animus, vt cruciatu careat; dum neceſſitudines ſuas, aut bonas amat cum amittendi metu, aut malas odit cum amittendi voto; in vtroque miſerijs ſuſtinendis ſemper obnoxius.* Meo ſanè iudicio non amanda, & quaerenda, ſed reſpuenda, & reijcienda videtur ea voluptas, quae ſemper miſerijs ſuſtinendis facit obnoxium. Si deliciae ſeculares cruciatu non carent, tam optabile eſt illis carere, quàm gratum eſſe ſolet, cruciatu, & ſupplicio liberari.

B Mirari ſoleo, vt verum fatear, dum ſermonem Chriſti Domini Lucae 12. num. 61. conſidero; vbi paſſeribus anteponit diſcipulos ſuos. Quid ſignificat huiuſmodi comparatio? Paſſeres, neque cantu nobiles, neque pennis conſpicui, neque vlla alia praerogatiua inſignes, eo conſilio proponuntur, ad declarandam diſcipulorum Dei praeſtantiam; vt intelligamus volandi praerogatiuam feliciùs ſectatoribus Chriſti tribui, quàm paſſeribus. Docet me Ambroſius lib. 7. in Lucam his verbis. *Caro, ſi conſentiens legi Dei, & exuens ſe legi peccati, in naturam animae, ſenſuum puritate transierit, alis ad cælum ſpiritualibus eleuatur. Quia* C *volandi nobis gratiam natura dedit, voluptas abſtulit.* Pendo haec vltima verba: *volandi nobis gratiam natura dedit, voluptas abſtulit.* Nil iucundius, quam à terra ſublimes praepeti ferri volatu; hanc nobis facultatem voluptas adimit. Miſer qui cœno cupiditatum infixus, paſſeribus deterior, volare non poteſt. Mihi quia pennas ſanctorum deſideriorum caelo committere voluptuoſum eſt, moleſtum experior cœno detineri; ac propterea voluptas mihi maxima eſt, tam moleſta, tam vili, tam fœda voluptate carere.

Mundana voluptas praepetem in cælum volatum nobis adimit.

D Amantiſſimè vt ſemper, & lepidiſſimè dicebat Sponſa Can. 3. num. 1. *In lectulo meo per noctes quaeſiui, quem diligit anima mea.* Conſidero, cap. proximè ſuperiori, mentionem fieri de vineae cultura, de capiendis vulpibus, hoc eſt de ſubeundis laboribus, in excolenda vinea, atque inimicis ferarum gregibus exterminandis. Quam igitur connexionem habet, quod ſubiungit dilecta dicens: *In lectulo meo per noctes quaeſiui, quem diligit anima mea?* Quietis tempus nox eſt; & in lectulo, feſſa diurno labore membra recreantur. Et tamen adhuc in lectulo Sponſa laborat, & defatigatur quaerendo. Non ſomno conſopita ſtertit anima ſponſa

A Chriſti, ſed inter plumas anxia anhelat, vt teneat dilectum ſuum. Verùm quis audeat dicere Sponſam defatigari? Quis credere poſſit verba haec eſſe animae afflictae gementiſque ſub laborum pondere? *In lectulo meo, per noctes quaeſiui, quem diligit anima mea.* Ego ſanè nunquam credam, plorantis haſce querelas eſſe; ſed amantis blanditias. Vtique amantiſſimè, & ſuauiſſimè profitetur Sponſa, ſe, poſt labores in colenda vinea, & fugandis animalibus, quos habet communes cum ſeruis Sponſi, adhuc peculiari fauore, & ſingulari priuilegio, in ipſo lecto, & nocturno tempore non ceſſare à laboribus, qui

B quidem gratiores iucundiores, cariores ſunt, quàm ipſa lectuli quies. Diſce, in lectuli commoditate, quietem, & voluptatem inuenire ſuauiorem, qui eandem lectuli voluptatem contemnit, ac ſpernit, prae amore dilecti ſui. Audi Gilibertum ſerm. 2. in Cant. expendentem haec verba: *In lectulo per noctes quaeſiui — Non illum mordaces cura circumuolant inquietudinum, non exaſperant iniuria; ſed totum lectulus, & nox; totum pax, & quies, & latebra.* Siſte parumper, & animaduerte, quo pacto toto caelo aberrent, qui ſeruorum Dei vitam conſiderantes, cùm prae oculis habeant vigilias, labores,

Terrenas voluptates dimittere maxima voluptas eſt.

C ieiunia; arbitrantur huiuſmodi homines curis, inquietudinibus, moleſtijs circumuolutos. Longè aliter ſe res habet: totum quies, pax, lectulus eſt. Sed proſequatur Gilibertus; *Nunquid ſatis eſt? fortaſſis ſatis, ſed laboranti; non ſatis amanti. Dulcis enim laboranti ſomnus: amantis anxietas, illum dormire vetat, ſomnolentiam excutit, vigilias inducit. Amor de quiete inquietus redditur.* Non potuit meliùs. Eò vſque procedit amantis affectus, vt laboribus, in colenda vinea, & exterminandis noxijs animalibus, quieſcere nequeat: adeò vt, cùm honeſtarum

D relaxationum lectulus eſt in promptu, nequeat in eo obdormiſcere: & quod laboranti eſt ſatis, amanti non eſt ſatis. Parum eſt, non eſt ſatis: immo ſatius, iucundius, gratius eſt amanti, ipſam reſpuere, & reijcere honeſtam cæteroqui, & laudabilem voluptatem. Amantis quippe ſola quies eſt, non quieſcere, & maxima voluptas remittere nuncium voluptati: *Dulcis enim laboranti ſomnus.* Ergo non laborat, qui tempore dormiendi anxius quaerit, quem diligit; ſed anxietas iſta ſine faſtidio eſt, & ſine incommodo ſolicitudo. *Dulcis*, dicat Gilibertus, *laboranti ſomnus: amantis anxietas illum dormire vetat, ſomnolentiam excutit,*

vigi-

vigilias inducit. Amor de quiete inquietior redditur. Itaque nil quiete inquietius contingere poteſt amanti. Ergo, ſi amas, quietem voluptatis, vtpote inquietam, aüerſaberis, ſolicitudinem in ſeruiendo Deo, vt quietam, complecteris toto conatu, vtpotè maximè voluptuoſam. Maneat ergo, maiori cum voluptate, accenſos Dei amore voluptatibus renunciare, quàm pigri, ac deſides eiſdem voluptatibus perfruantur.

Verùm ſatius erit hominem conſulere peritum, & probè tenentem, propria doctum experientia, quid de voluptatibus ſentire debeamus. Offert ſe mihi adoleſcens ille cognomento Prodigus, qui in B ipſo ætatis flore, laxatis in omnem licentiam cupiditatum habenis, paterna relicta domo, nullis pepercit impenſis, nullam non adhibuit induſtriam, vt quicquid deſiderarent oculi, concupiſceret caro, cupiditas poſtularet, diligentiſſimè perquireret & auidiſſimè ſectaretur. Adeſdum, iuuenum voluptuoſiſſime; quid tibi de voluptate videtur? Quid de voluptatibus carnis ſentiendum; non verbis, ſed factis; non ſermone, ſed experimento reſpondet is, qui, dum voluptatis amore captus, eam in omnem partem, mille modis inueſtigare non deſinit, fit mendicus, redigitur in ſeruitutem, porcos paſcit, ſiliquis C impleri non poteſt. O egregiam veſtrarum deliciarum voluptatem, miſeri concupiſcentiarum captiui. Ideo prodigus iuuenis, ſua eruditus calamitate, ſtatuit fugere amaras dulcedines, mauultque ſeruitutem ſubire paternæ domus, quàm diutius inter porcos, voluptatibus impuris abundare. *Surgam*, ſic ſecum loquitur Luc. 15. num. 18. & 19. *& ibo ad patrem meum, & dicam ei: fac me ſicut vnum de mercenarÿs tuis*. Quid tum? an inter mercenarios relatus? Immo verò amplexibus ſtrictus, annulo cohoneſtatus, conuiuio exceptus, muſico concentu recreatus. D Ecce, quo pacto angoribus premitur, voluptates quaeritans, & è contrà voluptatibus repudiatis, blandiſſimè, & voluptuoſiſſimè pertractatur. Recole verba textus cit. cap. num. 20. & ſeq. *Vidit illum pater ipſius, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum*. Et paulò poſt, inter paternas blanditias exclamat. *Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manũ eius: & calceamenta in pedes eius: & adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur*. Cæcus eſt, qui non videt in voluptate moleſtiam; ſtultus, non intelligit liquidiſſima voluptate per-

In terrenis voluptatibus angor, in earundẽ contemptu voluptas maxima reperitur.

A fundi contẽptores, deſertoreſque voluptatum. Comparatione res fiet clarior, quam mihi ſubminiſtrat D. Paſchaſius lib. 2. in Thren. Facit enim comparationem inter iuuenes illos, qui apud Ieremiam voluptatibus inhiabant auidiſſimè, & hunc prodigum filium, de quo ſcribit Lucas, loco cit. Tam illi, quàm iſte blandimenta voluptatum ſectantur; ſed euentu longè diſſimili. Prodigus ſiquidem, paternis tandem exceptus lautitijs, blandimentis perfruitur iucundiſſimis: at verò miſeri adoleſcentes, apud Ieremiam, in matrum ſuarum ſinu occumbunt infeliciſſimè. Quandoquidem, & iſti, & ille, carnis corrupti B delicijs, plus æquo indulgent genio, & mollibus effœminati oblectamentis conficiuntur; cur exitu tam diſpari gratulatur filius prodigus, Iſraëlitæ apud Ieremiam intereunt? In promptu ratio eſt, niſi fallor. Quia prodigus adoleſcens contempſit voluptates, & ſeruitutem paternæ domus prætulit delicijs malè ſuadis; par fuit, vt voluptatibus perfrueretur amiciſſimis. Nempe voluptatem viciſſe, voluptas eſt maxima. At verò iuuentus Iſraëlitica, maternas inter ſuauitates, inter amplexus, in oſculis contabeſcit exanguis. Hæc ſcilicet mundanæ dulcedinis ſumma eſt; hæc prauorum meta gaudiorum. Audi C Paſchaſium loco citato. *Eruditior ille filius, qui ad patrem ſuſpexit egens, quàm iſti, qui à voluptatibus carnis, quaſi à matribus ea bona exquirunt. Sed quia caro eos decipit, errant, & ſi non in eo, quòd parum requirunt, ſaltem quia in carne torpentes, ab ea iſta petunt. Idcirco in ſinu carnis intereunt*. In voluptatibus interitus. in voluptatum contemptu conuiuium; quam ſumptuoſum? ſymphonia; quàm ſuauis? Nega, ſi potes, voluptatum contemptoribus iucundius eſſe, quàm amatoribus. *Vſquequo miſer*, vt verbis vtar Bernardi, ſerm. 6. de Aſcenſ. *diuerticula captas, & conſolationes propriæ* D *voluntatis, tanto labore quæritas? tanto rubore mendicas?*

Plures equidem, coſque grauiſſimos teſtes proferre poſſum in medium, pro confirmanda aſſertionis propoſitæ veritate. Eſt etenim voluptas, malorum eſca ſi M. Tul. Ciceroni de ſeneƈt. ſcribenti credamus. Eſt malorum mater omnium ex eiuſdem ſententia 2. de legib. Voluptas mortis eſt fabricatrix, ſi Lactantium, hoc eſt Ciceronem Chriſtianum lib. 6. audiamus. Immo Gregorius Nazianzenus car. de rebus ſuis col. 3. cecinit: *Voluptas breuis ærumnas multas comites habet*. Et oratione 10. irretientes appellat compedes,

Mundana voluptas malorum, & ægritudinũ eſca.

pes. A Hieronymo in Epiſt. Mater ægritudinis voluptas dicitur: A Paulino, Iouio fratri, *Voluptatis peſtifera dulcedo*. Vt profanos ſcriptores taceam: Liuium dec. 1. lib. 4. ſcribentem: *Labor, & voluptas diſſimillima natura, ſocietate quadam iuncta ſunt*: Platonem apud Plutarch. in Annibale: *Voluptatem eſcam malorum*: Ipſum etiam Plutarch. ibid. aſſerentem, campanas delicias magis, quàm Alpium iuga, quàm armatos Romanorum exercitus, Pœnis nocentes. Ariſtotelem 7. Ethic. c. 7. quo auctore, voluptates nil aliud ſunt, quàm inſanæ quædam rabies, & affectiones ægritudinales. Iamblichum B de vita Pythag. cap. 30. docentem, primum, ad præcipitium, gradum, eſſe voluptatem. Archytam apud Ciceronem de Senectute, dicentem, voluptatem peſtem, qua nulla ſit capitalior. Vt taceam, à Platone, in Philebo, voluptatis illecebras, maleficæ artis præſtigias; à Plutarcho, de orbe lunæ, inquinamenta; à Virgilio, 6. Æneid. corporeas peſtes; ac denique à Stoicis apud Ciceronem in Tuſcul. morbos, & ægritudines nuncupari. Dicat potiùs Euſebius de præparatione Euangelica lib. 7. cap. 2. voluptatem hydram multorum capitum: Dicat Clem. Alexand. lib. 2. & lib. 7. ſtromat. vitiorum, improbita- C tiſque metropolim, voluptatem: Dicat S. Diadochus de perfectione ſpirituali c. 76. *Voluptatum dulcedo eſt, tanquam fumus in mentem infuſus, qui lacrymas eliciт, & oculos lædit*. Dicat Baſilius orat. 3. initio, voluptates mundanas vmbras eſſe prope viam vitæ exiſtentes; aptas & commodas ad prædones occultandos, & inſidiatores tegendos, qui ex improuiſo laqueos ſalutis nobis intendunt. Et idem Baſilius orat. 4. paulò ante medium. *Voluptas eſt quidam hamus diaboli ad perniciem nos trahens. Voluptas mater eſt peccati, peccatum autem ſtimulus mortis; voluptas nutrix eſt æterni vermis, quæ ad* D *tempus quidem demulcet ſurentem, at poſtea felle amariores retributiones facit*. Dicat Chryſoſtomus hom. 2. in Marc. *Voluptas mel mortiferum eſt*. Dicat Ambroſius lib. 4. in Luc. c. 4. *Quaſi clauis quibuſdam ſuffigitur anima corporeis voluptatibus*. Dicat Philo. Heb. de mundi opificio. *Voluptatem, iniquitatum originem, virulentum anguem, laſciuam meretriculam*. Et lib. de eo quod deterius potiori inſidiari ſoleat, *Voluptas corporis ſarcina maxima*. Dicat S. Ephræm paræn. de pœnit. *Voluptas hominis nouerca*. Et de recta viuendi ratione, c. 20. *Senſuum voluptas laqueus & eſca mortis*. Quemadmodum etiā

A ab eodem cap. 30. voluptates, libidineſque procellis, ac fluctibus comparantur. Tandem veriſſimè, & grauiſſimè dicat Auguſtinus in pſal. 28. carnis voluptates dicendas, & credendas eſſe inferos, hoc eſt cruciatuum animi, tormentorumque omnium teterrimum ergaſtulum, atque miſerrimum. O verè pœnitendas, fugiendaſque voluptates! Dicamus non ſolum cum S. Cypriano lib. de bono pudicitiæ num. 38. *Voluptatem viciſſe, voluptas eſt maxima*; ſed etiam cum Iſidoro Ægyptio ep. 87. *Voluptas ſomnus eſt, qui deprimit veram animi cum Deo voluptatem*. Immo cum ethnico homine Seneca lib. de vita B beata cap. 4. dicamus: *Vera voluptas erit voluptatum contemptio*.

Mundana voluptas rectè inferno comparatur.

Video adhuc dubios hærere lectores meos; cùm ex vno capite tot experimentis, tot auctoritatibus, tot ſacrarum ſcripturarum oraculis, non poſſint non acquieſcere; ex alio verò experiantur delectabiles, & iucundas eas voluptates, quas, tanquam minimè voluptuoſas, reijciendas eſſe, contendimus. Quicunque in hac ſententia ſis, adeſto animo, & finge geminas menſas, quarum altera ſplendidiſſimè instructa, omni epularum, deliciarumque varietate referta: altera verò panis ſolius fruſtulis, iiſque hordeaceis, duris, & C malè coctis inſtructa. Tum vtraque conſiderata attentiùs, dicas, oro, vtra tibi ad guſtum accommodatior, ſuauior, & ſapida magis videatur? Quis primam, epulis ad delicias vſque inſtructiſſimam, non præferret ſecundæ, quæ nihil non aſperum habet, atque auſterum? Chryſoſtomi tamen longè diuerſa ſententia eſt; & putat cum diſtinctione reſpondendum: melioris enim nutrimenti, & ſapidioris conuiuij menſa videbitur ſano corpori, vegetoque, ſolo pane menſa inſtructa; quàm ægro atque imbecilli, febri laboranti, & noxijs humoribus malè affecto, lautitiæ, & blanditiae conuiuij ſuauiſſimi praebere poſſint D guſtum, aut voluptatem. Verba S. Io: Chryſoſt. hom. 28. in Epiſt. ad Corinth. ea ſunt. *Quomodo ſalubria quidem corpora, etiam ſi pane ſolo alantur, firma quidem ſunt, & luxuriant: morbida autem, etiam ſi lauta, & varia fruantur menſa, eò ſunt imbecilliora: ita etiam ſolet euenire in anima. Qui ægro ſunt animo, ne in diademate quidem, & honoribus, qui verbis non poſſunt explicari, poſſunt bono, & tranquillo corde eſſe: philoſophi autem, & in vinculis, & in catena, & in paupertate, pura fruuntur voluptate*. Iam intelligis, quomodo fuga, & contemptus voluptatis voluptatem pariat. Eo modo videlicet.

Terrenarū voluptatum contēptus ingentem voluptatem parit.

delicet, quo maiorem voluptatem experitur, cùm ſolo veſcitur pane ſanus homo, quàm experiatur æger exquiſitiſſimis cibis. Caue ergò, obijcias mihi experientiam, ne accuſes prauam diſpoſitionem tui palati. Dicerem cum M. Tullio lib. 2. de finibus. *Hoc eſt non modò cor non habere, ſed ne palatum quidem.* Dicerẽ cum Seneca ep. 109. *Iſto modo dicas non eſſe in melle dulcedinem. Nam ille, qui edit, eſſe debet ita aptatus lingua; palatoque ad huiuſmodi guſtum, vt ille tali ſapore capiatur, non offendatur; ſunt enim quidam, quibus, morbi vitio, mel amarum videatur.*

Mundana voluptas, cibus eſt, non nutriens animam, ſed illam, eneruans.

Quoniam verò vſi ſumus petita ab epulis ſimilitudine; ab epularum ſapore, ad earundem nutrimentum facilis erit gradus; cùm præſertim plenus Deo Ieremias exclamet cap. 31. num. 22. *Vſquequo delicijs diſſolueris filia vaga?* Alij ex Pagnino legunt: *Quouſque delicijs tabeſces?* Eſt autem tabeſcere, diuturna morbi pertinacia emaciari, atque conſumi. Tabes enim dicitur, vt latè Celſus lib. 3. cap. 2. cùm corpus non alitur, eò quòd ob malam valetudinem alimenta corrumpantur. Igitur quouſque diſſolueris delicijs, ſeu delicijs tabeſces? Dulces enim, quas auidiſſimè quæris, ſenſus voluptates non nutriunt, ſed tanquam alimenta corrupta, tabe miſeranda conficiunt, atque eneruant. Accipe verba S. Ephræm de patientia, & conſummat. ſeculi. *Voluptas peccati, eſt falſi nominis voluptas; cùm non ſit alia voluptas, quàm timere Deum, & diligere ipſum; in hoc verè voluptas eſt.* Accipe Chryſologum ſerm. 5. definientem, *Voluptates corporis malè dulces.* Vt intelligas, quàm frigidè ſcripſerit Seneca Ep. 121. dum, ad declarandum, reijciendas eſſe, reſpuendaſque voluptates, dixit, *Voluptates huiuſmodi in dolores ituras.* Hoc, inquam, eſt parum: voluptates enim, non quia in dolores ituræ, ſed quia doloribus plenæ, ſed quia fucata dulcedine tabẽ miſerrimam inducentes, ægritudine conſumunt immedicabili; refugiantur ideo, ideò reſpuantur: Eis enim caruiſſe, maior nulla voluptas eſſe poteſt, aut excogitari. Libentiùs ſubſcribo eiuſdem Senecæ verbis ep. 74. *Solebat Attalus hac imagine vti. Vidiſti aliquando canem, miſſa à domino fruſta panis, aut carnis, aperto ore captãtem? quicquid excepit, protinus integrum deuorat, & ſemper ad ſpem futuri inhiat. Idem euenit nobis; quidquid ſpectantibus fortuna proiecit, id ſine vlla voluptate demittimus, ſtatim ad rapinam alterius erecti, atque attenti:* Conſidera illa verba, *id, ſine vlla voluptate, demittimus.* Adeò, ſine voluptate, voluptas eſt.

Ego ſanè his omnibus adducor ad dicendum cum S. Iob cap. 31. n. 1. vt omnem omnino aditum voluptatibus intercludam: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* — *Legem poſui oculis meis*, legit Chryſoſt. hom. 34. in Matth. — Argutiùs ſeptuaginta interpretes: *Teſtamentum poſui oculis meis.* Non quouis pacto, aut quacunque lege arcendæ ſunt voluptates ab oculis, ſed lege teſtamenti. Quaſi dicere vellet Iob; Scio dandas voluptates, quibus fruuntur amici Dei, illis, qui reſpuunt, aſpernantur, ac fugiunt voluptates mundi, ſed ſeruari debet lex teſtamenti. Mihi igitur, ait Iob, moriendum eſt voluptatibus prauis, vt pura fruar dulcedine ſanctitatis. *Pepigi fœdus cum oculis meis*: Parum eſt: *Legem poſui oculis meis*: Adhuc parum: *Teſtamentum poſui oculis meis.* Animus iuſti hæredes inſtituit ſenſus ſuos. Igitur, vt ſenſus, cor, caro, & omnia oſſa exultent, moriatur animus, perfecta prauarum cupiditatum abrenunciatione, vt impleta teſtamenti lege, verarum voluptatum adeat hæreditatem. Id ſi præſtiteris, Bernardo ſubſcribes epiſt. 114. ſic dicenti, decernentique inter carnis, ac ſpiritus iucunditates: *Cui comparata omnis aliunde iucunditas, mœror eſt, omnis ſuauitas dolor eſt; omne dulce amarum; omne decorum fœdum; omne poſtremò quodcumque aliud delectare poſſit, moleſtum.* Peccati vitio factum eſt, vt hiſce nonnulli acquieſcere nequeant. Vnde idem Bernardus ſer. 85. in Cant. ſic: *Sapientia à ſapore denominatur: quòd virtuti accedens quoddam veluti condimentum ſapidam reddat, quæ per ſe inſulſa quodammodo, & aſpera ſentiebatur, Hunc ſaporem perdidimus ab ipſo penè exortu generis noſtri. Ex quo cordis palatum, ſenſu carnis praualente, infecit virus ſerpentis antiqui; cœpit anima non ſapere bonum, ac ſapor noxius ſubintrare.* Purgandus à peccati corruptela animus eſt, vt guſtum ſentiamus, & experientia docti perdiſcamus, voluptatum maximam, eſſe carentiam voluptatum. Atque hoc pacto, inter eos numerabimur, qui, (vt verbis vtar Gregorij Nazianzeni orat. 12. quæ eſt prima de pace) *delicijs minimè ſtudere, pro delicijs habent.* Mihi equidem nunquam excidet mente Senecæ monitum ep. 21, ſcribentis: *Si vis eſſe in perpetua voluptate, non voluptatibus adijciendum eſt, ſed cupiditatibus detrahendum.* Videatur idem Seneca lib. de Vita beata cap. 14.

Carnis voluptas, ſpiritus voluptati comparata, voluptas non eſt, ſed potius mœror, & dolor.

Haec mihi non raro meditanti recurrit

Carini

A Carini Imperatoris memoria. Hic, vt ſcribit Tiraquellus lib. 4. cap. 20. in Alexandr. ab Alexandro, oblata ſibi hyemis tempore tepentis aquae piſcina, dicitur balneatoribus exprobraſſe, in haec ferè verba: *Aquam mihi muliebrem preparaſtis*. O quanta cum voluptate animi ſui, generoſus princeps eam reſpuit delectationem, quam hyemis tempeſtate prae gelida, aquae tepentes ſolent afferre! Et dubitabimus, num Dei amors voluptas ſit maxima, vincere, fugere, reſpuere, voluptatem; cum Carinus, vel quia perfrigidis aſſuetus amnibus, vel quia commendationem, aut potiùs admirationem roboris affectabat, brumales inter hyemis inclementiſſimae niues, ſolatium reſpuerit tepentium balneorum?

Perpetua voluptas eſt terrenas voluptates reijcere.

B Aut certè naturae nos erudiat miraculum, de quo tum Plinius lib. 31. cap. 2. tum etiam Athenaeus lib. 2. cap. 2. id tradunt. Ex fonte Clitorio, à Clitore Arcadiae oppido ita denominato, qui biberint, tanto vini taedio afficiuntur, vt ab eo maximè abhorreant; immo ne eius quidem odorem ferre queant: Vnicum ijs ſolatium, ſumma voluptas eſt, vini voluptate carere. Hinc P. Ouidius lib. 15. metam. cecinit.

Clitorio quicunque ſitim de fonte leuarit,
Vina fugit, gaudetque meris abſtemius vndis.

Chriſti amore faciillimè terrena voluptas ſpernitur.

Vinum, pranae ſymbolum voluptatis, vſque adeò abhorrent, qui ex aqua de Saluatoris fontibus emanante potauerint, vt vel ſolus odor ſtomachum moueat. Illud ſcilicet, quo peccatores tanquam generoſo delectantur vino, nauſeantes abominantur iuſti, quorum ſola, & maxima voluptas eſt, voluptatem huiuſmodi fugere, & auerſari. Huc traho ſententiam Hieronymi ad Saluianum tom. 1. elegantiſſimè ſcribentis: *Noſtrum eſt voluptatis ardorem maiore Chriſti amore reſtinguere*. Audis qua frangatur machina vis voluptatis? Certè non alia, quàm amoris; non inedia, non cilicijs, non labore, aut duritia; ſed amore. Amore nil ſuauius: propterea neque ſuauior, aut amabilior poteſt eſſe voluptas, quàm ipſi nuncium remittere voluptati.

IN CAPVT NONVM

Num. XII. & XIII.

At Ieſus audiens, ait: Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus. Euntes autem diſcite quid eſt: Miſericordiam volo & non ſacrificium. Non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.

PARADOXVM IV.

Miſericordia præcellentiam Deo tribuit, & nobilitatem: Donat homini cum Deo conſortium, & quaſi æqualitatem.

TAM profuſa, &, ſi fas eſt dicere, tam exaggerata, ipſius oraculo veritatis, miſericordiæ commẽdatio inuitat me ad antiquum animi mei ſenſum patefaciendum; cur nimirum ipſi ſacrificiorum obſequio, quo nihil ſanctius, religioſius nihil; tam diſertè miſericordia anteponatur? Videlicet ea miſericordiæ dos eſt, vt Deo ipſi, qui nullius habet indigentiam, miro quodam modo, atque ineffabili praecellentiam tribuat, & nobilitatem: quod primo loco illuſtrabo; demonſtraturus deinde, quo pacto, non modò donet homini miſericordia familiare cum Deo conſortium, verùm etiam quandam quaſi cum opifice optimo, maximoque æqualitatem. Quibus elucidatis, excitabimur, ni fallor, & ad reponendas in Dei miſericordia ſpes noſtras, & ad ſubleuandas, miſericordiæ noſtrae ope, miſerias aliorum.

Pulcherrimã Ambroſius proponit quæſtionem, quiſnam inter Euãgeliſtas magis appoſitè declarauerit Chriſti pendentis è cruce præcellentiã, maieſtatemque? is forC
taſſe, qui, terræ tremore atque concuſſione deſcriptura, debitam Diuinitati reuerentiam ſatis ſuperque perſuaſit? An certè qui pullatum meridianis tenebris caelum ponens ob oculos, auctorem naturae Chriſtum eſſe teſtatus eſt? Vel potiùs qui euocatis è monumentis defunctis, vitae prædicat autorem eum, in quem Iudaeorum crudelitas execranda ſaeuiebat? Vel denique, qui donato beatitudine latrone, & cõceſſa crucifixoribus venia, Sacerdotem magnũ, & beatae dominum ciuitatis, expirantem in patibulo Chriſtum proclamat? Vera quidem ſunt haec; ſed longè aliter ſentit Ambroſius, cuius iudicio nihil eſt, quod
D aequè euincat, immo exaltet ſeruatoris è cruce pendentis maieſtatem; nihil, quod reparatorem noſtrum, praecellentem humanamque ſuprà conditionem praeſtantem efficiat aequè, ac exhibita erga matrem, magiſtra miſericordia, officia pietatis. O miſericordiam Dei benefactricem! Audiamus Ambroſium lib. 10. in Lucam cap. de commendatione Mariae, ſic loquentem: *Dominus pendens in cruce, qui ſua pericula contemnebat, pio matrem commendabat affectu. Quod non otioſè Ioannes pluribus proſequutus eſt. Alij enim mundum deſcripſere concuſſum, caelum tenebris obductum, refugiſſe Solem, &c. Lucas autem competenter aſſeruit, latroni ve-*

Chriſtus in cruce pendens ſe Deũ oſtendit diuinæ pietatis officia erga matrẽ exhibens.

niam ſacerdotali intereeſſione donatam, & Iudæis perſequentibus, eodem munere indulgentiam poſtulatam. Ioannes verò, qui pleniùs diuina penetrauit myſteria &c. ſolus me docet, quòd alij, non docuerunt, quemadmodum in cruce poſitus appellauerit matrem; pluris putans, quòd victor ſuppliciorum, atque pœnarum, victor diaboli, pietatis officia diuidebat, quàm quòd regnum cæleſte donabat. Palma in hoc diſſidio, ex Ambroſij ſententia debetur Ioanni; qui pleniùs diuina penetrauit myſteria, agnoſcens, maxima veneratione dignnm eſſe Chriſtum Dominum, ex eo potiſſimùm capite, quòd ſuppliciorum, pœnarumque victor, etiam tot inter, tantoſque angores pietatis officia diuidebat. Itaque Chriſtum Ieſum agentem animam, anhelantemque inter inſultantis preſſuras mortis, magis exaltat miſericordia erga mœrentem matrem, qnàm miracula tam nota, quàm tormenta tam dira, quàm dona tam ampla: Magis morientem nobilitant extrema pietatis officia, quàm ſanguis effuſus, quàm inflicta vulnera, qnàm claui tam duri, quàm crux tam acerba, quàm mors tam luctuoſa: ardentiſſima ſiti, lacerato capite, exanimi corpore mirabilior, præſtantior, diuinior, erga parentem miſericordia eſt.

Neque mihi in hac re laborandũ eſt, cùm pro me habeã locupletiſſimnm teſtem Ioëlem prophetam, qui, vt titulos congerat ad exaggerandam Dei nobilitatem, multis ſynonymis eandem commemorat miſericordiam: quaſi nihil aliud inueniat, quod ad rem facere iudicet, vt mentes hominum imbuat ea nobilitatis opinione, quæ Deum deceat. Sic autem habet c. 2. num. 13. *Benignus, & miſericors eſt, patiens, & multa miſericordia, & præſtabilis ſuper malitia.* Titulorum ſumma, quibus maximum Dominum honorare contendit, vna miſericordia eſt. An non potentia, vel maieſtas nobilem declararent? Cur ergo inter miſericordiæ cancellos concluditur ea nobilitas, quæ amplioribus dilatata finibus honorabilior videtur? Sed Ioëli ſatis eſt ſola miſericordia. Videlicet potentiae Dei, quae nullis poteſt limitibus circunſcribi, vis quaſi, & robur, & plenitudo, bonitas eſt. Videretur quodammodo potentia impotens, niſi plena bonitate inueniretur. Scio ingenioſè à Tertulliano pronunciatum: *Dei cognomen Dominus eſt.* At, quemadmodum nulla nobilior proſapia eſt, quàm eius, qui cognomen ducit à dominatu; ita nullo haberetur in pretio, qui cognomento Dominus, omni omnino careret potentia; ſine qua inane Domini nomen eſt. Potentiam porrò plenam, id eſt validam potentemque in Deo, bonitas facit: vt hinc pateat, à bonitate, quæ miſericordiæ, vel germana, vel parens eſt, originem ducere nobilitatem Dei. Sol ſiderum princeps & nitore ſuo, & multò magis influxu benefico fuit ſemper, eritque imago clariſſima beneficæ miſericordiæ Dei. Quò reſpiciens rex Dauid pſal. 18. num. 5. canebat: *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Suam in Sole fixiſſe ſedem ſummum rerum dominatorem, ac principem ideo dixit; vt inſinuet, nullum toto terrarum orbe locum eſſe aptiorem, in quo, tanquã in regia aula, Diuinitatis immenſae maieſtas adoretur. Et meritò: ſicut enim Sol ſolus, inter caeleſtia ſigna beneficentiſſimus, viuificae beneficio lucis, terrae viſcera, mariſque ſinus, ita peruadit, vt pretioſiſſimis metallis, & vnionibus faciat diuites; ſic etiam diuina bonitas ſuae theſauros miſericordiae intra luteas cordis terreni ſordes procreat, ac recondit; vt ex hoc capite miſericordiam Dei, reliquas inter Diuinitatis praerogatiuas, veluti minora inter lumina Solem, agnoſcere, ac venerari debeamus, perenni candore lucis ſplendidiorem. Micat ſtellis caeteris illuſtrior in caelo Sol: lucet in Deo reliquis dotibus clarior, & nobilior miſericordia. Vidit id S. Athanaſius in Euang. de Paſſione, & cruce, ſic loquens: *Neque Sol, ſuum iubar in ſe contrahens, pro lumine agnoſcetur, niſi etiam orbi terrarum ſuos radios exporrigat, & tenebras illuminet. Ita quoque, & Dominus non ſeipſum ſaluauit; ſiquidem nulla ſalute indigebat, cùm eſſet Saluator, ſed ex ſuis in alios beneficijs, voluit Saluator declarari.* Deus, & Sol, vterque luminum pater: ille fluxu nunquam deficienti miſerationum: hic influxu radiorum. Vnde, vt Dei miſerentis ingenium in ſole adumbraret expreſſum, ſcripſit Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 26. *Nihil eſſe Deo tam proprium, quàm in omnes eſſe munificentiſſimè liberalem.* Neque aliam inueniri poſſe arbitror rationem, cur *Pater miſericordiarum* ab Apoſtolo dici voluerit, & non potiùs pater orbis, vel pater Angelorum; niſi quia nomen nullum illuſtrius, aut honorificentius putat eo, quod deſumitur à miſericordijs. *Bene dicitur*, verba Sancti Bernardi ſerm. 5. de Natiuitate Domini, *pater miſericordiarum: cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere.* Et paulò poſt. *Rectè igitur non pater iudiciorum, vel vltionum dicitur, ſed pater miſericordiarum,* non

Bonitas miſericordiæ parens vel germana Deũ potentem facit.

Sol, diuinæ beneficẽtiæ præclarum ſymbolum.

Vna miſericordia Deũ nobilitat.

Maluit Deus Pater miſericordiarum, quam orbis vel Angelorum appellari.

A *nō mòdò, quòd pater videatur miſereri potiùs, quàm indignari, &, quemadmodum pater filiorum, miſereatur timentium ſe; ſed eò magis quòd miſerendi cauſam, & originem ſumat ex proprio; iudicandi, vel vlciſcendi magis ex noſtro.* Hæc Bernardus. Addo, Deum dici patrem miſericordiarum; quia ſicuti filius honor eſt, & gloria patris; ita honor & gloria Dei, miſericordia eſt. Tritum eſt, quod de Cornelia poſteritati tradit Val. Maximus lib. 4. c. 4. Hæc matronæ cuidam, oſtentanti muliebria ornamenta, pretioſamque gemmarum, vnionumque ſupellectilem, monſtraſſe dicitur filios ſuos, addendo. *Et hæc ornamenta mea ſunt.* B Quaſi diceret: oſtentent aliæ vniones, torques, armillas, mundum muliebrem, & opere, & materia pretioſum: oſtentent veſtes, gemmas, monilia, tanquam ornamenta nobilitatis: Ego ſanè nil nobilius, nil ditius, nil pretioſius habeo filijs hiſce. Ideò itaque *Pater miſericordiarum* dici vult Deus; quia nil pretioſius, aut nobilius putat miſericordijs.

Vidit id, tanquam in ſpeculo, magnus ille, & magiſter, & dux populi Dei Moyſes, Exodi 16. num. 6. his verbis alloquens Iſraëlitas: *Veſpere ſcietis, quòd Dominus eduxerit vos de terra Ægypti.* C In quem locum accommodatè Origenes interrogat Iudæos, de quo veſpere ſermo fiat in præſenti. Neque enim tam expreſſa veſpertini temporis mentio carere myſterio credenda eſt. *De hoc*, ſunt verba Origenis hom. 7. in Exod. *mihi velim reſponderent Iudæi, quomodo ad veſperam agnoſcitur Dominus. Vbi Dominus agnitus eſt ad veſperam? Sed ſi vis iſta intelligere, non potes niſi per Euangelium. Ibi audies terræmotum factum, monumenta diſrupta, centurionem, & milites, qui ad cuſtodiam poſiti erant, dicentes: Verè filius Dei erat iſte. Agnitus ergo per hæc in veſpera Dominus.* D Erras ſi putas, de educendo populo ab Ægyptiaca ſeruitute tantummodo Moyſem fuiſſe locutum. Præſtantius neſcio quid, ac diuinius prædicat, atque prænunciat: ſiquidem habet ab oculos Deum aſſertorem libertatis, non Iudaici ſolummodo populi, à captiuitate Pharaonis vindicandi, ſed vniuerſi humani generis eximendi à ſeruitute peccati. Huius autem tam ampli, tam exoptati, tam eximij beneficij vnicum dat ſignum Deo plenus Moyſes; ſignum, videlicet, petitum à circumſtantia temporis. *Veſpere ſcietis, quòd Dominus eduxerit vos de terra Ægypti.* Planè veſpere ſcietis: quia tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, cùm præ-

Miſericordiæ theſauros effundens in cruce Chriſtus verè rex gloriæ, & Dei filius agnoſcitur.

A propera nocte tumulato die, ſpiritus oris noſtri Chriſtus expirauit in cruce: Tunc & centurio, & milites, & quotquot aderant Deum eſſe profeſſi ſunt, quem paulò antè turpiſſima damnatum morte deriſerant. Nimirùm, cùm theſauros miſericordiæ ſuæ copioſiùs, quàm vſquam antea, effunderet; abſcondi non potuit præcelſæ maieſtas Diuinitatis. *Verè filius Dei erat iſte: agnitus ergo per hæc in veſpera Dominus.* Non potuit non agnoſci, quem miſerationis tam profuſæ monumenta ampliſſima, vindicem humanæ libertatis, gloriæ regem, Dei filium apertiſſimè declarabant. À ſalute ſanè hominibus data, B tanquam à peculiari nota, ſeù proprietate Deitatis, eundem agnouit Dauid pſ. 67. 21. *Deus noſter, Deus ſaluos faciendi.* Sicut autem nulla miſericordia largior, data hominibus ſalute; ità nulla nobilior, aut dignior Deo prærogatiua, quàm miſeratio. Hinc Philo lib. de migratione Abrahae ſcribebat: *Liquet eſſe apud Deum potentiam, quæ ad opem nobis ferendam excubet.* Solent Principes de potentia gloriari; Dei noſtri gloria eſt, miſeratione ſua, miſeris opem ferre.

Deus à data ſalute cognoſcitur.

Subtiliùs id declarabit Tertullianus; cuius ſententiam vt aſſequi poſſimus faciliùs, C reuocemus nobis in memoriam, quod Eliae cum Domino loquenti contigiſſe narratur, cap. 19. lib. 3 reg. Peruenerat Elias ad montem Dei Horeb: & cùm in ſpelunca delitteſceret, feſſus non tam longitudine itineris quod confecerat, quàm animi aegritudine, qua ob populi ſcelera laborabat; ecce tibi vocatur à Domino: Etenim ipſe Dominus compellat prophetam his verbis: numer. 11. cit. cap. *Egredere, & ſta in monte coram Domino: & ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis, & fortis ſubuertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in ſpiritu Dominus, & poſt ſpiritum commotio: non in commotione Dominus,* D *& poſt commotionem ignis: non in igne Dominus: & poſt ignem ſibilus auræ tenuis.* Attende, quo pacto præmiſſis minacibus veluti lictoribus, oſtentataque feroci vi vorantis ignis, & concutientis venti ſymbolis, declarauit Deus apertè, ſe in iſtis nec eſſe, nec inueniri poſſe: neque enim quidquam terrificum, aut atrox conuenit ei, cuius natura bonitas. Non in igne, non in fragore, non in commotione Dominus; ſed in ſibilo auræ tenuis. Accipe verba Tertulliani libro de patientia capite decimoquinto: *Sedet enim in throno ſpiritus eius mitiſſimi, & manſuetiſſimi, qui non turbine glomera-*

Regiæ maieſtatis thronus miſericordia eſt

meratur, non nubilo liuet, ſed eſt tenera ſerenitatis, apertus, & ſimplex: quem tertiò vidit Elias. Nam vbi Deus, ibidem & alumna eius, patientia eſt. Nota ſimilitudinem; vult enim Tertullianus in throno collocari Deum, cùm tolerando miſeretur: thronus autem, regiæ maieſtatis ſedes eſt: vt hinc pateat, quanto afficiatur honore Diuinitas ab affectu commiſerendi. Fuit olim in igne Dominus, cùm fœdiſſimas humanæ corruptelæ labes voraci quinque ciuitatum abſumpſit incendio: fuit in commotione Dominus, cùm, vniuerſi orbis ſubmerſione, maculas lauit deprauatæ mortalitatis: ſed videbatur partes iudicis agere in tribunali ſedentis. Regiæ maieſtatis thronus miſericordia eſt.

Quandò autem de Elia incidit mentio, hinc recedere non debeo, niſi attulero plenam ingenio proſopopœiam, qua Diuus Baſilius Seleuc. Deum cum Elia loquentem introducit, reddens rationem, cur eundem è mundo ſuſtollat in cælum, vt ſcribitur 4. reg. cap. 2. Loquitur porrò in hunc modum ſapientiſſimus rerum moderator, ex S. Baſilio orat. 11. *Tibi, peccantes cernere, graue ſpectaculum: mihi verò, qui ſum Dominus, lex de humanitate ſcripta eſt; me ipſum debitorem clementiæ conſtituo.* Quid potuit honorificentius de miſericordia dici, quàm miſericordiam legem eſſe eiuſdem legiſlatoris? Immo verò quàm honorificum eſt, Deum ipſum, de hac ipſa ſibi impoſita lege, gloriari? Vſque adeò ſe dignam ducit miſericordiam Deus, vt hinc ſe Dominum agnoſcat. Pende illa verba: *Mihi verò, qui ſum Dominus.* En diſcrimen inter Eliam, & Deū: Deus, quia Dominus eſt, miſereatur neceſſe eſt: quaſi miſeratione abſtinere, & ſpoliari dominio idem arbitretur. Neque ab hac ſententia longè abiuiſſe crediderim cæleſtium ſecretorum conſcium Paulum ad Epheſ. 2. num. 4. ſic ſcribentem. *Deus, qui diues eſt in miſericordia.* Itaque non ſapientia, aut potentia; non fortitudo, aut maieſtas; non infinitas, aut æternitas; vno verbo, non alia Diuinitatis incomprehenſæ praerogatiua Deum facit diuitem, niſi vna miſericordia. At quis ignoret, augeri diuitijs honorem, ampliorem reddi dignitatis exiſtimationem, & famam nominis, maieſtatemquo nobilitari? Euripides ſanè, relatus à Tiraquello de nobilitate cap. 3. canebat:

Decet in primis miſereri Deū, quia Dominus eſt.

Diuitiæ tribuunt nobilitatem.

— Ingens autem vis eſt
Diuitiarum, quas qui nactus eſt, ſtatim nobilis euadit.

Et idem alibi;

A *Da operam opibus; nam illa nobilitatem donant.*

Placuit ergo Paulo ſignificare Epheſijs, tribui Deo à miſericordia praecellentiam, nobilitatemque: non ſecus ac homines fiunt, & creduntur diuitiarum affluentia honoratiores.

Adſunt Iſaias propheta Euangelicus, & Io. Euangeliſta propheticus demonſtraturi, quaſi certatim, Diuinitatem ipſam, qua nihil excelſius excogitari poteſt, à miſericordia ſpectabiliorem nobis fieri, atque honoratiorem. Iſaias cap. 4. num. 2. *Erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ ſublimis.* Vaticinatur B de naſcituro inter homines Dei filio. Audis magnificentiam, gloriam, ſublimitatem? Nihil enimuero magnificentius, glorioſius, aut ſublimius, de ſummo rerum Domino prædicari poteſt, quàm vt commiſeratione permotus, humanas ſubeat miſerias, & ſua homines ſubleuet miſericordia. *Germen Domini* (ſcripſit D. Amedeus hom. 3.) *in magnificentia, & gloria extitit, quando conceptum de Spiritu Sancto, & ortum de radice Ieſſe in ſummitate virgæ totum effloruit, immo flos fuit.* O florem honoris, & maieſtatis verè ſpectabilem! Arbitrabaris Domini gloriam, magnificentiam, & C ſublimitatem à molitione orbis vniuerſi, à ſummo rerum imperio, à dominatu cæleſtium principum eſſe petendam? falleris: miſeratione potiùs quàm creatione, imperio, aut potentia gloriatur. *In magnificentia, & gloria extitit, quando conceptum de Spiritu Sancto, & ortum de radice Ieſſe in ſummitate virgæ totū effloruit, immo flos fuit.* Simili dicendi genere vtitur Io. c. 1. n. 14 *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre.* Quid dicis Io? Cùm Verbum caro factum in lucem prodijt, quid vidimus, niſi ſummam

D egeſtatem? quid vidimus, niſi ſordes abiectiſſimi ſtabuli? quid denique, niſi congregatas noſtræ mortalitatis ærumnas? Hæc ne gloriae magni Dei ſimulacrum efficiunt? Ita planè. Et, ſi Io. credimus, nulla tam ad viuum expreſſa ſummæ imago maieſtatis noſtris potuit aſpectibus ſubijci, quae ſpectandam, honorandamque mortalibus redderet Diuinitatem. Eum videlicet, quem olim illata ſupplicia orbi exhibuerant ſcelera vindicantem, facit nunc profuſa in hominum genus miſericordia vindicē, aſſertoremque libertatis. Vnde S. Gregorius Nazianzenus orat. 26. de Deo loquens ait: *Cùm multis nominibus admirabilis nobis, & ſuſpiciendus occurrat;*

Miſeratione potiùs quā creatione vel imperio gloriatur Deus.

Nullum nomen tā Deo proprium quàm miſereri hominum.

currat, nihil tam tam propriũ habet, quàm omnes beneficijs aſſitere. En cur dixit Io. *Verbum caro factũ eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre*. Maximè enim propria conditio, & veluti nota diſtinctionis ad agnoſcendam Deitatem, miſericordia eſt; cùm beneficiorum affluentia, non nationem vnam vel alteram, ſed omne hominum genus profuſiſſima commiſeratione complectitur. Quod, naſcentem humana carne indutum Dei filium præſtare voluiſſe, neminem latet. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre plenum gratia*. Do Cyrillum lib. 1. de recta in Chriſtum fide, ſic diſſerentem: *Illud Verbum, quod inexplicabili modo, ſupra omnem humanæ mentis captum eluxit ex Deo patre, in humanam naturam deſcendens, & in id quod non erat ſe demittens, ex muliere quoque naſci dignatum eſt; vt Deum ſe eſſe oſtendat*. Quaſi dicat: oſtenderat ſe in ſua aeternitate Deum, cùm ſe ipſo contentus, nullius indigens, ſine menſura temporis, ac loci, ſe ſolo beatus, immo autor exiſteret beatitudinis. Oſtenderat ſe in empyrio, gloriae ſuae communicatione, immortalem: oſtenderat ſe factorem rerum omnium, initio temporum, orbis tam ampli molitione; reliquum erat, vt ſe ſe hominibus quoque oſtenderet Deum; quod ſolius miſericordiae opus fuit, cùm è throno maieſtatis ad humanitatis ima deſcendit.

Incarnati Verbi diuinitas miſerando maximè elucet.

Ingenioſo argumento eludit Tertullianus perfidiam Iudaeorum. Petebant à Chriſto inter mortis anhelitus laborante, vt è cruce deſcenderet. Matth. 27. 40. *Si filius Dei es, deſcende de cruce*, & nu. 42. *Si rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei*. Quaſi de cruce deſcenſus, certus Diuinitatis index eſſet futurus. Ponite tandem aliquando veſtro furori modum, ò mortalium ſtultiſſimi: certiſſima habetis ob oculos argumenta Diuinitatis; & quæritis coniecturas? Patent præruptis venis miſericordiae fontes; exorat pro carnificibus ſuis apud Patrem, Lucae 23. 34. *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt*. Et dubitatis de Diuinitate? Eluceat neceſſe eſt, circunfuſis etiam, re-

A pugnantibuſque dedecorum, vulnerum, pœnarum tenebris, ſplendor triumphans diuinae maieſtatis; vbi tam venerandum, ſacrumque exhibetur ſpecimen animi miſerantis hominum, etiam facinoroſorum, & illata Dei filio caede execrandorum. Hinc, loquitur Tertullianus lib. de patientia cap. 3. *Vel maximè ò Phariſaei Dominum agnoſcere debuiſtis*. *Talia tantaque documenta, quorum magnitudo penes nationes detractio fidei eſt, penes nos verò ratio & inſtructio, ſatis apertè, nõ ſermonibus modò in praecipiendo, ſed etiam paſſionibus Domini ſuſtinendo, probant his, quibus credere datum eſt*. Ponamus ex vna parte

B nuditatem, ſitim, vulnera, iniurias, mortem crucis Chriſti in Caluario expirantis: Hæc *penes nationes detractio fidei eſt*. – *Si filius Dei es deſcende de cruce*. – *Penes nos verò, ratio, & inſtructio*. Ponamus enim ex alia parte miſericordiam patientis, ſcilicet, qui tot, & tam diris tormentorum modis excruciatur, ſuique oblitus carnifices ſuos tanta miſeratione complectitur, vt pro ipſis etiam Patrẽ exoret: Itaque is, qui lacerato verberibus corpore, terebrato ſpinis capite, interruptis ſub mortis falce ſuſpirijs agens animam, tam pius, tam miſericors eſt, agnoſcatur Deus. Plus ſiquidem ſola miſeratio ad adſtruendam

C Diuinitatem valet, quàm tot pœnarum & dedecorum genera ad deſtruendam. O miſericordiam, decus amabile, & praeſidium dulce Diuinitatis! Sed grauiùs loquetur, & longè meliùs Hilarius in pſal. 144. his verbis. *Hoc in Deo praecipuum, hoc in potente laudandum; non caelum feciſſe, quia potens eſt: non terram fundaſſe, quia virtus eſt: non annum aſtris temperaſſe, quia ſapiens eſt: non hominẽ animaſſe, quia vita eſt: non mare in acceſſus & receſſus mouiſſe, quia Spiritus eſt: ſed miſericordem eſſe, qui iuſtus eſt: ſed miſerantem eſſe, qui rex eſt: ſed diſſimulantem eſſe, qui Deus eſt*. Vnum præ cæteris mirum, prædicandum,

D ſtupendum in Deo: miſericordia.

Plus ſola Chriſti patientis diuinitatem miſeratio valet aſtruere, quàm tot pœnarum genera deſtruere.

Super omnia mirandum in Deo miraculum miſericordia

Videatur P. Io. Antonius Velaſquez in pſal. 100. lib. 4 Adnot. moral. 10 n. 4.

Videatur etiam P. Ludouicus Creſſolius lib. 3. myſtag. cap. 9. paulò ante finem.

IN CAPVT NONVM

Num. XII. & XIII.

At Ieſus audiens, ait: Non eſt opus valentibus medicus, ſed malé habentibus. Euntes autem diſcite quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.

PARADOXVM V.

Miſericordia donat homini cum Deo conſortium, & quaſi æqualitatem.

SATIVS erit, ad leuandã lectori moleſtiam, partem alteram argumenti propoſiti, ſeorſim illuſtrare. Quod animo libenti facio ſperans fore, vt hominum animi ad actus miſericordiae excitentur alacriùs; cùm ſoleant mortalium ingenia ſuæ illicio vtilitatis non mediocriter commoueri.

Vnus nobis in hac re inſtar omnium eſſe poſſet Gregorius Nazianzenus, qui orat. 17. vel Imperatorem, vel vrbis praefectum iracundia inflammatum pro ſuis ciuibus exoraturus, alloquitur in hunc modum: *Nihil tam diuinum habet homo, quàm beneficentiam: licet tibi nullo labore diuinitatem aſſequi. Alij opes ſuas effundunt, alij exhauſtam carnem ſpiritu mancipant, & ſe à mundi conſortio abripiunt, alij chariſſima pignora Deo conſecrant; nec enim tibi Abrahæ ſacrificium inauditum eſt. Horum nihil à te poſtulamus, ſed clementiam tantùm in nos.* Quem non miſereat miſerorum, vt nullo labore diuinitatem aſſequatur? Hilarius ſanè Canon. 4. in Matth. quid in hac re ſentiendum putet, declarat in illa verba Seruatoris Matth. 5. num. 7 *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Miſericordibus*, verba Hilarij, *miſericordia munera præparat; in tantum enim Deus beneuolentiæ noſtræ in omnes delectatur affectu, vt miſericordiam ſuam ſit ſolùm miſericordibus præſtaturus.* Hic

C ſermo fit de cælesti gloria, in qua ſimiles ei erimus, & videbimus eum, ſicuti eſt; nimirum, & contubernio, & eadem regni maieſtate, Dei conſortes, & quaſi æquales. Nota porrò id ſolius miſericordiæ munus eſſe: *Solùm miſericordibus præſtaturus*, ait Hilarius. Neque id mirum videri debere, declarabit idem Nazianzenus, orat. mox cit. eodem loco, vbi immediatè ante verba allata ſic inquit: *Ad Deum te adiunge, non ad mundi principem: ad benignum Dominum, non ad acerbum tyrannum. Ille homicida erat ab initio: Tibi verò, homo Dei, in mentem veniat, quis*

D *te finxerit. Quocirca Dei humanitatem & miſericordiam æmulare: nihil tam diuinum homo habet.* Attendendum, diſcrimen, Deum inter, & diabolum à ſola peti miſericordia; hanc cùm æmuletur homo, ſuum imitatur autorem: vt propterea nullus ſuperſit admirationi locus, ſi eundem conſortem velit, faciatque quaſi ſibi æqualem; quoniam tanto cum gaudio agnoſcit imitatorem, æmulatoremque.

Facilè Homo per miſericordiam ad diuinitatem ſibi præſtat aditum.

Homo miſericors rectè æterno Deo æquiparatur.

Audiamus attenti S. Iob ſermonem, vitæ ſuæ rationem reddentis c. 29. à nu. 15. his verbis. *Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & cauſam, quam neſciebam, diligentiſſimè inueſtigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus*

tibus

A *tibus illius auferebam prædam*. O quàm præclarè vobiſcum ageretur, pupilli, viduæ, egeni, quotquot calamitatibus preſſi ingemiſcitis, ſi ſuum Iob ætates ſingulæ ferrent? Videtis hominem, omni colendum commendatione miſericordiae; immo videtis omnibus abſolutum numeris exemplar miſericordiæ. Audite iam, quem ex tanta miſeratione fructum capiat, de miſeris tam bene meritus. *Dicebamque, in nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies*. Non ſolùm ait ſe vitam traducturum perenni bonorum acceſſione felicem; ſed, quod caput eſt, vitam ſuam comparat palmæ. Palma, non B ſolùm fuit ſemper humanae felicitatis, in praeſenti vita, indicium; ſed etiam praeſagium diuinae in patria beatitatis: palmam enim gloriae dicimus, communi loquendi modo, dari beatis mentibus, exacto curriculo mortalitatis. Iob igitur conciuem, conſortem, comparticipem gloriae Dei ſe aſſerit futurum, vitam ſibi promittens, palma adumbratam, hoc eſt ſemper triumphantem, tripudiantemque, vno verbo, caeleſti iucunditate beatam. Vnde tam beata cum Deo communicatio? ab vna miſericordia. *Oculus fui caeco, pes claudo, pater eram pauperum*. &c. Chryſologum, à Tilmanno in allegorijs ad c. C 21. Prouerb. relatum, praetermittere in praeſentia non poſſum. *Ieiunium innocentia radiat, caſtitate fulget, pingitur moribus, micat ſanctitatis inceſſu, toto magnificatur ornatu; ſed ſine miſericordia gloriam non habet: palmam non tenet*. Alia ſimilitudine vſus eſt S. Io. Chryſoſtomus; qua conatus eſt declarare, primas, inter virtutes, deferendas eſſe miſericordiae, qua duce ad Dei euehimur conſortium, ac contubernium: ait enim hom. 32. in Epiſt. ad Hebraeos; *Huic portæ cæli aperiuntur, & veluti regina intrante nullus ianitorum, nullus cuſtodum, qui portis aſſiſtunt, audet* D *dicere: quæ es tu, aut vnde? ſed omnes eam promptè continuòque ſuſcipiunt*. Vides, miſericordiae palmam tribui: vides, miſericordiam non quomodocunque inter caeli ciues admitti, ſed tanquam reginam receſſus intimos, & penetralia Dei ſecretiora peruadere. Et negabis contubernalem, conſortem, & quaſi aequalem Deo miſericordem?

Ieiunium ſine miſericordia palmam non tenet.

Regina virtutum miſericordia.

Semper ſum admiratus ſcalam illam verè mirificam, quam Iacob vidit in ſomno, quauis vigilia oculatiore. Ea videlicet ſcala eſt, qua Deus, beneficae mentis ſuae erga genus humanum, pium declarabat affectum. In hac ſcala beatarum mentium magiſterio diſcemus, quo pacto aperiat A homini miſericordia aditum ad diuinitatem. Geneſ. 28. num. 12. *Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram; & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam*. Huius aſcenſus, deſcenſuſque mentionem faciens Bernardus ſerm. 11. in pſal. Qui habitat: *Beati*, inquit, *illi ſpiritus aſcendunt per contemplationem Dei, deſcendunt per compaſſionem tui*. Illac beatae mentes, quae compaſſione deſcendunt humanae calamitatis, aſcendunt contemplatione, & fruitione ſummae, ſempiternaeque Deitatis. Vt intelligamus, compaſſionis, & commiſerationis deſcenſum euehere nos B ad ſolium Deitatis, vt eius conſpectu, aequè ac conſuetudine perfruamur. Iacob ipſe confirmat me in iſta opinione Bernardi; ſurgens enim, erectum in titulum lapidem, eundem oleo perfudit, num. 18. cit. cap. *Surgens ergo Iacob manè, tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum, fundens oleum deſuper, appellauitque nomen vrbis Bethel*. Notandum, meo iudicio, myſticum ſanctiſſimi, ac ſapientiſſimi Iacob documentum, quo imbuere contendit hominum mentes praeceptis obedientiae. Oleo ſignificari miſericordiam, notiſſimum eſt. C Fuſo itaque ſuper lapidem oleo, Bethel nomen imponit, quod ſignificat, domum Dei, ſiue portam caeli. Nimirum patent caeli portae, & domus Dei oſtia reſerantur, ſi fluat curſu perenni oleum miſericordiae. Monenti Iacob aures praebeamus, certò ſcientes, fore nos Deo eò cariores, quò ſimiliores fuerimus eiuſdem bonitati, miſerationum exercitatione. Videat qui velit S. Io. Chryſoſtomum hom. 4. in Epiſt. ad Philipp. vbi demonſtrat magnificentiſſimo dicendi genere animos miſericordia ornatos diuinae mētis aemulatione, Deos fieri. Ego interca dabo Nazianzenum orat. de cura paupe- D rum, ſic dicentem: *Nulla, ex omnibus, re Deus perinde ac miſericordia colitur: quoniam nihil aliud tam peculiare eſt Deo, quàm illa*. Mox id probat Chriſti exemplo; quae apud ipſum videre potes. Deinde oſtendit, fieri nos per miſericordiam quaſi Deos. his verbis: *Fias infortunato Deus, miſericordiam Dei imitando. Nihil enim adeò diuinum habet homo, quàm benefacere. Diſcas ergo viſcera aperire indigentibus. Da pro magno promptitudinem, ſi nihil aliud habes, vel lacrymulam. Magnum enim remedium afflicto eſt miſericordia*.

Miſericordia ſcala eſt ad Deitatis ſolium.

Per miſericordiam homo quaſi alter Deus fit.

Hæc porrò, quae prae manibus veritas eſt, non ſemel videtur in ſacris literis

adum-

adumbrata. Sic lib. 3. Reg. cap. 6. 31. & cap. 7. 50. legimus in Salomonis templo diuina architectante ſapientia excitato, ſanctuarij ingreſſum habuiſſe oſtia de lignis oliuarum, quae aureis cardinibus voluebantur. *In ingreſſu oraculi* (verba ſac. text.) *fecit oſtiola de lignis oliuarum, poſteſque angulorum quinque. Et duo oſtia de lignis oliuarum*. Oleagineæ portae pandunt penetralia ſanctuarij; quia frequentiori piae miſerationis exercitatione, ad ſecretiorem cum Deo communicationem ingrediamur neceſſe eſt: oleũ nanque hieroglyphicum miſericordiae docet Abulenſis, quæſt. 11. in Leuiticum. Et clariùs propheta Iſaias cap. 58. enumeratis miſericordiae operibus, concludit, hominem miſericordem Dei gloria donandum. Sic autem habet cit. cap. à num. 7. *Frange eſurienti panem tuum, & egenos, vagoſque induc in domum tuam: cùm videris nudum operi eum & carnem tuam ne deſpexeris*. Audis, quo pacto miſericordiae numeros explere debeas? audi iam, quale praemium ſit futurum. num. 9. *Et gloria Domini colliget te*. Dignus ſanè, qui gloriae Dei, vel ſinu excipiatur, vel throno exaltetur, tot, tantiſque miſericordiae operibus inſignis. Illud cenſeo dignum animaduerſione, non ſolùm paſcendos pauperes, egenos hoſpitio excipiendos, veſtiendos nudos; ſed haec omnia ab homine miſericorde præſtanda; vt exiſtimet, non alijs, ſed ſibi ipſi benefacere, talibus pietatis officijs bene merendo: *Carnem tuam ne deſpexeris*. In quam gratiam diceret Chryſologus, quod ſermone 14. pronunciauit, in hunc modum: *Verus amor, non niſi paſſionibus probatur. Verus amor eſt, fecisse ſuas anguſtiati anguſtias*. Nequit miſericordia à vero amore ſeiungi. Quae fortaſſe cauſa fuit, cur in memorata paulò antè ſanctuarij porta ligna oliuarum aureis cardinibus nitebantur. Fulget auro charitas, quemadmodum fluit oleo miſericordia, quae ſtare nequit, niſi fulta auro charitatis: *Et cardines oſtiorum domus interioris ſancti ſanctorum ex auro erant*. citato cap. 7. num. 50. Quis crederet id Senecæ auctoritate poſſe firmari? ſi dubitas, lege in Epiſt. 31. ſequentia verba: *Bene alijs facere, hoc ſolùm habent homines cum Deo commune: Imitatio porrò, conciliatio quadam eſt, idque, quod imitatur, cum eo coniungit, quod imitandum proponitur. Quamobrem ſic habeto, affinem te Deo eſſe factum, eiuſdem benefica communione voluntatis*.

Per miſericordiæ oſtium facilè ad Dei communicationem acceſſum habemus.

Benemereri de alijs diuinum opus

Percellit aures rumor neſcio quis ante Sponſi ianuam excitatus. Intempeſta nocte clamor inopinatus, crebrae vociferationes, repentinus pulſantis fragor monſtro ſimile noui aliquid portendunt. Rei ſeriem diſtinctè narrat Matth. c. 25. n. 12. Clamore facto, nuptiali pompa Spõſus in aulam ingreditur domus, omni deliciarum apparatu refertiſſimæ, vnà cum Sponſa cœnaturus. Cum ecce tibi quinque virgines, forma præſtantes; ſed innocentia morum, & candore virtutis longè ſpectabiliores, pulſant anxiae, cum Sponſa, & Sponſo opiparis menſæ lautitijs fruiturae: verùm fuſis fruſtra precibus, quibus nullum pretium cariùs eſt, reijciuntur ab ingreſſu, inaudita planè inurbanitate. In adoleſcentulis hiſce candorem veneror virginitatis: in ijſdem amorem erga Sponſum quis non videat? cùm nec deterritæ tenebris, nec retardatae pauoribus, virili, immo heroico imbecilla in aetate animo, eò feruntur, quò vis beneuolentiae impellebat. Charitatis vinculum, quo vnà ſimul procedentes iunguntur, agnoſco: conatus, quem adhibent, vt optatum impetrent ingreſſum, patet omnibus, vel me tacente. Cur ergo repelluntur repulſa tam dura? Nimirum vnum deerat oleum; quod, ſi deficiat, nec candor virginitatis, nec charitatis flos, nec vlla bonæ mentis induſtria, ſatis eſſe poteſt, vt conſortium impetremus, & amicam cum Deo communicationem. Oleo abundes miſericordiae; & vnus fies cum ſponſo caeleſti ſpiritus. Neque nouum videbitur ſoli miſericordiae tribuendum, quòd ea nobis concedatur communicatio cum Deo, qua ſimiles ei, & quaſi æquales cum Deo efficimur, veluti Sponſus, & Sponſa: non, inquam, videbitur nouum; ſi præ oculis habeamus verba Damaſceni, oratione de die iudicij, examinantis ſententiam Chriſti iudicis contra reprobos; vbi ſic loquitur. *Nõ dixit: Diſcedite à me, quia furtum, & homicidium feciſtis, & alia mala; ſed ait; quia de ſubſtantia veſtra pauperibus non dediſtis. Sicut illos, qui ad dexteram futuri ſunt, ſola miſericordia liberabit, ita eos, qui ad ſiniſtram ſunt, ſola auaritia condemnabit*. Pende illa verba: *ſola miſericordia*; cuius ſolius beneficium eſt illa beatitas, in qua ſimiles Deo erimus, videntes eum, non per ſpeculum in aenigmate, ſed facie ad faciem.

Miſericordia deficiẽte nec virginitatis cãdor, nec charitatis flos apud cæleſtem ſponſum valent aliquid

Auaritia ſola cauſa damnationis.

Hinc, niſi fallor, factum eſt, vt homines etiam ethnici, dummodo praeſtanti ingenio praediti, ſummo ſtudio affectauerint, & inuentis quaeſiuerint miris, eximiae laudem commiſerationis. Intelligebant

bant quippe, nulla re ad immortalitatem nominis, & diuinæ conſortium dignitatis aditum hominibus fieri ampliorem, quàm officioſa erga miſeros exhibitione miſerationum. Tales fuiſſe dicit Perſarum reges, qui facinoroſos verberibus plectendos exui veſtibus iubebant, nudatoſque pauore correptos, metuque conſternatos, nequaquam patiebantur verberibus excipi, ſed miſeratione commoti, ſcelestorum veſtes, & indumenta tundi fuſtibus imperabant, vt ſcribit Plutarchus in Apoph. Inter hos Artaxerxem numerabis, qui in potentiſſimi regni dominatu tantae, tamque præſtantis miſericordiæ fuit, vt capite damnatis, non caput, ſed tiaram iuberet abſcindi, & ne ſecarentur reorum aures, quo ſupplicij genere noxios afficere ſolebant, pendentia è galeris fila, reſcindi volebat, vt ſcribit Ammianus lib. 30. Id, me iudice, humana conditione maius, planèque diuinum exiſtimabant ij, quos tantopere miſerebat hominum miſerorum. Iuxta illud Senecæ monitum lib. 1. de clementia cap. 5. *Seruare, proprium eſt excellentis fortuna, qua nunquam magis ſuſpici debet, quàm cum illis contingit, idem poſſe, quod Dÿs*, leuamen iacenti, opem miſero afferre, vel Dei eſt opus, vel hominis, idem potentis, quod Deus. Quorſum verò ea repetamus ab ethnicis hiſtorijs, quæ ſacrarum monumenta literarum noſtræ, & memoriæ, & eruditioni tradiderunt? Leuitici cap. 13. num. 47. leges non rarò Deum lepram (quo morbo pœnas infligere conſueuerat ſceleſtis) veſtimentis immiſiſſe, adeò vt maculæ, vltricis iræ Dei manu inuſtæ, apparerent in indumentis. O miſericordem parentis optimi bonitatem! vt homines moneat ſimul, & ſeruet incolumes, indumenta commaculat. Quid tam ſingulare, quid tam præſtans, quid tam diuinum, quàm propoſito ſibi miſerentis Dei exemplari, fieri imitatorem, & quaſi æmulum eius, quem colere debemus ex animo, ac venerari? Excipe verba Ambroſij in pſalm. 118. *Homo in eo eſt pulchrior, quod non videtur, non in corpore, quod videtur: in ſe habens æternitatis gratiam, & præſentium venuſtatē &c. In hoc terreſtri hoſpitio indutus habitatione cæleſti, cui ſimul competit, & in terris videri, & Deo coniungi. Magnum ſanè munus, ſi ſe ipſe cognoſcat, & quadam forma iuſtitia, mundo magis, quàm ſibi naſci. Vnde Salomon ait: Grande, homo; & pretioſum, vir miſericors. Et verè magnus eſt, qui diuini operis interpres eſt, & imitator Dei.*

Opus verè diuinum, miſeris opē afferre.

Satis nota controuerſia eſt inter autores, cuius ſint illa verba, quae leguntur in titulo pſal. 57. & in quam gratiam fuerint dicta: *Ne diſperdas*. Placet in praeſentia ſequi Nyſſenum, qui tractatu 2. in pſal. cap. 14 monet, verba eſſe Dauidis ad Abiſai, cùm iam parum abeſſet, quin occideret Saülem. Id animaduertens rex humaniſſimus, commiſeratione permotus exclamat: *Ne diſperdas*. Quod perpendens Nyſſenus ſubiungit: *Digna Deo vox, qua hominis interitum vetat*. Non hominem putes, ſed Deum reuereare, quem vides adeò miſericordem. Apud magnum Leonem, ſerm. de omnibus ſanctis, leges: *Miſericordem te miſericordia vult eſſe, vt in creatura ſua creator appareat, & in ſpeculo cordis humani, per lineas imitationis expreſſa Dei imago reſplendeat*. Cùm igitur propoſitae veritas aſſertionis tot, tantorumque virorum autoritate firmata, meridiana luce pateat clariùs; audire mihi videor percontantem quo nam pacto miſericordiæ partes explere quis poſſit; & vnde perdiſcere, aut qua lege metiri queat tam laudatae, laudandaeque ſemper virtutis exercitationem. Tertullianus, & Chryſologus breuiſſimè, ſed accommodatiſſimè reſpondebunt. Ille quidem cap. 3. de patientia dicet, *Patientiam, eſſe matrem miſericordia*. Hic verò ſerm. 43. ſic loquetur: *Improbus petitor eſt, qui quod alijs negat, ſibi poſtulat: Homo, eſto tibi miſericordia forma: ſic quomodo vis, quantū vis, quàm citò vis miſericordiā tibi fieri; tam citò aliorum, tantùm, taliter ipſe miſerere*. Itaque, vt poſſimus, compati; patiamur. Neque quicquam poteſt facilius fieri, quàm quòd ſaepe contingit inuitis. Itaque, vt modum laudabilem in miſericordiae actibus teneamus, ipſi nobis magiſtri ſimus, & regula. Neque quicquam tam rationi conſonum eſt, quàm à ſe ipſo non diſſentire.

Non homo ſed Deus cenſetur qui miſericordiam exercet.

Videatur P. Didacus de Baeza tom. 1. com. in Euang. hiſt. lib. 6. cap. 5. §. 18. & tom. 4. lib. 17. cap. 3. §. 7.

Videri poſſunt etiam quae dixi 1. tom. in cap. 5. Parad. 14. pag. 375.

IN CAPVT NONVM

A Num. XIV. ad XVIII.

Tunc acceſſerunt ad eum diſcipuli Ioannis, dicentes : Quare nos, & Phariſæi ieiunamus frequenter : diſcipuli autem tui non ieiunant ? Et ait illis Ieſus : Numquid poſſunt filii ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus ? Venient autem dies cúm auferetur ab eis ſponſus : & tunc ieiunabunt. Nemo autem immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus : tollit enim plenitudinem eius à veſtimento : & peior ſciſſura fit. Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres. alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt. Sed vinum nouum in vtres nouos mittunt: & ambo conſeruantur.

PARA-

PARADOXVM VI.

Opus Chriſtianæ vitæ, quò perfectius, eò facilius.

R[illegible]SVM, quo [illegible]us Dominus [illegible]ſatis interrogationi diſcipulorum Ioannis, declarat apertè, legem gratiæ faciliorem, & ſuauiorem eſſe, lege antiqua. Ideo enim ieiunantibus diſcipulis Ioannis, non ieiunant diſcipuli Chriſti; quia hi filij ſunt Sponſi. Nuptijs ergo & lautitijs, & conuiuijs, & blandimentis ſponſo accommodatis comparatur Chriſtiana perfectio: & è cõtrà diſcipuli Ioannis dura ieiunij anguntur lege, & aſperum cum *Phariſæis* vitæ genus ducunt. En diſcrimen: ſicut ſuauiores, & gratiores ſunt conuiuiorum deliciæ aſperitatibus ieiuniorum; ita facilior eſt Chriſtiana perfectio diſciplina Phariſæorum. Et quia longè perfectior eſt lex gratiæ, quàm fuerit lex ſcripta; praeſentis inſtituti ſcopus erit, demonſtrare, opus Dei, quò perfectius, eò eſſe facilius. Contradicunt opifices omnes; & nemine penitus diſcrepante, praedicatur, eò difficiliora opera eſſe, quò perfectiora: opificium enim, ſi rude ſit, & impolitum, nullo negotio abſoluitur, quaſi per iocum: at verò, ſi perfici debeat, & ad culturam extremis deduci lineis; tunc ſanè labor nullus ſatis eſt, nulla par eſſe poteſt diligentia. Age, prærogatiuam hanc recognoſcamus in opificio ſanctitatis.

Obſcura videtur laus illa Sponſæ ſanctiſſimæ, ab Amaſio caeleſti ſumma cum voluptate decantata Can. 4. num. 1. *Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad.* Deus bone, quod genus commendationis iſtud eſt, vt capilli caprarum gregibus comparentur? ſi capilli bene compti, bene depexi, liti vnguentis; ſi aurei cirri, & calamiſtrata coma laudentur in ſponſa, nemo eſt qui non percipiat quid dicatur: at verò comparatio cum gregibus caprarum, quid ſi-

A gnificare velit, intelligit nemo. Vna mihi Ambroſij explanatio, loculenta illa quidem, & accommodata perobſcuram, ſed veriſſimam aperit ſententiam. Sic enim habet Pſal. 118. ſerm. 16. verſ. 3. *Vides, quòd in altis grex iſte paſcitur, audax in monte. Itaque vbi alijs praecipitia, ibi capris nullum periculum, ibi gregis huius alimentum, ibi cibus dulcior, ibi fructus electior. Spectantur à paſtoribus ſuis dumoſa de rupe pendentes: vbi luporum incurſus eſſe non poſſunt, vbi fœcunda arbores fructum integrum ſubminiſtrant. Ideo elegit eas Spiritus Sanctus, quibus cœtum venerabilis Eccleſiæ com-*
B *pararet.* Vides, Chriſtianæ perfectionis cacumina, quæ horrida quibuſdam apparent, atque prærupta, dulces fructus, ac ſuauiſſimos præbere cibos, animabus ijs, quae, cupidae ſanctitatis, ea conſcendere non reformidant. Vbi alijs praecipitia (ijs videlicet, qui ponentes ſibi ob oculos Religioſorum aſperitatem, & Chriſtianae culmen perfectionis, nil niſi durum arbitrantur, & intolerabile) re vera ibi capris nullum periculum eſt; immo ibi gregis huius alimentum, ibi cibus dulcior, ibi fructus electior. Teſtes appello ipſos ſecularium voluptatum ſectatores quorum vita, inter ſcelera, aſperrima eſt;
C cùm amici Dei, dulci mentis quietae nectare, & compoſiti animi ambroſia perfruantur. Videntur tibi, quiſquis difficilem fingis, & arduam diſcipulorum Chriſti perfectionem, illi, qui bonis temporalibus abdicatis Deo ſe addixerunt, videntur, inquam, tibi huiuſmodi Chriſtianae perfectionis ſtudioſi dumoſa de rupe pendentes; ſed re vera, ibi luporum incurſus eſſe non poſſunt, ibi fœcundae arbores fructum integrum ſubminiſtrant.

Quid de dilecta Sponſus ſentiat, audiuimus: iam non erit ab re quid de dilecto ſuo ſentiat Sponſa; quae ſic habet Can. 1.
D num. 13. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Sequamur Sanctum Bernardum doctorem, vt eius auctoritate diuinioris arcana ſapientiae perdiſcamus. *Ante rex* (verba Bernardi ſer. 43. in Cant. initio) *modò dilectus. Citò reuerentia nomen in vocabulum amicitiæ mutatum eſt. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Myrrha amara res, dura, & aſpera tribulationum ſignificat. Non faſcem, ſed faſciculum dilectum dicit, quòd leue, præ amore ipſius ducat, quidquid laboris immineat, & doloris. An non faſciculus, cuius iugum ſuaue eſt, & onus leue? Non quia leue in ſe (nec enim leuis paſſionis aſperitas, mortis amaritudo)*

ſed

Chriſtianæ perfectionis culmen quò ſublimius, eò facilius aggredientibus apparet.

Laborum aſperitas, & mortis amaritudo, amanti animæ ſuauis omnino, & dulcis eſt.

ſed ſuauis tamen amanti. Et ideo non ait tantum: Faſciculus myrrha dilectus meus: ſed mihi, inquit, quæ diligo, faſciculus eſt. O mirum Chriſtianæ compendium philoſophiæ! Attende, quàm eximiæ ſint Sponſæ prærogatiuæ; & facilè perdiſces propoſiti thematis veritatem. In primis quem reliqui timent, ac venerantur, vt regem; ampleaatur Sponſa tanquam dilectum; adeò vt iura principatus mutentur in leges amoris. Deinde quem communiter faſcem ſentimus laborum, & ærumnarum, fit Sponſæ faſciculus ad voluptatē. Sponſa porrò ea anima eſt, quæ ſupra cæteras eminet ſanctitate. Vt ergo ſit tibi dilectus, hoc eſt ſuper omnia dulcis, & amabilis, quē Angeli contremiſcunt: vt nequaquam faſcis pondere comprimaris, ſed odorato faſciculo recreeris; Sponſae mores imiteres hoe eſt nihil in via perfectionis remiſſum, nil commune, aut mediocre mediteris; ſed ſingulare, ſed excelſum, ſed eximium, vt amara dulceſcant, & grauia minimè deſatigeſt, ſed recreent. Sic reuerentiæ nomen mutabitur in vocabulum amicitiae, & tibi, qui diligis, faſciculus fiet.

Comparemus teſtamenti veteris cæremoniam notam omnibus, cum ritu ſatis vulgato nouae legis. Exodi cap. 12. manducaturi agnum Iſraēlitae iubentur calceatis pedibus baculos in manibus habere: Ita enim legimus cit. cap. num. 11. *Sic autem comedetis illum: Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus.* Accipe iam quid Chriſtus Dominus praecipiat ſectatoribus ſuis Matth. 10. n. 11. vbi nominatim mandat vt neque calceamenta poſſideant, neque virgam, Chriſtianum orbem paſſibus luſtraturi, & illuſtraturi Euengelicae lumine veritatis. Sic loco cit. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, neque calceamenta, neque virgam.* Ea mihi tanti diſcriminis ratio venit in mentem. Celebrabant Iſraēlitæ Paſcha, ſed in Ægypto; & inter anguſtias Pharaonis impij tyrannidis acerbiſſimae. Ergo, non niſi magna cum difficultate, iubentis Dei præceptis poterant obedire: propterea calceis opus habent ad difficultatem itineris ſuperandam: baculo indigent, quo laborantis, defatigatique corporis membra vtcumque ſuſtentent, ac fulciant. At verò Apoſtolorum vita (eorum ſcilicet qui neque Ægyptum incolunt, neque premuntur ſeruitute diaboli; ſed excelſiſſimæ culmen perfectionis terunt, ac tenent) fulcimento non indiget, calceamenta reijcit, vt ſuperflua; quia nil laboris experitur, nil

Mundanorum iter arduū & præruptum iacet: iuſtorū verò planū, & voluptuoſum.

A. aſperum offendit, aut ſibie: immo cùm plana ſint itinera, nequaquam habentibus iter laborem, ſed animi cauſa obambulantibus delicias praebet potiùs, & parit voluptatem. Depone calceos humanorum affectuum; quia nullae tibi calcandae ſunt aſperitarum ſpinae, nullum offendes lapidem in ſtrata floribus planicie, quae tibi conficienda eſt. Abijce baculum: praerupta praecipitia nulla ſunt, viae inuiae nullae. Do D. Gaudentium tract. 5. in Exod. ſic loquentem. *Opus eſt mihi & baculo, Paſcha adhuc in Ægypto celebranti, vt me ab interitu liberem, percuſſo Ægyptio. Si quis verò eſt Apoſtolicus, & per Ieſum* B *proſtrato Ægyptio, magnus factus, ac potens eſt; non iam propter ſe baculum portat.*

Tam Danielis cap. 10. quàm Apocalyp cap. 1. idem Chriſtus Dominus deſcribitur; & quidem auro cinctus vtrobique; cum ea tamen differentia, vt Danieli mōſtretur cinctis renibus, & non quocunque auro, ſed obrizo. Vnde cit. cap. à num. 5. leges. *Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce vir vnus veſtitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo.* At verò Apoc. 1. num. 13. dicit Io. *Vidi ſeptem candelabra aurea, & in medio ſeptem candelabrorum aureorum ſimilem filio hominis, veſtitum podere, & pracinctum ad mamillas* C *zona aurea.* Cur, obſecro, idem Dominus modò cinctus videtur ad mamillas, modò ad renes? Inſuper ſemper quidem cinctus eſt auro, ſed aliquando zona aurea aliquando verò auro obrizo. Huius diſcriminis ratio, & manifeſta eſt, & plena ſuauitatis. Etenim Angelus Chriſtum repræſentans. quem fuiſſe Grabrielem arbitrantur aliqui, Ioanni apparet ad mamillas praecinctus; quia in noua lege à mamillis, hoc eſt à lactea ſuauitate procedit Chriſtiana perfectio. Nulla calamitas, nullus labor, aſperitas nulla inueniri poteſt, quæ non dulceſcat blandientium vberum teneritudine: *Meliora ſunt vbera tua vino* Can. D cap. 1. num. 2. Vel vt Hebræi legunt: *Meliores ſunt amores tui vino*, dicebat anima Deo chara. Ergo vbera, zona præcingit aurea; renes verò aurum obrizum, quod adhuc duritiem retinet, cùm non ſit deductum in faſciam; adeoque zona ſuauiorem nouæ legis, amabilioremque indicat charitatem. Inſinuatur autem auri mollita durities, cùm perhibetur extenſum aurum in zonam, quæ ambiat, & circumliget ad ornatum. Stringit itaque renes filij hominis Apoc. 1. à S. Ioan. deſcripti, aurum, obrizum, ad duritiem illius legis adumbrandam; quia Iſraēlitæ, Deum non amabant vt patrem, ſed formidabant

Chriſti lex quò antiqua ſublimior, eò ſuauior eadem inuenitur.

vt

A vt dominũ. Nos verò in legis gratiæ perfectione gratulemur eam ſuauitatẽ amoris, cuius beneficio maternas in Deo blãditias experimur. Imperantẽ nobis præcepta charitatis magiſtrum amoris Ieſum, non tam veneramur, quàm oſculamur. Tenerrimi lactis papillæ ſunt, ſanctitatis Euãgelicæ documẽta; quæ propterea eò faciliora, ac ſuauiora ſunt, quò perfectiora, ac ſublimiora.

Perbellè ſanè monebat S. Bernardus ſer. 43. in Cant. paulò antè cit. in fine his verbis: *Hunc, & vos dilectiſſimi tam dilectũ faſciculum colligite vobis, hunc medullis inſerite cordis, hoc munite aditum pectoris, vt & vobis inter vbera commoretur. Habete illum ſemper non retro in humeris, ſed* B *antè præ oculis: ne portantes, & non odorantes, & onus premat, & odor non erigat. Mementote, quia accepit eum Simeon in vlnis ſuis; Maria geſtauit in vtero, fouit in gremio; Sponſa ſibi inter vbera collocauit. Et ne quid prætermittam, factum eſt verbum in manu Zachariæ prophetæ, nec non, & quorundam aliorum. Arbitror, & Ioſeph virum Mariæ ſuper genua frequenter illi arriſiſſe. Hi omnes ante ſe eum habuerunt, & nullus retro. Exemplo ergo ſint vobis, vt & vos ſimiliter faciatis.* Vultis diſcrimen viros inter mediocris, & perfectæ virtutis? Ecce vobis à Bernardo de- C claratur. Qui debiles ſunt, faſcem portant, ſed ſuper humeros: iſti ſcilicet obediũt legi Dei; ſed ſub põdere gemunt, fatigati onere faſcis. Illi verò, qui toto conatu cordis contendunt ad ſummum ſanctitatis culmen, faſciculum portant inter vbera, quo fit vt non modò non defatigentur, ſed potiùs recreentur. Miſerum te ſi retro portas in humeris, quem feruore deuotionis portans inter vbera, odore ſuauitatis recreareris. Vtinam non ſimus ex illis, quos portantes, & non odorantes, & onus premit, & odor non erigit.

Lex Dei imperfectis faſcis eſt, perfectis autem faſciculus.

Crucis aſperitas, laborique amaritudo Chriſtianæ perfectionis ſuauitate emollitur & dulceſcit.

[Cruc…]

Id equidem reor fuiſſe perſpicuum principi Dauid, non tã purpura, quàm charitate D conſpicuo. Mirabatur quippe pſ. 113. n. 5. exclamans: *Quid eſt tibi mare, quòd fugiſti, & tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum?* Refluas haſce Iordanis aquas, & fugitiui pernicitatem æquoris, in hunc modum conſiderat Richardus de S. Victore: *Pulchrum ſpectaculum, ſatiſque iucundum, videre aquam maris fugientem, videre aquam Iordanis redundantem: amaram recedere, dulcem refluere; amaritudinem deficere, dulcedinem redundare. Quiſquis hæc vides, miror, ſi nõ exclames: Quid eſt tibi mare, quòd fugiſti, & tu Iordanis, quòd conuerſus es retrorſum? Nunquam fieri ſolent huiuſmodi miracula niſi ante veros Hebræos.* Ita Richardus opuſc.

A de exterminatione mali, & promotione boni c. 1. Agnoſco, fauente Deo, has inter vmbras, non adumbratam ruditer, ſed ad viuum expreſſam veritatis lucem. Ais enim, prodigium videri tibi miraculo maius, ſi dixero, eò faciliora eſſe, quò perfectiora ſunt opera ſanctitatis: at Chriſti cõſilia, illata ſenſibus vis, ſubacta aſperitatibus caro, depoſita omnino ſpes terrenorũ bonorum, abiecta, ac penitus conculcata ſeculi pompa, & alia huiuſmodi ſexcenta Chriſtianæ monimenta virtutis, an non amara iudicantur ab omnibus? Ita ſanè. Sed attende quid doceat Dauid, interprete Richardo: *Pulchrũ ſpectaculum, ſatiſ-* B *que iucundũ: amaram recedere, dulcem refluere, amaritudinem deficere, dulcedinem redũdare: Quiſquis hæc vides, miror ſi non exclames: Quid eſt tibi mare quod fugiſti, & tu Iordanis, quòd conuerſus es retrorſũ? Nunquam fieri ſolent huiuſmodi miracula niſi ante veros Hebræos.* Ergo diuinæ bonitatis prompta largitas eſt ad tantum miraculũ, quale eſt, in ipſa amaritudinum redũdantia, abundare dulcedinem, dummodo dilectæ gentis, & verè Iſraëlitici præſentia populi minimè deſideretur. Non equidem crediderim ſummi Dei beneficentiam fuiſſe olim erga Hebræos profuſiorem, quàm nunc cum fidelibus ſuis in lege gratiæ ſic C liberalis. Ac propterea, quemadmodum tunc fugiente mari, & Iordane redundante, recedente amarore ſuauitas dulcedinis exundauit; ita nunc, ſuperante conſolationis ſupernæ dulcedine, facilitas, & ſuauitas, perfectioris ſanctioriſque vitæ acerbitatem omnem, aſperitatemque crucis Chriſtianæ emollit, ac ſuperat.

Amaritudo dulceſcit ſeruis Dei.

Non hinc recedam, niſi eiuſdem Richardi afferam ſimilitudinem, præſenti inſtituto ſatis accommodatam. Pleriſque Chriſti fidelibus id contingit quod euenire ſolet noctu ambulantibus. His nempe, tertio quoque paſſu, horrida occurrunt monſtra, truces ferarum ſe ſe obijciunt aſpe- D ctus, & mille hoſtium, rupium, fouearum intuitus abripiunt præ timore ſpiritum, & pauore perfundunt amariſſimo. Hæc tamen, inania puerorum terriculamenta ſunt; ibi enim ridentia luxuriant arbuſcularum virgulta, vbi videri tibi videbas hoſtem ſclopo inuadentem: ibi arbores obumbrant opacæ, vbi horreſcebas frementium manipulum beſtiarum. Riſum monebis, ſi præruptam refugeris rupem, vbi mille virent, mille renitent mæandri nemuſculorum hac illac laſciuientium innocenter. Do verba Richardi. *Sic ſæpe cùm rubus, vel rupes aliqua cernitur, ferarũ impetus imminere timetur; vnde fit, vt intuẽtiũ membra inuadat horror, & illic trepi-*

Culparum fugatis tenebris, quæ in via Dei putabas horrenda, delicioſa inuenies.

A *dẽt timore, vbi nõ eſt timor* Ita Richardus, explicans illud pſ. 90. n. 5. *Nõ timebis à timore nocturno*. Iam reddiderat rationem: *Scuto circundabit te veritas eius*. Vide quod ſcuti genus ſit. Cur non potiùs potentia, robur, virtus inuincibilis; quae aptiora videntur ad infringendos hoſtium conatus? Nil tale; ſed veritas pro ſcuto eſt. Quicquid enim ſeruis Dei atrox apparet, aut arduum, mendacium eſt; ad quod debellandum ſola veritas ſatis eſt. Hinc diſce cauſam, ob quam videntur tibi tam dura, tam horrida, tam efferata, quae reipſa amœna potiùs, & virentia, voluptatem afferre deberent, & animum recreare. B Nimirũ nocte caecitatis obuoluitur mens tua, & inter flagitiorum horrores difficilia creduntur, quae natura ſua blanda ſunt, & amica: diſijce noctem flagitiorum; fugatiſque tenebris culparum, quae putabas horrida, inuenies delicioſa. Errat enim quiſquis horret, falſo deceptus, nocturnae obſcuritatis inuolucra. Eſt in promptu exemplum geminum à ſacris petitum literis. Primum quidem ex lib. Geneſ. alterum ex Daniele. In Abrahami hiſtoria patriae exulis, & per tremum peregrini, vagique, conſiderat Auguſt. ſer. 68. de tempore, non ſine myſterio, fieri mentionem quercus illius, cuius vmbra amico veluti patrocinio exceptus fuiſſe dicitur ſanctus patriarcha. C *Excepit*, verba Auguſtini, *Abraham peregrinum quercus arbor humana, qua aſtiuo ſole decoctum amœnitatis ſua vmbraculo refoueret*. Miror in quercu humanæ, vt ita dicam, ſenſum pietatis, & arborem, caeteroqui duram, humanitate quodammodo non donatam modò, ſed etiam inſignem. Quercus ſanè, teſte Plinio lib. 16. c. 6. dura adeò arbor eſt, vt etiam lapideſcat. Immo Zacharias c. 11. n. 2. vt inhumanos, & aſperos homines ſua reprehenſione carpat, exclamat: *Vlulate quercus Baſan*. Id porro notandum cenſeo, arborem ſcilicet ſuapte natura duram, & aſperam, nulla dulcedine fructus amabilem, D nulla ramorum amœnitate iucundam, ſed craſſitie atque aſperitate horridam, peregrinãti Abraham factam fuiſſe humanam. Abrahamo, hoc eſt, chariſſimo Deo capiti id contingere, ne mireris; par enim eſt, vt aſperitas ipſa tranſeat in amœnitatem, in gratiam perfecti viri. Alterum exemplum ex Danielis prophetia c. 3. deſumptum accipe. Legimus ſaepe, ſaepius audiuimus, deturbatos in fornacem Hebraeos adoleſcentulos, iubente Babylonico tyrãno. De his Diuus Zeno ſer. 5. ſic loquitur: *Qui pueri, vbi iactati ſunt in fornacem, hos deuoti cupidus ignis excepit: lambunt roſcidos flamma blandientes*. Nil tam ſaeuum,

Perfecto viro aſperitas vitæ præſẽtis quãtumuis horrida in amœnitatem tranſit.

A aut atrox excogitari poteſt, quàm bacchãtium tanta in fornace incendiorum volumina. Et tamen non vrunt, ſed adorant Ætnæ crudelioris globi micantes; non lædunt, ſed lambunt coniurati, conplicatique flammarum manipuli voraciſſimarũ. Miraris iſta? Ergo ne interroges: quomodo fieri poteſt, vt Chriſtianae ſanctitatis ſublimitas eò inueniatur ſuauior, quò perfectior perhibetur? Facilè enim reſponderi poteſt, eadem id ratione contingere, qua Abraham quercum humanam arborem, & pueri Hebraei lambentes, blandienteſque fornacis voragines ſunt experti. An non vides peregrinari cum Abrahamo, remiſſo B bonis omnibus nũcio, comburi cum adoleſcentibus in fornace Babylonica praeſentiſſimo cum diſcrimine calamitoſae mortis, ſummae quidem perfectionis eſſe, ſed non minoris facilitatis? cùm quercus ipſa deſerti recreet, & fornacis flamma complexu ſtringat amantiſſimo.

O quàm egregiũ, & diuina plenũ ſapientia haberi debet diſcrimen legẽ inter Moyſis, & Chriſti Domini, allatum ab Euang. Io. c. 1. n. 17. illis verbis: *Lex per Moyſen data eſt; gratia, & virtus per Ieſum Chriſtum facta eſt*! Quis non videat apertum diſcrimen antiquam inter, & nouam legẽ? Monet Clemens Alexandrinus lib. 1. Paedagog. C c. 7. in hunc modum. *Videte verba ſcriptura, de lege quidem, data eſt. Veritas autem, quæ eſt gratia, non dicitur dari, ſed per Ieſum fieri, ſine quo factum eſt nihil*. Plenum conſolatione monitum: lex antiqua dicitur data, noua verò facta. Laborioſa erat lex Moſis, quia data, non facta: at lex Chriſti Domini perfectior ſine dubio; & quia non data, ſed facta, dulcedine, ac ſuauitate pleniſſima: Nil laboris ſupereſt, nil reliquum eſt duritiei; quia iam facta per Ieſum, qui quicquid aſperum fuit, ſibi aſſũpſit, vt amarore amoto, nobis dulceſcerent Dei præcepta. At ne dicar plus æquo antiquã legem duram repræſentare, atque D oneroſam, affero quod de Leuitis arcã de domo Obededom portantibus in locum, quem rex Dauid Hieroſolymis conſtituerat, dicitur his verbis lib. 1. Paralip. c. 15. n. 26. *Cumque adiuuiſſet Deus Leuitas, qui portabant arcam fœderis Domini, immolabantur ſeptem tauri, & ſeptem arietes*. In quem locum Lyranus docet, diuina virtute factum, vt arca ſe ipſam portaret, nulloque Leuitæ pondere grauarentur; ac ob eximium adeò beneficium fieri conſueuiſſe taurorum, & arietum immolationem. Arca, quæ boues premebat, Leuitis oneroſa non eſt: Ne ergo nouum credas, eò faciliora eſſe, quo perfectiora in Dei laudẽm exhibita opera. Verùm id copioſiùs, aut

Lex antiqua quia data, durior, lex noua quia facta, ſuauior.

aut meliùs explicare nemo poteſt, quàm ipſemet magiſter ſapientiſſimus cæleſtis doctrinæ Chriſtus Dominus explanauerit, qui ſæpiùs quidem, ſed nuſquam accommodatiùs, quam Matth. 11. num. 29. id ipſum eſt proſequutus, cùm diceret: *Tollite iugum meum ſuper vos: iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue*. Mira vis latet, niſi fallor, in iſta ſimilitudine. Lex gratiæ comparatur iugo, quia iugum non vni, ſed duobus imponitur. Bene eſt: accede alacer ad Chriſtianam perfectionem, ſi quid enim laboris eſt, non ſubibis ſolus: notum quippe eſt promiſſum illud Matth. 28. num. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi*. At ſi ſocium habere malorum ſolatium eſt; quàm iucundum credemus, non ignotum hominem, non ſeruum, non amicum, non conſanguineum, ſed parentem, ſed principem, ſed Deum, ſed Redemptorem? Iugum igitur, fateor; ſed tu ſuaue negare non potes. Addo, in ferendo iugo, onus grauius ponderis deprimentis à boue minore portari, quo bos maior mirum in modum leuatur, & recreatur: Iugo comparat Euangelicam perfectionem amantiſſimus magiſter; quia in eo ferendo ipſe, qui ſit ſocius, deprimitur grauiùs, cùm humilitate omniũ minimus factus ſit: *Sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis*. Pſalm. 21. num. 6. Diſcamus à bobus, quid contingat ſectatoribus abſolutiſſimæ, & præſtantiſſimæ ſanctitatis. Boues, dum iugo colla ſupponunt, ſine dubio onus ſubeunt, ita tamen, vt hoc eodẽ onere iuuentur; ita vt vehere, ac trahere multò plura valeant, quam iugo ſoluti vllo modo poſſent: iugo enim ſubacti boues currus onuſtos maximis ponderibus quòlibet deducunt, ac portant. Ita planè occurrentes huius vitæ ad momenta ſingula calamitates, ærumnæque portari non poterunt æquo animo, niſi ab eo, cui ſecundum Dei voluntatem cor ſit. Vides quàm rectè dicatur lex Chriſtianæ ſanctitatis, onus; ſed leue. Compone flagitioſum hominem, & fœdatum criminibus, cum viro integerrimo, & probatæ virtutis: ſuperuenientibus anguſtijs morborum, paupertatis, calamitatum omnium, quem inuenies potentiorem robuſtioremque ad ferenda tantæ molis onera? Eum ſine dubio, qui ſarcina criminum non prematur: onuſto nanque ſi ſuperaddatur onus, corruat fatigatus neceſſe eſt. Audiamus itaque docentem magiſtrum, & patrem inuitantem: *Tollite iugũ meum ſuper vos; iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue*. Sic pondus non grauitat, & onus non onerat: immo leuat, immo recreat, immo replet ſuauiſſima facilitate.

Suaue Dei iugum ipſo Chriſto adiuuante

Boues ita onerātur iugo, vt eodẽ leuentur.

Chriſti iugum, licet onus non onerat, ſed potiùs portantem ſeuat, & ſuauiſſima facilitate replet

Tam vtile Chriſtianæ veritatis arcanũ vt meliùs percipias, finge tibi hominem detruſum in carcerem tenebricoſum, læſæ maieſtatis regiæ reum, de bonis, de fortunis, de capite periclitantem, mœſtum, ſordidatum, ſqualore emaciatum, luridum, fame enectum, pedore obſitum, ferreaque reuinctum catena, tanquam infelicem probroſæ mortis hoſtiã. Quid ſi è tam ærumnoſo calamitatum ergaſtulo, in ampliſſimam gaudiorum, libertatis, gratiarum, deliciarumque omnium amplitudinem educeretur? ea tamen lege, vt pro ferrea, aureã portare catenam cogeretur. Quod planè ſcribit Ioſephus lib. 18. antiq. Agrippæ Iudaeo contigiſſe; qui, cùm eſſet Romae, & delatione liberti ſui Eutychi, quòd mortem Tiberio, & imperium Caio precatus eſſet, ſex ante Tiberij obitũ menſibus, vinculis mancipatus fuiſſet, mortuo Tiberio, pro ferrea catena donatus eſt aurea eiuſdem ponderis à Caio, & rex conſtitutus Tetrarchiæ, quae fuerat Philippi, nuper ſine liberis defuncti. Ex Baron. in annal. An. Chtiſti 39. Caij Imp. 1. Inter ferream auream que catenam, feras velim iudiciũ, vt demum intelligas diſcrimen inter onus Chriſti, quod leue dicitur, & pondus peccatorum, quod ſupra modũ deprimit. Me ſanè iudice catena ferrea onerat; ornat aurea. Porrò ſi contendas, adhuc onus in lege Dei ſentiri, non negabo: dummodo fatearis onus huiuſmodi tale eſſe, quale aureæ catenæ, pro ferrea. Elige ergo auream charitatis, vt liberam Deo ſeruias ſeruitutem; ne portes captiuus diaboli ferream iniquitatum, longè ſine dubio grauiorem, & oneroſiorem. *Iubet*, verba Proſperi Aquitani lib. 2. de vita contemplat. cap. 15. *ecce nobis imperioſa cupiditas, vt diuina paruipendentes, voluptatum terreſtrium damnoſa compendia cogitemus; vaſtat enim in nobis quicquid verecundiæ, aut pudoris inuenerit; & quos ſuis triumphis addixit, adhuc tanquam reſipiſcendi ſuſpectos, omnibus viribus honeſtatis exarmat, ne quando contra eam, qui bellare noluimus, rebellemus*. O quàm dura iſta ſeruitus eſt! cuius acerbitati comparatus, eò fit ſuauior famulatus Chriſti; hic auro, illa ferro meritò repræſentata. Conſentit mecum in hac aſſertione Ioſephus Hebræus lib. 8. cap. 4. cuius iudicio ſæpe fit, vt experiamur alias ſeruitutes, quas, comparatione facta cum ſeruitute Dei, reijciamus. Sic autem habet Ioſeph. ad illud 3. Reg.

Agrippa pro ferrea donatur catena aurea.

Chriſti onus, quia aurea & non ferrea catena, ornat potiùs quam onerat.

Ferrea iniquitatũ catena longè grauior, & oneroſior à mundanis deprehẽditur.

R 2 cap. 13.

cap. 13. vbi obſeſſi. Iudæi petebant enixè à Deo libertatem *Deum autem*, verba Ioſephi; *videns eos ſic affectos, & peccata ſua confitentes per prophetam denunciat, nolle ſe eos perdere: ſubditurum tamen Ægyptijs, vt experiantur, vtrum commodius ſit, Deo ſeruire, an homini*. Si ergo commodius eſt ſeruire Deo, ipſo hominum iudicio, immeritò accuſas ſeruitutem Deo exhibitam, tanquam inſuauem, oneroſam, intolerabilem. Iniecta collo aurea, loco ferreæ catenæ, cuius facimus mentionem, reuocat in mentem elegantiſſimum Sancti Ambroſij monitum. Sermone enim 3. in pſalm. 118. cæleſtis Sponſi verba illa Cant. 2. num. 10. quibus, vel laudat, vel monet dilectam ſuam: *Collum tuum, ſicut monilia*: legit Ambroſius, *Ceruix tua, ſicut redimicula*. Tum ſic affatur Sponſam Chriſti, *Vultus liberior eſt, vbi eſt caſtitatis conſcientia, & portare Chriſti iugū ſuaue eſt, ſi ornamenta, vtei ceruicis tua eſſe, non onera. Attolle ergo oculos ſemper ad Dominū, erige ceruicem; redimicula, non vincula geris*. Quanto ſunt in errore, qui credunt ferreis teneri vinculis, mentes Deo dicatas; quæ re ipſa redimicula gerunt, nō vincula; cùm tamen ſint ornamenta, non onera!

Virtutum onus minimè oneroſum.

Scio verbis minimè opus eſſe, & momenta rationum non tantam habere vim, cùm ipſa ſit in promptu rerum magiſtra experientia. Age ergo, prætermittamus omnia, quæ in hanc ſententiam poſſent afferri. Te ego teſtem appello quiſquis hæc legis: an non expertus es aliquando, cùm expiata per ſacramentalem confeſſionem conſcientia, reſpirat animus diu miſera criminum ſeruitute captiuus, quanta cor voluptate perfundatur, quali iucunditate recreetur? Sic ſe res habet: ſicuti cum culpa ſocio iungitur fœdere angor, triſtitia, ſollicitudo; ita à virtutum actibus ſeiungi non poteſt gratiſſimae iucunditas ſuauitatis. Sibi ipſi pœna eſt ſcelus perpetratum; & ſibi ipſi ſolatium ingens, opus virtutis. Propterea fortaſſe canebat Dauid pſalm. 127. num. 2. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit*. Duo pollicetur amicis Dei, Dei ipſius nomine, & auctoritate: non ſolùm beatitudinem futuro tempore, poſt exantlatos huius exilij labores: *Et bene tibi erit*: (En fructus tranſacti laboris): ſed praeter hoc, aſſerit, labores ipſos manducandos. Quid audio? *Labores manuum tuarum manducabis*. Quis credat manducandos labores? Fructus è laboribus prouenientes manducandos eſſe, nemo non in-

Sacramentalis confeſſio ingenti voluptate pœnitentem perfundit.

Labores pro Deo tolerati ſuaues omnino, & dulces ſunt.

A telligit. Verùm ſapienter Dauid, & acutè, vt inſinuet, opera perfectiora, eò faciliora eſſe, ait, labores manducandos. Nimirum quanta recreant ſuauitate cibi, quibus vires reficimus, tantam afferunt, & communicant facilitatem tolerati pro Dei, & ſanctitatis amore labores duriſſimi. In coërcendis prauis cupiditatibus, in caſtiganda ſenſuum inſolentia, in debellandis hoſtibus animae laborandum putas? Ita ſanè: labor eſt; ſed qui, lautarum inſtar epularum, recreet, ac paſcat. Quae cùm ita ſint, quam ob cauſam contingere arbitrabimur, vt communia hominum ferat opinio, perfectae vitae rationem non facilem eſſe, ſuauemque, vt

B dicimus, ſed potiùs è contrà ardua, aſpera, atque difficilis vulgo credatur, ac praedicetur ab omnibus? Cauſam ego tantae, tamque pernicioſae deceptionis expreſſam inuenio apud Ezechielem c. 9. num. 1. *Onus verbi Domini in terra Hadrach*. Non vna ſententia ſcriptorum eſt, quæ nam ſit hæc terra Hadrach, de qua non ſatis liquet, cùm ſemel tantùm de ea in ſcriptura mentio fiat. Placet in praeſentia Hieronymi expoſitionem ſequi, quo interprete ſcimus nomen Hadrach componi duabus dictionibus, quarum altera, latina ſignificatione reddita, ſonat

C idem, ac: *Acutus*; altera verò diceretur latinè: *Mollis*. Ex qua dictionum coniunctione, minax prophetæ oraculum ſic expono: *Onus verbi Domini in terra Hadrach*. Verbum Domini, lex ſcilicet gratiæ, & perfectionis Euangelicæ ſumma, per verba ſcripturarum inſinuata, onus imponet in terra Hadrach; quia is, qui, cùm ſatis ſit perſpicax, & acutus ad percipienda diuina, eſt tamen mollis, delicatus, ac imbellis ad ea perficienda operibus; is enimuero onus ſentiet grauiſſimum, planeque non ferendum. Ignorare non potes quod 1. Io. c. 4. n. 16. ſic ſcribitur: *Deus charitas eſt, & qui manet in*

D *charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Quid iucundius, gratius, aut optabilius, quàm in Deo, & cum Deo eſſe? Si tamen, vt cum Deo ſis, durum tibi videtur carnem domare, repugnare mundo, iniquitatibus reluctari; plus æquo debilis, infirmus, ac mollis es, ideoque oneroſum ſentis, quod ſuaue cæteroqui accideret, & iucundum: *Onus verbi Domini in terra Hadrach*.

Plenam ſemper duxi caeleſti ſapientia comparationem, qua vtitur Michaeas propheta cap. 1. num. 8. vbi Samariae, & Ieruſalem excidium, commiſeratione digniſſimum adumbraturus, ait, planctum futurum quaſi ſtruthionum. *Plangam, &*

vl ula-

Terrenæ voluptatis amator ſtruthioni ſimilis, nõ ad alta volat, ſed potius vitio rũ hæret limo.

vlulabo, faciam luctum quaſi ſtruthionum. Haereo parumper: An non plorantis vnigenitum matris luctuoſiſſimi queſtus, aut dirutæ ferro flammiſque patriae, acerbiſſimi ciuium optimorum eiulatus longè meliùs quàm ſtruthionũ planctus, Samariæ, & Ieruſalem vaſtitatem ponere ob oculos potuiſſent? ferae ergo docebunt homines humanitatem? Et mitius erit ſtruthioni cor, pectus mollius, & ad humanitatis expreſſionem factum magis ingenium, quam homini ipſi? *Plangam, & vlulabo, & faciam luctum quaſi ſtruthionum.*

Struthio animal ſtolidum.

Inuenio apud Plinium ſtruthionem animal eſſe ſtolidiſſimum. *Mira eſt*, verba Plinij lib. 10 cap. 1. *eius ſtoliditas*. Huius ſtoliditatis cauſam inueſtiganti mihi, naturamque ſtruthionis examinanti venit in mentem quod dixit Iob cap. 39. num 9. *Penna ſtruthionis ſimilis eſt pennæ erodij, & accipitris.* Atque hinc ego diſco cur miræ maximaeque ſtoliditatis haberi debeat ſtruthio. Sequor autem Magni Gregorij autoritatem in haec verba Iob ſic ſcribentis: *Quis erodium, & accipitrem neſciat, aues cæteras quantò volatus ſui velocitate tranſcendant. Struthio verò pennæ eorum ſimilitudinem habet, ſed volatus eorum celeritatem non habet. A terra quippe eleuari non valet; & alas quaſi ad volatum ſpecie tenus erigit, ſed tamen nunquam ſe à terra volando ſuſpendit.* Amariſſimè deflet ſtruthio, quia cùm à natura acceperit alas ſimillimas pennis erodij, & accipitris, hoc eſt aptiſſimas ad volatum, nunquam tamen ſe ſe à terra attollit. Quæ maior ſtoliditas, quàm cruciari propter id, quod obtinere facilè poſſes, ſi velles? Quemadmodum ſtruthio, cùm alarum præſidio à natura conceſſo non vtatur, meritò torquetur vlulatu mœſtiſſimo: ita cùm virtus, perfectio naturæ ſit, & repugnet naturæ iniquitas, dato ſibi à natura tali præſidio tam indignè contempto, qui haeret vitiorum limo, nec ſe ſe ſublimis extollit, ſtruthionis ſtoliditate laborat, & lacrymis proſequi debet vberrimis ſtoliditatem ſuam. Hoc miſerum, hoc ærumnoſum, hoc planctu, atque eiulatu proſequendum luctuoſiſſimo, acerbiſſimoque. Vides tot conuentus ſanctorum hominum, tot cœtus virorum euangelicæ perfectionis amantium? Hi nimirum, ſi neſcis, accipitres, & erodij ſunt, volatu velociſſimo cæli ſublimia petentes. Tu autem pennas habes ſimillimas, quia bene loqueris de virtutum culmine, nunquam tamen à vitio recedis; & cùm videas meliora, probeſque, ſequeris deteriora. Facile volare poſſes ſi

A alis veteris, & quidem non alienis, ſed tuis: at quia, alatus licet, luto tamen infixus inexuſque es, eam tibi facis difficultatem quam fingis. Tam facilis eſt perfectio Chriſtianæ diſciplinæ, quàm promptæ ad volatum aues velociſſimæ, & alarum remigio à natura donatæ.

Chriſtianæ virtutes quantumuis amaræ, Chriſti dulcedine aſperæ dulceſcunt.

Nulla tam trita eſt comparatio, quàm illa ex Cantico Canticorum à S. Bernardo ſer. 58. in cant. relata his verbis. *Chriſtus ipſe flos campi, & lilium conuallium, vt putabatur filius Ioſeph à Nazareth, quod interpretatur flos.* Placuit mihi ſemper florida iſta Chriſti Domini appellatio. Et quia ab Iſaia accepi, hunc ſupra florem,

B non vnam, aut alteram circumſediſſe virtutem, ſed vniuerſum superni Spiritus chorum ſeptemplicem; audeo dicere, hinc fieri, vt nihil non ſuaue, ac facile in virtutum exercitatione ſentiatur. Sic enim habet Iſaias cap. 11. num. 2. *Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris domini.* Date mihi, per ſeptem hos ſpiritus Domini, vniuerſas intelligi virtutes; & dicam virtutes circumſedentes ſuper hunc florem, tanquam diuinas cæleſteſque

C apes ſuauitatem hauſiſſe, atque dulcedinem. Scio illud pſalm. 117 n. 12. *Circumdederunt me ſicut apes*, ab Auguſtino, & alijs intelligi de Iudæis, & crucifixoribus: *Ipſum Dominum*, inquit Auguſtinus, *rectè accipimus circundatum à perſecutoribus, ſicut circundant apes fauum; mel quippe apes operantur in fauis. Neſcientes ergo perſecutores Domini fecerunt eum nobis in paſſione dulciorem, & vt guſtemus & videamus, quàm ſuauis eſt Dominus.* Hoc, inquam, ſcio; ſed cur mihi non liceat dicere: virtutes omnes turmatim ad libandum hunc florem, quaſi apes conuolantes ſuauitatem, dulcedinemque

D conceperunt, conceptamque nobis deguſtandam præbent? Adeo, vt humilitas, laborum tolerantia, pœnitentiæ rigor, & aliæ virtutes reliquæ inſuaues, ac difficiles natura ſua, accidant nobis faciles, ac iucundæ exemplo Chriſti; communicata videlicet à cæleſti flore dulcedine aſperis virtutum actibus, hoc eſt apibus aculeatis.

Videri poteſt P. Didacus de Baeza tom. 1. in Euang. hiſtor. lib. 3. cap. 2. §. 23. vbi ex multiplici propugnatorum numero patet, quàm facilis ſit perfectionis via. Idem videri poteſt tom. 3. lib. 14. c. 1 §. 8.

Vide etiam infra quæ dicuntur in c. 11. n. 28. Parad. 10. Nil peccato laborioſius,

IN CAPVT NONVM

A Num. XVIII. ad vltimum.

Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps vnus acceſsit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modó defuncta eſt: ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet. Et ſurgens Ieſus, ſequebatur eum, & diſcipuli eius. Et ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſsit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti eius. Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantùm veſtimentum eius: ſalua ero. At Ieſus conuerſus, & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te ſaluam fecit. Et ſalua facta eſt mulier ex illa hora. Et cùm veniſset Ieſus in domum principis, & vidiſſet tibicines & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite: non eſt enim mortua puella, ſed dormit. Et deridebant eum. Et cúm eiecta eſset turba, intrauit: & tenuit manum eius. Et ſurrexit puella. Et exiit fama hæc in vniuerſam terram illam. Et tranſeunte inde Ieſu, ſecuti ſunt eum duo cæci, clamantes, & dicentes: Miſerere noſtri, fili Dauid. Cúm autem veniſset domum, acceſserunt ad eum cæci. Et dicit eis Ieſus: Creditis quia hoc poſsum

face-

facere vobis? Dicunt ei: Vtique, Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundùm fidem veſtram fiat vobis. Et aperti ſunt oculi eorum: & comminatus eſt illis Ieſus, dicens: Videte ne quis ſciat. Illi autem exeuntes, diffamauerunt eum in tota terra illa. Egreſſis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem. Et eiecto dæmonio, locutus eſt mutus, & miratæ ſunt turbæ, dicentes: Nunquam apparuit ſic in Iſrael. Phariſæi autem dicebant: In principe dæmoniorum eiicit dæmones. Et circuibat Ieſus omnes ciuitates, & caſtella, docens in ſynagogis eorum, & prædicans Euanglium regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem. Videns autem turbas, miſertus eſt eis: quia erant vexati, & iacentes ſicut oues non habentes paſtorem. Tunc dicit diſcipulis ſuis: Meſsis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum meſsis, vt mittat operarios in meſsem ſuam.

PARADOXVM VII.

Oratio iuſti eſt mortalis vitæ paradiſus.

QVID, obſecro, aut ad inflammandos hominum animos ad ſtudium orationis, aut ad eiuſdem orationis laudes amplificandas, vel aptius vel accommodatius excogitari poteſt, quàm ſi dicatur oratio mortalis vitæ paradiſus? Id conſideranti mihi, nullum mali genus eſſe, cui remedium non afferat oratio, meridiana luce fit clarius. Ecce principis filia defunctas orante patre, reuocatur ad vitam: ecce mulier fluxu ſanguinis laborans, concepta in ſecreto cordis petitione, redditur ſanitati: ecce cæcos duos breuis deprecatio illuminat. Demum ipſemet Chriſtus Dominus rogandum imperat patrem miſericordiarum, à quo omnia impetrat iuſtorum hominum oratio: adeò, vt nulla mortalis vitae calamitas ſit, quam oratio, non modò non repellat, ſed non permutet in felicitatẽ. Cùm igitur paradiſi felicitatem eam eſſe conſpiamus, quâ, malis omnibus amotis, bonorum omniũ aggregatione fruamur, idque nobis à noſtris precibus concedatur, non erit abs re, orationem noſtram huius vitæ paradiſum, ſplendidè non minùs quàm verè, nuncupare, ac venerari. Quandò autem non minoris id vtilitatis futurũ reor quàm voluptatis; & ſacræ ſcripturæ oraculis, & ſanctorum Patrum teſtimonio propoſiti thematis veritatem illuſtrabo.

Oratio, remedium malorum omnium.

Subſcribunt in primis Chryſoſtomus, & Hieronymus, Auguſtinus, & Bernardus. Hieronymus quidem data ad Euſtochium Epiſt. 22. *Solus deſerta penetrabam, ibi mea orationis locus, ibi illud miſerrimæ carnis ergaſtulum, & vt ipſe mihi teſtis eſt Dominus, poſt multas lacrymas, poſt cælo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi intereſſe agminibus Angelorum, & lætus, gaudenſque cantabam, poſt te in odorem vnguentorum curremus*. Hæc Hieronymus, cui deſertum mutatur in cælum, cu-

Oratio, deſertum in cælum tranſformat.

A ius ſolitudo in conſortium tranſit Angelorum, cuius carnis ergaſtulum lætitia gaudioque exultat mentium beatarum. Chryſoſtomus verò hom. 79. ad populum ſic loquitur: *Qui erat totam colligens animam ſuam, & nihil habens cum terra commune, ſed in ipſum ſe transferens cælum, & omnem ex animo pellens humanam cogitationem*. Felix, qui orationi vacat; cùm, orationis beneficio, adhuc ſarcina mortalitatis onuſtus transferatur in cælum. Verùm copioſiùs Auguſtinus, & Bernardus. Dubitationem proponit, & ſoluit Auguſtinus quæſt. 102. in Exod. de eo quod dicitur Exodi 24. num. 9. *Videruntque Deum, &* B *comederunt, & biberunt*. Fit ſermo de Moyſe, Aaron, Nadab, & Abiu, qui cum ſeptuaginta de ſenioribus montem Sina conſcenderunt ad orandum. Quomodo conueniunt compotationes, & conuiuia cum precibus electorum? ſacer, locus orationis eſt, & maximè à bibendi edendique licentia alienus. Sed fallor: Fuſæ ad Deum preces, non ventris, ſed mentis epulæ ſunt, quarum voluptate recreatus animus præguſtat quodammodo illud magni regis conuiuium æternæ beatitatis. Hæc ſanè, comparari conuiuio felicitatem beatorum, nouum non eſt; cùm Lucæ 21. numero 30. Dominus dixerit: *Et ego di-* C *ſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum: vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. Quod manducant* (loquitur Auguſtinus) *ac bibunt in loco Dei, ſuauitatem ſaturitatemque præfigurat, vel ſignificat in illo regno æternitatis*. Præcedit beatam vitam, participando felicitatis æternæ iucunditatem adhuc in deſerto huius exilij, qui Dei colloquio fruitur in oratione: *Videruntque Deum, & comederunt, & biberunt*: vel ex Chaldæo, *& gauiſi ſunt in ſacrificijs ſuis quaſi comediſſent, & bibiſſent*. Sanctus Bernardus autem conſiderans illud Dauidis effatum pſal. 41. num. 5. *Tranſibo in locum* D *tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei*. Putat, hoc, præcellentem deprecationis declarari prærogatiuam, de qua vere dici poteſt, admirabile tabernaculum, & domus Dei. Ad hanc tranſit, qui orat: cum Deo familiariter agit, qui preces fundit. Audi Bernardum ſerm. de quatuor modis orandi. *Siquidem oportet nos orationis tempore curiam intrare cæleſtem, in qua rex regum ſtellato ſedet ſolio, circumdante innumerabili, & ineffabili beatorum ſpirituum exercitu*. O ſtupendum Orationis priuilegium! quandoquidem in cæleſtem curiam coram regum rege, ſtellato è ſolio imperante, introducit orantem.

Fuſæ ad Deum preces non ventris ſed mentis epulæ ſunt.

Facilè in cæli curiam introducitur orans.

Drogo

Drogo Cardinalis Oſtienſis, dormientium in horto Gethſemani Apoſtolorum ſomnolentiam excuſans, facere mihi videtur aditum, ad promendum pro re praeſenti ſenſum animi, fortaſſe minimè pœnitendum. Scimus reprehenſos à Chriſto Domino ſomno conſepultos diſcipulos verbis illis: Matt. cap. 26. num. 20. *Sic, non potuiſtis vna hora vigilare mecum?* Occurrit Drogo iuſtae Seruatoris expoſtulationi, aitque. *Quis autem eſt, Domine, qui tecum vna hora vigilet? Etiam in cœlo non eſt factum ſilentium, niſi quaſi dimidia hora; quantò minus in terra vna hora vigilabimus tecum?* Ergo ex Drogone potior, & gratior eſt Deo oratio iuſti, quàm Angelorum concentus. Vt cum orante vigilet Deus, ſileat chori ſuperni melodia: Archangelorum Simphonia, orationi comparata, ſtrepitus, & fragor eſt: praetermittatur iſta, vt oratio audiatur.

Gratior eſt Deo oratio iuſti, quàm Angelorum concentus.

[B] Itaque ſi ipſi Deo paradiſo carior, & iucundior oratio eſt; dubitabimus, an oratio iuſti dicenda ſit, & habenda mortalis vitae paradiſus? Id porrò ſuo didicit experimento patriarcha Iacob, vt nos eius erudiremur exemplo. Lege Gen. 32. num. 1. *Iacob autem abijt itinere, quo cœperat: fueruntque ei obuiam Angeli Dei. Quos cùm vidiſſet, ait, caſtra Dei ſunt haec.* In quem locum Egeſippus lib. 5. de excidio Hieroſol. cap. 16. ſic ait: *Iacob Sanctus, Eſau fratre parricidium minitante, patriam reliquit, parentes deſeruit, ſolius ſecum orationis ferens viaticum, meritòque in peregrinis locis, cùm fratris metueret inſidias, inuenit Angelorum concilium, perductus, vt ait, ad caſtra Dei.* Noto illa verba: *ſolius orationis ferens viaticum, in peregrinis locis inuenit concilium Angelorum, perductus ad caſtra Dei.*

Solius orationis viatico paradiſus inuenitur.

[C] Sic ſe res habet: ſolius orationis adminiculo, per deſerta peregrinanti in ipſa ſulitudine frui licet non vno, aut altero Angelo, ſed Angelorum concilio, donec ad Dei caſtra perueniat. [D] Ambigat, qui voluerit, fiat ne nobis per orationem paradiſus: ego ſanè non dubito, in hac mortalitatis peregrinatione, ab ijs, qui orant, paradiſum inueniri; cùm luce clariùs pateat, & Angelorum conſortio, & Dei domicilio inuento, nobis per ſolitudinem vitae huius peregrinantibus idem contingere, quod patriarchae Iacob, dummodo feramus nobiſcum ſolum orationis viaticum. Vt propterea gratuler mihi, pronunciatum fuiſſe à Chryſoſtomo lib. 1. de adorando Deo: *Per orationis exercitium hoc aſſequimur, vt mortales, ac temporarij eſſe deſinamus.*

Fateor vltro, id non omnium eſſe, ſed [A] eorum ſolummodo, qui omni terrenarum cogitationum, ac ſolicitudinum vinculo mentem ſuam liberare nouerint, vt ſoli Deo vacent. De quibus loquens Sanctus Bernardus ſerm. 85. in cant. ait: *Vt ſe ſe non ſentiat anima, qua Verbum ſentit. Hoc fit, cum mens ſe ſibi furatur, vt Verbo fruatur.* O delicias humana conditione maiores, planèque Verbo dignas! Fruamur Verbo in hoc mentis exceſſu; & alij alium ſibi paradiſum quaerant: hic nobis ſit ſatis; qui vtique in noſtra eſt poteſtate, ſi B. Petro Damiano velimus credere. Ser. enim 60. in Vig. Nat. Domini circa medium, alludens ad Eliam caelum oratione [B] ſua claudentem 3. Reg. 17. num. 1. & 2. ait: *Non puto, quòd ille, qui clauſit caelum oratione, clauſerit animum à cogitatione: vt facilius ſit caelum obſerare quam animum.* Itaque poſſumus, ad libitum, caeli fores aurea orationis claue aperire maiori facilitate, quàm animo noſtro legem imponere valeamus.

Diuino, aeternoque Verbo fruitur orans, ſi ſe ſibi furatur.

Sanè Auguſtinus ſerm. 226. de tempore ait: *Oratio iuſti, clauis eſt caeli.* Cùm autem cordis noſtri penetralia, & aperire poſſimus, & reſerare; fit manifeſtum, quàm expeditus nobis orantibus pateat caelorum aditus. Experiebatur id rex Dauid pſalm. 26. n. 4. [C] canens: *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae, vt videam voluptatem Domini.* Vt voluptatē Domini agnoſcat, orationi vacaturus eſt: quod perficiens, in domo Domini ſe profitetur habitaturum. Si in domo Dei eſt, à paradiſo non abeſt. Sed id Dauidi, non eſt ſatis; ſiquidem illud, *vt videam voluptatem*, ex Hebraeo codice legimus, *dulcedinem:* Ambroſius Epiſt. 11. pro *voluptatem* habet, *delectationes.* Haec itaque regis Iſraël votorum ſumma eſt, vt orationi vacans habitet in domo Domini; ibique dulcedinem, ſiue delectationes eiuſdem Domini experiatur. [D] Huiuſmodi verò domus, dulcedine affluens, delectationibus referta, an non videtur digna nomine paradiſi?

Oratio iuſti, caeli clauis rectè dicitur.

Audio quoſdam obijcere, dici à nobis ſine fundamento, Dauidem ſignificare voluiſſe orationem, cùm ait: *inhabitem in domo Domini.* Iſtis pro me reſpondebit Chryſoſtomus tom. 6. orat. 2. vbi ex ſententia Pauli Apoſtoli ad Epheſ. 3. declarat, Chriſti fidelem oratione fieri templum Dei, his verbis: *Vides, quantum iurium habeat precatio? templa Chriſti homines efficit. Qua maior precationis laus eſſe poſſit, quàm quòd ex illis Chriſti templa fieri ſoleant? Quem non capiunt caeleſtes orbes, is*

Templum Dei efficitur orans.

animo

animæ, qui in precatione vitam ducat, continetur. *Qualem domum ædificauit Paulus? Flecto, inquit, genua mea ad patrem vt Chriſtus per fidem in cordibus veſtris inhabitet*. Igitur ex Chryſoſtomo, domus Dei non modò incolitur, ſed fit ab eo, qui orationi vacat, & in hac domo delectationes abundāt, dulcedines affluunt ſi Dauidi credimus. Ergo ſui habet eſt paradiſi in hac vita, qui per orationem fit templum Dei, Templum verò Dei, non magis domus Dei, quàm domus orationis ab ipſo Domino perhibetur. *Domus mea, domus orationis vocabitur*.

Vidit id diuinitus illuſtratae mentis acumine Iſaias: immo Dominus ipſe per Vatis oraculum pollicitus eſt: cap. 59. n. 6. & 7. Inquiens; *Filios aduenæ, qui adhærent Domino, vt colant eum, adducam in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ*. O plenum ſuauiſſima dulcedine promiſſum! *lætificabo eos in domo orationis meæ*. Non in caeleſti regno, ſed in huius vitae paradiſo. hoc eſt, in domo orationis laetiſſima perfunderis iucunditate.

Humana vita innumeris ſubiacet miſerijs.

Neminem autem rerum adeò ignarum exiſtimo, vt neſciat mœſtiſſimam eſſe ſua ſpte natura vitam, quam in hoc ſeculo ducimus. Nazianzenus ſanè carm. de humana natura col. 2. pronuntiat: *Vita hæc mors potius eſt, & mors vita nomine appellanda*. Vita noſtra *eſt mare*, dixit Baſilius orat. 21. vt ex amara maris aqua vitae noſtrae deducatur amaritudo. Vt taceam Euripidem, Platonem, Plutarchum, Stobæum, Senecam. Ex Euripide quippe apud Plutarchum. *Vita, vitæ nomen habet, ſed reipſa labor eſt*. Peregrinatio calamitoſa eſt ex Platone epiſt. 10. Non vita eſt, ſed calamitas ea Euripid. in Alceſt. Similis eſt carceri vnius diei ex Stobaeo. *Omnis vita ſeruitium eſt*. Ex Seneca de tranquillitate animi. Haec & ſimilia his ſexcenta cùm non modò virorum illuſtrium dictis, ſed quotidianis experimentis notiſſima ſint, nemo eſt qui neſciat, quàm mœſta ſit, quam triſtis tot aerumnis afflicta vita. Quod ſuperſit leuamen, aut ſolatium tot, tantiſque calamitatibus, quae hominum animum angore conficiunt acerbiſſimo, paucis aduerte, docebit laureatus è Chriſti academia Iacobus Apoſtolus cap. 5. num. 13. *Triſtatur aliquis veſtrum? Oret*. Oratio quaſi magnitudinis immenſae abyſſus omnem calamitoſae mortalitatis mœrorem abſorbet nec vllum triſtitiae genus eſt atrox adeò, quod orationis nectare non dulceſcat. Profectò non alio modo explicare potuit

Vita præſens, mors.

Mare.

Labor.

Peregrinatio calamitoſa.

Seruitium.

Omnium humanæ vitæ calamitatum leuamē eſt oratio iuſti.

A dilectus Deo Ioannes felicitatem caeleſtis Ieruſalem, quàm dicendo procul ab eius finibus triſtitiam mœroremque exulare: *Iam non erit amplius, neque luctus, neque clamor, ſed nec vllus dolor*. Apoc. 7. Immo verò ſe in ſede beatitatis luctus, & querimonia mutantur in cantus: Similiter oranti contingit, vt lamentationes humanae miſeriae tranſeant in harmonicum melos. Propterea Sanctus Hieronymus in illud pſal. 143. num. 1. *Benedictus Deus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum*, ait, de oratione loquens: *Hæc eſt lyra noſtra, hæc cithara, in hac cantamus Domino*. Vt hinc animum

B ſumam dicendi, orationem huius vitae eſſe paradiſum, cùm triſtea ab animo curas arceat, atque repellat. *Triſtatur aliquis veſtrum?* Quodnam tanto malo remedium? Facile illud quidem, atque expeditum: *Oret*. Sanctus Auguſtinus ad particularia deſcendit, oſtenditque antidotum omnis triſtitiæ eſſe orationem: Sic enim habet ſerm. 22. ad fratres in Eremo: *Orans Ieremias confortabatur in carcere, Daniel inter leones exultat, tres pueri in fornace tripudiāt, Iob in ſterquilinio triumphat de diabolo; latro de cruce paradiſum inuenit*. Triſtitiam omnem vertit in voluptatem, mœrores permutat in gaudia, ex

C angoribus facit delicias; oratio iuſti ſolatium afflictae mortalitatis, atque amaritudinum omnium leuamentum.

Duplicem habeo in promptu ſimilitudinem; alteram ex Bernardo; alteram verò ex Chryſoſtomo: vtra ſit aptior, pro re præſenti, iudicet lector. Sanctus Bernardus comparationem ſumit à vino, quod ſicuti cor hominis lætificat, ita & oratio orantis animam replet exultatione. Quò forte reſpiciebat Sponſa Can. cap. 7. num. 9. *Guttur tuum ſicut vinum optimum*. Quam ſententiam à Sācto Bernardo enucleatiùs explicatam ſermone decimo octauo in

D Canticà ſic accipe: *Accedat cibo boni operis orationis potus: orando bibitur vinum lætificans cor hominis, vinum ſpiritus, quod inebriat, & carnalium voluptatum infundit obliuionem*. In ſobria orationis ebrietate, in vino tam modeſtè lætificante, in tam laudabili voluptatum carnalium obliuione, vt verum fatear, mortalis vitæ paradiſum agnoſco. Liceat mihi interpretari, fuiſſe id olim præ oculis ſapientis fœminæ filij ſapientioris: loquor de Bethſabee, quæ Salomonem filium ſic affatur: Prouerb. cap. 31. num. 6. & 7. *Date ſiceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro ſunt animo: Bibant, & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ: & doloris ſui non recordentur* am-

Oratio, cithara eſt humanas lamētationes in harmonicū melos conuertens.

Oratio omnis humanæ triſtitiæ eſt antidotum.

Oratio, vinum eſt cor hominis lætificans.

amplius. Legunt ſeptuaginta; *Date inebriaticum his, qui in mœroribus: & vinum biberc his, qui in doloribus*. A nota vini proprietate, cuius eſt oblectare bibentes, & mœrore delinito obliuionem adducere afflictionum, atque dolorum, quæ animum grauiter angebant, inſinuat vſum vini à Bernardo declarati: *Accedat cibo boni operis orationis potus: orando bibitur vinum lætificans cor hominis, vinum ſpiritus, quod inebriat, & carnalium voluptatum infundit obliuionem*. Mirum, vnicum, diuinum triſtitiæ medicamentum, oratio. *Triſtatur aliquis veſtrum? oret.* Neque nouum eſt, comparari vino, orationis hilaritatem; ſiquidem Oſeæ 14. n. 8. dicitur *Memoriale Dei, ſicut vinum Libani.* Libaniticum vinum laudatiſſimum olim apud Hebræos fuiſſe ſcimus, cui comparatur ea Domini recordatio, quam orantes experiuntur iucundiſſimam. Sic Dauid cùm tædio conficeretur amariſſimo triſtes inter huius exilii calamitates; vt deiectionem animi permutaret in gaudium confugiebat ad orationem, tanquam ad aſylum ab omni mœrore tutiſſimum; vt propterea credi poſſit mortalis vitæ paradiſus. Pſal 76. num. 3. & 4. profitebatur rex Iſraël: *Renuit conſolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus ſum*. Quem locum tractans Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. ad ciues ſuos, ſic ait piè non minùs, quàm eloquenter: *Adſit modò voluntas, animique propoſitum, propinqua eſt conſolatio in ore tuo, & corde tuo: Memor fui Dei, & delectatus ſum. Quid memoria paratius? Memor ergo eſto tu quoque, & delectaberis. O facilem, & parabilem medicinam, ô celerem curandi rationem, ô egregiam beneficij magnitudinem! Non modò animi deiectionem mæſtitiamque ſedat Dei recordatio, ſed & delectationem affert*. Hortabatur Dauid pſalm. 36. num. 4. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*. Exaudita oratio coniungitur cum delectatione, & quidem diuina. Ita planè viſum eſt S. Bernardo in hunc modum ſcribenti ſer. 5. de Quadrageſima paulò ante finem: *Non eſt hæc delectatio potus, neque cibi, aut ſimilis cuiuſlibet rei; delectatio tamen eſt, & maior omnibus illis; diuina enim eſt: & cùm in his delectamur, planè delectamur in Domino.*

Oratio humanæ triſtitiæ vnicum medicamentum.

Do iam excogitatam à Chryſoſtomo ſimilitudinem ad inſerendum noſtris mentibus, quàm altè ſentire de orationis excellentia debeamus. Verba Chryſoſtomi in pſalm. 4. *Quando ad Deum accedimus, id exiſtimemus, theatrum ex vniuerſo terrarum, vel potiùs ex populis cæleſtibus collectum, & regem in medio ſedere, qui vult noſtram audire orationem. Nullus ſit citharœdus, nullus lyricen, qui ita ſe exerceat, ſcenam ingreſſurus, timens ne quid inſuaue & inconcinnum canat, vt nos ingreſſuri theatrum Angelorum*. Canit ſuauiter qui orat, & cæleſtium conſeſſu principum exceptus rege regum in throno ſedente perfruitur. Ecquem deſiderabiliorem fingere poſſumus paradiſum? Sed quale ſit hoc theatrum, rudibus veluti lineamentis adumbratum, S. Bernardus luculentiùs proſequetur. Neque verò dubitabit affirmare, theatrum hoc illud idem eſſe, ac montis Thabor, in quo ſe ſe conſpiciendam dedit maieſtas Diuinitatis Petro, Iacobo, & Ioanni. Hoc ſanè Chriſti gloriæ amphitheatro nullus in terris verior paradiſus non modò à nobis excogitari potuit, ſed ne ab ipſo quidem rerum autore ſapientiſſimo concinnari. In huius paradiſi delicias tranſire licet orantibus. *Conſtitue montem illum* (verba S. Abbatis ſer. 4. de Aſcenſ. Domini circa medium) *in quem aſcendit cum Petro, & Iacobo, & Ioanne, vbi & transfiguratus eſt ante eos. Refulſit facies eius, vt ſol, & veſtimenta eius facta ſunt alba ſicut nix. Reſurrectionis gloria iſta eſt, quam in Monte ſpei contemplamur. Vt quid enim aſcendit vt trãſfiguraretur, niſi vt doceret nos cogitatione aſcendere ad futuram illam gloriam, quæ reuelabitur in nobis? Felix, cuius meditatio in conſpectu Domini eſt ſemper, qui in corde ſuo delectationes dextera Domini vſque in finem ſedula cogitatione reuoluit. Quid enim graue illi poterit videri, qui ſemper mente tractat, quòd non ſint condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam? Quid concupiſcere poterit in ſeculo nequam, cuius oculus videt ſemper bona Domini in terra viuentium, ſemper videt æterna præmia?* Hæc Bernardus copiosè, & verè. An non meliore ſui parte ſupra mortalitatem eſt, qui non memoria ſolùm, ſed cordis affectu in cæleſtibus habitat? An non is, cui nil accidere poteſt moleſtum, nil graue contingere; an non inquam, is, qui nulla poteſt cupiditate capi, nulla viciſſitudine perturbari, ſuum inuenit in humanæ vitæ exilio paradiſum? Propterea Diuus Bernardus, ibidem paulò poſt, ſubiungit, examinans verba à S. Petro dicta: *Domine bonum eſt nos hic eſſe. Quid eſt, bonum eſt, immo quid aliud videtur bonum, quàm in bonis animam demorari, quandoquidem adhuc corpus non poteſt? Puto quòd eius, qui ingrediebatur in locum tabernaculi admirabilis vſque*

Suauiter canit qui deuotè orat.

Orans, ſemper, vt in transfigurationis monte, gloriam Dei contéplatur.

ad

A *ad domum Dei, in voce exultationis, & confeſſionis ſonus epulantis fuerit, Bonum eſt nos hic eſſe*. Age iam fruere bonis, delectare, exulta, epulare in domo Domini, vno verbo vtere ſorte perbeata paradiſi tui: quo pacto? orando.

Liceat mihi, ad propoſitum conficiendum, vti loquendi modo eodem, quo vſus eſt olim Dauid ad declarandam, pro mentis humanæ captu, cæleſtis paradiſi felicitatem, in qua exultaturos cæli ciues pronunciauit, & lætitiam inenarrabilem in ſuis cubilibus percepturos. *Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis*. Pſal. 149. num. 5. Duæ ſunt partes

Oratio lætitia eſt, & exultatio animæ dilectæ Deo.

B ex ſententia Dauidis, quibus beatorum conficitur paradiſus: exultatio nempe, & in cubilibus lætitia. Vtramque orationi comperio conuenire; in qua exultant ſine dubio animæ dilectæ Deo. Sic ipſe Dauid pſal. 70. 23. *Exultabunt labia mea, cùm cantauero tibi*. Sic pſal. 15. 9. *Exultabit lingua mea*. Sic pſalm. 97. 4. *Iubilate Deo omnis terra, cantate, & exultate, & pſallite*. Sic pſal. 94. num. 1. *Venite exultemus Domino*. *Inuitat*, ait Auguſtinus, *ad magnas epulas exultandi non ſeculo, ſed Domino. Niſi enim eſſet in hoc ſeculo exultatio mala, quæ diſtinguenda eſſet ab exultatione bona, ſufficeret dicere: Venite exultemus: Sed breuiter diſtinxit.*

C *Quid eſt bene exultare? Domino exultare. Ergo exultatio mala eſt, exultare ſeculo; exultatio bona eſt, exultare Deo. Piè debes Domino exultare, ſi vis ſecurus mundo inſultare*. Sed ſileantur iſta; loquêre ſanctiſſima Genitrice Dei, & ſanctitatis magiſtra ſapientiſſima. Lucae 1. n. 46. *Exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*. Exultant ergo Deo, qui Deo vacăt laudes decantantes. Habemus ex hoc primam partem, quæ paradiſi conſtituit felicitatem: *Exultabunt ſancti in gloria*. Neque altera deſideranda eſt: *lætabuntur in cubilibus ſuis*.

D Accedamus ad Sponſam, quæ nos intra penetralia regij palatij perductos ſic admonebit. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi*. Can. 3. num. 7 & 8. Placet Ianſen: Explicatio. *Sexaginta*, inquit, *fortes præpoſiti ſunt, qui inuigilant illis, qui verſantur in via contemplatiua, ne profeſſionem contemplationis vertant in ordinationem erroris*. Lectus igitur Salomonis eſt plè orantium contemplatio, in qua iucundiùs quieſcit animus, quàm ſomno corpus reficiatur. Intelligebat Sanctus Hieronymus, hanc intercedere in oratione, Deum inter & deprecantem, tam arctæ coniun-

Orantium contemplatio lectus eſt, in quo ſuauiter quieſcit animus.

A ctionem familiaritatis, vt ſpirituali connubio, in cubili ſecretae mentis celebrato comparari queat. Scribebat enim ad Euſtochium epiſt. 22. *Semper te cubiculi tui ſecreta cuſtodiant, ſemper tecum Sponſus ludat intrinſecus*. Hoc procul dubio eſt laetari in cubilibus ſuis. Vtinam in hoc cubili tanquam Iacob moriturus Gen. 49. num. 32. meos colligam pedes, hoc eſt affectus omnes vagos, errantesque contrahere poſſim, atque concludere, vt ſuauiter obdormiſcam. Oratio namque ex S. Bernardo ſerm. 52. in Cant. *Quædam dormitio eſt; quæ tamen ſenſum non ſopiat, ſed abducat*. Abducat à terrenis,

B ac fluxis, non ſopiat à caeleſtibus, ac diuinis. Quod vix verbis innuimus; immo vix mente concipimus experimento ſuo didicit Sponſa ſanctiſſima, de qua Can. 3. 5. amantiſſimus Sponſus. *Adiuro vos, filiæ Ieruſalem, per capreas, ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit*. Quàm blanda laetatur quiete in cubili ſuo, nullo turbata ſtrepitu, nulla inquietudine excitata! Auguſtinus autem lib. de ſcala paradiſi, quibus veluti gradibus ad hanc felicitatis ſummam poſſimus aſcendere, ſic declarat. *Lectio inquirit, meditatio inuenit, oratio poſtulat, contemplatio deguſtat*. En guſtus

Oratio ſomnus eſt non ſenſum ſopiens ſed abducens à terrenis:

C internae orationis. Sed loquatur Chryſoſtomus lib. 2. de orando Deo: *Conſidera quanta eſt tibi conceſſa felicitas, quanta gloria attributa orationibus, fabulari cum Deo, cum Chriſto miſcere colloquia, optare quod velis, quod deſideras poſtulare: immo ſupra deſiderium, & vltra omne votum in ſecretiori cubiculo cum Deo tuo tanquam cum coniunctiſſimo amico, & caſtiſſimo ſponſo delectari: Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis*. Vtrunque oranti contingit: duplex enim orationis eſt genus; vocalis altera dicitur; mentalis altera: illa exultamus vo-

D ce dulciſona reſonantes laudes Domini; iſta in cubili ſecretiſſimae deuotionis laetamur. Vt meritò mortalis vitae paradiſum nuncupemus, ſpectata exultatione, & laetitia, quibus, tanquam praecipuis partibus paradiſus coaleſcit.

Id porrò non omnium eſſe, optimè noui; ſed eorum tantummodo, qui Dei conſuetudine delectantur; eorum, inquam, quos Dauid inuitat pſal. 36. num. 4. ſic canens: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*. Interrogas; qui ſunt iſti? Reſpondet Theodoretus, *Qui putant veras delicias eſſe, habere cum Deo conſuetudinem*. Nulla autem arctior conſuetudo, Deum inter, & hominem, in-

terçe-

Oratio inſti ſuauiſſima eſt cum ipſo Deo conuerſatio.

tercedere poteſt,quàm ſuauiſſima illa orãtis communicatio. Vnde S. Greg. Nyſſenus de orat. Dom. *Oratio,* inquit, *eſt conuerſatio, ſermocinatioque cum Deo*. S. Io. Chryſoſtomus hom. 30. in Gen. *Oratio eſt colloquium cum Deo*. S. Auguſtin ſer. 230. de tempore: *Oratio eſt aſcenſio animæ de terreſtribus ad cæleſtia, inquiſitio ſupernorum, inuiſibilium deſiderium*. Facile eſt decernere quantam, qualemque cum Deo conſuetudinem habeamus orationi vacantes; &, quod etiam hinc conſequitur, manifeſtum eſt, orantes in Domino delectari. Dicat itaque Bernardus. *Tu itaque anima mea intra in gaudium Domini tui*. B Quis mihi det, inter huius ſeculi anguſtias, Ionae prophetae ſpiritum? Spiritum vtique ſapientiae, ac ſanctitatis; quo cap. 2. num. 8. dicebat. *Cùm anguſtiaretur in me anima mea, Domini recordatus ſum, vt veniat ad te oratio mea*. Anguſtiarum agnoſce portum, & fateare aegritudinum antidotum, orationem. Dicat Auguſtinus, & aſſentiemur, tract. de miſericord. tom. 10. *Quid eſt oratione præclarius, quid vitæ noſtræ vtilius, quid in tota noſtra religione ſublimius?* Cùm autem nil oratione dulcius, aut delectabilius excogitari poſſit; cùm oratione, cæleſti veluti epulo, iuſtorum mentes pietate, religione, omnique virtutum genere ſaginentur; cùm C calamitatibus vexati nullum habeant tutius aſylum, in quo illecebrarum irritamentis, dæmonum conatibus, mundi deceptionibus liberi, quietam vitam traducant; paradiſo profectò indignus eſt, qui in orationis oblectationibus paradiſum non recognoſcat. Recognoſcet autem vnuſquiſque longè meliùs experimento ſuo, quàm nos lineamentis rudibus adumbrare poſſimus, ſi Magni Gregorij monitum animo voluat, & perficiat opere. Examinat S. Pontifex quod Num. 20. n. 6. de Moyſe, & Aaron ſcribitur his verbis: *Dimiſſa multitudine ingreſſi ſunt in tabernaculum fœderis*. D Ex quo ſic diſſerendi occaſionem ſumit Gregorius. *Cum ſpiritualia diſcutere volumus, neceſſe eſt, vt ab intentione noſtra carnalia remoueamus: quia mens interna nõ penetrat, quam exteriorũ actuum puluis cæcat. Dum igitur propheta Domini, omnem populum abire ad propria loca præcipit; à ſe vtique tumultum carnalium repellit: vt eò ſpiritualia, quæ diſponenda ſunt, clariùs videat; quò mentis eius aciem terrenorum actuum intentio non obſcurat.* Vt Domini tui gloriam in oratione perſpicias, nil terrenum videat mentis oculus: vt delecteris Deo, nullo prauarum voluptatum inquinamento ſordeſcas; vt

Anguſtiarũ portus & ægritudinũ antidotum oratio.

Vt Dei gloriam perſpiciat orans, nil terrenũ videre debet.

A omni terrenæ contagionis labe purus intres in gaudium Domini tui. Propterea Bernardus ſerm. 1. de Nat. accommodatè dicebat: *Hunc paradiſum habemus multò meliorem, & longè delectabiliorem, quàm primi parentes habuerunt; & paradiſus noſter Dominus eſt*. Paradiſus vtique, & tunc maximè, cùm eius alloquio conſuetudine, amplexu fruimur in oratione. Etenim ſi veriſſimè ſcripſit Sanctus Hieronymus Epiſt. 4. ad Ruſticum Monachum de viuendi forma: *Viderint alij quid ſentiant, vnuſquiſque enim ſuo ſenſu ducitur, mihi oppidum carcer, & ſolitudo paradiſus eſt*. Si, inquam, veriſſimè ſuum B putat paradiſum Hieronymus pro Chriſto pati; quantò veriùs paradiſum putabimus in Domino delectari?

Chriſtus verè orantis paradiſus dicitur.

Digna ſanè quæ memorentur ſunt verba illa, quibus eleganter æquè ac religioſè, in hunc modum Marcellam compellat Sanctus Paulinus Epiſt. 49. ad eandem data, paulò ante finem: *Eleuaſti manus tuas corde perfecto firmata, fiducialiter futurorum bonorum tibi perpetuam felicitatem, feſtiua meditatione promittas, teque ipſam in cælum animo geſtiente præcurras; vt dum corpore moraris in terra, iam ad Chriſtum mente peruenias*. Proh quàm felix eſt, qui ſe ipſum in caelum ten- C dentem praecurrit, & præfeſtinata, praeoccupataque potitur beatitate! In hanc gratiam conſulebat Bernardus, dum explicaret illud Pauli 1. ad Cor. cap. 4. n. 9. *Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus*, conſulebat, inquam, Bernardus his verbis: *Veniens ad Eccleſiam pone manum tuam ſuper os tuum, & dic: expectate hic cogitationes malæ, intentiones, & affectus cordis, & appetitus carnis; tu autem anima mea intra in gaudium Domini Dei tui, & videas voluntatem Domini, & viſites templum eius*. Ergo idem eſt, ex Bernardo, fundere ad Deum preces & in gaudium Domini intrare: idem D viſitare templum, & exultanti præ laetitia intereſſe beatitati.

Orans mente præcurrit in cælum.

Orãs intrat in gaudium Domini

Videatur P. Franciſcus de Mendoza tom. 1. in lib. reg. cap. 1. Annot. 11. circa literam ſect. 1. & ſeq. & tom. 3. cap. 10. num. 4. in expoſit. lit. §. 6.

Videatur P Didacus de Baeza tom. 2. in Euang. hiſt. lib. 11. cap. 7. §. 11.

Videatur P. Ioan. Lorinus in pſal. 149. verſ. 5.

Videatur P. Benedictus Fernandius in Geneſ. tom. 2. in cap. 15. ſect. 1. num. 7.

EVANGELIVM
Secundùm Matthæum.

CAPVT DECIMVM.

1 ET conuocatis duodecim di-
ſcipulis ſuis, dedit illis pote-
ſtatem ſpirituum immun-
dorum, vt eiicerent eos, &
curarent omnem languo-
rem, & omnem infirmitaté.
2 Duodecim autem Apoſtolorum nomina
ſunt hæc. Primus: Simon, qui dicitur Petrus,
3 & Andreas frater eius, Iacobus Zebedæi, &
Ioannes frater eius, Philippus, & Bartholo-
mæus, Thomas, & Matthæus publicanus,
4 Iacobus Alphæi, & Thaddæus, Simon Ca-
nanæus, & Iudas Iſcariotes, qui & tradidit
5 eum. Hos duodecim miſit Ieſus: præcipiens
eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, &
in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis:
6 ſed potius ite ad oues, quæ perierunt domus
7 Iſrael. Euntes autem prædicate, dicentes:
Quia

Quia appropinquauit regnum cælorum.
8 Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, lepro-
ſos mundate, dæmones eiicite: gratis acce-
9 piſtis, gratis date. Nolite poſsidere aurum,
neque argentum, neque pecuniam in zonis
10 veſtris: non peram in via, neque duas tuni-
cas, neque calceamenta, neque virgam: di-
11 gnus enim eſt operarius cibo ſuo. In quam-
cumque autem ciuitatem, aut caſtellum in-
traueritis, interrogate, quis in ea dignus ſit:
12 & ibi manete donec exeatis. Intrantes au-
tem in domum, ſalutate eam, dicentes: Pax
13 huic domui. Et ſi quidem fuerit domus illa
digna, veniet pax veſtra ſuper eam: ſi au-
tem non fuerit digna, pax veſtra reuerte-
14 tur ad vos. Et quicumque non recepe-
rit vos, neque audierit ſermones veſtros:
exeũtes foras de domo, vel ciuitate excutite
15 puluerem de pedibus veſtris. Amen dico vo-
bis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum, &
16 Gomorrhæorum in die iudicii, quàm illi
ciuitati. Ecce ego mitto vos ſicut oues in
medio luporum. Eſtote ergo prudentes
ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut colum-
17 bæ. Cauete autem ab hominibus. Tra-
dent enim vos in conciliis, & in ſynagogis

18 ſuis flagellabunt vos: & ad præſides,& ad re-
ges ducemini propter me in teſtimoniũ illis,
19 & gentibus. Cum autem tradent vos, noli-
te cogitare quomodo, aut quid loquamini:
dabitur enim vobis in illa hora, quid loqua-
20 mini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed
Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.
21 Tradet autem frater fratrem in mortem, &
pater filium: & inſurgent filii in parentes, &
22 morte eos afficient: & eritis odio omnibus
propter nomen meum: qui autem perſeue-
23 rauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Cùm
autem perſequentur vos in ciuitate iſta, fu-
gite in aliam. Amen dico vobis, non con-
ſummabitis ciuitates Iſrael, donec veniat Fi-
24 lius hominis. Non eſt diſcipulus ſuper ma-
giſtrum, nec ſeruus ſuper dominum ſuum.
25 Sufficit diſcipulo, vt ſit ſicut magiſter eius:
& ſeruo, ſicut dominus eius. Si Patrem fa-
milias Beelzebub vocauerunt: quantò ma-
26 gis domeſticos eius? Ne ergo timueritis eos:
Nihil enim eſt opertum quod non reuelabi-
27 tur: & occultum, quod non ſcietur. Quod
dico vobis in tenebris, dicite in lumine: &
quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.
28 Et nolite timere eos, qui occidunt corpus,
ani-

animam autem non poſsunt occidere: ſed
potiùs timete eum, qui poteſt & animam, &
29 corpus perdere in gehennam. Nonne duo
paſseres aſse væneunt: & vnus ex illis non
30 cadet ſuper terram ſine patre veſtro? Ve-
ſtri autem capilli capitis omnes numerati
31 ſunt. Nolite ergo timere: multis paſseribus
32 meliores eſtis vos. Omnis ergo, qui confi-
tebitur me coram hominibus, confitebor
& ego eum coram Patre meo, qui in cælis
33 eſt: qui autem negauerit me coram homi-
nibus, negabo & ego eum coram Patre
34 meo, qui in cælis eſt. Nolite arbitrari quia
pacem venerim mittere in terram: non ve-
35 ni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim
ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum,
& filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum
36 aduerſus ſocrum ſuam: & inimici hominis,
37 domeſtici eius. Qui amat patrem, aut ma-
trē plus quàm me, non eſt me dignus, & qui
amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me
38 dignus. Et qui non accipit crucem ſuam, &
39 ſequitur me, non eſt me dignus. Qui inuenit
animam ſuam, perdet illam: & qui perdide-
rit animam ſuam propter me, inueniet eam.
40 Qui recipit vos, me recipit: & qui me reci-

41 pit, recipit eum, qui me miſit. Qui recipit
prophetam in nomine prophetæ, merce-
dem prophetæ accipiet: & qui recipit iu-
ſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti ac-
42 cipiet. Et quicumque potum dederit vni ex
minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantúm
in nomine diſcipuli: amen dico vobis, non
perdet mercedem ſuam.

IN CAPVT DECIMVM

A Num. I. ad V.

Et cõuocatis duodecim diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, vt eiicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc. Primus: Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, Iacobus Alphæi, & Thaddæus, Simon Cananæus, & Iudas Iſcariotes, qui & tradidit eum.

PARADOXVM I.

Chriſti ſectator ſemper debet eſse diſcipulus ſimul, & magiſter.

OPTIME ſcio tritum illud: *Nemo repente fit ſummus*. In quauis enim diſciplina, paulatim procedendum eſt. Multæ ſiquidem ſuperandæ ſunt difficultates antequam facultatis, quam aggredimur, culmen teneamus. Vnde canebat appoſitè poëta non ignobilis.

Virtutem poſuere Dÿ ſudore parandam.

Scio etiam Bartoli iuriſconſulti celeberrimi pronunciatum in l. 1. C. de Profeſs. non præſumi, poſt vigeſimumprimum ætatis annum quidquam ampliùs à quoquam addiſci poſſe. Hæc, inquam, nota omnibus me non latent. Audeo tamen contradicere huiuſmodi opinionibus, vulgatis licet; aioque Chriſtianæ ſapientiae priuilegium eſſe, vt quicunque ei operam dare voluerit, ita debeat fieri diſcipulus, vt ſtatim ſit magiſter; & ea lege magiſter, vt nunquam deſinat eſſe diſcipulus. Arcanum hoc ex præſenti capite deducit noſter P. Maldonatus, animaduertens eoſdem
D à Chriſto Domino nominari ſimul diſcipulos, & Apoſtolos. *Ante hoc tempus*, ſunt verba Maldonati, *diſcipuli, non Apoſtoli vocabantur: nunc eos Apoſtolos, ideſt miſſos, mittendo, facit, quaſi ex diſcipulis magiſtros*. Hinc argumentum ſumo ad excitandos ſeruorum Dei animos, vt tanta cum humilitate in ſchola Chriſti ſe gerant, quaſi ſemper diſcipuli; tantam praeſeferant in virtutum exercitatione praeſtantiam, quaſi ſemper magiſtri.

Nollem equidem reprehendi, perinde ac ſi nouum aliquid proferrem, cùm id antiquiſſimo Iſaiae vaticinio fuerit prae-

nun-

nuntiatum cap. 54. num. 13. vbi de Chriſti fidelibus verba faciens, eos deſcribit, his verbis: *Vniuerſos filios tuos doctos à Domino*. Quae verba iuxta ſeptuaginta Interpret. legi debent: *Vniuerſos filios tuos diſcipulos Dei*. Ergo ijdem ſunt docti, & diſcipuli. Quod declarabo illuſtri Caſſiodori dicto, & facto Apellis, trito illo quidem, ſed memorando. Caſſiodorus lib. de Dialect. Ariſtotelem laudaturus, perbellè pronunciauit: *Ariſtoteles, quando librum Peribermenias ſcriptitabat, calamum in mente tingebat*. Sine dubio dicere voluit, principem philoſophorum res ſubtiles, minimèque communes non hauſiſſe ab alijs, ſed proprio marte deſumptas poſteritati tranſmiſiſſe. Sed mihi videtur ſignificare velle, laudem Ariſtotelis ex eo ſumendam, vt ſimul vellet eſſe diſcipulus & magiſter. Calamum tingebat; quòd diſcipuli munus eſt, continenti labore, & ſtudio nunquam intermiſſo vacare facultati, quae prae manibus eſt. Calamum tingere negligit, qui certò credit ſe didiciſſe. Is ſanè, qui ſe metam ſtudiorum attigiſſe arbitratur, putat & attigiſſe laborum. Ariſtoteles ſcribit vt magiſter; quia ſui fœtus ingenij edit in lucem: Et quia labori non parcit, calamum tingens in mente, partes explet diſcipuli. Faciliùs id in Apelle deprehendemus. Hic, vt memoriae prodidit Plinius lib. 35. nat. hiſt. cap 10. nullum ſine linea diem praeterire permiſit; vnde, ſi forte multitudine negotiorum obrutus depingere nequiuiſſet, celebri illa querela lamentabatur: *Hodie nullam lineam duxi*. Sic ſummus pingendi magiſter, veluti rudis picturae tyro, nullam non adhibebat diligentiam, prima veluti picturae rudimenra percepturus. Et nos meminerimus eſſe debere ſimul *doctos à Domino*, & *diſcipulos Dei*.

[In ſchola Dei, Chriſti aſſecla diſcipulus ſimul, & magiſter euadit.]

[Apellis dictum non ignobile.]

Ex Iſaia.

Verùm vnde meliùs, aut ſecuriùs petemus teſtimonium, quàm ab ipſa ſapientia, cuius ſapien. cap. 6. n. 13. illa ſunt verba: *Facilè videtur ab his, qui diligunt eam, & inuenitur ab his, qui quaerunt illam*. Itaque quaeri debet, vt inueniatur. Nimirum, quandiu quaerere non deſiſtes, inuenies. Caue, ne te credas inueniſſe, & quaerere deſiſtas. Sapientiam qui inuenit, magiſter eſt; eandem qui quaerit, nondum fuit è ſchola dimiſſus; vt hinc pateat, ſapientiae caeleſtis ſectatorem diſcipulum ſimul eſſe debere, atque magiſtrum. Id viſus eſt exemplo ſuo velle docere Chriſtus Dominus. cùm duodecim annorum in Hieroſolymitano templo, circunfuſa doctorum corona, eos tanquam auditor erudiendus interrogauit, & ſimul tan-

[Diuinam ſapientiam, qui inuenit magiſter eſt ſimul & diſcipulus.]

A quam doctor inſtruxit, difficultateſque grauiſſimas, tanta facilitate declarauit, vt admiratione defixi obſtupuerint quotquot aderant. Vnde Lucæ cap. 2. num. 46. *inuenerunt illum in templo ſedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos*. Vide diſcipulum diſcendi cupidum. Et eundem venerare magiſtrum celeberrimum: *ſtupebant omnes, qui eum audiebant ſuper prudentia, & reſponſis eius. Et videntes admirati ſunt*. Immo eadem de cauſa, niſi fallor, ibidem ab Euang. num. 52 dicitur: *Ieſus proficiebat ſapientia*. Is ſcilicet, qui ſummi Patris ſapientia eſt incomprehenſibilis, vſ- B que ad annum ætatis trigeſimum nil aliud dicitur perfeciſſe, niſi ſapientia proficere. Docebat ſiquidem, neceſſe eſſe, vt Chriſtianæ ſtudioſus philoſophiæ, & magiſtri ſimul & diſcipuli, expleat partes. Exemplum aliquod ſatis fortaſſe accommodatum pro præſenti inſtituto, in Ioſeph patriarcha deprehendemus. De eo mihi Ioſeph ſermo eſt virginei trophæa candoris, ex ipſa impudicæ dominæ petulantia, erigente; de eo, inquam, Ioſeph incidit mentio, quem, dum accuſare nititur pellex turpiſſima, miris extulit laudibus. Ait enim Geneſ. cap. 39. num. 14. *En introduxit virum Hebræum, vt illuderet no-* C *bis*. Audis? Virum appellat, cùm tamen certò conſtet, tunc temporis Ioſeph, primo ætatis vere ridente, tenero iuuentutis flore fuiſſe ſpectabilem. Sicuti ergo non ſine myſterio idem & vir, & iuuenis nuncupatur; ita etiam is, qui diſcipulus eſt, ſimul etiam & magiſter in Dei ſchola eſſe debet. Talem planè, ſe præbuiſſe Ioſephum animadnertemus. Blanditias fœminæ amantis, ſecreto in conclaui prouocantis, dominæ, qua promiſſis allicientis, qua deterrentis minis, vno verbo vires amoris, & impetum furoris adulteræ inſanientis eluſiſſe, & ſuperaſſe raræ virtutis eſt, planèque heroicæ. O Ioſeph magi- D ſtrum celeberrimum, & doctorem eximium Angelicæ puritatis! Ne hinc recedas, niſi priùs eundem conſideraueris ſugientem, non è manibus ſolùm impudentis mulieris, aut è cubiculo, ſed è palatio auolantem. Conſidera Ioſephum in tam illuſtri victoria ſolicitum, anhelantem, relinquentem pallium; quaſi veſtium pollutarum tanta fœditate conſpectum ipſum formidaret, afflatum perhorreſceret, atque contactum. Non fuit ſatis Ioſepho impudicitiam debellaſſe, quòd perfecti viri eſt; niſi etiam fuga conſuleret ſibi, niſi etiam vitaret aſpectum, niſi etiam congreſſum, & colloquium auerſaretur; quòd incipientium eſt, atque tyronum. Vides quo pa-

[Chriſtus Dominus in templo, diſcipuli & magiſtri vices ſimul exercebat.]

[Ioſeph in AEgypto Angelicæ puritatis doctor extitit.]

[Ioſeph, cur vir ſimul & iuuenis appelletur.]

cto·

ſto, ſicuti idem vir eſt, & iuuenis; ita etiam diſcipulum ſe ſimul probet, atque magiſtrum. O Ioſeph iuuenem, & virum; intrepidum ſimul, & trepidantem; glorioſè vincentem, & inter triumphales laureas de ſua infirmitate timentem; inuictum, & & de hoſte debellato formidantem!

Paulus Apoſtolus agnouit tanti id momenti eſſe, vt Epiſcopi formam traditurus, & quaſi optimi ideam Prælati expreſſurus, ſic ſcripſerit ad Timoth. 1. cap. 3. num. 2. *Oportet Epiſcopum doctorem eſſe*, & ad eundem epiſ. 2. cap. 2. nu. 25. *Oportet Epiſcopum docibilem eſſe*. Ita doctus debet eſſe Chriſtianæ profeſſor perfectionis, vt ſit etiam docibilis. Sermo Chriſti Domini Matth 5. collatus cum eiuſdem oraculo Io. 4. licet prima ſpecie ſecum pugnans, ſibique contrarius, mirum tamen in modum elucidabit argumenti propoſiti veritatem. Matth. nu. 6. cit. cap. hominibus cæleſtia communicaturus dicebat. *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur*. Apud Io. autem, mulierem alloquens Samaritanam n. 13. Inquit: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum*. Vtrobique de Chriſtiana perfectione ſermo eſt. Apud Matthæum enim non de iuſtitia loquitur, quæ peculiaris eſt virtus, tribuens vnicuique ſuum; ſed de ea, quæ omnium complexionem virtutum ſignificat, iuſtitiæ nomine nuncupata. Aqua porrò Samaritanæ inſinuata, ſignificat ſapientiam cælitus nobis communicatam ad bene beatèque viuendum; de qua Eccl. 15. n. 3. *Aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum*. Quomodo ergo non ſitiet in æternum: ſi *Beati* ſunt, *qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam?* Dicere voluit, Chriſtianæ ſapientiæ aquam reſtinguere quidem humanarum cupiditatum ſitim, adeò vt animus, huiuſmodi perfuſus aqua, fluxa, & caduca ſitire nequeat in æternum; ita tamen, vt, dum reliquarum rerum extinguit ſitim, accēdat ſui. Quò plùs ſunt potæ, plùs ſitiuntur aquæ iſtæ diuinæ gratiæ; quia ſapientia huiuſmodi erudimur ita, vt vlteriùs erudiri, & doceri cupiamus. Eo planè modo (ſi libeat exemplum ſumere à vilioribus) quo in profana ſcientia feciſſe accepimus Baldum iuris prudentiæ commendatione celeberrimum, qui cùm ſeptem ſupra quadraginta annis Ius Ciuile docuiſſet, cùm feudales libros commentarijs illuſtraret, in præfatione operis ſic ſcripſit; *Quod ſi ex parte aliquid didicerim, tamen in comparatione latitudinis intellectus, profectò nihil me intellexiſſe agnoſco*. Quid nobis dicendum, quid ſentiendum eſt, qui

Chriſtianæ perfectionis profeſſor doctor ſimul, & docibilis eſſe debet.

Diuina ſapientia quò plùs ſcitur eò plùs ſititur.

A Chriſtianæ philoſophiæ operam damus, qua nulla facultas amplior eſt, aut nobilior? Quadrat hoc loco monitum Senecæ philoſophi de tranquillitate ſcribentis: *Puto multos ad ſapientiam peruenire potuiſſe, niſi putaſſent ſe perueniſſe*. Si peruenisse te putas, nunquam peruenies ad lauream Apoſtolicæ perfectionis: talis debes eſſe doctor, vt ſemper memineris te eſſe diſcipulum.

Quandoquidem verò, quales debeant eſſe, qui Chriſti Domini ſcholam frequentant, in præſenti inueſtigamus; nemo expreſſiùs, aut clariùs id docere nos poterit, quàm ipſemet magiſter Chriſtus, eo præ- B ſertim io loco, vbi, ex profeſſo ſapientiæ ſuæ præcipua iaciens fundamenta, vt quæcunque dici poſſent, in compendium redigat, ſic habet Io. cap. 13. n. 34. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos*. Miror fraternæ dilectionis mandatum nuncupari nouum. An non ipſis ſcriptæ legis modò, ſed etiam naturae inſtitutionibus fraterni amoris præcepta traduntur? Num antiquis temporibus licuerat fratrem odiſſe? Abſit. Sicut enim nemo tam impius fuerit, qui ita ſenſerit; ita nemo tam rudis eſt, qui id ignoret. Cur ergo dicitur ab eo, qui nec C decipi poteſt, nec mentiri; *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos*. Fallor, niſi dicere voluit, ſemper nouum eſſe debere mandatum charitatis; & conſequenter omnia Chriſtianæ ſapientiae praecepta; quae ad charitatem reducuntur. Praecepta cuiuſuis diſciplinae diſcipulis, & tyronibus noua ſunt: at verò eruditis in ea facultate, & doctoribus noua eſſe non poſſunt. Ergo vult Chriſtus Dominus ſtudioſos philoſophiae ſuae ſemper eſſe diſcipulos, qui praeceptum charitatis, tanquam nouum reſpicere debeant. Eoſdem, ſine dubio, vult eſſe ſimul magiſtros ſapientiſſimos, & doctores D celeberrimos; cùm diſertè declaret, *vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos*. Nulla dilectionis norma praeſtantior, lex nulla poteſt eſſe perfectior charitatis, quàm ſi talis ſit inter nos, qualis erga nos fuit amor Chriſti. Do verba Origenis hom. 9 in num. *Dicit: Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem; cùm, vtique, ſciret olim datum eſſe mandatum in lege. Sed quoniam charitas nunquam cadit, nec mandatum charitatis aliquādo veteraſcit. Hoc, quod nunquam veteraſcit, ſemper nouum eſſe pronunciat: ſemper enim obſeruantes, & cuſtodientes in ſe charitatis mandatum, nouos reddit in Spiritu*. O miram Chriſtianae philoſophiae laudem! vt qui, tanquam

Charitatis præceptum cur à Chriſto nouum dicatur.

Charitatis diuinæ præceptum nūquam veteraſcit,

A quam doctores maximè verſati ſunt in ſummis difficultatibus, ijs prima præcepta obuia, & facilia, tanquam præcepta ſibi noua, quaſi diſcipulis incipientibus ſint. Socrates in humana philoſophia non vltimus dicere ſolebat, vt Laërtius in eius vita auctor eſt; *Hoc vnum ſcio, me nihil ſcire*. Etiam in homine ethnico recognoſce, quid contendam: videlicet ſapientiae ſtudioſum debere quidem eſſe præſtantem; ita tamen, vt, quaſi diſcipulus rudis, nihil ſe ſcire arbitretur, & profiteatur.

Ita Deus ſua nobis communicat, vt maiora ſemper communicanda remaneant.

Et is ſanè antiquiſſimus videtur fuiſſe mos Dei; quippe cùm ſe, & ſua mortalibus B communicare voluit, ita communicauit, vt ſemper meliora laterent: quò mens hominis ſciendi cupida excitaretur ad ſtudium, & ad inquirendum id quod reſtabat, vehementiùs impelleretur. Videlicet, quia Deus vult nos, in cæleſtium rerum notione, ſapientes, ac veluti doctores, ideo Diuinitatis ſuæ aperit arcana; & quia etiam vult nos eſſe diſcipulos, plura retinet intra cortinas Diuinitatis petenda à nobis pijs precibus, & ſanctis operibus indaganda. Quod notauit Zeno Veronenſis ſubtili indagatione examinans, quod legimus dictũ à Deo Gen. 1.n. 8. *Faciamus hominem ad imaginẽ, & ſimilitudinem noſtram*. C Sic autem habet ſer. 2. in Geneſ. *Cùm de ſe dixerit Deus, ego ſum, qui ſum, & non demutor, quid eſt, quòd ait: faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram? Cùm hoc ita ſit, homo quemadmodum Dei imaginem portat? cuius vultus paſſibilis, omni conuerſioni ſubiectus, momentis omnibus demutatur, labore, ætate, languore, ira, gaudio, triſtitudine; totque induit vultus, quot animi fuerint motus, nullusque prorſus dies, qui iugiter ſibi ſimilis eſſe videatur. Cùm hæc aliter non ſint, ergo ne Dei imaginem non habemus? Habemus planè, & quidem manifeſtam ex eo ipſo, quòd non eſt nobis portantibus nota*. D Attendenda diligenter hæc vltima verba. Scimus imaginem Dei, & ſimilitudem nobis inditam: qualis autem hæc ſit, quid à nobis requirat, quæ noſtræ ſint partes, diligenti ſtudio inueſtigandum eſt. *Dei imaginem habemus ex eo, quòd non eſt nobis portantibus nota*. Quod certiſſimè ſcimus, Deo reuelante; en ſapientia magiſtro digna: Id nobis notum non eſt; en in quo labor diſcipuli deſudare debet. Et hæc fortaſſe ratio eſt, cur idem Deus non ſolùm primis parentibus vetuerit, ne de arbore ſcientiae boni, & mali comederent; ſed addiderit etiam pœnam capitis omnium grauiſſimam. Gen. 2. n. 12. A *De ligno ſcientia boni, & mali, ne comedas: in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris*. Videlicet ita Deo diſponente comparatum eſt, vt homines ſciant quidem diuina, ita tamen, vt ſemper ſuperſit addiſcendum. Sapienter Seneca epiſt. 76. initio: *Tandiu diſcendũ eſt quandiu neſcias, & ſi prouerbio credimus, quandiu viuimus, &c. Tandiu diſcendum eſt quemadmodum viuas, quandiu viues. Ego tamen hic & aliquid doceo. Quaeris quid doceam? Et ſeni eſſe diſcendum*. Ardor diſcendi non niſi exacto vitae curriculo extinguendus. Morte morieris, cùm arbitraberis nihil ſupereſſe quod diſcas de ſapientia caeleſti. B Solon certè grauiſſimo laborans morbo, mox expiraturus, audiens in circunfuſa amicorum corona aliquos inter ſe diſceptantes, caput è puluinari extulit, vegeta adhuc aliquid de nouo addiſcendi cupiditate, in ſummo deficientis naturae diſcrimine: quemadmodum his verbis ſcribit Valerius Maximus lib. 8. cap. 7. *Solon, aſſidentibus amicis, & quadam de re ſermonem inter ſe conferentibus, fatis iam preſſum caput erexit. Interrogatuſque, quapropter id feciſſet, reſpondit; Vt, cùm iſtud, quicquid eſt, de quo diſputatis, percepero, moriar*. Intelligebas ò Solon, ſapientiae ſectatori eundem finem C eſſe debere diſcendi, atque viuendi. Pudeat Chriſtianos, hoc eſt, caeleſtis ſapientiae ſtudioſos, profanae philoſophiae magiſtros inueniri, qui ardore diſcendi ad extremum vſque ſpiritum profiteantur ſe eſſe diſcipulos, cùm nos vix primis imbuti inſtitutionibus ſanctioris vitae, quaſi iam rude donati dedignemur erudiri.

Diſcendi ardor perpetuus eſſe debet, & non niſi morte extinguendus.

Communis ſanè Sanctorum Patrum ſententia eſt: indicium nullum certius inueniri quempiam Chriſtianae perfectionis ignarum eſſe, quàm ſi eam ſe optimè callere arbitretur. Is profectò in virtutum Chriſtianarum adeptione profecit, qui ita eas tenet, vt in ijs comparandis laboret, D ac ſi plurimum ſuperſit, quod diſcat. Quod ſummum Dei magni ingenium voluit in ſacris literis adumbrari: Conſule cap. 49. Geneſ. num. 15. vbi in benedictione Iſſachar apponuntur hæc verba: *Suppoſuit humeros ſuos ad portandum*. Tum lege 1. Paral. cap. 12. n. 32. vbi filij Iſſachar dicuntur *viri eruditi*: quorum alij non modò admirabantur ſapientiam, ſed conſilium ſequebantur. Immo lib. 2. *Paral.* c. 17. Amaſias conſecratus Domino dicitur, quia erat doctor. Notat autem, Sanctus Hieronymus, fuiſſe Amaſiam ex tribu Iſſachar, hoc eſt laborum patientis. Videlicet qui in ſacra cæleſtis ſapientiæ ſchola doctoratus obti-

Diuinæ ſapientiæ magiſtri nunquam ab illius ſtudio debent feriari.

obtinent lauream, vel magiſtri dignitatem conſequuntur, nequaquam ſibi feriandum exiſtiment à ſtudiorum labore; ſed maiori quàm antea conatu operam ponant, vt doctiores in dies euadant, atque eruditiores. Compono ſimul Salomonem cæleſtis commendatione Sapientiæ toto terrarum orbe clariſſimum; & Senecam inani Stoicorum arrogantia tumidum: vt ex iſtorum comparatione pateat clariùs, quo pacto perfectionis Chriſtianæ, hoc eſt, ſupernæ philoſophiæ profeſſores, cum ſumma ſapientia ardorem diſcendi, qui diſcipulorum eſt proprius, iungere debeant nexu inſeparabili. Lib. 3. Reg. c. 3. 7. & 9. Deo per ſomnium non promittenti modò, ſed excitanti, vt quidquid liberet, liberè peteret; aſſerentique certò, fore, vt conſequeretur, quod vellet, in hunc modum Salomon dicitur reſpondiſſe: *Et nunc Domine Deus tu regnare feciſti ſeruum tuum pro Dauid patre meo: ego autem ſum puer paruulus, & ignorans egreſſum, & introitum meum, &c. Dabis ergo ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſſit, & diſcernere inter bonum, & malum.* Audiant qui ſe credunt in via perfectionis vltimam ſapientiæ metam attigiſſe. Salomon quo nullus ſapientior, ſapientiæ non modò lauream, ſed medullam à Deo hauſturus petit *cor docile*. Vel ex Hebræa lectione *cor audiens*, ſeu, *cor cum auribus*. Videlicet vero verius eſt, in Dei ſchola docto-

Summa ſapientia in Chriſtianæ perfectionis ſchola cum ardenti diſcendi deſiderio quàm bene coniungitur

Salomon Senecæ Stoicorum principi præfertur.

A rem eſſe non poſſe, qui ſimul etiam auditor non ſit. E contrà ridenda Stoicorum ſuperbia ampullas proijcit, Epiſt. 5. ſic ſcribente Seneca: *In hoc gaudeo aliquid ſcire, vt doceam.* Doctrinam iactat; & dum ait, ſe ita ſcire, vt doceat, declarat profectò, ſe ſcire ſolummodo, vt ſciatur. Is verò, qui è Chriſti ſchola magiſter eſt; dicat potiùs: In hoc gaudeo aliquid ſcire, vt diſcam: adeò, vt dum doctor, & magiſter eſt, ſemper meminerit ſe diſcipulum etiam eſſe, & auditorem; ne ea poſſit obiurgatione reprehendi, qua S. Paulus Romanos reprehendebat cap. 2. num. 21. ſic ſcribens: *Qui ergo alium doces, te ipſum non doces.*

Eximia Chriſtiani doctoris laus, ſcire vt diſcat, non vt doceat.

B Qui alios doceant multi ſunt; ſed qui, dum ſe tanquam aliorum doctores gerunt, ſe ipſos agnoſcant diſcipulos, fortaſſe non multi reperiuntur. Audi S. Proſperum: *Bene docere, & male viuere, quid aliud eſt, quàm ſe ſua voce damnare.*

Plura habes pro hoc eodem argumento apud P. Franciſcum de Mendoza tom. 2. in lib. Reg. cap. 3. num. 28. Annot. 5. circa lit. ſect. 2. & praecipuè à num. 6. & deinceps.

Videatur P. Didacus de Celada de benedictionibus Patriarcharum in cap. 26. Geneſ. verſ. 5. §. 178.

C Poſſet etiam videri P. Didacus de Baeza in Euang. hiſt. tom. 3. lib. 14. cap. 16. §. 7.

IN CA-

IN CAPVT DECIMVM

A Num. V. ad 11.

Hos duodecim miſit Ieſus: præcipiens eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: ſed potiùs ite ad oues, quæ perierunt domus Iſrael. Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquauit regnum cælorum. Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eiicite: gratis accepiſtis, gratis date. Nolite poſsidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus enim eſt operarius cibo ſuo.

PARADOXVM II.

Sola virtus eſt præmium virtutis.

SPEM omnem lucri, & propriæ ſtudium vtilitatis in Apoſtolicarum exercitatione virtutum à noſtris cordibus radicitus extirpaturus Dominus Ieſus, præcipit, vt omni omnino non modò auri, argenti, atque pecuniæ; ſed etiam viliſſimæ cuinſuis rei, vel pretio, vel præſidio repudiato, quæ gratis à Deo accepimus bona ſpiritualia, gratis communicemus. Quaſi verò de integritate, cum Deo ipſo (ſi fas eſt dicere) nobis certandum ſit. Eodem enim modo quo gratis nobis ſua dona largitur Deus: imperat nobis, vt virtutum exercitio de proximis bene mereamur, ſine vlla prorſus retributione mercedis. Nemo ignorat, vſque adeò gratis primæ dona gratiæ, no-
D bis concedi à largitore ſummo, vt nullo penitùs meriti noſtri intuitu (alioqui gratia non eſſet gratia, vt docet Auguſtinus) ſed ex motu proprio beneficentiſſimæ liberalitatis ſuæ, ea in nos conferat. Sic & nos gratis dare par eſt. *Gratis accepiſtis, gratis date.* Non aurum, non argentum, non pecuniæ vos alliciant; immo etiam ſine victu, ſine veſtitu (ſi opus fuerit) & ſine baculo (quo ne ipſi quidem pauperrimi homines carent) in Chriſtianarum exercitationem virtutum incumbite ſedulò. Nimirum nullum par virtuti praemium eſt. Neque id vnius, aut alterius virtutis eſt priuilegium, ſed cuicunque virtuti praerogatiua communis, vt nullo poſſit emi pretio,

pretio, nulla commutatione aeſtimari: Sola quippe ſui pretium, & merces virtus eſt.

Quod quidem planum adeò, & abſque controuerſia certum eſt, vt diſertè ſcripſerit Seneca Epiſt. 113. in fine his verbis: *Doceat me, quàm ſacra res ſit iuſtitia, alienum bonum ſpectans, nihil ex ſe petens, niſi vſum ſui &c. Non eſt quòd ſpectes, quod ſit iuſtæ rei præmium maius, quàm iuſtum eſſe.* Sed longè melius exemplum Abrahami, & autoritas Ambroſij docebunt nos huiuſmodi veritatem. Gen. 14. num. 22. reijcit Abraham oblata à rege Sodomorum munera, verbis illis memorandis vſus: *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum, poſſeſſorem cæli, & terræ, quòd à filo ſubtegminis, vſque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua ſunt.* Debellauerat Abraham, exemplo fortitudinis ſingulari, quinque reges, eorumque fugatis debellatiſque copijs, fratrem Lot aſſeruerat in libertatem. Tam praeclari facinoris mercedem, opulentam praedam, & oblatam à rege, & aequo marte acquiſitam dedignatur accipere, ſciens rei iuſtae praemium nullum maius, quàm iuſtitiam eſſe. Accommodatiùs in hunc modum de hac re loquetur Ambroſius lib. 2. de Abraham c. 8. *Minus mirabile faceret, ſi ſequutus promiſſum Dei, eſſet hoſtem adorſus. Propoſitum piæ mẽtis, mercedem non expetit: ſed pro mercede habet boni facti conſcientiam, & iuſti operis affectum. Anguſtæ mentes inuitẽtur promiſſis, erigantur ſperatis mercedibus.* Nimis humiliter de virtute ſentit, qui aliam poſtulat virtutis mercedem, praeter ipſam virtutẽ.

Nulla maior merces pro virtute reperitur quàm ipſa Virtus.

Rapiunt me in admiratione promiſſa illa Sponſi caeleſtis, quibus dilectæ ſuæ animũ deuincturus, aiebat Cãt. 4 n. 8. *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libabo; veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonũ, de montibus pardorũ.* Nouum ſanè, planèque inauditũ coronae genus, ex Leonum cubilibus, ex pardorum montibus contexendae. Credebam amãtiſſimæ ſponſæ de excelſo ſanctitatis libano euocatae, vel virginitatis gẽmea, vel charitatis aurea, vel multiplici lapidum pretioſorum contexta corona præ omnibus carum caput exornandum. Audio tamen: *Veni de libano ſponſa mea veni de Libano; veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus pardorum.* Amana, Sanir, & Hermon montes ſunt Libano vicini, vel, vt alij malunt, eiuſdem Libani partes ſunt, vt in hunc locum aduertit P. Io Mariana. Ex monte Amana, vt docet Lyranus, populus Dei in

Exercitatio virtutum corona eſt præſtantiſſima.

A promiſſæ terræ proſpectu, tanto perfuſus eſt gaudio, beatam illam Paleſtinæ regionem perluſtrans oculis, vt præ lætitia conſertis coronis, ſerta ſibi impoſuerit. Ignati fortaſſe præfigurabant Iſraëlitæ, fore vt in lege gratiæ ſola ſpe patriæ cæleſtis, ac promiſſæ recordatione beatitudinis texerent ſibi coronas Chriſti fideles, quibus ipſi, vel ſpei, vel amoris, vel cuiuſcunque piæ affectionis actus coronam nectunt, capitique imponunt diadema omnium pretioſiſſimum. Quaerant alij coronas pro reportatis victorijs, pro hoſtibus profligatis, pro ſeruatis ciuibus, obſidionalem, muralem, ciuicam, aliamque ſimilem habeant B in pretio, qui mundo famulantur: nobis, qui Deo ſeruimus, ipſum virtutis exercitiũ corona eſt, ſertumque præſtantiſſimum. Quod ipſum Sponſi cæleſtis allocutio declarat enucleatiùs, dum ſpondet: *coronaberis*, non modò *de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon*; quia ipſum conſcendiſſe montem perfectionis, ſua tempora corona circumcinxiſſe eſt: Verùm etiã coronaberis *de cubilibus leonum, de montibus pardorum*; quia viciſſe leones indomitos prauarum cupiditatum, fregiſſe vires, rabiemque domuiſſe turpium affectionum, pardorum inſtar in noſtram animam ſæuientium, coronã texuiſſe eſt, qua nulla C neque ditior cogitari poteſt, neque nobilior. *Veni de libano ſponſa mea, veni de libano; coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonũ, de montibus pardorum.* Aut, ſi placet ſenſum ſequi literæ, dicamus hoc modo: De capite Amana, hoc eſt, non de quacunque mõtis parte, ſed de ſumma, quæ meritò capitis nomine nuncupatur; non, inquã, de quacunque montis parte, ſed de ea in qua leones, & pardi cubilia poſuere: quia videlicet, cùm pauci eò conſcendant, vel ob ferarum metum, vel ob cacuminis præruptã altitudinem, ſunt flores intacti; ac proindè ad coronas conficiendas aptiſſimi. Videli- D cet non gẽmæ è cæli regionibus ſunt quærendæ ad cingendum corona caput dilectæ Dei, quæ ſi ſe extollat à ſordibus terrenarũ affectionum, flores habet quibus coronetur. Nullum ſanè tam accommodatum virtutis eſt ſymbolum, quàm flos: nec quicquam tam congruenter dicitur, quàm cùm pronunciatur, huiuſmodi floribus coronari virtute præditum: quia ſola virtus ſui corona eſſe poteſt. Quò ſpectaſſe viſus eſt Dauid ſuo illo tam ſancto, tamque ſapienti de Chriſto Domino vaticinio Pſalm. 131. num. 18. vbi & ſanctitatem flori comparat, & eiuſdem præmium ſanctitatis, per coronam iiſdem compa-

Virtus rectè flori comparatur.

EVANGELIVM
Secundùm Matthæum.

CAPVT DECIMVM.

1 ET conuocatis duodecim di-
ſcipulis ſuis, dedit illis pote-
ſtatem ſpirituum immun-
dorum, vt eiicerent eos, &
curarent omnem languo-
rem, & omnem infirmitatẽ.
2 Duodecim autem Apoſtolorum nomina
ſunt hæc. Primus: Simon, qui dicitur Petrus,
3 & Andreas frater eius, Iacobus Zebedæi, &
Ioannes frater eius, Philippus, & Bartholo-
mæus, Thomas, & Matthæus publicanus,
4 Iacobus Alphæi, & Thaddæus, Simon Ca-
nanæus, & Iudas Iſcariotes, qui & tradidit
5 eum. Hos duodecim miſit Ieſus: præcipiens
eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, &
in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis:
6 ſed potius ite ad oues, quæ perierunt domus
7 Iſrael. Euntes autem prædicate, dicentes:

Quia

Quia appropinquaut regnum cælorum.
8 Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, lepro-
ſos mundate, dæmones eiicite: gratis acce-
9 piſtis, gratis date. Nolite poſsidere aurum,
neque argentum, neque pecuniam in zonis
10 veſtris: non peram in via, neque duas tuni-
cas, neque calceamenta, neque virgam: di-
11 gnus enim eſt operarius cibo ſuo. In quam-
cumque autem ciuitatem, aut caſtellum in-
traueritis, interrogate, quis in ea dignus ſit:
12 & ibi manete donec exeatis. Intrantes au-
tem in domum, ſalutate eam, dicentes: Pax
13 huic domui. Et ſi quidem fuerit domus illa
digna, veniet pax veſtra ſuper eam: ſi au-
tem non fuerit digna, pax veſtra reuerte-
14 tur ad vos. Et quicumque non recepe-
rit vos, neque audierit ſermones veſtros:
exeũtes foras de domo, vel ciuitate excutite
15 puluerem de pedibus veſtris. Amen dico vo-
bis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum, &
16 Gomorrhæorum in die iudicii, quàm illi
ciuitati. Ecce ego mitto vos ſicut oues in
medio luporum. Eſtote ergo prudentes
ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut colum-
17 bæ. Cauete autem ab hominibus. Tra-
dent enim vos in conciliis, & in ſynagogis

18 ſuis flagellabunt vos: & ad præſides, & ad re-
ges ducemini propter me in teſtimoniũ illis,
19 & gentibus. Cum autem tradent vos, noli-
te cogitare quomodo, aut quid loquamini:
dabitur enim vobis in illa hora, quid loqua-
20 mini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed
Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.
21 Tradet autem frater fratrem in mortem, &
pater filium: & inſurgent filii in parentes, &
22 morte eos afficient: & eritis odio omnibus
propter nomen meum: qui autem perſeue-
23 rauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Cùm
autem perſequentur vos in ciuitate iſta, fu-
gite in aliam. Amen dico vobis, non con-
ſummabitis ciuitates Iſrael, donec veniat Fi-
24 lius hominis. Non eſt diſcipulus ſuper ma-
giſtrum, nec ſeruus ſuper dominum ſuum.
25 Sufficit diſcipulo, vt ſit ſicut magiſter eius:
& ſeruo, ſicut dominus eius. Si Patrem fa-
milias Beelzebub vocauerunt: quantó ma-
26 gis domeſticos eius? Ne ergo timueritis eos:
Nihil enim eſt opertum quod non reuelabi-
27 tur: & occultum, quod non ſcietur. Quod
dico vobis in tenebris, dicite in lumine: &
quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.
28 Et nolite timere eos, qui occidunt corpus,
ani-

animam autem non poſſunt occidere: ſed
potiùs timete eum, qui poteſt & animam, &
29 corpus perdere in gehennam. Nonne duo
paſſeres aſſe væneunt: & vnus ex illis non
30 cadet ſuper terram ſine patre veſtro? Ve-
ſtri autem capilli capitis omnes numerati
31 ſunt. Nolite ergo timere: multis paſſeribus
32 meliores eſtis vos. Omnis ergo, qui confi-
tebitur me coram hominibus, confitebor
& ego eum coram Patre meo, qui in cælis
33 eſt: qui autem negauerit me coram homi-
nibus, negabo & ego eum coram Patre
34 meo, qui in cælis eſt. Nolite arbitrari quia
pacem venerim mittere in terram: non ve-
35 ni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim
ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum,
& filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum
36 aduerſus ſocrum ſuam: & inimici hominis,
37 domeſtici eius. Qui amat patrem, aut ma-
trē plus quàm me, non eſt me dignus, & qui
amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me
38 dignus. Et qui non accipit crucem ſuam, &
39 ſequitur me, non eſt me dignus. Qui inuenit
animam ſuam, perdet illam: & qui perdide-
rit animam ſuam propter me, inueniet eam.
40 Qui recipit vos, me recipit: & qui me reci-

41 pit, recipit eum, qui me miſit. Qui recipit
prophetam in nomine prophetæ, merce-
dem prophetæ accipiet: & qui recipit iu-
ſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti ac-
42 cipiet. Et quicumque potum dederit vni ex
minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantúm
in nomine diſcipuli: amen dico vobis, non
perdet mercedem ſuam.

IN CA-

IN CAPVT DECIMVM

A Num. I. ad V.

Et conuocatis duodecim diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, vt eiicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc. Primus: Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, Iacobus Alphæi, & Thaddæus, Simon Cananæus, & Iudas Iſcariotes, qui & tradidit eum.

PARADOXVM I.

Chriſti ſectator ſemper debet eſſe diſcipulus ſimul, & magiſter.

OPTIME ſcio tritum illud: *Nemo repente fit ſummus*. In quauis enim diſciplina, paulatim procedendum eſt. Multæ ſiquidem ſuperandæ ſunt difficultates antequam facultatis, quam aggredimur, culmen teneamus. Vnde canebat appoſitè poëta non ignobilis.

Virtutem poſuere Dÿ ſudore parandam.

Scio etiam Bartoli iuriſconſulti celeberrimi pronunciatum in l. 1. C. de Profeſs. non præſumi, poſt vigeſimumprimum ætatis annum quidquam ampliùs à quoquam addiſci poſſe. Hæc, inquam, nota omnibus me non latent. Audeo tamen contradicere huiuſmodi opinionibus, vulgatis licet; aioque Chriſtianæ ſapientiae priuilegium eſſe, vt quicunque ei operam dare voluerit, ita debeat fieri diſcipulus, vt ſtatim ſit magiſter; & ea lege magiſter, vt nunquam deſinat eſſe diſcipulus. Arcanum hoc ex præſenti capite deducit noſter P. Maldonatus, animaduertens eoſdem
D à Chriſto Domino nominari ſimul diſcipulos, & Apoſtolos. *Ante hoc tempus*, ſunt verba Maldonati, *diſcipuli, non Apoſtoli vocabantur: nunc eos Apoſtolos, ideſt miſſos, mittendo, facit, quaſi ex diſcipulis magiſtros*. Hinc argumentum ſumo ad excitandos ſeruorum Dei animos, vt tanta cum humilitate in ſchola Chriſti ſe gerant, quaſi ſemper diſcipuli; tantam praeſeferant in virtutum exercitatione praeſtantiam, quaſi ſemper magiſtri.

Nollem equidem reprehendi, perinde ac ſi nouum aliquid proferrem, cùm id antiquiſſimo Iſaiae vaticinio fuerit prae-

nun-

In ſchola Dei, Chriſti aſſecla diſcipulus ſimul, & magiſter euadit.

nnntiatum cap. 54. num. 13. vbi de Chriſti fidelibus verba faciens, eos deſcribit, his verbis: *Vniuerſos filios tuos doctos à Domino*. Quae verba iuxta ſeptuaginta Interpret. legi debent : *Vniuerſos filios tuos diſcipulos Dei*. Ergo ijdem ſunt docti, & diſcipuli. Quod declarabo illuſtri Caſſiodori dicto, & facto Apellis, trito illo quidem, ſed memorando. Caſſiodorus lib. de Dialect. Ariſtotelem laudaturus, perbellè pronunciauit: *Ariſtoteles, quando librum Perihermenias ſcriptitabat, calamum in mente tingebat*. Sine dubio dicere voluit, principem philoſophorum res ſubtiles, minimèque communes non hauſiſſe ab alijs, ſed proprio marte deſumptas poſteritati tranſmiſiſſe. Sed mihi videtur ſignificare velle, laudem Ariſtotelis ex eo ſumendam, vt ſimul vellet eſſe diſcipulus & magiſter. Calamum tingebat; quòd diſcipuli munus eſt, continenti labore, & ſtudio nunquam intermiſſo vacare facultati, quae prae manibus eſt. Calamum tingere negligit, qui certò credit ſe didiciſſe. Is ſanè, qui ſe metam ſtudiorum attigiſſe arbitratur, putat & attigiſſe laborum. Ariſtoteles ſcribit vt magiſter; quia ſui fœtus ingenij edit in lucem: Et quia labori non parcit, calamum tingens in mente, partes explet diſcipuli. Faciliùs id in Apelle deprehendemus. Hic, vt memoriae prodidit Plinius lib. 35. nat. hiſt. cap 10. nullum ſine linea diem praeterire permiſit; vnde, ſi forte multitudine negotiorum obrutus depingere nequiuiſſet, celebri illa querela lamentabatur : *Hodie nullam lineam duxi*. Sic ſummus pingendi magiſter, veluti rudis picturae tyro, nullam non adhibebat diligentiam, prima veluti picturae rudimenta percepturus. Et nos meminerimus eſſe debere ſimul *doctos à Domino*, & *diſcipulos Dei*. Ex Iſaia.

Apellis dictum non ignobile.

Verùm vnde meliùs, aut ſecuriùs petemus teſtimonium, quàm ab ipſa ſapientia, cuius ſapien. cap. 6. n. 13. illa ſunt verba : *Facilè videtur ab his, qui diligunt eam, & inuenitur ab his, qui quaerunt illam.* Itaque quaeri debet, vt inueniatur. Nimirum, quandiu quaerere non deſiſtes, inuenies. Caue, ne te credas inueniſſe, & quaerere deſiſtas. Sapientiam qui inuenit, magiſter eſt; eandem qui quaerit, nondum fuit è ſchola dimiſſus; vt hinc pateat, ſapientiae caeleſtis ſectatorem diſcipulum ſimul eſſe debere, atque magiſtrum. Id viſus eſt exemplo ſuo velle docere Chriſtus Dominus, cùm duodecim annorum in Hieroſolymitano templo, circumfuſa doctorum corona, eos tanquam auditor erudiendus interrogauit, & ſimul tan-

Diuinam ſapientiam, qui inuenit magiſter eſt ſimul & diſcipulus.

A quam doctor inſtruxit, difficultateſque grauiſſimas, tanta facilitate declarauit, vt admiratione defixi obſtupuerint quotquot aderant. Vnde Lucæ cap. 2. num. 46. *inuenerunt illum in templo ſedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos*. Vide diſcipulum diſcendi cupidum. Et eundem venerare magiſtrum celeberrimum : *ſtupebant omnes, qui eum audiebant ſuper prudentia, & reſponſis eius. Et videntes admirati ſunt*. Immo eadem de cauſa, niſi fallor, ibidem ab Euang. num. 52 dicitur : *Ieſus proficiebat ſapientia*. Is ſcilicet, qui ſummi Patris ſapientia eſt incomprehenſibilis, vſ-

Chriſtus Dominus in templo, diſcipuli & magiſtri vices ſimul exercebat.

B que ad annum ætatis trigeſimum nil aliud dicitur perfeciſſe, niſi ſapientia proficere. Docebat ſiquidem, neceſſe eſſe, vt Chriſtianæ ſtudioſus philoſophiæ, & magiſtri ſimul & diſcipuli, expleat partes. Exemplum aliquod ſatis fortaſſe accommodatum pro præſenti inſtituto, in Ioſeph patriarcha deprehendemus. De eo mihi Ioſeph ſermo eſt virginei trophæa candoris, ex ipſa impudicæ dominæ petulantia, erigente; de eo, inquam, Ioſeph incidit mentio, quem, dum accuſare nititur pellex turpiſſima, miris extulit laudibus. Ait enim Geneſ. cap. 39. num. 14. *En introduxit virum Hebræum, vt illuderet nobis*.

C Audis? Virum appellat, cùm tamen certò conſtet, tunc temporis Ioſeph, primo ætatis vere ridente, tenero iuuentutis flore fuiſſe ſpectabilem. Sicuti ergo non ſine myſterio idem & vir, & iuuenis nuncupatur; ita etiam is, qui diſcipulus eſt, ſimul etiam & magiſter in Dei ſchola eſſe debet. Talem planè, ſe præbuiſſe Ioſephum animaduertemus. Blanditias fœminæ amantis, ſecreto in conclaui prouocantis, dominæ, qua promiſſis allicientis, qua deterrentis minis, vno verbo vires amoris, & impetum furoris adulteræ inſanientis cluſiſſe, & ſuperaſſe raræ virtutis eſt, planèque heroicæ.

Ioſeph in Ægypto Angelicæ puritatis doctor extitit.

D O Ioſeph magiſtrum celeberrimum, & doctorem eximium Angelicæ puritatis! Ne hinc recedas, niſi priùs eundem conſideraueris fugientem, non è manibus ſolùm impudentis mulieris, aut è cubiculo, ſed è palatio auolantem. Conſidera Ioſephum in tam illuſtri victoria ſolicitum, anhelantem, relinquentem pallium; quaſi veſtium pollutarum tanta fœditate conſpectum ipſum formidaret, afflatum perhorreſceret, atque contactum. Non fuit ſatis Ioſepho impudicitiam debellaſſe, quòd perfecti viri eſt; niſi etiam fuga conſuleret ſibi, niſi etiam vitaret aſpectum, niſi etiam congreſſum, & colloquium auerſaretur; quòd incipientium eſt, atque tyronum. Vides quo pa-

Ioſeph, cur vir ſimul & iuuenis appelletur.

cto

ctio, ſicuti idem vir eſt, & iuuenis; ita etiam diſcipulum ſe ſimul probet, atque magiſtrum. O Ioſeph iuuenem, & virum; intrepidum ſimul, & trepidantem; glorioſè vincentem, & inter triumphales laureas de ſua infirmitate timentem; inuictum; & & de hoſte debellato formidantem!

Paulus Apoſtolus agnouit tanti id momenti eſſe, vt Epiſcopi formam traditurus, & quaſi optimi ideam Prælati expreſſurus, ſic ſcripſerit ad Timoth. 1. cap. 3. num. 2. *Oportet Epiſcopum doctorem eſſe*, & ad eundem epiſ. 2. cap. 2. nu. 25. *Oportet Epiſcopum docibilem eſſe*. Ita doctus debet eſſe Chriſtianæ profeſſor perfectionis, vt ſit etiam docibilis.

Chriſtianæ perfectionis profeſſor doctor ſimul, & docibilis eſſe debet.

Sermo Chriſti Domini Matth 5. collatus cum eiuſdem oraculo Io. 4. licet prima ſpecie ſecum pugnans, ſibique contrarius, mirum tamen in modum elucidabit argumenti propoſiti veritatem. Matth. nu. 6. cit. cap. hominibus cæleſtia communicaturus dicebat. *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur*. Apud Io. autem, mulierem alloquens Samaritanam n. 13. inquit: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum*. Vtrobique de Chriſtiana perfectione ſermo eſt. Apud Matthæum enim non de iuſtitia loquitur, quæ peculiaris eſt virtus, tribuens vnicuique ſuum; ſed de ea, quæ omnium complexionem virtutum ſignificat, iuſtitiæ nomine nuncupata. Aqua porrò Samaritanæ inſinuata, ſignificat ſapientiam cælitus nobis communicatam ad bene beatèque viuendum; de qua Eccl. 15. n. 3. *Aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum*. Quomodo ergo non ſitiet in æternum: ſi *Beati* ſunt, *qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam?* Dicere voluit, Chriſtianæ ſapientiæ aquam reſtinguere quidem humanarum cupiditatum ſitim, adeò vt animus, huiuſmodi perfuſus aqua, fluxa, & caduca ſitire nequeat in æternum; ita tamen, vt, dum reliquarum rerum extinguit ſitim, accẽdat ſui. Quò plùs ſunt potæ, plùs ſitiuntur aquæ iſtæ diuinæ gratiæ; quia ſapientia huiuſmodi erudimur ita, vt vlteriùs erudiri, & doceri cupiamus.

Diuina ſapientia quò plùs ſcitur eò plùs ſititur.

Eo planè modo (ſi libeat exemplum ſumere à vilioribus) quo in profana ſcientia feciſſe accepimus Baldum iuris prudentiæ commendatione celeberrimum, qui cùm ſeptem ſupra quadraginta annis Ius Ciuile docuiſſet, cùm feudales libros commentarijs illuſtraret, in præfatione operis ſic ſcripſit: *Quod ſi ex parte aliquid didicerim, tamen in comparatione latitudinis intellectus, profectò nihil me intellexiſſe agnoſco*. Quid nobis dicendum, quid ſentiendum eſt, qui A Chriſtianæ philoſophiæ operam damus, qua nulla facultas amplior eſt, aut nobilior? Quadrat hoc loco monitum Senecæ philoſophi de tranquillitate ſcribentis: *Puto multos ad ſapientiam peruenire potuiſſe, niſi putaſſent ſe perueniſſe*. Si perueniſſe te putas, nunquam peruenies ad lauream Apoſtolicæ perfectionis: talis debes eſſe doctor, vt ſemper memineris te eſſe diſcipulum.

Quandoquidem verò, quales debeant eſſe, qui Chriſti Domini ſcholam frequentant, in præſenti inueſtigamus; nemo expreſſiùs, aut clariùs id docere nos poterit, quàm ipſemet magiſter Chriſtus, eo præ- B ſertim in loco, vbi, ex profeſſo ſapientiæ ſuæ præcipua iaciens fundamenta, vt quæcunque dici poſſent, in compendium redigat, ſic habet Io. cap. 13. n. 34. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos*. Miror fraternæ dilectionis mandatum nuncupari nouum.

Charitatis præceptum cur à Chriſto nouum dicatur.

An non ipſis ſcriptæ legis modò, ſed etiam naturae inſtitutionibus fraterni amoris præcepta traduntur? Num antiquis temporibus licuerat fratrem odiſſe? Abſit. Sicut enim nemo tam impius fuerit, qui ita ſenſerit; ita nemo tam rudis eſt, qui id ignoret. Cur ergo dicitur ab eo, qui nec C decipi poteſt, nec mentiri; *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos*. Fallor, niſi dicere voluit, ſemper nouum eſſe debere mandatum charitatis; & conſequenter omnia Chriſtianæ ſapientiae praecepta; quae ad charitatem reducuntur. Praecepta cuiuſuis diſciplinae diſcipulis, & tyronibus noua ſunt: at verò eruditis in ea facultate, & doctoribus noua eſſe non poſſunt. Ergo volt Chriſtus Dominus ſtudioſos philoſophiae ſuae ſemper eſſe diſcipulos, qui praeceptum charitatis, tanquam nouum reſpicere debeant. Eoſdem, ſine dubio, vult eſſe ſimul magiſtros ſapientiſſimos, & doctores D celeberrimos; cùm disertè declaret, *vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos*. Nulla dilectionis norma praeſtantior, lex nulla poteſt eſſe perfectior charitatis, quàm ſi talis ſit inter nos, qualis erga nos fuit amor Chriſti. Do verba Origenis hom. 9 in num. *Dicit: Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem; cùm, vtique, ſciret olim datum eſſe mandatum in lege. Sed quoniam charitas nunquam cadit, nec mandatum charitatis aliquãdo veteraſcit. Hoc, quod nunquam veteraſcit, ſemper nouum eſſe pronunciat: ſemper enim obſeruantes, & cuſtodientes in ſe charitatis mandatum, nouos reddit in ſpiritu*. O miram Chriſtianae philoſophiae laudem! vt qui, tanquam

Charitatis diuinæ præceptum nũquam veteraſcit.

quam doctores maximè verſati ſint in ſummis difficultatibus, ijs prima præcepta obuia, & facilia, tanquam præcepta ſibi noua, quaſi diſcipulis incipientibus ſint. Socrates in humana philoſophia non vltimus dicere ſolebat, vt Laërtius in eius vita auctor eſt; *Hoc vnum ſcio, me nihil ſcire*. Etiam in homine ethnico recognoſce, quid contendam: videlicet ſapientiae ſtudioſum debere quidem eſſe præſtantem; ita tamen, vt, quaſi diſcipulus rudis, nihil ſe ſcire arbitretur, & profiteatur.

Ita Deus ſua nobis communicat, vt maiora ſemper communicanda remaneant.

Et is ſanè antiquiſſimus videtur fuiſſe mos Dei; quippe cùm ſe, & ſua mortalibus communicare voluit, ita communicauit, vt ſemper meliora laterent: quò mens hominis ſciendi cupida excitaretur ad ſtudium, & ad inquirendum id quod reſtabat, vehementiùs impelleretur. Videlicet, quia Deus vult nos, in cæleſtium rerum notione, ſapientes, ac veluti doctores, ideo Diuinitatis ſuæ aperit arcana; & quia etiam vult nos eſſe diſcipulos, plura retinet intra cortinas Diuinitatis petenda à nobis pijs precibus, & ſanctis operibus indaganda. Quod notauit Zeno Veronenſis ſubtili indagatione examinans, quod legimus dictũ à Deo Gen. 1. n. 8. *Faciamus hominem ad imaginẽ, & ſimilitudinem noſtram*. Sic autem habet ſer. 2. in Geneſ. *Cùm de ſe dixerit Deus, ego ſum, qui ſum, & non demutor, quid eſt, quòd ait: faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram? Cùm hoc ita ſit, homo quemadmodum Dei imaginem portat? cuius vultus paſſibilis, omni conuerſioni ſubiectus, momentis omnibus demutatur, labore, ætate, languore, ira, gaudio, triſtitudine; totque induit vultus, quot animi fuerint motus, nulluſque prorſus dies, qui iugiter ſibi ſimilis eſſe videatur. Cum hæc aliter non ſint, ergo ne Dei imaginem non habemus? Habemus planè, & quidem manifeſtam ex eo ipſo, quòd non eſt nobis portantibus nota*. Attendenda diligenter hæc vltima verba. Scimus imaginem Dei, & ſimilitudem nobis inditam: qualis autem hæc ſit, quid à nobis requirat, quæ noſtræ ſint partes, diligenti ſtudio inueſtigandum eſt. *Dei imaginem habemus ex eo, quòd non eſt nobis portantibus nota*. Quod certiſſimè ſcimus, Deo reuelante, en ſapientia magiſtro digna: Id nobis notum non eſt; en in quo labor diſcipuli deſudare debet. Et hæc fortaſſe ratio eſt, cur idem Deus non ſolùm primis parentibus vetuerit, ne de arbore ſcientiae boni, & mali comederent; ſed addiderit etiam pœnam capitis omnium grauiſſimam. Gen. 2. n. 12.

A *De ligno ſcientiæ boni, & mali, ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*. Videlicet ita Deo diſponente comparatum eſt, vt homines ſciant quidem diuina, ita tamen, vt ſemper ſuperſit addiſcendum. Sapienter Seneca epiſ. 76. initio: *Tandiu diſcendũ eſt quandiu neſcias, & ſi prouerbio credimus, quandiu viuimus, &c. Tandiu diſcendum eſt quemadmodum viuas, quandiu viues. Ego tamen hic & aliquid doceo. Quæris quid doceam? Et ſeni eſſe diſcendum*. Ardor diſcendi non niſi exacto vitae curriculo extinguendus. Morte morieris, cùm arbitraberis nihil ſupereſſe quod diſcas de ſapientia caeleſti.

Diſcendi ardor perpetuus eſſe debet, & non niſi morte extinguendus.

B Solon certè grauiſſimo laborans morbo, mox expiraturus, audiens in circunfuſa amicorum corona aliquos inter ſe diſceptantes, caput è puluinari extulit, vegeta adhuc aliquid de nouo addiſcendi cupiditate, in ſummo deficientis naturae diſcrimine: quemadmodum his verbis ſcribit Valerius Maximus lib. 8. cap. 7. *Solon, aſſidentibus amicis, & quadam de re ſermonem inter ſe conferentibus, fatis iam preſſum caput erexit. Interrogatuſque, quapropter id feciſſet, reſpondit; Vt, cùm iſtud, quicquid eſt, de quo diſputatis, percepero, moriar*. Intelligebas ò Solon, ſapientiae ſectatori eundem finem eſſe debere

C diſcendi, atque viuendi. Pudeat Chriſtianos, hoc eſt, caeleſtis ſapientiae ſtudioſos, profanae philoſophiae magiſtros inueniri, qui ardore diſcendi ad extremum vſque ſpiritum profiteantur ſe eſſe diſcipulos, cùm nos vix primis imbuti inſtitutionibus ſanctioris vitae, quaſi iam rude donati dedignemur erudiri.

Communis ſanè Sanctorum Patrum ſententia eſt: indicium nullum certius inueniri quempiam Chriſtianae perfectionis ignarum eſſe, quàm ſi eam ſe optimè callere arbitretur. Is profectò in virtutum Chriſtianarum adeptione profecit, qui ita eas tenet, vt in ijs comparandis laboret,

D ac ſi plurimum ſuperſit, quod diſcat. Quod ſummum Dei magni ingenium voluit in ſacris literis adumbrari: Conſule cap. 49. Geneſ. num. 15. vbi in benedictione Iſſachar apponuntur hæc verba: *Suppoſuit humeros ſuos ad portandum*. Tum lege 1. Paral. cap. 12. n. 32. vbi filij Iſſachar dicuntur *viri eruditi*: quorum alij non modò admirabantur ſapientiam, ſed conſilium ſequebantur. Immo lib. 2. Paral. c. 17. Amaſias conſecratus Domino dicitur, quia erat doctor. Notat autem, Sanctus Hieronymus, fuiſſe Amaſiam ex tribu Iſſachar, hoc eſt laborum patientis. Videlicet qui in ſacra cæleſtis ſapientiæ ſchola doctoratus obti-

Diuinæ ſapientiæ magiſtri nunquam ab illius ſtudio debent ſeriari.

obtinent lauream, vel magiſtri dignitatem conſequuntur, nequaquam ſibi feriandum exiſtiment à ſtudiorum labore; ſed maiori quàm antea conatu operam ponant, vt doctiores in dies euadant, atque eruditiores. Compono ſimul Salomonem cæleſtis commendatione Sapientiæ toto terrarum orbe clariſſimum; & Senecam inani Stoicorum arrogantia tumidum: vt ex iſtorum comparatione pateat clariùs, quo pacto perfectionis Chriſtianæ, hoc eſt, ſupernæ philoſophiæ profeſſores, cum ſumma ſapientia ardorem diſcendi, qui diſcipulorum eſt proprius, iungere debeant nexu inſeparabili. Lib. 3. Reg. c. 3. 7. & 9. Deo per ſomnium non promittenti modò, ſed B. excitanti, vt quidquid liberet, liberè peteret; aſſerentique certò, fore, vt conſequeretur, quod vellet, in hunc modum Salomon dicitur reſpondiſſe: *Et nunc Domine Deus tu regnare fecisti ſeruum tuum pro Dauid patre meo: ego autem ſum puer paruulus, & ignorans egreſſum, & introitum meum, &c. Dabis ergo ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſſit, & diſcernere inter bonum, & malum*. Audiant qui ſe credunt in via perfectionis vltimam ſapientiæ metam attigiſſe. Salomon quo nullus ſapientior, ſapientiæ non modò lauream, ſed medullam à Deo hauſturus petit *cor docile*. Vel ex Hebræa lectione C *cor audiens*, ſeu, *cor cum auribus*. Videlicet vero verius eſt, in Dei ſchola docto-

Summa ſapientia in Chriſtianæ perfectionis ſchola cum ardenti diſcendi deſiderio quàm bene coniungitur

Salomon Senecæ Stoicorum principi præfertur.

A rem eſſe non poſſe, qui ſimul etiam auditor non ſit. E contrà ridenda Stoicorum ſuperbia ampullas proijcit, Epiſt. 5. ſic ſcribente Seneca: *In hoc gaudeo aliquid ſcire, vt doceam*. Doctrinam iactat; & dum ait, ſe ita ſcire, vt doceat, declarat profectò, ſe ſcire ſolummodo, vt ſciatur. Is verò, qui è Chriſti ſchola magiſter eſt; dicat potiùs: In hoc gaudeo aliquid ſcire, vt diſcam: adeò, vt dum doctor, & magiſter eſt, ſemper meminerit ſe diſcipulum etiam eſſe, & auditorem; ne ea poſſit obiurgatione reprehendi, qua S. Paulus Romanos reprehendebat cap. 2. num. 21. ſic ſcribens: *Qui ergo alium doces, te ipſum non doces*. Qui alios doceant multi ſunt; ſed qui, dum ſe tanquam aliorum doctores gerunt, ſe ipſos agnoſcant diſcipulos, fortaſſe non multi reperiuntur. Audi S. Proſperum: *Bene docere, & male viuere, quid aliud eſt, quàm ſe ſua voce damnare*.

Eximia Chriſtiani doctoris laus, ſcire vt diſcat, non vt doceat.

Plura habes pro hoc eodem argumento apud P. Franciſcum de Mendoza tom. 2. in lib. Reg. cap. 3. num. 28. Annot. 5. circa lit. ſect. 2. & praecipuè à num. 6. & deinceps.

Videatur P. Didacus de Celada de benedictionibus Patriarcharum in cap. 26. Geneſ. verſ. 5. §. 178.

Poſſet etiam videri P. Didacus de Baeza in Euang. hiſt. tom. 3. lib. 14. cap. 16. §. 7.

IN CA-

precio, nulla commutatione aeſtimari: Sola quippe ſui pretium, & merces virtus eſt.

Quod quidem planum adeò, & abſque controuerſia certum eſt, vt disertè ſcripſerit Seneca Epiſt. 113. in fine his verbis: *Doceat me, quàm ſacra res ſit iuſtitia, alienum bonum ſpectans, nihil ex ſe petens, niſi vſum ſui &c. Non eſt quòd ſpectes, quod ſit iuſtæ rei præmium maius, quàm iuſtum eſſe.* Sed longè melius exemplum Abrahami, & autoritas Ambroſij docebunt nos huiuſmodi veritatem. Gen. 14. num. 22. reijcit Abraham oblata à rege Sodomorum munera, verbis illis memorandis: *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum, poſſeſſorem cæli, & terræ, quòd à filo ſubtegminis, vſque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua ſunt.* Debellauerat Abraham, exemplo fortitudinis ſingulari, quinque reges, eorumque fugatis debellatiſque copijs, fratrem Lot aſſeruerat in libertatem. Tam praeclari facinoris mercedem, opulentam praedam, & oblatam à rege, & aequo marte acquiſitam dedignatur accipere, ſciens rei iuſtae praemium nullum maius, quàm iuſtitiam eſſe. Accommodatiùs in hunc modum de hac re loquetur Ambroſius lib. 2. de Abraham c. 8. *Minus mirabile faceret, ſi ſequutus promiſſum Dei, eſſet hoſtem adorſus. Propoſitum piæ mẽtis, mercedem non expetit: ſed pro mercede habet boni facti conſcientiam, & iuſti operis affectum. Anguſtæ mentes inuitẽtur promiſſis, erigantur ſperatis mercedibus.* Nimis humiliter de virtute ſentit, qui aliam poſtulat virtutis mercedem, praeter ipſam virtutẽ.

Nulla maior merces pro virtute reperitur quàm ipſa Virtus.

Rapiunt me in admiratioñẽ promiſſa illa Sponſi caeleſtis, quibus dilectæ ſuæ animũ deuincturus, aiebat Cãt. 4 n. 8. *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano; veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonũ, de montibus pardorũ.* Nouum ſanè, planèque inauditũ coronae genus, ex Leonum cubilibus, ex pardorum montibus contexendae. Credebam amãtiſſimæ ſponſæ de excelſo ſanctitatis libano euocatae, vel virginitatis gẽmea, vel charitatis aurea, vel multiplici lapidum pretioſorum contexta corona præ omnibus carum caput exornandum. Audio tamen: *Veni de libano ſponſa mea veni de Libano; veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus pardorum.* Amana, Sanir, & Hermon montes ſunt Libano vicini, vel, vt alij malunt, eiuſdem Libani partes ſunt, vt in hunc locum aduertit P. Io. Mariana. Ex monte Amana, vt docet Lyranus, populus Dei in

Exercitatio virtutum corona eſt præſtantiſſima.

A promiſſæ terræ proſpectu, tanto perfuſus eſt gaudio, beatam illam Paleſtinæ regionem perluſtrans oculis, vt præ lætitia conſertis coronis, ſerta ſibi impoſuerit. Ignari fortaſſe præfigurabant Iſraëlitæ, fore vt in lege gratiæ ſola ſpe patriæ cæleſtis, ac promiſſæ recordatione beatitudinis texerent ſibi coronas Chriſti fideles, quibus ipſi, vel ſpei, vel amoris, vel cuiuſcunque piæ affectionis actus coronam nectunt, capitique imponunt diadema omnium pretioſiſſimum. Quaerant alij coronas pro reportatis victorijs, pro hoſtibus profligatis, pro ſeruatis ciuibus, obſidionalem, muralem, ciuicam, aliamque ſimilem habeant

B in pretio, qui mundo famulantur: nobis, qui Deo ſeruimus, ipſum virtutis exercitiũ corona eſt, ſertumque præſtantiſſimum. Quod ipſum Sponſi cæleſtis allocutio declarat enucleatiùs, dum ſpondet: *coronaberis*, non modò *de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon*; quia ipſum conſcendiſſe montem perfectionis, ſua tempora corona circumcinxiſſe eſt: Verùm etiã coronaberis *de cubilibus leonum, de montibus pardorum*; quia viciſſe leones indomitos prauarum cupiditatum, fregiſſe vires, rabiemque domuiſſe turpium affectionum, pardorum inſtar in noſtram animam ſæuientium, coronã texuiſſe eſt, qua nulla

C neque ditior cogitari poteſt, neque nobilior. *Veni de libano ſponſa mea, veni de libano, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonũ, de montibus pardorum.* Aut, ſi placet ſenſum ſequi literæ, dicamus hoc modo: De capite Amana, hoc eſt, non de quacunque mõtis parte, ſed de ſumma, quæ meritò capitis nomine nuncupatur; non, inquã, de quacunque montis parte, ſed de ea in qua leones, & pardi cubilia poſuere: quia videlicet cùm pauci eò conſcendant, vel ob ferarum metum, vel ob cacuminis prærupta altitudinem, ſunt flores intacti; ac proindè ad coronas conficiendas aptiſſimi. Videli-

D cet non gẽmæ è cæli regionibus ſunt quærendæ ad cingendum corona caput dilectæ Dei, quæ ſi ſe extollat à ſordibus terrenarũ affectionum, flores habet quibus coronetur. Nullum ſanè tam accommodatum virtutis eſt ſymbolum, quàm flos: nec quicquam tam congruenter dicitur, quàm cùm pronunciatur, huiuſmodi floribus coronari virtute præditum: quia ſola virtus ſui corona eſſe poteſt. Quò ſpectaſſe viſus eſt Dauid ſuo illo tam ſancto, tamque ſapienti de Chriſto Domino vaticinio Pſalm. 131. num. 18. vbi & ſanctitatem flori comparat, & eiuſdem præmium ſanctitatis, per coronam ijſdem compa-

Virtus rectè flori comparatur.

T ctam

A ctam floribus exprimit, ſi Hieronymo credimus; ſic enim habet breuiſſimè, & ingenioſiſſimè; *Super ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea*. En in flore color viuidus ſanctitatis. Rurſus ex Hebræo leges: *Efflorebit Nazaræatus meus*, aut cũ Hieronymo, *Corona mea*. Nempe corona Chriſtianae virtutis ex ipſo virtutis flore compacta, atque contexta, ſibi pretium eſt, atque ornamentum.

Probè teneo paradoxum, huic noſtro ſimillimum, pronunciatum fuiſſe à M Tullio Cicerone parad. 2. vbi ſic de virtute decernit: *Virtus ad beatè viuendum ſe ipſa eſt contenta; & qui virtutem habet, nihil illi deeſt ad beatè viuendum.* B Quæ pro præſenti argumento ſatis accommodatè dicuntur: Cùm enim beata vita laborum ærumnarumque ſit præmium, ſit profectò perſpicuum, ſibi ipſi præmium eſſe virtutẽ, quæ ſibi ipſi ſufficit ad beatitatem. Scio, inquam, hoc Ciceronis effatum: ſed ſcio etiam, ab eo proferri minimè potuiſſe, pro ſanctae adeò confirmatione veritatis, teſtem tantae auctoritatis, quantae ille eſt, quem modò ſum in medium allaturus. Salomon is eſt, Sapientiae cap. 7. (ſequor enim Salmeronis, Pinedae, aliorumque ſententiam, huius libri autorem eſſe Salomonem) quo autore, vt concludamus C quod contendimus, ponamus ex vna parte imperia, thronos regios, diuitias, theſauros, ſanitatem corporis, pulchritudinem, omnem denique proſperitatem: in altera verò parte conſtituamus ſolam virtutem. Hic ego incorruptorum ſuffragium iudicum vellem audire, qui ferrent ſententiam pluris nè virtus ſola ſit aeſtimanda, quàm reliqua omnia bona? vt facta electione eius, quod maiori pretio dignum eſt, viueremus felices. Huiuſmodi, inquam, iudicum votum libentiſſimè audirem. Sed Senecam audio ep. 31. ſcribentem his verbis: *Quid votis opus eſt? fac te ipſe felicem; facies autem, ſi intellexeris bona eſſe, quibus admiſta eſt virtus*. D Ergo ſi ſola virtutis admiſtio facit bona, votis profectò non eſt opus, cùm luce ſit clarius, reliquis omnibus anteponẽdam eſſe virtutem. Neceſſe eſt igitur vt iniqui, ineptique rerũ æſtimatores habeantur, qui rebus reliquis, puta diuitijs, honoribus, voluptatibus virtutem non modò comparant, ſed poſtponunt. Ea ſanè virtutis præſtantia eſt, vt nullo poſſit pretio æſtimari. Propterea cit. cap. n. 7. & ſeq. ſic loquitur Salomon. *Venit in me ſpiritus ſapientiæ* (ideſt ſpiritus prudentiæ, virtutes reliquas nexu miro complectens) *& præpoſui illã regnis, & ſedibus: & diuitias nihil eſſe duxi &c. Super Salutem, & ſpeciẽ dilexi illam.* Cùm igitur ea Salomone neque regna, neque ſedes, neque diuitiæ, neque omnium collectio bonorum pretium par virtuti faciant: & ex alio capite, iuxta Ciceronem, virtus ipſa ſibi beatam faciat vitam, quis non videat virtutis præmium eſſe, atque mercedem, ſolam virtutem?

Virtus ſe ſola contenta eſt.

Vera Virtus adeo præſtat vt nullo pretio poſſit æſtimari.

Perfecit id cumulatiſſima cum laude Daniel coram Chaldæorũ principe, quemadmodum declarauit eloquẽtiſſimus orator, & Antiſtes ſanctiſſimus Chryſoſtomus in expoſit. pſ. 95. vbi tractans illa verba Danielis c. 5. n. 17. *Munera tua ſint tibi*. loquitur cum rege Baltaſſare, qui Danieli B opulentiſſima obtulerat munera, pro explicatione characterum, quos nemo legere nouerat, aut interpretari: *Et dona domus tua alteri da: ſcripturam autem legam tibi Rex; & interpretationẽ eius oſtendam tibi*. Quibus prophetæ verbis addit Chryſoſt. cit. *Et quod erit interpretationis præmium? à Deo merces veniet. Quin potiùs hoc ipſum mihi veritatis præmium, interpretari veritatem, ac pietatem, quæ infamatur, vendicare.* Digna ſanè Daniele oratio, & digna Chryſoſtomo figura correctionis. Ne ab ipſo quidem Deo virtutis exoptanda, aut expetenda merces eſt, cum virtus ipſa ſibi ſufficiat abundè: C *Quin potiùs hoc ipſum mihi veritatis præmium, interpretari veritatẽ, ac pietatem, quæ infamatur, vendicare* Venit in mentem ingenioſum illud reſponſum datum Demetrio à Stilpone philoſopho. Cùm enim Demetrius Megaram occupaſſet, (vt ſcribit Plutar. de inſt. liberor: & de tranquillitate animi) Stilponem interrogauit: num quis militum aliquid rerum abſtuliſſet. *nullũ*, reſpondit Philoſophus; *quia neminem vidiſſet, qui ſcientiã, ſapientiamue rapuiſſet.* Videlicet Stilponis iudicio, nullus diuitiarum cumulus poteſt cum ſapiẽtia cõparari. Quantò æquiùs, quod Philoſophus de ſapientia dixit, nos affirmabimus D de virtute, quae ſine dubio vera ſapientia eſt, cui quidquid comparetur, licet pretioſum, nihili tamen eſt faciendum; ſola quippe ſibi merces, & praemium virtus eſt.

Nullæ diuitiæ poſſunt cum virtute comparari.

Huc fortaſſe reuocandum eſt oraculum illud Chriſti Domini, virtutem cum luce cõparantis Matt. 5. n. 16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona.* Prætermitto rationes multas, & ingenioſas à ſanctis Patribus allatas, cur luci potiſſimum comparetur virtus: vnus Philo ſit mihi inſtar omnium in praeſenti; inueſtigans enim cur luci ſimilis ſit virtus, lib. 2. legis allegor. *Quia, ait, propter ſe ipſam ſolam, non propter quid-*

Virtus cur luci comparetur.

quam

quam aliud expetitur. Hoc enim Dei lex iubet, virtutem propter ſe ipſam colere. Dignum Chriſtiano homine axioma. Nullius ancilla mercedis, nullius famula præmij virtus eſt, ſui gratia tantùm quærenda, & expetenda ea eſt, quæ ſola beare poteſt, & nullius ſolutione mercedis compenſari. Perbellè conſentire nobiſcum animaduerto regem Dauid, qui ſic ingenioſè non minùs quàm piè exclamat pſal. 38. num. 2. *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiſcit, & deficit anima mea in atria domini.* Summa votorum tanti regis hæc eſt, vt videat tabernacula Domini, & in atrijs Domini conſiſtat. Putabam penetralia, cubicula, receſſus intimos exoptandos. Miror tamen earum Deo caput contentum eſſe atrijs, quæ ſolent eſſe obuia omnibus, & viliſſimis etiam hominibus communia. Quid ſibi velit hoc loco Dauid, audi ex S. Hieronymo his verbis: *Alij deſiderant poſſeſſiones, alij iſtius ſeculi diuitias, alij gloriam aliquam habere apud homines: mihi hoc ſolum deſiderium eſt, videre tabernacula Domini; illa mihi dilecta ſunt, vbi congregatio virtutum eſt. Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini: hoc eſt ſolum deſiderium, hic ſolus amor meus, vt videam atria tua: de atrio enim intramus in domum.* Diſce ex Hieronymo, nec poſſeſſiones, nec diuitias huius ſeculi, nec gloriam cum virtute comparandam, haec enim adeò omnibus praeſtat, vt cum illis nequeat comparari. Ego interea notatu dignum cenſeo, atria Domini, & tabernacula, Dauidi eſſe in amoribus, quia ibi *congregatio virtutum eſt:* Haec amoris eſt cauſa, hic deſiderij ſomes, haec eſca voluntatis. Non retributio, aut merces proponenda eſt, vt hominum animi inflammentur ad virtutem; virtus quippe ſui ditiſſima merces, & praemium eſt locupletiſſimum. Praeter atria, & tabernacula, non alium quaerit paradiſum ſanctus Rex, ſat beatus ipſa ſtatione, in qua virtutes inueniuntur, & exercentur. *Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini: quia ibi congregatio virtutum eſt.* Haec autem virtutis praerogatiua, de qua agimus, nota adeò, atque perſpecta eſt, vt Seneca ethnicus philoſophus diſertè ſcripſerit ep. 81. *Virtutis pramium cum ipſa eſt: itaque fecisse rectū, facti merces eſt.* Sed longè meliùs Auguſtinus definiuit. Cùm enim nullum praemij genus ſit praeſtantius, aut optabilius ipſa beatitudine, eam virtus, non pariat, ſed ſecum ferat beatitudinem, ſui profectò merces eſt; quippe quae non expectet, ſed donet beatitatem.

Virtus propter ipſam ſolam, non propter aliud expetenda eſt.

Felix Beatitudo, vbi virtus reperitur.

A Accipe Auguſtinum in pſal. 32. num. 12. *Beata gens, cuius eſt Dominus Deus eius*, his verbis diſſerentem: *Omnes beati eſſe volunt; non autem erunt, niſi illi, qui iuſti eſſe voluerint. Et ecce neſcio quis, vt mala faciat, vult beatus eſſe: Vnde? ex pecunia, ex argento, & auro, ex prædijs, fundis, domibus, mancipijs, pompa ſeculi; honore volatico, & perituro: habendo aliquid volunt eſſe beati. Beatitudo meta laborum eſt, & merces humana mortalitatis optatiſſima.* Pende illa verba: *Omnes beati eſſe volunt; non autem erunt, niſi illi qui iuſti eſſe voluerint.* Iuſtitiæ nomine omnium complexio virtutum intelligenda eſt, quam qui tenuerit, fruitur beatitudine: Vſque adeò veritati conſonum eſt: *Virtutis premium cum ipſa eſt: itaque fecisse rectum, facti merces eſt.* Huius rei veſtigium aliquod reperio inter memorias antiquorum. Accepimus etenim ex Plinio, nullam fuiſſe certam materiam, ex qua triumphantium coronæ componerentur: ſed ſolenne erat, triumphantium capita circūcingere contextis corollis ex ijs, quibus debellata regio abundabat magis, licet viles eſſent herbæ atque ignotæ: arbitrabantur ſiquidem, non aliunde pretioſius ornamentum, ad decorandam triumphantis pompam peti poſſe, quàm ex ipſo triumphi loco. Verba Plinij lib. 22. c. 6. ſunt: *Nec herba fuere certa in hoc honore, ſed quacunque fuerant in periculi ſede, quamuis ignobiles, ignotaque, honorem nobilem faciebant.* Triumphamus, quoties exercitatione virtutum, hoſtium vires infringimus: vnde ergo triumphi corona ſumenda? ex qua materia diadema conficiendum? Vtique ex ipſa actione virtutis. Quemadmodum enim herbae, licet ignobiles honorem nobilē triumphanti faciebant, quia pullulabant in ea regione, in qua victoriam reportauerat triumphator; ſic etiam multò aequiùs, non ex loco in quo virtus exercetur, ſed ex ipſa virtute ſertum texendum eſt, vt honorem faciat nobilem, dignumque triumphatore.

Beatitudine fruitur, qui virtutes amplectitur.

B

C

Vnde olim triumphantibus conflabatur diadema.

D

Innuit id Sanctus Paulus ad Timotheū ſcribens c. 2. epiſ. 2. n. 8. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitia, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.* Meliùs fortaſſe dixiſſet: repoſita eſt mihi corona gloriæ, ad inſinuandam ſpem retributionis: aut certè, corona beatitudinis, aut corona immortalitatis: ſed nil tale: *Repoſita*, inquit, *eſt mihi corona iuſtitiæ.* Quaſi nihil ſit, quod aptiùs coronam componat, quae praemium ſit virtutis, quàm virtus ipſa. Iuſtitia, hoc eſt virtutum complexio, non aliam habet mercedem, quàm ex ipſa iuſtitia.

Iuſtitiæ aeternum diadema ex ipſamet Iuſtitia componitur, & fabricatur.

A ſtitia. Coronam iuſtitiæ non lumen gloriæ, non cæleſtis felicitas, ſed ipſamet iuſtitia componit, & fabricat. Neque modus eſt loquendi inuſitatus, ſi dixerimus ipſam virtutis exercitationẽ nil aliud eſſe quàm coronam virtutis. Sanctus Hieronymus ſanè epiſ. 41. ad Ruffinum de Bonoſo loquens ſic habet: *fruatur ille virtutis corona, & ad quotidiana martyria ſtolatus agnum ſequatur*. Qui in Chriſti ſchola viuit, toties coronam ſibi imponit, quoties exercet virtutem. Intellexit id particeps ſecretorum Dei S. Iob. Vnde c. 31. n. 35. & 36. dicebat: *Quis mihi det, vt librum ſcribat ipſe, qui iudicat; vt in humero meo portem illum, & circundem illum, quaſi coronam mihi*. Quærant alij ex auro, gemmiſque diademata; mihi, inquit Iob, ſatis eſt præferre fronte librum Dei manu conſcriptum. Dei lex, & traditæ nobis in ſacris literis Chriſtianæ virtutes, ipſæ nobis coronam facient pretioſiſſimam: Pretioſiſſimam dico, ex auctoritate Salomonis cap. 3. Prouerb. verſ. 15. vbi de virtutis præſtantia ſic loquitur. *Pretioſior eſt cunctis opibus*, vel iuxta lectionem Hebræorũ, *Pretioſior eſt cunctis margaritis*. Non poterat clariùs declarare virtutem nullo pretio compenſari: margaritæ etenim reliqua pretio vincere credebantur. Vnde Clemens Alexandrinus lib. 2. pædagog. cap. 12. *Maximi* inquit *pretij margarita*. Et Plinius lib. 9. cap. 35. *Principium, culmenque omnium rerum pretij margaritæ tenent*. Ergo cunctis margaritis pretioſior virtus, ſola ſibi coronam ſe dignam componit.

Virtutum exercitatio corona eſt præſtantiſſima omnium

Philo, & Tacitus, ſcriptores non ignobiles, à propoſitionis noſtrae veritate minimè diſſentiunt. Philo etenim lib. legis allegoriarum ſic habet. *Hoc lex iubet, virtutem propter ipſam colere. Itaque ſtudioſos virtutis, tanquam nummos examinat recta ratio, vtrum vitium habeant, anima bona referendo ad res externas; an proba moneta ſint, conſeruando ea in ſola anima*. Virtus gratia ſui eſt, nec vllo vendenda rerum externarum pretio, cùm ſola ſit pretium ſui. Tacitus ſimiliter de eadem re breuiùs, ſed non minùs accommodatè: ſcribens enim lib. 2. Annal. de Germanico nepote Tiberij loquitur in hunc modum. *Poſt ingentem victoriam, congeriem armorum ſtruxit, ſuperbo eum titulo: Debellatis inter Rhenum, Albimque*

Nullus eſt theſaurus, qui virtutis poſſit eſſe merces.

B *nationibus, exercitum Tiberij Cæſaris ea monimenta Marti, Ioui, & Auguſto ſacrauiſſe. De ſe nihil addidit, metu inuidiæ, an ratus conſcientiã facti ſatis eſſe*. Ponde hæc vltima verba. Arbitrabatur fortaſſe Germanicus, & meritò non aliud præmium petendum, aut optandum ei, qui præclara geſſiſſet: cùm maximum haberi debeat præmium à ſapientibus viris, præclara perficere potuiſſe. Hæc cùm ita ſe habeãt, quàm palmarem virtuti iniuriam inferũt, qui eam, vel inanis gloriolæ cupiditate, vel turpis lucri pretio exercent. Virtus venalis non eſt, nec vllus tam diues theſaurus eſt, qui poſſit merces eſſe virtutis,
C quae ſola ſui pretium, & praemium eſt. Vnde egregiè ſcripſit Sanctus Ambroſius in pſal. 72. ad finem: *Imitatores Chriſti, non propter ſpem boni ſunt, ſed pro amore virtutis*.

Videatur P. Didacus de Baeza tom. 3. com. in Euang. hiſt. lib. 14. cap. 19. §. 7. Et idem de Chriſto figurato lib. 5. cap. 10. §. 5.

IN GA-

IN CAPVT DECIMVM

A Num. 11. ad 14.

In quamcunque autem ciuitatem, aut caſtellum intraueritis, interrogate, quis in ea dignus ſit: & ibi manete donec exeatis. Intrantes autem in domum, ſalutate eam, dicentes: Pax huic domui. Et ſi quidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam: ſi autem non fuerit digna, pax veſtra reuertetur ad vos.

PARADOXVM III.

Beneficus in pauperes, dum dare videtur, accipit.

HIERONYMO interprete, diſcipuli iubentur interrogare, quis dignus ſit hoc ab illis accipere beneficium, vt apud eum hoſpitiũ habeant. Nimirũ excepti hoſpitio Apoſtoli conferebant potiùs beneficium, quàm recipiebant. *Interrogate, quis in ea dignus ſit.* Eodem quoque videntur reſpicere, quæ ſequuntur. Primò enim præcipit Chriſtus Dominus, ne mutent hoſpitium; quod primum hoſpitem offenderet. Deinde prædicit bonorum omniũ cumulũ, quo cum Apoſtolica benedictione eſt perfundenda domus illa, quæ Euangelij miniſtros excipit. Bona omnia, quæ pacis nomine continentur, euenient domui hoſpitatrici: ſecus verò hoſpitium dare renuenti. Hinc ego ad excitandos hominum animos auaritia conſopitos, occaſionem ſumam demonſtrandi, beneficam in pauperes largitatẽ efficere, vt dum

C quis, profuſa bonorum ſuorum largitione, erogare illa videtur; re ipſa congreget; quique in pauperes Chriſti diſpergit, accipiat multò plura, quàm donet. Id ſi euicero, vigebunt procul dubio hoſpitij iura in ſubſidium deſtitutorum; fluet largior diuitum liberalitas in commodum pupillorum; paratior inuenietur erogatio facultatum ad viduarum, inopum, calamitoſorum ſolatium, atque leuamentum.

Ingenioſo planè loquendi modo, & pleno emphaſi vtitur Theodoricus rex, ep. 4. lib. 1. Caſſiodori, data ad ſenatum Vrbis Romæ, de eiuſdem Caſſiodori virtutibus, inter quas liberalitatem commendaturus, ait: *Tanta patrimonij ſui vbertate gloria-*

D *tus eſt, vt inter reliqua bona, equinis gregibus principes vinceret, & donando ſæpiùs, inuidiam nominis non haberet. Hinc eſt, quòd candidatus noſter Gothorum ſemper armat exercitus, & bono inſtituto melior, quod à parentibus accepit hereditaria largitate cuſtodit.* O largitatem, cuſtodem egregiam diuitiarum! Aurea vox cedro digna, & immortalitate: patrimonium non minuit, ſed auget; non diſſipat, ſed amplificat, qui illud *hereditaria*, dicamus meliùs, Chriſtiana *largitate cuſtodit.* Teſtem habeo, petitum ex dialogis Magni Gregorij, Bonifacium, eleemoſynis in pauperes, quàm Ferentinæ ciuitatis epi-

Largitas in pauperes egregia eſt diuitiarum cuſtos.

copatu celebriorem. Hic, florenti ætate, cùm domeſticum horreum frumento exhauſiſſet, vt opem ferret inopiæ indigentium; cùm id mater animaduertiſſet, & fœmineis eiulatibus profuſâ plus æquo filij largitatem lamentaretur, Bonifacius, breui præmiſſa ad Patrem munerum prece, dictò citiùs matri eodem in horreo copioſiorem, quàm antea, frumenti vim tradidit: præclaro ſanè documento, ſeu potiùs perenni monumento, augeri, dum videntur minui, quæ in pauperes erogantur. Gregorius lib. 1. Dialog. cap. 9. ſic habet. *Die quadã horreum ingreſſa* (mater ſcilicet Bonifacij) *penè omne triticum, quod ſibi in ſtipendium totius anni præparauit, inuenit à filio ſuo pauperibus erogatum. Cumque ſemetipſam alapis, pugniſque tunderet, quòd quaſi anni ſubſidia perdidiſſet, ſuperuenit Bonifacius puer Dei, eamque verbis, quibus valuit, conſolari cœpit. Quæ cum nihil conſolationis admitteret, hanc rogauit vt ab horreo exire debuiſſet, in quo, ex omni eorum tritico, parum quid, inuentum eſt remanſiſſe. Puer autem Dei ſe ſe illic protinus in orationem dedit. Qui poſt paululum egreſſus ab horreo matrem reduxit, quod ita tritico plenum inuentum eſt, ſicut plenum antè non fuerat, cùm mater illius totius anni ſumptus ſe congregaſſe gaudebat. Quo viſo miraculo compuncta mater, iam ipſa cœpit hortari, vt daret, qui ſic celeriter poſſet quæ petijſſet accipere*. Sic ſic augentur domeſtica bona, dum in pauperes diſtribuuntur.

Christiana largitas patrimonium auget, non minuit.

Verùm quia miracula faciliùs admirationem mentibus ingerunt, quàm animos excitent ad ea imitanda, quæ refugit ſuopte ingenio imbecillitatis humanæ conditio, ſatius erit è ſacris petita literis rationum momenta proferre, quibus intelligamus, bene merentem de pauperibus, profuſa eleemoſynarũ largitione ſe vera plura accipere, quàm det, dum ſua largitur ad leuandam inopum calamitatem. S. Paulinus epiſt. 42. ad Seuerum poſt medium, memorata Euangelici centurionis hiſtoria, quam narrat S. Lucas, obſeruat, obtinuiſſe à Domino ſanitatem; quia teſtes habuit beneficentiæ ſuæ. Num. 5. cit. c. aſſerunt ſeniores: *Diligit gentem noſtram, & ſynagogam ipſe ædificauit nobis*. Par igitur fuit, vt ſanitatem filij impetraret. Quo non emenda pretio filij ſalus? aut quæ non ſoluatur merces pro redimendo à mortis tyrannide tam caro pignore? Vides, quàm diuitem fructum centurio propter excitatam ſynagogam reportet? Audi Paulinum: *Ad promerendam filij ſanitatem, eò potiſſimum mereri valuit, quòd*

Centurionis largitas filij ſanitate compenſatur à Christo.

A *plebs Domini (quæ tunc adhuc in Iudæis tantùm erat) illi de ſynagoga ædificata teſtimonio ſuffragata eſt*. Attende, quid hinc inferat Paulinus. *Quid igitur miſeri nunc quieſcimus oſcitantes, & quaſi non conducti mercenarij in tumultuoſo huius ſeculi foro vacua manu ſtamus?* Igitur qui cum centurione ſua largitur in ſeruos Dei beneficus, dona vberiora, & quouis emenda auro, tanquam debitam mercedem expectet & expetat. Ego interea cum eodem Sancto Antiſtite exclamabo. *O miſeri homines: largiri nos aliquid credimus; negotiamur*. Negotium enimuerò omni lucro ditius, ab omni infortunio tutum, nulla quæſtus ſordidi labe commaculatum.

Pauperibus largiri lucrari eſt.

B Claritis S. Petrus Chryſologus, exponens illa verba Chriſti Domini Lucæ 12. num. 33. *Facite vobis ſacculos*, ſic ait ſerm. 23. *Nouo modo, immo cæleſti modo, qui hunc audit, vendendo comparat, recondit erogando, dum amittit, acquirit. Quàm cupit pecuniam perdurare, perpetuare ſacculos diuitiarum, condita permanere, qui dicit: facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt!* Adeſte diuitiarum amatores, accurrite auari, quotquot congerendis facultatibus adlaboratis, adeſte: ſacculis recondit pecuniam ſuam, qui dat, diſperditque pauperibus. Concludo Chriſtum Dominum alloquens eiuſdem Chryſologi verbis; *Sacculos imperas, vt auarus, dum conſueta percurrit ad lucra, aut virtutem capiat, aut capiatur à virtute*. Aut certè ſi ad Chriſti lyceum venire recuſant, qui tenentur amore diuitiarum, cùm teneant Chriſtum magiſtrum eſſe paupertatis, adeant Salomonem regum ditiſſimum, & congregandorum theſaurorum peritiſſimum; quo magiſtro facilè perdiſcent modum conſeruandi diuitias augendique. Clamat Salomon Prouerb. 6. num. 6. *Vade ad formicam, ò piger*. Ego ſanè huius itineris à Salomone imperati ducem ſequar Hugonem Carenſem, qui audito præcepto eundi ad formicam, ſtatim addit: *Vt addiſcas ab ea ſapientiam, quæ grana detruncat, ne germinent, vel putreſcant. Sic debet quilibet ſuperflua reſecare, & dare pauperibus, ne ſimul omnia reſeruata putreſcant*. Heu inconſultam diuitum auiditatem! Vtinam intelligerent, recondere ſacculis eum, qui pauperibus erogat, & dum videtur eleemoſynarum largitione amittere, acquirere ditiora eum, qui egenorum conſulit neceſſitati. Diſce à formica, & ne putreſcant, ac pereant bona, quibus abundas, indigentibus ſunt diſpergenda.

C

D

Eleemoſynarum largitor erogãdo acquirit, & ditior fit.

Nec me pœnitet dixiſſe diſpergenda

eſſe,

Eleemoſyna ſemen eſt quod ſparſum multiplicatur.

eſſe, quæ à diuitibus ſunt eroganda; quo- A niam non modò à regio vate hunc loquendi modum accepi, pſal. 111. num. 9. *Diſperſit dedit pauperibus*: verùm etiam, quia magnam in eo inuenio emphaſim, ad aperiendum, quod proſequor. Propriè quippe loquendo, diſpergi, ſpargique dicuntur ſemina; vt hinc manifeſtum fiat, inſtar ſeminis ſpargi, quod in pauperes diſtribuitur. Semina dum ſparguntur, videntur proijci; ſed re vera, qui ſeminat plura expectat à terra, quam dat, licet larga manu profundere videatur. Huc reſpicere volebat Agapetus Diaconus, *Vnum*, inquiens, *regis & agricolæ* (dicamus nos, vnum benefici in pauperes, qui vtique B cùm imitetur mores, dignus eſt etiam nomine regis) *Vnum* (verba Agapeti) *regis & agricolæ ſtudium, vna cura eſt, congregare: hic quidem ſerit frumentum, ille verò beneficia ſerit.* Serit, dùm proijcere creditur, qui munificus eſt; ideò, *recondit, erogando: dum amittit, acquirit*, ex Chryſologo. Et Chryſoſtomus à Cornelio infra citando, relatus. *Eleemoſyna*, inquit, *dicitur ſemen, quia non eſt ſumptus, ſed reditus*. O quàm largam ſegetem congregat ſibi, qui manu promptà donat! multiplicata vtique collecturus. In hanc gratiam eleganter Caſſiodorus lib. 3. Variarum Epiſt. 29. ipſo initio: *Quis neſciat noſtrum eſſe commodum ſupplicantis ad quæ-* C *ſtum? & illud bonis principibus creſcere, quod benigna poſſint largitate præſtare? Hæc ſunt enim regia dona, quòd ſemina ſparſa in ſegetem coaleſcunt, in vnum coacta depereunt. Optamus ergo munera multis collata diuidere, vt poſſint vbique noſtra beneficia pullulare.* Attende, non ſolùm ſeminis inſtar plura reddi benefactori, quàm ab eodem dentur; verùm etiam perpende verba illa, *in vnum coacta depereunt*. Conſonant enim oraculo Salomonis: *Vade ad formicam — Vt addiſcas ab ea ſapientiam, quæ grana detruncat, ne* D *putreſcant*. Qui diuitiarum ſuarum pauperes facit participes, ſerit, vt congreget; ſecus qui recondit vt ſeruet; coacta ſimul depereunt, & putreſcunt. Inſurgit in hos, auditores accenſurus ardens incendio charitatis Iacobus Apoſtolus cap. 5. epiſt. ſuæ, num. 1. & 2. *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miſerijs veſtris, quæ aduenient vobis: diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt. Aurum, & argentum veſtrum æruginauit*. Ineuitabile ſupplicium auarorum eſt, vt diuitijs, quarum amore depereunt, ſpolientur; cùm bona ſua malint putreſcere adſeruata, quàm communicata, ſeminis inſtar, fructu multiplicato germinare: *Bonorum fructus munerum*, ſcribit S. Ambroſius lib. de Naboth. cap. 7. *in eos ipſos qui contulerint, reuertuntur; & gratia liberalitatis in auctorem boni operis redit*. Videndus eſt idem Ambroſius lib. cit. cap. 6 & 7. vbi plura pro hoc argumento: interea ad alia propero.

Diuitum bona in vnum coacta pereunt, in pauperes diſperſa creſcunt.

Creſcunt mirum in modum, & ſupra quàm dici, aut credi queat, multiplicantur diuitiæ, quæ in paupertatis præſidium diſtribuuntur. Cùm enim à Deo ipſi donemur ijs, quæ pauperibus elargimur, iuxta oraculum Euangelicum Matt. cap. 25. num. 40 *Quandiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*; mirum videri non debet, ſi longè pluribus augeamur, cùm erogamus. Certè Geneſ. cap. 8. num. 20 leges, *Ædificauit Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocauſta ſuper altare*. Attende iam quid hinc conſequatur; nempe imperium Dei, quod ſequenti cap. num. 1. exponitur in hunc modum: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*. In Dei ſchola conſequens neceſſitas eſt, vt multiplicetur quidquid Deo donatum eſt. Mactantur à Noë in Dei obſequium animantia: igitur eorundem animantium numerus debet augeri. Quicunque itaque pauperi dare renuit, detrahit ſibi: augentur effuſa in pauperes liberalitate bona, quæ conſeruata marceſcunt. Chryſoſtomus hom. 17. in Geneſ. ſentit pro nobis, monetque hac conſiderata multiplicatione, in hunc modum: *Diſcamus hodie, quàm beneuolus, & quàm gratæ animæ fuerit Noë, & vnde is ſe ſibi vberiorem Dei erga ſe beneuolentiam eleuerit. Nam quando Deus aliquem gratum videt, qui beneuolus eſt de prioribus, largiùs, & cumulatiùs ſua in illum dona profundit*. Habes certum, habes egregium, habes diuinum multiplicandæ rei familiaris modum: Cumulatiùs in te amicum cælum ſua dona profundet, ſi te viderit munificum largitorem. Ipſe etiam Seneca epiſt. 119. ſcripſit: *Neminem pecunia diuitem fecit*. Quaſi vellet, diuitias eſſe, largiri, & non conſeruare pecuniam.

Quidquid Deo pauperibus erogando largiris, multiplicatur.

Quid ni liceat ab ethnicis, & quod mirabiliùs eſt, à barbaris erudiri? Licet profectò. Apud Arabes in more poſitum eſt, eleemoſynam petentem offerre daturo munuſculum aliquod, ita vt qui dat eleemoſynam, largiendo aliquid accipiat. Hanc mihi conſuetudinem conſideranti attentiùs viſi ſunt rem ſuam vtiliter agere diuites, cùm nil donent, quin recipiant; generosè verò ſe gerere pauperes, cum

Arabum mos in eleemoſynis elargiendis.

pudeat

A pudeat eos quicquam accipere, quin ſtatim retribuant. Heu, quàm barbarum eſſet, & ab humanitatis lege alienum, ſtipem egenti, petenti, & quaſi mercedis loco præſens munus retribuenti denegare? Quàm bene ſuaſit pauperibus Arabiæ fames, cæteroqui male ſuada, vt munuſculis allicerent, & quaſi compellerent diuites ad promptam erogationem! O nos feros, ac ferreos, quos ſi non tangit commiſeratio egenorum, mouere certè deberet propriæ illicium vtilitatis. *Arabes*, ſic ſcribit Augerius Buſq. epiſt. 3. *non paſſim, nec ab omnibus mendicant, ſed veſpere prætereuntibus ſebaceam candelam, malum*

B *citrinum, vel punicum obtrudunt, vt nummum, qui duplo, triplóue pluris ſit, recipiant, & vendere potiùs quàm turpiter rogare videantur.* Dans eleemoſynam quæſtuoſum genus negotiationis exercet recipiendo, & congregando, dum erogare videtur, atque largiri. Verùm pudeat nos à barbaris diſcere, quod luculenter ſacrarum literarum monumenta ſuppeditant. Prochorus Chriſti diſcipulus tom. 1. Bibl. PP. in hiſtor. S. Io. Apoſt. cap. 21 in fine, de Myrone, ſic ſcribit. *Myron autem ſecundùm Apoſtoli præceptum, pauperibus, & egenis ſua diſtribuebat, & multiplicabat ei Deus omnia, quæ in Domo ſua erant.*

Eleemoſynarum largitio genus quoddam negotiationis eſt.

C Quod ſanè mirum eſſe non debet, poſt latam Euangelicam legem, cùm longè antè in Sarepthana vidua fuerit exploratum, de qua lib. 3. reg. cap. 17. n. 9. Cuius quandò incidit mentio, non poſſum ſilentio inuoluere, quod didici ex Chryſoſtomo dignum planè animaduerſione. Aluerat Dominus vatem ſuum Eliam dapiferi corui miniſterio inaudito; & quaſi admirabilius miraculum facturus, Eliam ad pauperrimam viduam mittit, vt ab ea alimentum acciperet is, cui coruus deſierat panem porrigere. Cit. cap. num. 9. Imperat Deus his verbis: *Surge, & vade in Sarepthà Sidoniorum, & manebis ibi; præcepi enim*

D *mulieri viduæ, vt paſcat te.* Subſiſto cum Chryſoſtomo hom. 2 de Elia, examinans poſtrema verba: *vt paſcat te:* Quomodo Eliam paſcet, quæ ſe, & filium ſuum ob ſummam inopiam, paſcere nequit? Quin potiùs in maximâ annonæ caritate feliciſſima vidua ab Elia paſcetur: quandoquidem, propheta Dei recreato pia viduæ eleemoſyna, & farina, & oleum creſcent in dies perennitate indeficiente. Nimirum indigentium neceſſitati qui præſto eſt, conſulit ſibi; & rei familiaris non timet anguſtias, qui etiam de paupere penu ſtipem emendicantibus ſubminiſtrat. Audi Chryſoſtomum *Viduæ filios Dominus per*

Rei familiaris nô timet anguſtias qui de paupere penu ſtipem emēdicantibus ſubminiſtrat

A *Eliam paſcit. Fidelis fœneris, quod erogat, accipit; quod donat, ſumit.* Diſce à vidua, plura accipi, quàm conferantur ab eo, qui ſemel pauperem alit, vt ſemper alatur: Diſce Chriſtiana largitione accipi, dum erogatur; ſumi, dum donatur. O amicos, ô caros, ô fideles fures dixerim pauperes, qui non modò quod ſumunt, ſed longè plura donant, ac diuturniora.

Placet ingredi domum Abrahami, qua ſicuti lautior, & opulentior nulla, ita nulla in pauperes liberalior, aut profuſior. Veniunt obuiam accedenti propiùs domini non ſerui, cùm tamen numeroſiſſimo gaudeat famulatu: numerat nempe vernaculos trecentos decem & octo Geneſ. 14.

Abrahami domus admirandæ hoſpitalitatis exemplum.

B num. 14. Res mira! ex tot famulis nullus occurrit: occurrunt tamen filij, & parentes familias. O quàm officioſa vrbanitas! ô benignitas quàm amica in excipiendis hoſpitibus! Ita planè accidiſſe dicitur Geneſ. 18. à num. 2. vbi exponitur, quàm promptè, quàm alacriter, quantoque cum gaudio, & Abraham inuitat, & Sara miniſtrat, & Iſmaël famulatur: tota, vt ita dicam, è ſuis ſedibus euulſa domus occurrit, vt nihil beneuolentiæ, obſequii nihil in hoſpitum gratiam prætermittatur. Et Abraham quidem non excipit modò aduenientes, sed ſuo egreſſus tabernaculo,

C pertranſeuntes humillimis demeretur obſequijs: *Cucurrit*, verba textus, *in occurſum eorum, & adorauit in terram. Et dixit: Domine ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum.* Quid, obſecro, carius, humanius, optabilius? Superſunt tamen maiora. Omnes arcentur famuli à tanti miniſterio hoſpitij; Saræ & Iſmaëli gerendæ rei prouincia demandatur; filius, & mater familias cum Abrahamo Domino miniſtrant hoſpitibus; cùm generoſi Abrahæ ingenuitas nil in eo famulatu ſeruile pateretur: ſic n. 6. cit. cap. Sara, operoſa celeritate, tribus ſimilæ ſatis panes fecit ſubcinericios: ſic num. 7.

D Iſmaël vitulum tulit, & coxit: Verba tex. *Feſtinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera tria ſata ſimilæ commiſce, & fac ſubcinericios panes. Ipſe verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditque puero: qui feſtinauit, & coxit illum.* In hunc locum Hebræi apud Lyranum aiunt: *Iſte puer, fuit Iſmaël filius Abrahæ, cui pater tradidit cibum parandum, vt eum aſſuefaceret hoſpitalitatis operibus.* Nimirum ſatis diues parabat filio patrimonium Abraham, animum eius hoſpitalitatis inſtitutionibus imbuendo; Abraham quippe theſaurum ſe credi-

dit

Hoſpitalitas in pauperes ingẽs theſaurus.

dit inueniſſe, cùm prætereuntes domeſtico licuit excipere hoſpitio. *Videas*, exclamat Chryſoſtomus hom. 40. *in extrema ſenecta iuuenilem alacritatem, & ſenem quaſi iuuenem exultantem, & putantem ſe inueniſſe theſaurum quendam, hoſpitum aduentu*. Præclarè, vt video, tecum agitur Abraham, cui datur agnoſcere, theſaurum inueniri, oblatis pro reficiendis hoſpitibus ſimilaccis panibus. Proh quale pretium! pro cocto vitulo ditari theſauro. Acutè rem tetigiſſe videtur Ambroſius lib. 1. de Abraham, cap. 5. *Bonus maritus*, inquiens, *exortem religioſi muneris eſſe non patitur vxorem, nec auarè ſibi totum munus vſurpat*. En cur Saræ vxori imperat, vt miniſtret hoſpitibus: ne videatur auarus. Scilicet, cùm plura reportet quàm donet, qui liberalis eſt in religioſae charitatis muneribus obeundis, auaritiae meritò reprehendi poſſit Abraham, ſi inuenti theſauri Saram nollet habere conſortem. Hinc Chryſoſtomus iterum hom. in dictam Pauli, *Oportet hæreſes eſſe*, de Abraham mentionem faciens, repetit: *Accurrebat, miniſtrabat, dominos appellabat, theſaurum innumerorum bonorum ſe inueniſſe putabat, ſi quando hoſpitem videret prætereuntem*. Et dubitabis, num ſumptus, an cenſus ſit, de ſuorum penu bonorum pauperibus elargiri?

Occurro tacitæ obiectioni, quæ fieri poſſet à cupidis diuitiarum. Occurro autem ratione, & oratione, ſanctiſſimi, & eloquentiſſimi Cypriani, in orat. de opere, & eleemoſyna, ſic diſſerentis: *Si vereris, ac metuis, ne ſi operari plurimùm cœperis, patrimonio tuo larga operatione finito, ad inopiam redigaris; eſto in hac parte intrepidus, eſto ſecurus: finiri non poteſt, vnde in vſus Chriſti rependitur, vnde opus cæleſte celebratur. Non hoc tibi de me ſpondeo: ſed de ſanctarum ſcripturarum fide, & diuinæ pollicitationis autoritate promitto: loquitur enim per Salomonem Spiritus Sanctus, ac dicit: Qui dat pauperibus, nunquam egebit, qui autem auertit oculum ſuum, in magna penuria erit; oſtendens miſericordes, atque operantes egere non poſſe, magis parcos, ac ſteriles ad inopiam poſtmodum deuenire*. Copioſè ſatis & dilucidè. Verùm quia doctrina licet clara ſit, eſt tamen difficilis humanæ mentis rudi imbecillitati, ſimilitudine eſt explananda. Hanc autem accipio ex ſacrorum oratorum maximo Chryſoſtomo hom. 7. in Epiſt. ad Romanos, his verbis allatam. *Quemadmodum, cùm argentum puerulo quis donat, iubet diligenter, vt vel aſſeruet, vel famulo aſſeruandum credat, vt non poſſit quiſquis voluerit, illud eripere: ſic ſanè, & Deus factitat. Da enim, inquit, indigenti, vt ne quis abs te auferat, aut calumniator, aut diabolus, aut fur, aut poſt hos omnes, mors*. Non deperit largitori quidquid pauperi datur; ſed infortunijs, ſed furibus, ſed caſui eripitur, vt Domino reſeruetur. *Metuis*, interrogat iterum modò laudatus Cyprianus *Metuis, ne patrimonium tuum fortè deficiat, ſi operari ex eo largiter cœperis? Quãdo enim factum eſt, vt iuſto poſſent deeſſe ſubſidia vitæ? Danieli, in lacu, ad leonum prædam, iuſſu regis incluſo, prandium diuinitus apparatur, & tu metuis ne operanti tibi, & Dominum promerenti deſit alimentum? Vnde hæc incredula cogitatio? vnde impia, & ſacrilega iſta meditatio? quid facit in domo fidei perfidum pectus?* Tu, ne notam perfidiae ſubeas, verſa ſedulò, quod definitum fuit à S. Petro Chryſologo ſerm. 8. de eleemoſyna, videlicet, *Manus pauperum eſt gazophylacium Chriſti, quia quicquid pauper accipit, Chriſtus acceptat*. Cùm autem ex Chriſti inſtitutione, & boni negotiatores, & trapezitae quaeſtuoſi eſſe debeamus; conſequens ſine dubio eſt, vt non ſine ſpe fructus, noſtras diuitias in gazophylacio reponamus. Propterea, ne lucro fruſtremur, licet nobis plura repoſcere, quàm repoſuerimus; vt iam omnem extra controuerſiam ſit, & exploratum, quod initio proponebam: Beneficum ſcilicet in pauperes, longè plura, quàm donet, accipere; licet largiri, & profundere videatur.

Pecunia, quæ in Chriſti vſus rependitur finiri non poteſt.

Nõ deperit largitori, quod pauperibus erogatur.

Manus pauperis Chriſti gazophylacium eſt.

Videatur P. Cornelius à Lapide in epiſt. 2. ad. Corinth. cap. 9. verſ 10.

Videatur P. Didacus de Baeza tom. 3. de Chriſto figurato lib. 6. cap. 3. §. 12. & eodem lib. cap. 8. §. 3. & 13.

IN CAPVT DECIMVM

A Num. XIV. ad XVII.

Et quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros : exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris. Amen dico vobis : Tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die iudicii, quàm illi ciuitati. Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Cauete autem ab hominibus.

PARADOXVM IV.

Violentia ineluctabilis, & monſtroſa metamorphoſis, ex conſuetudine improborum.

Vlyſſes à Pallade in ſenem deformatus.

NON tam fabuloſa fuit Homerica illa virga, qua Pallas Odiſſeæ 13. & 16. Vlyſſem è formoſo iuuene, erepto iuuentæ flore, pallidum deformauit in ſenem; quàm perniciosa eſt violentia, quàm monſtrifica transmutatio, ex conſuetudine hominum improborum. Propterea periculorum prouidus prouiſor Chriſtus Dominus non ænigmatū inuolucris inſinuat, ſed apertiſ-

C ſimè, diſertiſſimèque pronunciat, quanta ſint incommoda à ſceleſtorū familiaritate manantia, monetque, ſumma diligētia curandum tanto malo remedium. Quid tàm damnoſum, quàm Sodomæis, & Gomorrhæis fieri deteriores? *Tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die iudicij*. Ne his ſe commiſceat Chriſti diſcipulus, animaduertere debet diligentiſſimè : *Cauete autem ab hominibus*, hoc eſt ſceleſtis; homo enim homini lupus: *Mitto vos ſicut oues in medio luporum*. Hinc fit vt tantopere commendetur prudentia ad vitandas inſidias, quibus improbi decipere ſolent incautos : *Eſtote pru-*

Homo homini lupus.

D *dentes ſicut ſerpentes*. Mandatur inſuper ſimplicitas, vt ſolo morum candore delectemur : *ſimplices ſicut columbæ*, abhorrentes ab omni ſorde corruptæ prauitatis. In primis autem aduertendū, iuberi Apoſtolis, vt puluerem excutiant, ſi quos adeò inuenerint deprauatos, vt nolint ſe ſe reducere ad bonam frugem, contempta Chriſtianæ inſtitutione doctrinæ : *Exeuntes foras de domo, vel de ciuitate excutite puluerem de pedibus veſtris*. Nimirum, ex Auguſtini ſententia, quæſt. 7. in Matt. vt oſtenderent, ſe nihil cum eis habere velle commune, quos deprehenderent à recta viuendi ratione alienos. Tanto videlicet

Apoſtoli puluerem excutiūt ad omnimodā ſeparationē

delicet ſtudio, talique conatu *Dei* ſerui debent à ſceleſtorum abhorrere conſortio. Et iure quidem; monſtroſa quippe, ſupra quàm dici queat, mutatio, & vis planè ineluctabilis ea eſt, quam infert cõſuetudo hominum flagitioſorum. Quid enim tam nouum, tam inſolens, tam inauditum, ac monſtroſum, quàm homini, cuius libertatis iura ſacroſancta ne Deus quidem violare poteſt, aut infringere, tantam afferre violentiam, vt flagrantiſſimè appetat, quod maximè refugit, & ardentiſſimè velit quod abhorret vehementiſſimè: adeò vt à ſe ipſo in alium tranſeat, ſuæ proditor formae, non alio veneficio, quàm initae cum improbis amicitiae. B Id ſi demonſtrauero in praeſenti, meo me muneri feciſſe ſatis exiſtimabo; impetraturus ſine dubio, vt cum Apoſtolis, & ſerpentis vtamur prudentia, & candore columbae niteamus; &, quod caput eſt, ne perditiſſimis ciuitatibus peiores ſimus, excuſſo etiam à pedibus puluere, nullum omnino cum peccatoribus commercium admittamus.

Exemplum Vlyſſis, licèt petitum è fabulis poëtarum, non pudet tamen afferre; cùm elegantiſſimè, tum à S. Paulino, tum à Caſſiodoro proponatur. Et Caſſiodorus quidem lib. 2. variarum epiſt. 40. poſt medium ſic habet: C *Sirenas in miraculum cantaſſe, curioſa prodit antiquitas: & quamuis nauigantes fluctus abduceret, carbaſa ventus inflaret, eligebant ſuauiter decepti ſcopulos incurrere, ne tantam paterentur dulcedinem praeterire. Quibus ſolus Ithacus euaſit, qui nautis ſolicitatorem protinus obſtruxit auditum, contra noxiam dulcedinem. Cogitauit vir prudentiſſimus feliciſſimam ſurditatem; & quam vincere intelligendo non poterat, melius non aduertendo ſuperabat. Se verò ſoliditati arboris cõſtrictis nexibus illigauit, vt & famoſos cantus liberis auribus probare potuiſſet, & pericula dulciſona vocis, vnda rapiente, vinctus euaderet.* D Quotquot in mortalitatis ſalo nauigamus, abducimur inuiti, ſi aures praebeamus; dũ refugimus, trahimur; & quod nollemus, appetimus. Vlyſſes ipſe, vir ſcilicet prudens, & cordatus, niſi centenis reuinciatur nexibus, non euadet; & compelletur eò ſe ſe proripere, quod ſummopere auerſatur. Blandiuntur vitiosi homines ſirenum inſtar; *Has*, Paulinus ſcribit epiſt. 38. ad Iouium poſt med. *Has oportet, vltra Vlyſſis aſtutiam cauti, non auribus tantum, ſed & oculis obſeratis, & animo, quaſi nauigio praeteruolante, fugiamus, ne in criminum ſaxa rapiamur, & ſcopulo mortis adfixi naufragium ſalutis obeamus.* Nihil tàm horridum eſt nauiganti, quàm vel in ſaxa impingere, vel adigi ſcopulis, vel naufragio abſorberi; & tamen, licet certò certius ſciamus, ſyrtes, euripos, ſaxa; ad miſerandum abripimur morum integritatiſque naufragium, cùm maximè refugimus, & metu perculſi vehementiſſimè abhorremus. Reluctari tantae violentiae, non ſolius rationis eſt opus, ſed vis vi repellenda eſt, & ne violentiam patiamur, ſimus neceſſe eſt nobis ipſi violentiores.

Vlyſſis conatus ad vitanda oblectamenta Sirenum.

Oblectamẽta abripiunt nolentem.

Vlyſſis imitanda prudentia.

Refero ex Alberto magno lib. 1. mineral. tract. 1. cap. 7. duo digna ſanè memoratu. Primum, ingentem olim arboris ramum, cum auibus in extructo nido cubantibus, ſaeuientis procellae impetu reuulſum, cecidiſſe in proximum mare Danicum, non procul à ciuitate Lubecenſi, ibi lapideum obduruiſſe, nido, auibuſque ſimul in lapides ſolidatis. Alterum, eſſe in Gothia fontem, qui in lapidem vertat, quicquid merſeris: cuius miraculi Fridericus imperator vt certum caperet experimentum, iuſſit, chirothecam ſigillo munitam medio tenus immergi; & quidem poſt aliquot dies partem merſam lapideam euaſiſſe, reliquam, vt erat, remanſiſſe pelliceam. Mira ſunt hæc, non modò ſenſu carentia, ſed viua etiam animantia lapideſcere. At quantò lacrymoſius eſt, ea hominum corda, quae Deo viuebant, ita in peccatis obdureſcere ex conſuetudine ſceleſtorum, vt lapideſcant, non ſecus, ac vel Danico demerſa mari; vel Gothio immerſa fonti migrarint in lapidem. Heu, metamorphoſi quàm degeneri, gratiae emortua hominũ corda in lapides abeunt! Iam facilè intelligi poteſt, cur apud Cretenſes execratio maximè ominoſa ea erat, qua cuipiam imprecabantur, vt mala conſuetudine vti contingeret. Sic refert Valerius lib. 7. cap. 2. inquiens: *Cretenſes, cùm acerbiſſima execratione aduerſus eos, quos vehementer oderunt, vti volunt, vt mala conſuetudine delectentur, optant.* Nihil enim tam dirum, aut noxium; nil tam turpe, aut aerumnoſum, quàm vi nefandae conſuetudinis impellente, monſtroſa metamorphoſi permutari.

Aquae obdurantes in lapides quicquid infunditur.

Friderici imperatoris experimentum.

Cor hominis lapideſcere miſerrimum.

Conſuetudo ſceleſtorum maximum malorum.

Intelligebat id ſpectabilis pulchritudine, ſpectabilior innocentia Ioſeph. Loquor de eo Ioſeph, in ipſo lupanari candoris virginei profeſſore; de quo Geneſ. cap. 39. num. 6. *Erat autem Ioſeph pulcher facie, & decorus aſpectu. Poſt multos itaque dies, iniecit domina ſua oculos ſuos in Ioſeph.* Non vacat myſterio, quòd ſignanter dicatur poſt multos dies oculos in Ioſeph conieciſſe abiecta illa domi-

na

na, quae tam turpiter prauis cupiditatibus ſeruiebat: cur poſt multos dies? An, quia probi mores non ſtatim, ſed longa conſuetudine corrumpuntur? Ita ſanè. At textus non loquitur adhuc de amore, quo nefaria fœmina deflagrauit; ſed monet eam in Ioſeph oculos conieciſſe, non niſi poſt multos dies. Scilicet Ioſeph, cuſtos vigil integritatis ſuae, mira diligentia ſe ſe ab impuris oculis ſubducebat; adeò vt, licèt continuò tractare cogeretur, & quidem domeſticos intra parietes, cum Domina ſua, non tamen ſe ſe eius obtutibus obijceret. Nouerat quippe vim eam ineſſe conſuetudini, vt reluctantem trahat, & monſtroſa metamorphoſi permutet inuitum. Timebat ſibi caſtiſſimus Ioſeph à vi venefica, & ineluctabili violentia conſuetudinis ſceleroſae: Ecquis plus nimio credens ſibi, credere ſe tutum audebit? Ergo face libidinis ſerò exarſit impura domina; quia innoxius adoleſcens fœmineis oculis ſe ſe abducere ſatagebat. *Poſt multos dies iniecit domina ſua oculos ſuos in Ioſeph*. Inſinuare id voluiſſe viſus eſt Ambroſius lib. de Ioſeph. cap. 5. *Cùm eſſet*, inquiens, *decorus aſpectu, & ſpecioſa facie valde, venuſtatem ſui vultus non ad alienam deriuauit iniuriam; ſed ad ſuã reſeruauit gratiam: hoc ſe pulchriorem ratus, ſi non diſpendio caſtitatis, ſed cultu pudoris ſpecioſior probaretur*. Perge, integerrime iuuenum, pudorem cole; reſerua ad augmentum gratiae oris pulchritudinem: perfice praeclarum iſtud tuum ſeruandae integritatis inuentum. Scilicet timet ſibi, & meritò, Ioſeph, non ſolùm ſi aſpiciat, ſed ſi aſpiciatur. Diſce à Ioſeph, eum innocentiae conſulere, qui non ſibi ſolùm, ſed ijs etiam cauet, quibuſcum viuit: fieri enim nullo pacto poteſt, vt cum corruptis innocens perſeueret; cùm ea ſit improbæ violentia conſuetudinis, vt renuentem alliciat, immo vt reluctantem ita compellat, vt, cùm maximè repugnat, impetu feratur citiſſimo in id, quod ſummopere perhorreſcit.

Conſuetudo ſceleſtorum trahit reluctantem

Caſtus pulchrior fit integritate.

Mihi ſanè plenum acumine, & ad morum inſtitutionem accommodatiſſimum ſemper viſum eſt breue illud elogiũ, quo Seneca Burrum commendat his verbis, Neronem alloquens lib. 2. de clemen. cap. 1. *Animaduerſurus in latrones duos Burrus præfectus tuus, vir egregius, & tibi principi natus*. Hic ille eſt Afranius Burrus præfectus prætorij, & primo Neroniani imperij quinquennio, hoc eſt, optimi, laudatiſſimi, aureoque ſeculo digniſſimi principatus, quo tempore Nero familiariſſimè vtebatur Afranio. A Seneca

A conſuetudine proborum, integritas.

igitur lepidiſſimè, & ingenioſiſſimè dicitur: *Vir egregius tibi principi natus*. Quaſi diceret: Nero tandiu princeps optimus, quandiu vſus optimi viri conſuetudine. Dei conſilio factum eſt, vt ad optimum principem conſeruandum ciuis optimus inueniretur, qui eſſet Neroni in delicijs: *Vir egregius tibi principi natus*. Tales quippe vniuſcuiuſque ſunt mores, quales eorum, quibuſcum viuit. Et vtinam maioribus, valentioribuſque non polleret viribus improbitas, quæ non poteſt ſine maximo miraculo non inficere, immo permutare in improbum, ac facinoroſum, quemcumque hominum peccatorum amicæ nexu neceſſitudinis ſtrinxerit, aut colligauerit. Ita Ambroſio viſum eſt, indaganti rationes, ob quas ſummus rerum Dominus Vnigenitum ſuum mortalitatis noſtræ pannoſa veſte indutum, magnifica filij appellatione dignetur, pſal. 40. *Vnde*, verba Ambroſij, *dicit pater: filius meus es tu; ego hodie genui te: hoc eſt generationis meæ in te priuilegium recognoſco, quam nulla macula potuit inquinare peccati; inter peccatores verſatus es, peccatum pro omnibus factus es; ſed nullus vſus potuit ad te tranſire peccati; ita inter peccatores verſatus es, quaſi inter Angelos verſareris*. Ergo ſolius Dei eſt, inter improbos viuere, & improbitate non commaculari. Timeat ſibi humanæ conſcius imbecillitatis, ne ſe conſuetudini credat improborum, ne violentia ſubactus ineluctabili, ita obruatur, vt in alium rapidiſſimè tranſeat, etiam inuitus. Diſce à Nerone, fore te virtutum commendatione ſpectabilem toto eo tempore, quo probis inſtructos moribus habueris familiares.

Sceleſtos inter vitam ducere innocentem non hominis eſt, ſed Dei.

Sed nemo clariùs, aut ingenioſiùs mentem Ambroſij aperire poteſt, aut illuſtrare, quàm ipſe Ambroſius, qui ſemper ſibi ſimilis, vt enucleatiùs pro argumento noſtro diſſerat, quæſtionem proponet, & enodabit lib. 2. de Abraham, cap. 6. Vt ſuauiſſimi, & ſanctiſſimi mentem Archiepiſcopi aſſequamur, nobis reuocare debemus in mentem, quod cap. 13. Geneſ. ſcribitur, vbi num. 1 dicitur Lot cum Abraham aſcendiſſe. *Aſcendit ergo*, verba textus, *Abraham de Ægypto; ipſe, & vxor eius, & omnia quæ habebat, & Lot cum eo*. Rurſus eodem cap. num. 5. fit de eodem Lot mentio; ſed his verbis: *ſed & Lot, qui erat cum Abraham, fuerunt greges ouium*. Vides? de vno Lot, non modò bis mentio fit; ſed ita fit, quaſi duo eſſent, non vnus Lot. Primò enim dicitur Lot ex Ægypto cum alijs aſcendiſſe; & ſecundò, quaſi alter ſit Lot, additur ad

Conſuetudo proborum quantam habeat vim.

notam

notam diſtinctionis; *Lot, qui erat cum Abraham*. An non idem eſt Lot? Ita profectò. Quorſum ergo additur: *qui erat cum Abraham*? Quid ſibi vult inſinuata iſta notitia? Accipe ab Ambroſio reſponſum. *Bene dixit, Lot, qui ambulabat cum Abraham; quia adhuc non elegerat Sodomam, non habitabat cum flagitiorum auctoribus. Poſtea capit habitare cum Sodomis, ideoque quaſi à ſe ipſo mutatus, velut alter accipitur non ſolum à iuſto viro, ſed à ſe ipſo deſciſcens*. Heu metamorphoſim monſtroſam. Deſciſcit à ſe, & mutatur in alterum qui deficit à familiari proborum conſortio. Quot ſunt, qui quanto tempore cum Abraham viuunt, ſancti viuunt, innocentes, impolluti: at ſi recedant ab Abraham, à ſe ipſis mutantur, impurorum conſortio deprauati, ac deformati? Solius Dei laus eſt ita inter deteriora verſari, vt in naturæ ſtatu conſiſtat, nec vlla contagione inficiatur.

Res admiranda viſa eſt Statio Papinio poëtæ non ignobili, auri foſſores in Dalmatiæ montibus colorem natiuum mutauiſſe in pallorem auri; vndè perbellè cecinit lib. Syluarum, Lyrico ad maximum Iunium.

Auri foſſores fiunt auro concolores.

Quando te dulci Latio remittent
Dalmatæ montes? vbi Dite viſo
Pallidus foſſor redit, erutoque
Concolor auro.

In auri foſſoribus factis auro concoloribus, rudibus quaſi lineamentis adumbratum agnoſco, quod ex prauorum conſuetudine nobis contingere lamentatur Ieremias Thren. cap. 4. num. 1. *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus*. Non ſecus, ac foſſores in fodinis longo tempore degentes, communicato ab auro pallore, colorem mutant; probi viri decolorantur nitore virtutis, ex conſuetudine cum peccatoribus inita. Huc Ambroſium traho annot. in cap 8. Exodi, ſic ſcribentem: *Fugienda eſt talium* (loquitur de improbis) *ſocietas, etiamſi aliqua generis copulentur neceſſitudine. Noxiæ ſunt enim conuerſationes cum inſipientibus, & inficiunt ſobriam mentem, & decolorant*. At ſi mutatus color dignus lamentatione, lacrymis dignus habitus eſt à Dei vate; quanto dignior erit fletu amariſſimo, non tantum in extima cute, ſed in intimo corde mutatus color, aut potiùs charitatis calor, hoc eſt, vitæ medulla, & melior hominis pars deformata omninò, & in aliam penitus tranſmutata. Id vt palam faciam,

Colorẽ aureum virtutis mutat neceſſitudo inita cum improbis

A in memoriam reuoco quod ſcribit Maginus lib. 2. de Inſulis Britannicis de ſtagno quodam ſuper Armacanum Hyberniæ Vrbem, in quo ſi hasta lignea in limo defigatur, & poſt aliquot menſes reuellatur, pars luto inhærens in ferrum conuertitur, quæ in aqua detinetur in cotem, reliqua ſupra aquam elata, lignea remanet. Limo autem ſignificari peccata, & limo haerere idem eſſe, ac cum peccatoribus vitam ducere, notius eſt, quam à me dici queat. Vnde de iis, quorum mores lutei ſunt, ſcripſit Pontificum, & ſanctitate, & ordine primus Petrus 2. epiſtol. cap. 2. num. 22. *Quaſi ſus lota in volu*B*tabro luti*. Huic porrò luto, qui inhaeſerit, ex ligno abit in ferrum: Is ſcilicet qui vegeta vita gratiæ creſcebat, *tanquam lignum ſecus decurſus aquarum*, ex 1. pſalm. num. 3. obduratur in ferrum, contumacia, & obſtinatione peccandi. Huc fortaſſe reſpiciebat regum decus, & regni columen Dauid, cùm lamentabatur pſalm. 68 num 3. *Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia*. Siue de denſo auaritiae luto ſit ſermo, vt placet Hugoni Habac. 2. num. 6. Siue de limo loquatur luxuriae, aut ſuperbiae cœno infructuoſo, vt vult Nyſſenus de virg. cap. 8. certum eſt loqui Dauidem C de peccatorum limo, ſterili, turpi, tenaci, in profundo à ſolis calore atque efficacia remoto. Lutulentas porrò inter huiuſmodi ſordes, ſuam ſe amiſiſſe ſubſtantiam conqueritur. *Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia*. Nimirum ex Auguſtino, à noſtro Lorino in hunc locum relato, in peccatoribus, qui propria ſe polluunt voluntate, & lutulenta fœditate commaculant, non eſt ſubſtantia, cùm à prima formatione recedant, mille modis peruersè agendo: non eſt ſubſtantia cùm in peccati nihilum redigantur. Et quia nil in iſtis reliquum videtur eſſe praeter ferream duritiem, & D refractariam obſtinationem, non immeritò dici poterunt in ferrum tranſire ex lutulenta, in qua hærent lacunae limoſae fæce, ac cœno. Heu qualis mutatio, non coloris ſolius, ſed intimæ medullæ, & ſubſtantiæ melioris!

Stupẽda ligni in ferrũ mutatio.

Peccatum lutum.

Sceleſtus in peccatorum limo conſiſtens fit ferreus.

Nec minùs horrenda eſt, & pertimeſcenda violentia ineluctabilis, quam experimur à familiaritate peccatorum. Hanc opportunè inſinuauit Salomon, Auguſtino interprete. *Nunquid* (verba Salomonis Prouerb. 6. num. 27.) *poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant? aut ambulare ſuper prunas, vt non comburantur plantæ*

Côſuetudo peccantium ignis vorâs.

eius? Noſſe deſideras quænam ſit vis conſuetudinis ſceleſtorum? Ea planè, quam habet ignis, quo quid poteſt efficaciùs fingi, quid ardentius, aut promptius ad agêdum? Auguſtinus ſanè ex Salomonis autoritate, ſic ratiocinatur, ſerm. 250. *Qui familiaritatem non vult vitare ſuſpectam, citò labitur in ruinam.* Pende illud, *citò*, nimirum voracis inſtar ignis, æſtuantiſque incendij ſuſpecta familiaritas vrit, inflammat, bacchatur.

Verum qualis ſit iſta de qua loquimur violentia à conſuetudine illata criminuſæ familiaritatis patebit clariùs ex præcepto Dei, Leuitici, cap. 5. n. 2. vbi decernitur in hunc modum: B *Anima quæ tetigerit aliquid immundum, ſiue quod occiſum à beſtia eſt, aut per ſe mortuum, aut quodlibet aliud reptile, & oblita fuerit immunditiæ ſuæ, rea eſt, & deliquit: & ſi tetigerit quidquam de immunditia hominis, iuxta omnem impuritatem, qua pollui ſolet, oblitaque cognouerit poſtea, ſubiacebit delicto.* Quid audio? ergo, autore, & præceptore Deo, ignorantes, & non aduertentes peccant? An non peccati labes ea eſt, quæ non niſi à cognoſcentibus aduertentibuſque contrahitur? An non ignorantia à peccato excuſat? Quid lex caueat, diligenter animaduertendum eſt, C non enim neſcientes, ignoranteſque reos facit contra ius, ſed improbæ vim conſuetudinis inſinuat. Ea namque ſceleſtæ familiaritatis vis, & violentia eſt, vt nolentes quoque inficiat, neſcienteſque, immo etiam reluctantes, atque refugientes. Hauſi id ex ingenioſo Origene hom. 5. in Leuiticum, ſcribente in hæc verba: *Tertia eſt immunditia ſpecies, qua is, qui mundus eſt, ſi aliquid contingit immundum, non tam ſuo peccato, quàm aliena contagione polluitur: vtputa, ſi quis ſocietur amicitijs, & conſortiis hominis liuidi, vel iracundi, vel adulteri, & ipſe quidem non inſeratur ſceleribus eius,* D *videat tamen eum, & intelligat, quomodo fratrem ſuum odit, & homicida eſt: vel quomodo inſidiatur alienæ mulieri; & adulter eſt, &c.* Siſte parumper in ijs verbis: *aliena contagione polluitur*, nempe is, qui, cum pollui ſe non intelligat, immo renuat, & auerſetur, fit tamen immundus conſuetudine pollutorum. Tam valida, tam vehemens tam ineluctabilis violentia eſt ab ea, quam execramur, conſuetudine facinoroſa. *Frequenter*, ſic pro nobis loquitur Ambroſius citatus, *frequenter accidit, vt quis contra propoſitum ſuum intemperantem audiens, cùm velit ipſe continentiæ diſciplinam tenere, fuco*

Iuſti cum peccatoribus conuerſantes alieni criminis rei, & quomodo.

A *inſipientiæ coloretur*. Facit pro re præſenti ſimilitudo à colorando deſumpta, in qua non mediocris ineſt vis, Sicut enim alieno aliquando colore inficimur nolentes; ita etiam toties alienæ colorem nequitiæ accipimus, quoties peccatoribus vtimur familiariter.

E ſacris literis exemplum repeto allatum, & examinatum ab eodem Ambroſio lib. 2. de pœnitentia, cap 8. vbi inueſtigat, quam ob cauſam Iudas patriarcha proferat, & profiteatur Thamar ſe iuſtiorem. Certè Iudas, & Thamar eiuſdem fuerunt participes criminis, vt patet ex textu: cur ergo iuſtior, & innocentior B Thamar pronunciatur? Accipe ex Ambroſio, quid in hac re dicere, quid ſentire debeamus. Sic porrò loco citato loquitur Iudas: *Iuſtificata eſt magis Thamar, quàm ego, fortaſſe adoleſcentula lapſa ſit occaſionibus, quæ delictorum fomites ſunt, decepta, ac præcipitata.* En quàm ineluctabilis eſt vis occaſionis, quæ & decipit, & præcipitat: impetu heu quàm præcipiti deturbamur præſenti oblata occaſione à familiaritate peccantium. *Lex* (dicamus cum eodem Ambroſio) *huius carnis nos trahit in peccatum, vt faciamus quod nolumus.* Iuſtior ne fuerit Thamar, quàm Iudas, dum ipſe teſtatur Iudas; quis C dubitet? nos interea animaduertamus, violentiam ex conſuetudine nefariorum tantam eſſe, vt ea præcipitemur. Excuſari potuit Thamar, quae vim huiuſmodi ignorabat: nos qua excuſatione cenſebimur digni, qui eandem Thamar actam præcipitem non ignoramus? O legem exlegem, ò iniquam, ò tyrannicam legem! quae ita, *nos trahit in peccatum, vt faciamus quod nolumus.* Lamentabatur olim rex Iſrael pſalm. 119. num. 5. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar.* Iuſtus profectò dolor, & plena aequitate querimonia, ſi Cedarenorum, & Arabum D vitam, moreſque ſpectemus, à quibus metaphoram ducit: Cedareni quippe, & Arabes innumeris obnoxiam periculis vitam viuebant, Degebant enim in tentorijs, nullis tuti mœnibus, non recepti aedificijs, ferarum potiùs inſtar palantes, quàm habitantes hominum more, pluuijs, æſtui, frigori, caeli inclementiae, temporum viciſſitudini; tempeſtatum iniurijs, inimicorum incurſibus expoſiti: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar.* Sicut ergo proſequenda eſt luctibus producta cū Cedarenis neceſſitudo, quia eadem ſubeat incommoda neceſſe eſt quæ Cedareni, qui habi-

Familiaritas cum peccatoribus in ſcelera agit præcipitem

Nolentes peccant, qui peccatoribus vtuntur familiariter

Cedareni miſerrimè viuunt.

habitant cum habitantibus Cedar: ita multò magis miſeranda, & luctuoſa eſt inita, & producta cum impijs neceſſitudo; quippe quæ mala omnia, quibus premuntur impij, faciat neceſſariò communia familiaribus ſuis, non ſecus ac cohabitantes cum Cedarenis eorundem tolerant calamitatem. Qui habitant cum habitantibus Cedar, vel nolentes affliguntur: & qui ſceleſtis vtuntur familiariter, A velint, nolint commaculantur. Vides quàm ineluctabilis ſit violentia? Vides, quàm monſtroſa ſit metamorphoſis ex conſuetudine improborum? &c.

Videri poteſt P. Franciſcus de Mendoza tom. 2. in lib. Reg. in lib. primum c. 7. Annot. circa lit. 26. ſect. 1. à num. 9.

Videatur etiam P. Didacus Nyſſenus in Quadrageſ. ſer. 2. Hebdom. 4. Aſſump. 3. & lib. 7. de vita Abraham cap. 5.

IN CAPVT DECIMVM

Num. XVII.

Cauete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos.

PARADOXVM V.

Homini nil nocentius homine.

NON vllæ reperiuntur feræ, feroces adeò, atque truculentæ, vt alternis inter ſe ſæuiant odijs, cognatiſque ſe ſe aut vulneribus petant, aut cædibus perimant. Nō Libyæ vrſæ, non Hyrcanæ tigres, non aliæ quæuis (ſi tamen vllæ ſunt immaniores, D atrocioreſue) belluæ moneri debent, vt à damnis mutuis caueant ſibi. Soli homini indicare, immo indicere neceſſe eſt, vt ab homine caueat. *Cauete autem ab hominibus*. Et quod caput eſt, cùm innumeris morborum, ærumnarum, infortuniorũ caſibus ſubiaceat homo, *multis*, vt deplorabat Iob, *repletus miſerijs*, inter tam diuerſa, tam grauia, tam frequentia, quibus premitur, mala, non ab aegritudinibus, non à paupertate, non ab infortunijs quibuſuis tanta debet cauere diligentia, quanta ab homine ipſo. *Cauete autem ab hominibus*. Quis hinc non intelligat, malum nullum inueniri poſſe, quod hominē laedat grauius homine ipſo? Age, homini nil nocentius homine, euincamus.

Soli homines ſibi mutuo nocent.

C Rem altè cum S. Maximo repetere poſſum, nempe à parente generis humani, & à principe Apoſtolorum. De vtroque ſic ait Maximus ſer. de pœnit. Petri: *Fideles non niſi per mulierem oppugnare diabolus conſueuit: Ibi Adam per Euam ſuperat; hic Petrum vincit per oſtiariam: fuit enim, ſicut legimus, in paradiſo deliciarum diabolus; nec defuit, ſicut intelligimus, in prætorio Iudæorũ; ibi imminebat Satanas ſerpens, hic Iudas coluber perurgebat.* Collige aerumnas omnes noſtrae mortalitatis, quae ex Adami peccato, tanquam è fonte dimanarunt: perpende Petrum è Chriſti vicario periurum, deſertoremque veritatis, & Dei: heu incommoda lacrymis proſequenda! At aufer ab Adamo D contuberninm mulieris; ſeiunge Petrum ab ancillae colloquio; exclude à prætorio Iudam, vno verbo, homines ab hominibus ſepara, & neque in ſuo patre genus humanum; & neque in ſuo principe, Eccleſia quicquam detrimenti patietur. Petrum ipſum appello teſtem, qui citiùs Adamo reſipuit, quia egreſſus foras, hominum relicto conſortio, videlicet mali tanti ablata cauſa, facili negotio ſe ipſum ſibi reddidit, & innocentiae? Adam autem vix Dei voce, vix tot annorum pœnitentia, vix tot ſudorum, laborumque, quos pertulit, magiſterio, recepit ſe ſe ad bonam frugem. Par memorandum, Adam, & Pe-

Comprobatur exēplo Adam, & Petri.

ſtus: vtrumque oppugnat hoſtis antiquus; neutrum expugnat, niſi auxiliares acceſſerint copiæ humanæ ſocietatis. Ab hac recede cum Petro, & nil mali reſtat timendum: in hac, ſi cum Adamo perſeueraueris, tot ærumnas time, quot ſecum tulit exilium à terreſtri paradiſo.

Cur Iſraelitæ fuerint prohibiti equos multiplicare;

Imperantis Dei vox, vel potiùs lex fuit in deſerto lata, vt legimus Deuter. cap. 17. num. 16. *Cum fuerit conſtitutus rex, non multiplicabit ſibi equos*. Cur populo Dei interdicitur equorum multiplicatio? An non hoſtes habet validiſſimos, contra quos bella gerere debet? Quis autem rerum ignarus adeò inuenitur, qui neſciat quod Ariſtoteles 4. Polit. cap. 13. tradit, omne robur exercitus, antiquorum ſententia, in equite conſtitiſſe. An non Pharaonis hoſtis immaniſſimi nouerant vires, qui maximo cum apparatu equorum, ac curruum aduerſus Iſraelitas vim facere conſueuerat, vt Exodi cap. 14. numer. 7. Satiùs igitur erit, vt Iſraelitæ ad propulſandam iniuriam, retundendamque audaciam, equos alant, & multiplicent, pro inſtruenda acie equitum copijs, & curruum multitudine. Deus tamen vetat expreſsè, ne equos multiplicent. Placet mihi eorum ratio, qui docent id à Deo imperatum fuiſſe, quia maluit Iſraëlitas equis deſtitui, & equitatu curribuſque carere, quàm cum Ægyptijs, ethnicisque ſocietatem inire. Non erat Iudæa equorum ferax, adeoque neceſſe fuiſſet, vt Iudæi cõtinuo vterentur commerciò, & mille implicarentur generibus negotiationum cũ Ægyptijs, Cois, alijſque ethnicis. Hinc ego cæleſte monitum facilè deduco in hunc modum. Maximum omnium detrimentum eſt illud, quod ab inſolenti victoria milite infertur victæ expugnatæque regioni. Longe tamen grauiùs damnum eſt quod ab hominum prauorum ſocietate cõtrahitur. Finge tibi ante oculos exercitum equeſtrem ſecunda ferocientem fortuna, violenter irruentem, vaſtantem, demolientem omnia, ſine lege, ac ſine modo: Nihil tum ſacroſanctum remanet, aut impollutum; nihil non furori cedit, & inſolentiæ. Quid calamitoſius concipi animo poteſt, aut damnoſius? Dicam ego breuiſſimè, & apertiſſimè: hominum improborum ſocietas, & cum impijs flagitioſiſque commercium. Mauult quippe Deus exponere dilectum populum ſuum falcatis curribus, & turmis equitum irruentibus, atque irrumpentibus, quàm permittere vt ineat cum improbis ſocietatem. Nullus militaris furor, nulla ſanguinis ſitis, nulla præliantium inſolentia timenda adeò, vtpote perniciosa, & noxia, ſicut hominum neceſſitudo hominis improbi refugienda.

Nihil damnoſius improborum commercio.

Neque meliùs, aut conuenientiùs lex Dei confirmari poteſt, quàm Dei eiuſdem decreto. Leges Numer. cap. 33. num. 52. Deum duces ſuos ſic alloquentem: *Intrantes terram Chanaan diſperdite cunctos habitatores terræ illius, confringite titulos, & ſtatuas comminuite, atque omnia excelſa vaſtate, mundate terram*. Mandatum ſine dubiò dignum Deo. Plura apud Chananæos inueniebantur cælo inimica, æquitati pugnantia, inuiſa Deo. Superſtitioſi legebantur tituli; erecta viſebantur idola, impia extabant ſimulacra, vniuerſa regio ſcatens ſceleribus, & maculata criminibus. Vides, quàm abominanda ſint illa, & quàm odioſa Deo auctori, atque parenti ſanctitatis? Ita ſanè. Sed tamen ante omnia mandat Deus expellendos exterminandoſque habitatores; neque enim pro religione ſuperſtitio; pro vero Deo, ſimulacra dæmonum; pro ſanctitate impietas, tantum poſſunt afferre detrimentum, aut tanta ſunt diligentia vitanda, quanta adhibenda cura eſt in amandandis hominibus exterminandiſque, à quibus, tanquam à fontibus malorum damnorumque omnium origo eſt. Fateor vltro non meam, ſed Oleaſtri eſſe ſententiam in hunc locum ſeribentis his verbis: *Prius præcepit habitatores expellere; ſecundò perdere titulos; tertio imagines; quarto delubra. Prius homines; quoniam nihil citiùs hominem peruertit, quàm alter homo*. Qua in re accommodatior videtur loquendi modus Chryſoſtomi: Affert enim ſimilitudines quaſdam ab animalibus, & feris, quæ mouent vehementer hominum mentes ad fugiendum prauorum conſortium; quia malorum eſt peſſimum. Examinat Chryſoſtomus orationem Dauidis, cum conceptis expeteret votis vt eriperetur ab homine. Pſalm. 139. num. 1. *Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me*. In quem locum, qua ſolet ingenij, & eloquentiæ vi, Chryſoſtomus ait: *Vbi ſunt qui dicunt: quare ſunt feræ, quare ſcorpij, quare viperæ? Ecce enim inuentum eſt animal, quod maiorem oſtendit improbitatem, non ex natura, ſed ſponte, & ex libera animi voluntate. Quocirca propheta quoque illis omnibus prætermiſſis, rogat vt ab eo liberetur*. Refugis feras, horres ſcorpiones, viperas abominaris, & meritò; quia noxia ſunt. At, quandò hiſce longè nocentior homo improbus; hunc præ omnibus

E terra promiſſionis ante omnia pelli iubentur incolæ.

Improbi nocentiores feris.

cum

A cum purpurato vate perhorreſces. Vides, quam luctuoſa ſit pernicies à prauorum conſuetudine.

Didicit id non modò periculo ſuo Nero, ſed cum detrimento maximo Romani imperij, adeòque vniuerſi terrarum orbis.

Vnde ſit orta Neronis crudelitas.

Quem lateat, neminem fuiſſe vnquam mitiorem, ac moderatiorem Nerone, ipſo imperij ſui initio: Verùm non multò poſt in qualem degenerauit furiam? Heu in quod crudelitatis monſtrum tranſiuit! Cogitabam mecum ipſe, vnde originem duxerit cum metamorphoſi tàm dira tam deploranda cataſtrophe; cùm occurrit quod de eodem Nerone ſcribit Seneca epiſt. 7. his verbis. B *Agite Dijs immortalibus gratias, qui eum docetis eſſe crudelem, qui non poteſt diſcere.* Alloquitur Romanos, & crudelitatem ſpectaculorum dum reprehendit, ſuggerit mihi plenum ſapientiæ monitum: videlicet crudelitatem doceri ab exhibentibus, & exercentibus plena immaniſſima crudelitate ſpectacula. Ex hac ſchola mite olim Neronis ingenium, efferatam ſæuitiæ diſciplinã hauſit; & tandem didicit, quod diſcere non poſſe videbatur. Etenim, vt in eadem Epiſtola decernit Seneca: *facilè tranſitur ad plures.* Grauiùs, & copioſiùs Nazianzenus orat. de Epiſcopis, *Nemo eſt*, inquit, *qui ſibi* C *ſoli viuat, neque bonus, neque malus; ſed quemadmodum hic aër, eius quod fortè attraxit vel fragrantiam, vel fœtorem acquirit; ſic nos etiam quã celerrimè tales euadimus, quales ſunt proximi noſtri.*

Infecto aëri comparantur improbi

Non modicam reor ineſſe vim in ſimilitudine ab aëre petita, ex eo potiſſimum capite, quòd nullũ morbi genus eſſe ſoleat, quod & tam citò, & tam lethaliter lædat, atque proſternat; quàm peſtifera tabe infectus aer. Leges apud Senecam cit epiſt. 7 *Vnum exemplum, aut luxuriæ, aut auaritiæ multum mali facit: conuictor delicatus paulatim eneruat, & emollit: vicinus diues cupiditatem irritat: malignus comes quamuis* D *candido, & ſimplici rubiginem ſuam affricuit.*

Sed quid nobis cum ethnicis? Premantur iſta ſilentio, & proferantur in medium è ſacris petita literis exempla validiora lib. 1. Reg. cap. 21. numer. 10. *Surrexit itaque Dauid, & fugit in die illa à facie Saül.* Scio multos mirari fugam Dauid.

Cauſa fugæ Dauidis à Saule.

Quis enim dignum admiratione non cenſeat virum tot prælijs aſſuetum, tot illuſtrẽ victorijs, tot triumphis nobilem, turpi fuga conſulere ſibi? Hæc, inquam, non ignoro: ſed ſcio etiam quod ſcribit Ambroſius lib. de Iſaac cap. 3. *Fugiebat Dauid ſanctus à facie Saül, non vtique vt terras* A *relinqueret, ſed vt immitis, inobſeruantis, & perfidi declinaret contagium. Fugiebat autem adhærens Deo, ſicut ipſe ait, Adhæſit anima mea poſt te. Abducebat ſe, & ablevabat à vitijs ſeculi huius.* Nota ſceleſtorum conſuetudinem comparari contagio, vt modò ex Nazianzeno monebam. Deinde verò inſiſte veſtigijs Dauid; qui & leones, & vrſos imperterritus inuaſit, & monſtruoſae magnitudinis proſtrauit, obtruncauitque gigantem; fugit tamen velocior ſagitta, perfidi contagium declinaturus: apertiſſimo planiſſimoquè documento, quanta diligentia, quãtoque conatu malorum conſuetudinẽ fugere debea- B mus; cum malum ſit adeò nocens & detrimentum tam perniciofum, vt prae illo, & gigantis ſtolidè ferocis inſana rabies, & vrſorum feritas, & rabida leonum ſæuitia nihil facienda eſſe videantur. Prædixiſſe id viſus eſt Iſaias cum cap. 13 num. 22. de Babylone ſic loqueretur. *Reſpondebunt ſibi vlulæ in ædibus eius.* Quem textum adducens Stephanus Cantuarienſis ad cap. 20. Exodi, ſic ait: *Pernicioſiſſima res eſt ad exemplum alterius viuere: vnde in Iſaia in ædibus Babylonis reſpondent ſibi vlulæ. Hi ſunt luxurioſi* (dicamus nos, ſceleſti.) *huius mundi, qui reſpondent ad inuicem, delitioſè viuendo vnus ad exemplum* C *alterius*: Non prætereundum obiter ſuperlatiuum illud: *Pernicioſiſſima res eſt.*

Neque verò quiſpiam arbitretur loqui me ſolummodò, cum hominibus ſeculi huius, & laxioris vitæ. Etenim cum auocare conor ab hominum ſocietate Sceleſtorum, alloquor etiam viros eximiæ virtutis, ſanctitatiſque ſtudioſos.

Malorum conſortium, etiam ſanctioribus vitandum.

Ita ex Philonis ſententia ſenſiſſe videtur Sponſa Cant. 3. num. 1. *In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni. Surgam & circuibo ciuitatem.* Prudentiſſimum ſanè conſilium: vt dilectum inueniat, ſurgere ſtatuit, & circuire. In quem locum Philo Carpatius D ſic loquentẽ facit dilectam Deo: *A præterita vita mea actionibus ſurgam, à malorum conſuetudine diſcedam.* Nihil triſtius, aut acerbius caſtiſſimæ Sponſæ, amantiſſimæque contingere poteſt, quàm ſponſum amittere: hunc autem nunquam deploranda ſatis malorum conſuetudo abripere poteſt, atque auferre: quod quidem extra controuerſiam eſſe debet, cum à Chriſti ſchola vniuerſa confirmetur. Vnde ſi inueſtigemus originẽ tetræ illius tempeſtatis qua magnis iactata fluctibus operiebatur nauis, quæ Chriſtum Dominũ vehebat cum diſcipulis, Matt. c. 8. n. 28, inueniemus Iudæ proditori adſcribendam. Id porrò negari

Iudæ præſẽtia, tempeſtatis cauſa.

non poteſt, niſi ab eo, qui S. Ambroſio audeat contradicere. Decernit enim in hunc modum ſerm. 11. de mirabilibus: *Haec eſt cauſa periculi: erat ibi Simon Petrus, ſed erat pariter & proditor Iudas. Quamuis illius fides fundaret nauiculam; huius tamen perfidia conturbabat. Tranquillitas eſt, vbi ſolus Petrus habitat, tempeſtas vbi Iudas adiungitur. Licèt eſſet Petrus firmus ſuis meritis; perturbabatur tamen criminibus proditoris. Vnius igitur delicto cunctorũ merita quatiuntur.* Etiam præſente, & ſpectante Chriſto cum Apoſtolorum ſenatu, tantum audet impij vnius ſocietas. Itaque impij conſortium, procellam puta, turbinem crede, immo tempeſtatem, ac naufragium arbitrere. Arbitraberis autem, niſi fueris nequior Pilato, de quo eleganter Damaſcenus ſcribit, exhorruiſſe conſuetudinem eorum, qui Dei ſuo ſanguine, ſe cruentauerant. Matth cap. 27. leges, acceſſiſſe ad Pilatum Phariſæos, ac petijſſe vt ſepulcrum Domini armato milite cuſtodiret. Quibus Pilatus, num. 65. cit. cap. ait: *Habetis cuſtodiam: ite cuſtodite ſicut ſcitis.*

Pilatus Chriſti interfectores relegit.

Reſponſum tam promptum, & tam celeri velocitate prolatum expendit pro re noſtra S Damaſcenus orat. de Sabbato Sancto: *Horruit* (verba Damas.) *Pilatus commercium Dei interfectorum.* Quale malum eſſe dixeris, quod ſecum trahit commercium ſceleſtorum; quandò illud vel Pilatus horreſcit?

Medicorum princeps Galenus de Ther. ad Piſon cap 5. ſcribit de quodam Carthaginienſi bellatore (Iuſtinus lib. 32. in fine id tribuit Annibali contra Eumen. pugnanti) cùm in Romanos pugnaret, maximam, & luctuoſiſſimam hoſtibus ſuis intuliſſe cladem, noua quadam militari machina, & poſt hominum memoriam inaudita. Dicitur enim ollas numero plures, artificio miras, magnitudine ſpectandas, ſerpentibus, alijſque animantibus noxijs impleuiſſe, eaſque tali artificio in Romanorum copias conieciſſe; vt poſſent incluſi angues, feræque ex improuiſo erumpere, & Romanos inficere, ac trucidare. Romani viſis ollis parum commoti, cùm ſibi non cauerent, vi veneni de repente concuſſi moriebantur. Tale, ni fallor, videbitur rem totam attentè conſideranti detrimentum, quod ex prauorum conſuetudine capiunt incauti. Latet quippe eorum venenum; & cùm minimè credas, ſentis tabificum virus, quem virum beneuolum arbitrabaris. *Attende diligenter, ne vllus vnquam tibi ſit*, vt ſcribebat venuſtè Seneca, epiſt. 98. *ijſdem vitijs gratioſus, qui-*

Admirandũ machinæ militaris genus.

Repræſentat prauorum conſortium.

A *bus nocens.* Quis autem non caueat ſibi, & quidem magnopere? Quis non abhorreat, & quidem plurimùm, cùm ſciat, quod Deo iubente expertus eſt Moyſes, quemadmodum ſcribitur Exodi cap. 4. num. 6. *Dixitque Dominus rurſum: Mitte manum tuam in ſinum tuum. Quam cùm miſiſſet in ſinum, protulit leproſam inſtar niuis.* Vis noſſe myſterium, fortaſſe non adeò notum, rei notiſſimæ? Conſule Theodoretum, qui quæſt. 10. in Exod. rem totam aperiet planiſſimè in hunc modum. *Quid ſignificat, quòd manus Moyſi reddita eſt leproſa? Familia Iacob, in pietate educata, profecta eſt in Ægyptum, ſed illic impieta-*
B *tem Ægyptiorum didicit. Indicat ergo per manus alterationem, illorum ſpurcitiam, & leprã* Ex qua Theodoreti expoſitione licet in hunc modum diſſerere. Lepra morbi genus, quod conſuetudine contrahitur, indicat, morum contagionem, animique corruptelam vitari non poſſe, niſi interdicto, penituſque ablato conſortio prauorum hominum, & tetra ſcelerum labe, lepra ſcilicet maximè purulenta contaminatorum. Vnde idem Theodoretus, quæſtion. 17 in Leuit. reddens rationem, cur Deus iuſſerit, leproſos aperto capite incedere debere, vt patet Leuit. 13. n. 45. *Habebit caput nudũ --Vt notus*
C *ſit* (ait Theod.) *& ne fiãt impuritatis participes, qui accedũt ad illum.* Leproſus ſupra omnes abominabilis, quia ſola conſuetudine inficit, atque corrumpit. Similiter ſceleſtus, inter omnia mala, tanquam peſſimus vitandus, quia ſola conuerſatione commaculat. Hominem flagitijs turpem, leproſũ puta, memori ſemper animo verſans, te minimè ſanctiorem eſſe familia Iacob in pietate educata, ſub magiſterio Dei.

Impij leproſis ſimiles.

Scio, viros apud omnes laudatiſſimos, Minutium felicem, Tertullianum, Baſilium, ingenij, & eloquentiae neruis contendere, vt ſuadeant, turpia, quæ in Theatro exhibentur ſpectacula, horrida veluti
D morum naufragia, fugienda. Minutius felix in Octauio ait: *Eneruis hiſtrio, amorem dum fingit, infligit.* Tertullianus de ſpectac. cap. 10 & 17. decernit, *Theatrum, conſiſtorium eſſe impudicitiæ, & arcem omnium turpitudinum.* Baſilius tandem hom 4. in Exam. *communem appellat, & publicam diſcendæ omnis incontinentiæ officinam.* Haec ſi vera ſunt, vt veriſſima dubitat nemo, quãtò magis noxia, & abominanda cenſenda erit familiaritas, quae non curſim, & identidem, ſed continuò & ex profeſſo tabifica vitiorum venena inſtillat, omnemque pudorem, atque honeſtatem inuerecundia ab animis inno-

Theatra quam ſint noxia.

cea-

ſentiam extermīnat, atque audacia. O pernicioſiſſimas Sirenes, ò monſtra teterrima, quæ, cùm iucunditatibus ſuis, mentibus blandiri videntur, inducunt funeſtiſſimam vaſtitatem! Tradit Cardan. lib. 18. de ſubtilitate, candelam reddi inextinguibilem, ſi ſulphur valde purum cum cera aequaliter diſſoluatur. Quod reſpondeat ne veritati, diſcat experimento qui voluerit. Mihi interea liceat hinc ſumere occaſionē dicendi, id planè contingere iis, qui prauorum hominū vtuntur conſuetudine. Honeſtus animus inſtar ceræ (quæ vulgari loquendi modo cera virgo dici ſolet) caueat ne ſe ſulphureis improborum moribus immiſceat; ardebit enim, & quidem voraci adeò flamma, incendioque adeò ardenti, vt nequeat reſtingui. Populabitur præcordia flamma deuaſtans, & inextinguibilis ignis mentem aduret. Accendetur porrò tam dirum incendium, cœtu conuenieнte flagitioſorum, ex ſententia Clementis Alexandrini, & Tertulliani. Ille quidem lib. 3. pædag. cap. 11. *Conuentus*, inquit, *occaſio, & congreſſiones, & turpitudinis cauſa eſt*. Hic verò de ſpectac. ait cap. 25. in frequentiore plurium peccantium libertate occurrere ſcandala, *Quæ* (verba Tert.) *de commercio, ſcintillas libidinum conflabellant*.

Candela inextinguibilis ex Cardan.

Impios repræſentat.

Quæ cum ita ſe habeant, talium ſcilicet incommodorum calamitatumque genera, numero tam multa, conditione tam grauia; qualitate tam execranda, homini inferri ab homine; quem arbitrabimur inter homines inueniri (dummodo ſenſum habeat humanitatis) quem non pudeat nocentiſſimum eſſe ſe ei, cui prodeſſe deberet, & obſequi ſummo ſtudio, inuiolabili lege naturae, ac iure ſacroſancto humanitatis? Id ſanè, vt religioſè inſinuauit, ita eleganter eſt proſecutus Ambroſius, quem praetermittere non poſſum lib. 3. offic. cap. 3. ſic monentem. *Conſidera ò homo, vnde nomen ſumpſeris; ab humo vtique, quæ nihil cuipiam eripit, ſed omnia largitur omnibus: & diuerſos in vſus omnium animantium fructus miniſtrat. Inde appellata humanitas, ſpecialis & domeſtica virtus hominis, quæ conſortem adiuuet.* Ne omni omnino humanitatis neglecta lege ſis inhumanus, velis remiſque contendas omnibus vitae integritate, & morum probitate prodeſſe, ſemper præ oculis habens, vnde nomen, & omen ſumpſeris; ab humo, nempe à bonorum parente fœcundiſſima. Heù quàm luctuoſum, heu quàm pernicioſum eſſet ac monſtroſum, homini nil nocētius homine reperiri.

Huc reuocari poſſunt aliqua ex 1. tom. Parad. 12. in cap. 3. pag. 245

Videatur P. Didacus de Celada de benedict. Patriarcharum bened. 1. in cap. 1. Geneſ. verſ. 1. §. 3. & benedict. 3. in cap. 12. Geneſ. verſ. 1. §. 148.

Videri etiam poteſt P. Franciſcus de Mendoza in lib. Reg. tom. 3. cap. 10. nu. 27. Annot. 6. circa lit. ſect. 3. à num. 13.

IN CA-

IN CAPVT DECIMVM

A Num. XVII. ad XXI.

Cauete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos: & ad præſides, & ad reges ducemini propter me in teſtimonium illis, & gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.

PARADOXVM VI.

Deus, quouis miraculo certiùs & expreſsiùs, manifeſtat ſe ipſum ſermone.

NON modò cuſtodem linguæ, ſed ſingulorum verborum autorem futurum ſe Dominus profitetur, cum de fidei cauſa agendum eſt, coram inimicis Chriſtiani nominis. *Dabitur enim vobis, in illa hora quid loquamini; non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Bene eſt: gaudet Deus humanæ linguæ vſu, imo dominio. Hoc tamen mirum eſt, ſe ipſum manifeſtare certiùs non poſſe, quàm lingua eum qui non modò omnipotentia, & bonita-

C te, non modò ſapientia & liberalitate, non modò gloria miraculorum, ſed etiam parcendo & miſerando maximè ſe manifeſtat. Age, hanc linguæ prærogatiuam adſtruamus, vt quanta ſit Chriſtianæ dignitas linguæ intelligamus; & quas explere partes aequum ſit eam, quae Deo Principe deber, ac Domino gubernari. Et primò quidem videndum eſt, quo pacto Deus ſe ipſum, quouis etiam miraculo certiùs, atque expreſſiùs, ſermone manifeſter. Secundò verò demonſtrabimus, nullum dari poſſe ab hominibus ſuffragium diuinitatis ſecurius, aut expereſſius, quam ſermone.

D Moyſem ſequamur ducem, ſed humanarum calceamenta affectionum ſoluenda ſunt, vt propiùs accedamus ad rubum innoxio ardentem incendio. Exodi cap. 3. num. 2. *Apparuit autem illi Angelus Domini in flamma ignis de rubo.* Iuxta lectionem Hilarij, Aſpectu Angeli illectus Moyſes, gregis (quem paſcebat) oblitus fertur citato gradu, vt propiùs vultus Angelici ſpecie perfruatur: Sed ecce tibi reſonat ſtatim Domini vox. Sic, cit. loco. *Cernens autem Dominus, quòd pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi, & ait: Moyſes, Moyſes.* Attende diligen- (Deus in rubo ardenti per vocem agnoſcitur à Moyſe.)

ter

ter, videri quidem Angelum, ſed loqui Deum. Videbatur rubus voracibus flammis circumſeptus, illæſus tamen, atque incombuſtus. Quid tam mirum excogitari poteſt, aut tam ſtupendum? an non tale miraculum ſatis ſuperque Moyſi potuit declarare opificis ſummi diuinitatem? Et tamen tale, tantumque ſpectaculum ſubijcit oculis videndum non Deum, ſed Angelum tantummodò. *Apparuit illi Angelus Domini in flammâ ignis*: Cùm Deus agnoſci vult, ſermonis teſtimonium profert, poſthabita tam clari miraculi exhibitione. Audi Hilarium 4. de Trinit. *Qui Angelus Dei eſt cùm videtur, idem, cùm auditur, eſt Dominus: ipſe verò qui auditur, Dominus Deus eſt*. Felix, qui cum ſponſa piè æquè, atque appoſitè dicit: *ſonet vox tua in auribus meis*, Cant. 2. n. 14. Vt te agnoſcam, loquere Domine, & audiat cor meum verba vitæ, & veritatis; verè enim *verba vitæ æternæ habes*, Io. 6. num. 68. & ex interno ſermone, quouis miraculo clariùs pateſcet nobis maieſtas diuinitatis, vt eam intimo colamus affectu; & ſumma reuerentia proſequamur.

Plenitudo gratiæ Chriſti, linguæ donum.

Breue quidem, ſed præſtantiſſimum encomiũ fuit illud Ioannis in laudem Chriſti Domini prolatum, quem cap. 1. verſ. 14. ſalutauit *plenum gratiæ & veritatis*. Placet Theophilacti expoſitio docentis. hanc gratiæ plenitudinem, cuius mentionem facit Ioannes, nihil aliud ſignificare, quàm gratioſae linguae donum, quo omnium ſibi amorem, ac beneuolentiam conciliabat. Excelſum neſcio quid, planèque diuinum, quo venerationem populorum trahebat ad ſe Chriſtus Dominus, gratioſae eius linguae debet adſcribi; adeò vt & ſanctiſſimo vitae generi, & miraculorum gloriae præcellere, ac praeualere credendus ſit ſermo, ad oſtendendam hominibus latentem in Chriſto diuinitatem. Do Theophilacti verba: *Plenum gratiæ, & veritatis. Gratia quidem plenus, ſecundùm quòd ſermo eius gratioſus erat: vt ſic dicam iuxtà David: Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. Et Euangeliſta: Admirabantur omnes ſuper ſermonibus gratiæ, quæ procedebant ex ore eius, & omnibus ſanctis conferebat, prout congruebat eis*. Plenum gratiae, hoc eſt, donorum caeleſtium acceſſione perfectum, ſummo Patri aequalem Filium, vno verbo Deum maximum optimumque, lacera tectum mortalitatis noſtrae veſte, vnus prae omnibus ſermo declarat. O vim magnam ſermonis bene compoſiti! O praeſtans linguae priuilegium! Vidit id in ſecretis caeleſtibus indagandis oculatiſſimus Bernardus, qui myſteria crucifixi Dei (quae in theatro caluariæ montis, Angelis, & hominibus ſpectanda, propoſita fuerunt) attentè conſiderans concludit: à Centurione agnitum fuiſſe Dei filium à verbis, quae protulit. Sic autem loquitur Bernardus ſerm. 28. in Cant. *Vnde aduertit Cẽturio pulchritudinem crucifixi, & quod is ſit filius Dei, qui cum iniquis reputatus eſt? Videns, quòd ſic clamans expiraſſet, ait: Hic homo verè filius Dei erat. Ergo ad vocem credidit, ex voce cognouit filium Dei, non ex facie*. Claui, ſpinae, crux, vulnera, mors demonſtrabant opprobrium hominum, & plebis infimae ludibrium: vox ſola maiorem vim habet, ad aſſerendam diuinitatem, quàm omnia tormentorum ignominiarumque genera, ad abſcondendam maieſtatem. Moderatus ſermo, oratio veniam poſtulans pro crucifixoribus, pietas erga matrem, miſericordia erga latronem, ſummi Patris exorata clementia, Deum eſſe euincunt eum, cui tormenta ita ſpeciem ademerant, vt *non eſſet ei aſpectus, neque decor*, iuxta Iſaiam cap. 53. num. 2.

Centurio ex ſermone crucifixi agnoſcit diuinitatem.

Exemplo ſuo docet nos Sponſa ſanctiſſima, quid in hac re ſentire debeamus. Cant. 5. num. 2. domum ingreſſurus non modo oſtium pulſat, quod poterat eſſe ſatis; ſed etiam compellat dilectam ſuam, & quidem non nomine tantùm, ſed pluribus congeſtis titulis, quod fortaſſe videri poſſet ſuperuacaneum; ſufficiebat enim poſt pulſum, vocare ſponſam. Verba autem ſunt haec: *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea*. Quare, obſecro, tot verborum ambages? Verboſa certè circumlocutio inter amantes moleſta eſt. Siſte, dicet Gilbertus Abbas, & diſce myſterium. Nulla re tam propriè, aut tam certò ſe ipſum ſponſus manifeſtat, quàm voce. Ergo loquatur neceſſe eſt, vt ſponſa eum agnoſcens, ea qua par eſt excipiat beneuolentia. *Diſciplinam* (ſic loquitur Gilbertus ſerm 43. in Cant.) *hic attende cuſtodiæ, vbi ianua paſſim non patet. Quis illuc intrabit ad arbitrium, vbi Ieſus ſine interpellatione non intrat, nec niſi cùm fuerit audita, & nota vox eius? O me felicem, ſi de mea dici anima queat!* Appoſitè exclamat Gilbertus. Et nos ex ipſo diſcamus, quonam indicio certo certiùs Deum eſſe cognoſcemus: ex ſermone profectò, & ſecreto colloquio. Vocem Dei audimus in oratione, ſermonem Dei percipimus à ſacris oratoribus, vel è lectione ſacrorum librorum: diſſimulare non poſſumus, ſine nota perfidiae, quoties loqui-

Sponſus per vocem ſe manifeſtat Sponſæ.

tur

tur nobis Dominus. Miſeros nos, ſi in-terpellante Ieſu, audita, & cognita voce eius, eidem pulſanti mentis penetralia ape-rire neglexerimus.

Sorores geminæ ſanctiſſimæ eædem, & for-tunatiſſimæ hoſpitio Redemptoris, dũ ami-co inter ſe diſſidio diſcrepant, confirmant propoſitam veritatem. Martha, vt teſtetur ſe humillimo venerari obſequio indutum noſtra carne filium Dei, conuiuium parat, miraque ſolicitudine ipſa ſibi ſatis eſſe non poteſt, vt tantum hoſpitem Deum ſuum ac ſalutis humanæ reparatorem colat, ac reueneatur. At Magdalena, omni depoſi-ta cura, vacat ſermonibus Chriſti loquen-tis. Vtra videtur tibi teſtari luculentiùs latentem diuinitatem, Martha, an Mag-dalena? Lucæ cap. 10. num. 39. *Maria ſedens ſecus pedes Domini audiebat ver-bum illius*. Magdalena Dominum agno-uit, Dominum coluit, Dominum agno-ſcendum indicauit, dum *audiebat verbum illius*. Verbum quippe ab ore Chriſti pro-cedens omnium certiſſimum, & apertiſſi-mum Deitatis eſt argumentum. Hinc S. Macarius hom. 12. ſic loquitur: *Maria, quæ illum diligebat, & ſedebat ad pedes eius, non ſimpliciter adhæſit Deus: ſed vir-tutem quandam ſecretam, è ſua ipſius ſub-ſtantia contulit ei. Nam ſermones, quibus Deus quietè Mariam alloquebatur, ſpiri-tus erant & virtus quadam, penetrabant-que cor huiuſmodi verba, creſcebatque diuina virtus in corde ipſius. Neceſſariò enim virtus illa, in quemcunque ſe effude-rit, firma permanet, tanquam poſſeſſio, quæ auferri non poteſt*. Noto illa verba: *virtutem ſecretam è ſua ipſius ſubſtantia contulit ei*. Contulit vtique ſermone. Cre-debam Dominum Ieſum, excitato è mor-tuis Lazaro quatriduano, arrepturum occaſionem declarandi ſe Deum. Quod miraculum illuſtrius, aut glorioſius, ad docendam Magdalenam Chriſti diuinita-tem? Et tamen non prodigioſis operibus: ſed oratione flexanima, & ſermone, neſcio quo pacto, ipſam Chriſti ſubſtantiam inſi-nuante, Magdalenæ panduntur ſecreta myſteria Deitatis. Ergo Magdalena plùs ſapit, quàm Martha, quandoquidem Chri-ſto loquenti præbẽs aures, ſecretam ipſius ſubſtantiam haurit à ſermone, qui poten-tior eſt quouis alio ſigno, vel miraculo, ad aſtruendam diuinitatis ſummæ maieſtatem. Placet ſimilitudo S. Cyrilli Alexandrini lib. 4. in Ioan. cap. 58. his verbis allata: *Quemadmodum qui guſtu præcipuam mel-lis qualitatem probant, ex minima, quam guſtauerunt, particula, totum cognoue-runt; ſic qui vel parum ſaluatoris verba*

Magdalena audiendo Chriſtum Deum agno-uit.

Per ſermo-nem guſta-tur Deus.

A *intellexerunt, bonum eſſe ipſum, cogno-ſcent, & cognoſcentes admirabuntur*. Deus bone, quantum hoc eſt! Ergo ver-ba Saluatoris, guttulæ ſunt tam ſapidæ, tam ſuaues, tam melleæ, quàm tota ipſa dulcedo diuinitatis? Rorent vtinam deſu-per tam ætherei mellis dona, planè caele-ſtia aluearia Angelorum, vt de nobis Da-uidicum illud pſal. 33. num. 9. dici queat: *Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Do-minus*. Guſtus propriè conuenit vſurpatæ à Cyrillo ſimilitudini: *Guſtate, & videte*: quaſi euidens cognitio à guſtu huiuſmodi ſeiungi non poſſit. Videtur itaque dicere velle. Guſtate mel verbi Dei, & eiuſdem B arcana ſub aſpectum cadent.

Nollem equidem videri cuipiam, vel à propoſito recedere, vel ſubtilia eſſe, & ab vſu remota, quae aſſeruntur. Aio igitur tunc Deum ſe ſe nobis maximè aperire, cùm ſuo nos dignatur alloquio; cùm ſer-mones nobiſcum miſcet, & quaſi huma-no more, eius verba in noſtris reſonant auribus. Id, qui non percipit, audiat S. Bernardum ſer. 45. in Cant. ſic diſſeren-tem. *Inter Verbum, & animam, ac ſi in-ter duos vicinos, familiaris admodum ce-lebratur confabulatio. Cedit faſtus, vbi conualeſcit affectus. Adeſt dilectus, amo-uetur magiſter, rex diſparet, dignitas ex-uitur, reuerentia ponitur. Verbum, & ani-ma habent linguas ſuas, quibus ſe alteru-* C *trum alloquantur. Verbi lingua, digna-tionis fauor: animæ lingua, deuotionis fer-uor*. Feruor itaque deuotionis, animae lingua eſt, cui loquenti dignationis fa-uor, hoc eſt, Dei lingua amicè reſpondet. Exemplum habemus in Samuele, qui col-loquium cum Deo miſcere non potuit, do-nec feruore cordis excitato diceret: *Lo-quere Domine, quia audit ſeruus tuus*. 1. Reg. 3. num. 10. Notum eſt, quod hoc loco ſcribitur, Samuelem videlicet ter à Domino interpellatum, nunquam tamen cum Domino colloquium miſcuiſſe. Ait D Sacer textus nu. 7. *Porro Samuel necdum ſciebat Dominum, neque reuelatus fuerat ei ſermo Domini*. Nondum nouerat inno-cens iuuenis modum loquendi cum Domi-no; ideoque eiuſdem arcana non percipit: ſed vbi primum feruor deuotionis erupit, ſtatim atque Domino cor aperuit: *Loque-re Domine, quia audit ſeruus tuus*. Di-gnus fuit, qui Dei ſui ſermonem percipe-ret. Id ipſum permultis contingit. Ergo vt te ſuo dignetur alloquio Dominus, re-cordare moniti Tertulliani lib. de orat. cap. 13. ſcribentis: *Deus non vocis, ſed cordis auditor eſt, ſicut conſpector*. Re-cordare ſententiae magni Gregorij lib. 2. moral.

Quibus lin-guis collo-quantur Deus, & anima

moral. cap.4. dicentis : *Excitatus cum reuerentia motus cordis, magnus eſt ad aures incircunſcripti ſpiritus, clamor cordis.* Audiaris à Domino neceſſe eſt, vt Dominum audias : Audieris autem, eleuato ſpiritus feruore corde. Dicamus omni humanarum rerum ſepoſita cura. *Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus.* Et Deo nobis ad cor loquente, quid velit à nobis, quàm religioſè eius maieſtatem colere debeamus, liquido intelligemus.

Exodi 14. num. 10 Iſraëlitae opem à Domino imploraturi, clamant ad Dominum : nullum tamen accipiunt reſponſum. Quid conſilij capiant in ſummo diſcrimine, ignorant. Proximus erat exercitus Pharaonis, inſtabat iam viro vir; effuſis precibus conſilium, & auxilium Dei ſui implorant Hebraei : ſed fruſtra. Meritò ſanè; Deus enim peccatores non audit, nec coram impijs ſermonem effundit. Hinc fit, quod cit. cap. num. 15. Moyſi contigiſſe narratur his verbis : *Dixitque Dominus ad Moyſen: quid clamas ad me?* Domine, non modò Moyſes non clamat, ſed ne loquitur quidem cum diuina maieſtate tua : populus eſt qui clamat, non Moyſes. Examinat id S. Ambroſ. ſer. 19. in pſ. 118. vbi ſic habet de hac à Deo facta interrogatione : *Quid clamas ad me? clamabat populus, & non audiebatur : tacebat Moyſes & audiebatur. Non enim ad Deum clamabat populus, qui inſulſa, & viris indigna clamabat : ſed Moyſi dictum eſt, quid clamas ad me? Hoc eſt, tu ſolus ad me clamas, qui de me ſperas; Tu ſolus ad me clamas, qui virtutem meam excitas; Tu ſolus ad me clamas, qui per vniuerſam terram annunciari meũ nomen expectas.* O Moyſen praeclarum magiſtrũ quo autore praecepta habemus tam clara colloquij cum Deo habendi! Vis Deum, quaſi humano more loquentem audire? Vis intelligere ſenſum Bernardi aſſerentis: *Inter Verbum & animam, ac ſi inter duos vicinos, familiaris admodum confabulatio eſt. Verbi lingua, deuotionis fauor : anima lingua, deuotionis feruor.* Feruorem porrò deuotionis habes ex Moyſe, cum quo ſi clamare noueris, ſpem tuam in Deo collocans, Dei virtutem excitans, Dei gloriam deſiderans, dignus profectò eris cui loquens Deus, & voluntatis ſuae, & diuinitatis arcana aperiat, & ſe ſe communicet, adeò vt quid Deo placeat, quid in obſequium Dei perficiendum ſit, quid à nobis exigat ſumma maieſtas certiſſimè pateat, & liquidiſſimè cognoſcatur.

Verùm non eſt cur laborem diutiùs pro re, quae reuocari non poteſt in controuerſiam. Experimur quippe Deum ad cor noſtrum loqui; & humano quaſi colloquio quid velit à nobis, non raro declarat bonitas ſumma : Cùm orationi vacamus, cùm ſacras euoluimus paginas, cùm redarguentis conſcientiae reſonant clamores, tum vel vocantis, vel monentis, vel miſerentis Dei oracula ſunt. Illud potiùs monendum cenſeo, vt auditis Dei verbis, perficiamus opere, quae peragenda indicauerit ſermo diuinus. *Sic iſta diſcamus,* ſcribebat Seneca ad Lucilium, Epiſt. 108. in fine, *vt quae fuerunt verba, ſint opera.* Quod ille de morali philoſophia protulit, multò aequius de Chriſti theologia nobis dicendum eſt : praeſertim cùm idem philoſophus ep. 75. ſcribat, loquẽs de inſtitutis philoſophi. *Non eſt beatus, qui ſcit illa, ſed qui facit.* Quaſi ex Chriſti oraculo didiciſſet : *Beati, qui audiũt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Luc. c. 11. 28. Auditores habet permultos loquẽs Deus, qui excipiunt verba loquentis; perpaucos qui cuſtodiant & perficiant opere. Nec me pœnitet ſermonem Dei, philoſophiae comparaſſe : ſit enim reuera magiſter noſter, loquens nobiſcum Deus, iuxta illud Iſaiae cap. 50. num. 4. *Dominus dedit mihi linguam eruditam. Erigit mane, mane erigit mihi aurem, vt audiam quaſi magiſtrum.* Vbi ex ſententia Hebraeorum ſecundùm literam loquitur de ſe ipſo Iſaias. Aliud autẽ ſentire in corde ex magiſtri doctrina, & aliud opere explere impetu nequitiae, Iudae peccatum eſt, magiſtri ſui, hoc eſt, veritatis, proditoris turpiſſimi, tam indigno diſſidio cordis, & manuum. In hunc grauiter exclamat Ambroſius lib. 3. de Spiritu ſancto, cap. 18. *O Iuda proditor, vnguentum paſſionis eius trecentis denarijs aſtimas, & paſſionem eius triginta denarijs vendis, diues in aeſtimatione, vilis in ſcelere.* Vtinam paucorum mercator peſſimus duceret chorum. Vtinam non multi diuites in aeſtimatione eſſent, viles in ſcelere. Sermo Dei, quo nihil clarius, aut certius, docet nos beatae vitae aeternitatem, mortalis huius calamitates : Verba Dei aperiunt nobis fallaces eſſe mũdi voluptates, honores inanes, bona fortunae fluxa. Haec, & his ſimilia ſexcenta à Deo audimus, credimus rem ſic ſe habere : & tamen diuites ſumus in aeſtimatione, viles in ſcelere, ſicut Iudas. Obuia vtar ſimilitudine, qua comperio vſum fuiſſe Theodoretum ſerm. 12. de cur. graecar. affect. his verbis: *Sicut qui pictoriam, aut ſutoriam artem perdiſcunt, non ſolùm, vt earum rationem teneant, dant operam, ſed multò magis, vt ſuis manibus exerceant: ſic moralis philoſophia; hoc eſt Euangelica doctrina, non tan-*

Moyſis ad Deum clamor.

Obediendũ voci Dei.

Deum loquentem nõ ſequi, immane crimẽ

tàm

tùm diſcenda eſt, vt eam ſciamus, ſed vt verbis, & moribus, & vita exprimamus. Quis non videat, indigniùs æquo de Dei ſermone ſentire illum qui hauſtis Chriſtianæ vitæ præceptis, ea negligit moribus, & vita exprimere? Sed hæc omnia tradantur obliuioni, dummodò teneamus memoria, & menti altè infixum hæreat breuiſſimum idem, atque accommodatiſſimum Iſidori Peluſiotæ lib. 2. epiſt. 114. apophthegma verè aureum. *Fabulæ videntur verba, ſi-*

A *ne operibus.* Quid tam temerarium, quid tam ſceleſtum, quid tam execrandum, quàm dare operam; vt Dei verba, quibus nihil excogitari poteſt excelſius, aut ſacratius meræ fabulæ videantur?

Videri poteſt P. Didacus de Baeza tom. 3. in Euang. hiſt. lib. 14. cap. 18. §. 9. Videatur etiam pro hac vltima parte idem P. Didacus de Baeza tom. 3. de Chriſto figurato lib. 7. cap. 10. §. 4. & tom. 3. in Euang. hiſt. lib. 14. cap. 4 §. 21.

IN CAPVT DECIMVM

A Num. XVII. ad XXI.

Cauete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos: & ad præſides, & ad reges ducemini propter me in teſtimonium illis, & gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.

PARADOXVM VII.

Deũ, nulla re aptiùs, quàm lingua, homines manifeſtant.

VENIO iam ad partem alteram propoſiti argumenti, aioque inter multa, quæ ab hominibus dari poſſunt, ſuffragia diuinitatis, ſermone, nullum expreſſius eſſe poſſe, aut inueniri.

Humana lingua æternæ diuinitatis teſtis eſt.

Et primò quidem gratulor mihi, Deum ipſum autorem eſſe huius veritatis, Iſaiae cap. 52. num. 6. *Ego ipſe qui loquebar, ecce adſum*. Teſtem vt producat diuinitatis ſuae, profert verba à prophetis olim pronunciata. Nulla ſiquidem probatio plenior, ad diuinitatem aſſerendam, quàm ea, quae ab humana petitur lingua. Non patrata memorat miracula, non orbis molitionem, non Angelorum imperium: ſed ſolas locutiones prophetarũ. O inauditam humanae linguae laudem, vt à Deo pro teſte adhibeatur diuinitatis! Quoniam verò teſtes producimus in fauorem veritatis, non modò ore tenus eandem confirmando, ſed etiam ſcripto, quod ſolet eſſe maioris momenti; id etiam linguæ tribuitur à Dauide, ex Baſilij expoſitione: *Lingua mea*, canebat Dauid pſalm. 44. num. 2. *calamus ſcribæ, velociter ſcribentis*. Quid audio? de ſcribae lingua, & quidem velociter ſcribentis, quaſi multo preſſi labore, gloriatur rex inclytus. Ne mireris; ſubdit Baſilius hic, *Lingua iuſti*, inquiens, *cordibus credentium verba inſcribit vitæ æternæ, tincta quidem non atramento, ſed Spiritu Dei viuentis*. Ergo ſpiritu Dei viuentis iuſtorum imbuitur lingua: vide quale hoc priuilegium ſit! Ergo piorum corda religioſo ſubacta obſequio ſummum rerum dominum venerãtur, quia lingua iuſti cordibus credentium verba ſcribit vitae aeternae: vide, quantum opus hoc ſit! O linguam iuſti vitae aeternae fontem, ò linguam, cæli regis ſecretariam! immò ò linguam iudicem, teſtem, aſſertricem diuinitatis! Sed ſatius

Lingua iuſti credentium cordibus vitæ æternæ verba inſcribit.

A erit audire Rupertum multò accommodatiùs in hunc locum Matth. exclamantem: *O quàm dulce, ò quàm praeclarum, ea quæ loquimur talia eſſe, vt ea prudens auditor nequaquam dignetur adſcribere nobis, dicatque: Non eſtis vos qui loquimini; ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*. Ergo dat teſtimonium omni exceptione maius humana lingua, in fauorem Dei. Hoc enimuero praeclarum eſt, & ſingulare; hoc eximium & inauditum; hoc ad noſtrae linguae praeſtantiam exornandam accommodatiſſimum.

Arbitratus eſt Salomon magnis ſe laudibus elaturum humanam linguam, eiuſdẽ
B gubernationem Domino tribuendo. Vnde Prouerb. 16. n. 1. protulit. *Hominis eſt animam praeparare, & Domini gubernare linguam*. Ergo Dominus maieſtatis, & rex gloriae non dedignatur eſſe, & dici linguarum gubernator? Is, qui gaudet rerum dominatu ampliſſimo, linguis praeficitur gubernandis. Magnum id equidem iudicarem, niſi pro re praeſenti excellentius neſcio quid perciperem à Philone, cuius ſententiam faciliùs aſſequemur, recolentes quod notum eſt; à Deo ſcilicet nomen, Abram, vna addita literula cum aſpiratione, mutatum fuiſſe in Abraham. Non magna mutatio, ſed grande myſte-
C rium, quod his verbis declarat cit. Philo, lib. de Gigantibus. *Ea res magnum quid ſignificat, prius nomen Abram interpretatur, Pater ſublimis: Abraham verò, Pater electus vocis*. Nota, iſta mutatione nominis ſignificari mutationem officij; adeò vt is, qui *Pater* erat *ſublimis*, ſit *Pater electus vocis*. Itaque omni ſublimitate maius eſt, eſſe *Patrem electum vocis*. Cur, obſecro, tantae molis eſt, eſſe *Patrem electum vocis*? rem acu, vt aiunt, tangit ipſe Philo haec ſubdens. *Ergo mutatio nominis, ex Abram, in Abraham, ſignificat eum mutatum fuiſſe ex homine philoſopho, in hominem ſapientem, & planè diuinum*.
D Homo verè diuinus efficitur Abraham, cùm à Deo ſit *Pater electus vocis*. Qui eligitur, & quaſi à cæteris ſegregatur, vt canat Deo laudes, vt Dei annunciet maieſtatem, vno verbo, vt de Deo, vel pro Deo loquatur; is, inquam, cuius ſonora voce donatur lingua, vt nihil niſi ſublime reſonet, atque caeleſte, Pater electus eſt vocis, ac proinde verè ſapiens, planèque diuinus.

Linguarum gubernator Deus.

Qui cæleſti donatur lingua, is ſapiẽs, ac planè diuinus vir dicẽdus eſt.

Adeſt non tàm forma, quàm religione, & pietate ſpectanda Eſther, quæ cùm probè teneat nulla re homines diuinitate donari, niſi Dei imperio mutata lingua, ſic orat cap. 14. num. 12. *Da mihi fiduciam*

Humana lingua Dei virtute inſtructa inſtrumentum eſt ad quæuis ardua pergenda.

A *Domine rex deorum, & vniuerſa poteſtatis: tribue ſermonem compoſitum in ore meo in conſpectu leonis*. Putabam, mulierem metu perculſam, vim & robur animi petituram: credebam (audiens magnificis Deum titulis compellari) poſtulaturam eſſe gratiam miraculorum, quibus Aſſueri regis animus concuti poſſet, atque compelli. Nihil horum: ſed ſolo ſermone bene compoſito contenta eſt. Nimirum bene loquendi facultas tribui non poteſt, quin fiat homo ſapiens, planèque diuinus. Sapit profectò Eſther; neque enim in omnipotentiæ Dei officina inſtrumentum aptius inuenitur, ad quæuis ardua, atque B præſtantia peragenda, quàm humana lingua Dei virtute inſtructa. Abnuis? Sed ecce tibi Dei loquentis oraculũ, & in hunc modum cum Ieremia verba facientis, c. 1. num. 10 *Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes*. Non tribuit brachio potentiam, non imbuit ſapientia mentem, non implet bonitatis ſuæ theſauris cor vt extruat, vt condat, vt diruat, atque diſperdat; ſed ſolam perficit linguam: obtentaque facultate iuxta Dei leges loquendi, nihil non poterit Ieremias. Do Origenem hom. 1. hunc Ieremiæ textum illuſtrantẽ, C in hunc modum. *Qui ſic beatus eſt, vt regna multa, quæ Chriſto diabolus oſtendit, regna dæmonum, regna peccati eradicet, opus habet is, qui ei dati ſunt à Deo ſermonibus*. Summa ſine dubio magni Dei gloria eſt inimicas infringere vires, peccati regna diruere, dæmonum conatus eludere, coniuratos mundi & vitiorum acies diſperdere, ac diſſipare, & hoc facinus eſt ſolius linguæ Dei ſermonibus eruditæ.

Solius Dei donum eſt linguam gubernare.

Quæ ratio eſt cur ſolius Dei donum ſit gubernare linguam, quia reuera donum donorum omnium maximum eſt, & præſtantiſſimum, quo nullum nobis vtilius, D nullum Deo ipſi glorioſius eſſe poteſt. Acutè id in Moyſe agnouit Auguſtinus, cum Exodi cap. 4. n. 10. linguæ ſuæ impedimentum exaggerare contendit; *Non ſum*, inquit, *eloquens: neque ex quo cepiſti loqui famulo tuo*. Quaſi dicat, linguæ ſum adeò impeditæ, ac tardæ, vt artem benedicendi, ne ab ipſo quidem docentis Dei magiſterio perdiſcere potuerim. Solet quidem Dominus linguas infantium facere diſertas, & geſtit imperitis, ac rudibus fandi tribuere facultatem: Video tamen, inquit Moyſes, me nequaquam profeciſſe, ideòque ad partes oratoris explendas minimè aptum. S. Auguſt. lib. 2. in A Exod. quæſt. 7. ſic ait: *Tanquàm oſtendens fieri potuiſſe, vt qui ante eloquens non fuiſſet, repente fieret, ex quo cum illo Dominus loqui cœperit*. Sapienter præſumit Moyſes: donum Dei eſt, ſancta, & ſummi parentis gloriæ accómodata locutio. Compone ſimul Deum Ezechieli imperantem, & Spiritum Sanctum ſe ſe diſcipulis communicãtem. Cap. 3. Ezech. n. 1. Sic imperat Dominus: *Comede volumen iſtud, & vadens loquere ad filios Iſraël*. At verò Apoſtolis, vt habetur Act. c. 2. n. 3. *apparuerunt diſpertitæ linguæ, tanquam ignis*. Tàm Apoſtolis, quàm Ezechili eadem ferè prouincia imponitur, vt Dei voluntatem homi- B nibus ſignificent, vt Dei prædicent magnalia, vt cæleſtem mortalibus nuncient veritatem. Dubium proponit, & ſoluit D. Chryſologus ſer 2. in Pentec. *Cur igitur*, inquiens, *illic liber, & litera; hic verò lingua, & ignis? Quod ille quidem abiret inſectaturus peccata, calamitateſque Iudaicas ploraturus: Hi verò peccata orbis terrarum aſſumpturi erant*. Cum deploranda eſt calamitas populi Dei, ſatis eſt ſcripto tradere quod Deus iubet: At verò vbi agitur de expugnando tenebrarum principe, de noua Chriſtiani orbis molitione, de ſuperſtitionis imperio ſubiugando, linguæ dimittuntur è cælo, vt intelligamus ſolius C linguæ opus eſſe, rebelles à Deo voluntates retrahere, mundi vim infringere; vno verbo, mundum Deo ſubijcere, & Deum mundi Principẽ ac Dominũ conſtituere.

Placet ad vtiliſſimam inſtitutionem vitæ noſtræ cum peregrino Abrahamo ire ad Hethæos, à quibus videbimus, non modò humaniſſimè excipi Abrahamum, ſed obſequentiſſimis titulis, & pleno venerationis eloquio compellari. Sic enim loquuntur Gen. 23. n. 6. *Audi nos Domine: Princeps Dei es apud nos*. Gratulor tibi Abraham de dominio tam nobili, de principatu tàm illuſtri. Non modò te, quantũuis aduenam, ſuum dominum Hethæi, ſed D Dei principem conſalutant. Quid obſecro in Abrahamo tam eximium elucebat, tanto dignum honore, tanta reuerentia proſequendum? Ego ſanè, quid tàm inauditã conciliauerit Abrahamo auctoritatem ignoro: illud tamen omninò videtur eſſe, quod à Philone Hebræo lib. de nobilitate, ſcribitur in hunc modum; *Honorabant, quaſi ſuum principem, ſuſpicientes ingenium auguſtius humano faſtigio: nec enim ſermonibus vtebatur vulgaribus, ſed diuinitatem quandam præſeferentibus*. Miraris Abraham excipi à populis barbaris honorificè? linguæ benè compoſitæ munus id fuit. Miraris Abraham

Bene compoſita lingua Abrahamũ Dei Principem conſtituit.

non

A non modò tanquàm amicum ab hominibns ingenio aſperis, & moribus inhumanis donari hoſpitio, ſed ſalutari tanquam principem, coli veluti Deum? hoc quoque religioſi ſermonis opificiū fuit. Quod licet ſatis eſſe poſſet ad docendū, quantopere probo viro cordi eſſe debeat, vt ſermonibus, pietate, ac religione plenis Deo pariat gloriam, & in hominum cordibus ſemina iaceat ſummæ venerationis: mihi tamen ſatis non eſt, niſi in memoriā reuocauero, quonam modo Chriſtus Dominus ſapiētiæ cæleſtis magiſter maximus id ipſum inſinuauerit Petro. Solicita anxietate Petri animus angebatur, cū vnde B peteret aurum ad ſoluendum tributum miniſtris Cæſaris non haberet. Iubet Dominus, vt eat piſcatum, & diſertè promittit forè, vt ſtaterem inueniat in ore piſcis. Sic Matth. cap. 17. num. 27. *Enm piſcem qui primus aſcenderit tolle: & aperto ore eius inuenies ſtaterem*. De quò ſic loquitur Ambroſius lib. 1. epiſt. 1. *Hic ſtater in ore piſcis inuenitur, illius piſcis quē capiunt piſcatores hominnm; illius piſcis qui ponderat ſermones ſuos, vt igne examinatos proferat.* Inſpice hominem, agnoſce euangelica prædicatione Deo renatū, Deo conſecratum; in ſtatere verò ſermones igne examinatos. Videlicet ſicut auC rum inter metalla pretioſiſſimum eſt, ſic inter virtutes Chriſtiani hominis eminet ſanctè loquendi diſciplina. *Qui ponderat ſermones ſuos, vt igne examinatos proferat.* Hoc fortè præ oculis habebat Dauid pſal. 118. num. 140. vel canens, vel monens: *Ignitum eloquinm tuum vehementer*. Ille profectò, qui flammantem igne cæleſti ſermonem pronunciare nouit, eloquio vehementer ignito gloriatur. *Bonns ignis*, inquit S. Ambroſius in hunc pſal. *qui calefacere nouit, neſcit exurere, niſi ſola peccata. Mundat animum, conſumit errorem*. Hoc auro tali igne examinato, nil pretioſius, nil ad augendam D Dei gloriam aptius, nil ad amplificandum ſummæ maieſtatis honorem accommodatius. Non ex humanis lucris, aut perituris honoribus ſemper ſumamus argumenta dicendi: ſed de contemptu terrenorum, de beneficijs Dei, de æternitate loquamur. Non vulgaribus vtamur ſermonibus, *ſed diuinitatem quandam præſeferentibns*.

Inter chriſtiani hominis virtutes ſatis eminet ſanctè loquendi diſciplina.

Audio clamantem ab Inferis Epulonē, & fruſtra licet, magna tamen contentione vocis, diuinæ miſerationis opem nimis ſerò implorantē Lucæ 16. n. 24. *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam*. Ex hac ipſa hominis æternis addicti cruA ciatibus inani deprecatione, non ſine ingenij acumine, id qnod proſequimur, deducit Auguſtinus: Ait enim in Cat. D. Thomæ: *Quod linguā ſuā vult refrigerari, cum in flamma totus arderet, ſignificat qnod ſcriptum eſt: Mors & vita in manibus linguæ*. Videt ſe Epulo infelix morte damnatum immortali, contemplatur Lazarum perenni beatitatis vita donatum, vt ſempiternam mortem cnm immortali vita commutet, petit aquæ gutta linguam refrigerari, quia mors & vita in manu linguæ. Videlicet diuinæ ſapientiæ aqua, vel abluta, vel imbuta lingua hominem humanis eductum, eleuatumque de miſerijs, B donat diuinitate. Hinc Diuus Dionyſius Areopagita ad Timoth. de cæleſti hierarchia cap. 2. *Tu autem*, inquit, *ò fili diuina dicendo diuinus efficere*. Ergo hoc vnum facit hominem diuinum, ſi lingua Deo digna loquatur. Vellet Epulo inter eos connumerari, de quibus beatitatis in finn viuentibus, dicitur: *Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes*. Pſal. 81. num. 6. ideò totiùs corporis oblitus, guttulam poſtulat ad refrigerium linguæ, vt diuina dicendo efficiatur diuinus. At nos, ſi fortè pudet ab Epulone erudiri, audiamus ſaltem Hilarium Arelatenſem, Chryſoſtomum, Theodorum Studitam, vt benè, ſanctèC que loqnendi formam, moderandæque linguae rationem perdiſcamus. Hilarius in funebri oratione dum S. Honoratum cohoneſtat, nos admonet noſtri mnneris his verbis: *Nnnquam in tuo ore, niſi pax, niſi caſtitas, niſi pietas, niſi caritas.* Chryſoſtomus hom. 4. de verbis Iſaiae. *Beatus*, inquit, *verè vir, amans ſermonnm ſpiritualium*. Denique Theodorus Studita ſer. Catech. 11. *Alij qnidem*, inquit, *mundana dicant, qui mundani ſunt, de lucro, de mercimonijs, de iactnra, de pecunijs, villis, pecoribus, de ludo, & voluptate, deque alijs vilioribus ſtudijs, & terrenis: nos qua potiùs loquamur, quidne conuenit D loqni, niſi de animo, de fuga vitiorum, de parandis virtutibus, de corporis ab anima ſeparatione, de Chriſti tribunali, de iudicio, de regno cæleſti*. Hoc loquendi genere facti quaſi participes diuinitatis, praeſtabimus, qnod Paulus Timotheo tantopere commendat epiſtol. 1. c. 4 n. 11. *Exemplum eſto fidelium, in verbo*.

Humana lingua ſapientiæ aqua, vel abluta, vel imbuta hominē miſerijs educit, diuinitate donat.

A verbis ſiquidem Chriſtiano nomine, & homine dignis Dei inhabitantis in nobis ſpecimen poriſſimùm petendum eſt, vt fidei amplificentur fines, vt Dei augeatur gloria, vt Chriſti regnum in cordibus hominum firmiſſimè ſtabiliatur. Fuiſſe comperio in hac ſententia Rupertum

Lingua de Deo loquēs index eſt hominis regenerati in Chriſto.

Illuſtrans enim oraculum illud Domini Ieſu, Io. cap. 3. num. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Sic loquitur. *Quod agunt viſcera materna, vt conceptum ſemen coaleſcat, & viuificetur; hoc agit elementum hoc aquæ* (ſermo eſt de Baptiſmo) *ſuperueniente Spiritu Sancto, vt homo natus de maſſa perditionis, & mortis, renaſcatur in cœtum viuentium, & populum acquiſitionis: Quo facto non ceſſat nouus homo, qui renatus eſt loqui de regno Dei, cui renatus eſt; inuocare Patrem à quo regeneratus eſt.* Vides vnde hominis Deo regenerati ſumatur indicium: Nempe à lingua de Deo loquente tanquam Rege, & Deum alloquente tanquam Patrē. Id autem plane, maximèque congruum eſt, & conſentaneum rationi ex Clementis Alexandrini ſententia lib. 1. Pædagog. c. 5. dicentis: *Oportet nouos eſſe illorū ſermones, qui noui verbi fuerunt participes.* Et id iuxta promiſſū illud Marci 16. n. 17. *Linguis loquentur nouis.* Non mortui reuocati ad vitam, non ſuperata Carnificum ſæuitia, non deluſa Tyrannorum violentia, non eiecti à corporibus Dæmones: ſed noui ſermones, ſed accommodata ſanctitatis regulis forma loquendi, Deum in noſtris cordibus habitare teſtabitur. Teſtabitur, inquam, communicatam nobis diuinitatem; Immò verò, & ipſum regem Cœli aſſertoremque libertatis

Lingua de Deo loquēs ſatis oſtendit Chriſtū cœleſtis regni eſſe dominum.

A humanæ Dei filium eſſe demonſtrabit. Vndè Lucæ 9. num. 11. vt probet ſe regni Dei dominum eſſe Chriſtus ſeruator: *Loquebatur illis de regno Dei.* Sic videtur ſentire D. Bonauētura de perfectione vitæ c. 4. ſcribens: *Qui eſt in mundo, & mundana non loquitur, euidenter demonſtrat ſe de mundo non eſſe; qui enim de terra eſt, de terra loquitur.*

Cur autem tantum ac tale priuilegium linguæ concedere voluerit ſapientiſſimus donorum largitor Deus, ſeduló cogitanti mihi ea ſubit mentem ratio: par fuiſſe, vt ſummi regis potentia fieret manifeſtior, partem illam hominis, quæ ſuapte natura

B maximè ad malum prona, præcipuum fieri Dei gloriæ inſtrumentum. Quis neſciat linguam, *indomitum animal, plenam peſtifero veneno, beſtiam, ſerpentem* paſſim dici à viris ſapientia, & ſanctitate præſtantibus? mihi vnus in præſentia Ennodius ſatis eſt dicens: *Deus bone in quantos ſenſus lingua diſpergit. Cum voluerit, ſæuit vt beſtia, currit vt fluuius, fluctuat vt profundum: & quamcumque fucatis imaginibus pingit ſpeciem veri aſtipulatione repræſentat.* Itá lib. 1. epiſt. 1. O verè maximum diuinæ portētum & bonitatis, & potentiæ, quod beſtia tam ſæua, fluuius tām præceps, profundum adeò vorax hominem donata diuinitatē nobilitet, & incremento gloriæ Dei quodammodo augeat maieſtatem!

IN CA-

IN CAPVT DECIMVM

A Num. XXI. ad XXVI.

Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & inſurgent filii in parentes, & morte eos afficient: & eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Cùm autem perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam. Amen dico vobis; non conſummabitis ciuitates Iſrael, donec veniat filius hominis. Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſeruus ſuper dominum ſuum. Sufficit diſcipulo, vt ſit ſicut magiſter eius; & ſeruo ſicut dominus eius. Si Patrem familias Beelzebub vocauerunt: quanto magis domeſticos eius?

PARADOXVM VIII.

Patientia, præſidium, & dulce decus Chriſtianorum.

HÆRET animus horrore perfuſus tàm ſæuæ ſpectaculo crudelitatis. Ergo patuum erat fraterno pollui sãguine cructas manus, niſi etiàm acti furiis parẽtes in fillos, & filij in parentes pluſquàm fera barbarie mutuis ſe ſe cædibus trucidarẽt? B *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium; & inſurgent filij in parentes, & morte eos afficient.* Quid atrociùs, quid immaniùs, quid truculentiùs dici potuit, aut cogitari? Verùm id quidem: C ſed quòd mirere magis, in terra talium crudelitatum Iliade, nullum auditur Dei protegentis ſubſidium, nullum tanto malo ab amantiſſimo Domino affertur remedium, niſi vel fuga, quæ indecora videtur; vel tolerantis patientia animi plus nimio dura, ac penitus intolerabilis. Hoccine tandem Aſylum eſt diuinæ protectionis? Hoccine perfugium atque tutamen amicorum Dei huiuſmodi inter diſcrimina laborantium, vt vulneribus cognata illatis manu, fraternis cædibus, infandis parricidiorum ſtragibus, patienti tolerantia acquieſcant? Hoc enim verò nil durius, nil turpiùs, nil grauius. Verùm fallitur, vt ſolet D mentis humanæ ſolertia. Vna ſiquidem Patientia Chriſti patientis exemplari propoſito: *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, &c.* præſidium eſt, & dulce decus Chriſtianorum. Quoniam verò vulgata hominum fert opinio, quod nihil præſidij, nihil decoris, nihil ſuauitatis haberi, aut afferri à patientia poſſit, meum erit hoc loco demonſtrare, ſuauitatem adeò dulcem, honorificentiam adeò decoram, tutelam adeò ſecuram haberi à patientia, vt iure quidem optimo, eam, & præſidium, & dulce decus credere, & predicare debeamus.

Placet autem plures afferre ſapientia, A & ſanctitate præſtantes viros: vt quaſi coacto ſanctorum Patrum concilio, quid in hac re ſentiendum ſit auditis ſuffragijs decernamus. Adſunt Innocentius Papa, Zeno Veronenſis Antiſtes, Abbas Abraham, S. Iſaac Presbyter, Lactantius Firmianus. Et Innocentius quidem data ad Chryſoſt. Epiſt. quæ habetur tom. 5. par. 2. Bibliot. PP. ſic ſcribit: *Ad patientiam exerceri poteſt. vt quàm maximè vir bonus, & honeſtus: vinci non poteſt.* Audis honeſti viri eſſe exercere patientiam, qua qui munitur, vinci non poteſt. Profert iam Zeno ſententiam ſuam ſerm. de patientia, paulò poſt initium. *Incertum eſt, vtrum* B *impaſſibilis iudicetur, cum aliquid paſſa, quaſi nihil paſſa ſit, inuenitur. Impoſſibile eſt, fratres, eius æſtimare virtutem, cuius vinci victoria eſt.* Quàm eleganter, quàm ingenioſè! dùm dubitat quid de patientiæ natura ſentiendum ſit, omnem aufert dubitationem, eam ſemper inuictam eſſe, atque victricem. Subſcribunt B. Laurentius Iuſtinianus, & Abbas Abraham, hic collat. 24. cap. 25. *Inuicta*, inquiens, *virtutis eſt glorioſiſſimè de impatientia triumphare*. Quid triumpho nobiliùs, aut glorioſiùs? Quid grauiùs, aut ſecuriùs, quàm contritis hoſtium viribus palmas extollere triumpales? B. Laurentius verò de in- C teriori conflictu cap. 2 *Non hoſtibus ſuis irrogando mala, ſed æquanimiter patiendo aduerſa, de huius ſeculi ſtadio triumphaliter diſceſſere.* Quid de patientia ſẽtiat S. Iſaac Presbyter, ſic exponit de mũdi contemptu, c. 42. *Patientia mater eſt conſolationis*. Conſolatione ipſa ſuauior eſt, & delectabilior patientia, quandoquidem cũ maternis blanditijs dulcedo nulla conferri poſſe videatur: at ſi conſolationes mœrore iacentẽ animum leuare poſſunt, quid non poterit tenerrima ipſa mater conſolationis? hæc autem eſt patientia. Perorabit tandem in hoc conceſſu ſapientium D Lactantius Firmianus, verbis iiſdem, quibus vſus eſt lib 6. de vero cultu inſtitutionum diuinarum, cap. 18. circà finem in hunc modum: *Summa igitur virtus habenda patientia eſt: Niſi enim homo contumelijs fuerit affectus, quantum habeat fortitudinis in ſe ipſo cohibendo ignorabitur. Si autem laceſſitus iniuria, lædentem perſequi cœperit, victus eſt. Si verò motum illum ratione compreſſerit, hic planè imperat ſibi, & hic regere ſe poteſt. Quæ ſuſtentatio ſui, rectè patientia nominatur: quæ vna virtus omnibus eſt oppoſita vitijs, & affectibus.* Ergo miraris honeſtum virum inuincibilem fieri? fit patientia, ex Innocentio. Miraris victum eſſe victo-

Homo patiens inuincibilis.

Conſolationis mater patientia.

victorem? id etiam ex Zenone tribuit patientia. Miraris excelſam triumphi gloriam in Chriſtianae virtutis Capitolio exultantem? exultat, ex Abraham,& Laurentio Iuſtiniano, duce patientia. Miraris duriores inter caſus maternas blanditias? mater eſt ex Iſaac patientia. Miraris humanam imbecillitatem exemplar praebere fortitudinis, & regium ſibi diadema imponere ferentem aduerſa? hoc quoque ex Lactantio donat ſumma virtus patientia. Et negabis patientiam, *præſidium, & dulce decus eſſe Chriſtianorum?*

Stupenda ſunt, & quouis miraculo, admirabiliora, quæ de Stygia aqua tradunt ſcriptores. Nominatim verò aquæ huius vim indomitam, illa teſtantur, quod vaſa quæuis ſiue vitrea, ſiue cryſtallina, ſiue murrhina, ſiue è lapide aut teſta fictili, Stygia plena aqua, fracta diſſiliant. Quin etiam ferrum, æs, plumbum, ſtannum, argentum, electrum, hac aqua infuſa ſoluuntur. Immo aurum ipſum, quòd neque ſitu, neque rubigine deteritur, acri huius aquæ humore vincitur,& diſſoluitur. Ita Pauſanias lib. 8. Arcadicorũ pag. 310.& Cardanus lib. 2. de ſubtilitate, pag. 103. Atqui hæc eadem Stygis aqua cum omnia diſſoluat, & conterat vnam Aſini vngulam (ſi Plutarcho credimus in opuſculo de primo frigido) neque diſſoluere, neque conterere, neque imminuere poteſt. Cùm verò Aſinus ſit patientiæ ſymbolum, quid ni dicere liceat, eo planè pacto quo inter reliqua omnia vna Aſini vngula Stygis aquæ reſiſtit, durata per patientiam pectora quæcumque licet mortifera vi conteri nequeant, aut labefactari? Vni ſiquidem patiẽtiæ datur, quod ne ipſi quidem charitatis auro conceditur, videlicet lædi non poſſe, neque pati venenatis humanæ vitæ calamitatibus labentibus côtinuò, ac noxijs Stygiæ inſtar aquæ. Venit in mentem quod eleganter cecinit Lucanus lib. 9.

Homines vitæ calamitatibus patientia munitus non conteritur.

Me calor æthereus feriat, mihi plena veneno
Occurrat ſerpens. —
— Serpens, ſitis, ardor, arena.
Dulcia virtuti; gaudet patientia duris.

Illuſtre ſane, & verum patientiæ praeconium eſt: *præſidium, & dulce decus Chriſtianorum*. Dira, lethalia, venenata circumfluant; & tuta, integra, illaeſa permanebit vngula Aſini; quia patientia, ſerpentes, ſitis, ardores, arenae dulceſcunt. Sentit nobiſcum allato Athletarum exemplo S. Ambroſius lib. de Elia, & ieiunio, cap. 21. his verbis: *Athletæ ſumus, legitimè certandum eſt. Ante ad brauium contenditur, poſtea ad Coronam; vt excipias*

Speciosa res Patientia.

A *puluerem, ſubeas æſtiui ſolis flagrantiam. Grauis æſtus, ſed dulcis victoria: moleſta caligo pulueris; ſed ſpecioſa tolerantia. Ibi colligitur puluis, vbi palma proponitur: nemo etenim nitidus coronatur: puluerulentum decet victoria*. Nota tolerantiam dici ſpecioſam, & meritò, cùm dulcem tribuat victoriam. O patientiam praeſidium, & dulce decus. Vnus mihi inſtar omnium teſtis ſit Iob, hoc eſt, *operarius ille*, vt cùm Tertulliano lib de patientia, cap 14. loquar, *Operarius*, inquam, *ille victoriæ Dei retuſis omnibus iaculis tentationum, loricæ clypeoque patientiæ*. Sola videlicet patientia periclitanti Iob praeſto fuit, praeſidium **B** dedit.

Patientia clypeus.

Quoniam verò non mediocrem habent vim exempla à prophana petita litteratura, ea afferre operae pretium eſt. Vt patientium Chriſtianorum explicet gloriam. Minutius Felix Scaeuolae vtitur exemplo, in ſuo Octauio, ſic loquens, paulò ante finem. *Quàm pulchrum ſpectaculum Deo, cum Chriſtianus cum dolore congreditur, cum aduerſum minas, & ſupplicia, & tormenta componitur; cum ſtrepitum mortis, & horrorem carnificis irridens inſultat? cum libertatem ſuam aduerſus reges, & principes erigit? cum triumphator, & victor, ipſi qui aduerſum ſe ſententiam dixit, inſultat?* Attende triumphatorem & victorem dici, qui mille ſuppliciorum genera **C** tolerat. Glorioſa itaque, & honorifica tolerantia eſt. Propterea paulò poſt idem Minutius Felix gentiles alloquitur in hunc modum: *Vos ipſi calamitoſos viros fertis in cælum, Mutium Scæuolam, qui cum errâſſet in Regem, periiſſet in hoſtibus, niſi dexteram perdidiſſet. Et quot ex noſtris non dexteram ſolum, ſed totum corpus uri, cremari ſine vllis eiulatibus pertulerunt, cum dimitti præſertim haberent in ſua poteſtate? Viros cum Mutio, vel cum Attilio Regulo comparo? Pueri & mulierculæ noſtræ, cruces & tormenta, feras, & om-* **D** *nia ſuppliciorum terricula inſpirata patientia doloris illudunt*. Perpendenda ſunt ea verba: *cum erraſſet in Regẽ, periiſſet in hoſtibus, niſi dexteram perdidiſſet*. Conſidera Mutium confoſſi regis reum, in poteſtate hoſtium omni euadendi ſpe deſtitutum, iam iam diſcerpendum, diroque tormentorum pœnarumque cumulo tumulandum. Quo confugiet? Quo ſe vertet? Acta res eſt,& deſperata omnino ſpes euadendi: Vnum ſupereſt, & quidem tutiſſimum patientiae Aſylum. Admoueat igni dexteram, vim patiatur incendij, & ſe ſe omni eripit diſcrimine. Neque enim periclitari poterat, aut ſummo in honore non

Glorioſe triumphat per patientiam vir.

haberi

Gloriatur in tormentis Christiana pietas armata per patientiam.

haberi is, cui praeſidinm, & decus praebebat patientia. *Periſſet in hoſtibus niſi dexteram perdidiſſet.* Quantò veriùs Christiana pietas, cruces, tormenta, feras, omnia ſuppliciorum genera *patientia doloris illudit*. Idem ſentit celeberrimus ille Marius apud Saluſtium, oratione de ſe habita, & de ea, quam parabat in Africam expeditione, his verbis: *Non poſſum imagines, neque triumphos, aut conſulatus Maiorum meorum oſtentare: at, ſi res poſtulet, cicatrices aduerſo corpore*. Plena acumine ſententia, qua decernit, tàm honorificum & praeclarum eſſe pati, quàm illuſtrium atauorum numerare ſeriem, quàm plures recenſere conſulatus, quàm triumphum agere. Nimirum cordato viro praeſtantiùs videri debet perferre incommoda, quàm inferre hoſtibus perniciem. En quàm tutum praeſidium: En quàm illuſtre decus tribuat patientia.

Quoniam verò à Mario celeberrimo duce audiuimus quantum decus, & quale praeſidium patientia tribuat, non erit abs re, in confirmationem huius veritatis, à militari diſciplina accipere inſtitutionem. Facio libens cum D. Paulus Moyſis fortiſſimi bellatoris vtens verbis, nos moneat opportunè ſic ſcribens ad Roman. cap. 12. n. 19 *Non voſmet ipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum irae* Vt manifeſtè patet, hoc praeceptum militem inſtituit Christianum, commonefaciendo qualem ſe gerere debeat cum manus conſerere debet cum hoſte iniurijs laceſſente. *Non voſmet ipſos defendentes*: Hoc eſt, vt Origeni placet, *fer patienter iratum fratrem nihil contradicendo, aut faciendo*. At hoc indecorum eſt, inquies, & viro forti prorſus indignum, vndè Nonius Marcellus ex Ennio monebat: *ſerua ciues, defende hoſtes*. Defende, hoc eſt vindica, vlciſcere. Id porrò glorioſiſſimum cenſebis audito Ambroſio, cuius ſententia honorificentiſſimum eſt patienter tolerare; ſicuti inter milites locum ſuum non deſerere, ſed inuicta propugnare conſtantia, virtutis eſt praeſtantiſſimae. Id verò deducit Ambroſius l. 1. of. c. 21. ex ijſdem hiſce Pauli verbis: date locũ irae. *Si praeuenerit*, inquit, *& praeoccupauerit mentẽ tuam iracundia, & aſcenderit in te, non relinquas locum tuũ. Locus tuus patientia eſt, locus tuus ſedatio indignationis eſt*. In acie ſumus, ergo pro aris, & focis pugnandum eſt, ne loco pellamur. *Euidens eſt*, inquit S. Petrus Chryſologus, ſerm. 17. *deſidia militis, ſi deſerat aciem, ſi greſſum retrahat*. Quàm turpe eſt moueri loco, & reijci ab hoſtili vi, tàm decorum, & nobile tueri, & tenere locum ſuum.

Christiani militis praeliantis in bello locus proprius eſt patientia.

Locus tuus, patientia eſt. Id autem, licet glorioſum ſatis videatur Chriſtiano bellatori; parum tamen eſſe fatebimur memores aureae ſententiae Gregorij Nazîazeni, oratione in laudem Heronis philoſphi, de quo paulòpoſt initium ait: *Hic eſt veritatis Athleta minimè fictus, & Trinitatis ad ſanguinem vſque propugnator, atque eorum qui ipſum iniuria inferẽda cauſa proſequebantur, patiendi alacritate perſecutor. Nihil enim eſt, quod perſecutoris vim perinde frangat, vt patientis alacritas, animique promptitudo*. Itaque parum eſt patientia retundi vires hoſtium; parum, patientia defendi probitatem; parum patientia ſtare in acie bellatorem Chriſti; ſed inſuper patientia perſecutores perſequitur, peremptores perdit, aggreditur aggreſſores, & oppugnatores expugnat.

Nihil magis Chriſtianae militiae hoſtes frangit quam patientis alacritas.

Neque id magnificentiùs, quàm par eſt, dici quis putet. Tertulliano ſanè viſum eſt, à patientia non refelli ſolum impudentium inimicorum iniurias, ſed aggredientium temeritatem patientia conteri, ac conculcari. Hinc cap. 8 lib. de ſapientia, examinans mandatum illud Chriſti Domini, Matth. cap. 5. de porrigenda percutienti maxilla, ſic habet: *Si manu quis tentauerit prouocare, praeſto eſt dominica monela;* (ideſt admonitio) *Verberanti te, inquit, in faciem, etiam alteram genam obuerte, fatigetur improbitas patientia tua. Quiuis ictus ille ſit, dolore & contumelia conſtrictus, grauiùs à Domino vapulat. Plus improbum illum cadit ſuſtinendo*. O quàm egregiè ſuos tutatur patientia. Patientiam credebas clypeum: Vides non clypeum modo protegentem, ſed haſtam etiam inuadentem, tranſuerberantemque inimicum inſolentia ferocem. Itaque glorioſè digladiatur, & tutò propugnat patientia; imò expugnat impugnatores. Fatigetur improbitas patientia tua: Plus improbum illum cædis ſuſtinendo. Quaeris fortaſſe quonam modo fieri poſſit, vt vim habeat patientia ad audaciam inſenſae temeritatis non ſuſtinendam modò, ſed etiam infringendam? aut ſciſcitaberis quo pacto valeat patientia non tolerare modo, ſed conterere proiectam improborum procacitatem, cum videatur patientia facta potiùs ad ferendam, quàm ad inferendam iniuriam? Reſponſum in promptu eſt: Poſſe ſcilicet patientiam non ſolùm contra impetum ſtare, ſed inuadentes opprimere eo modo, quo flamma è monte qui Chimæra dicitur in Phaſelide ſito, incendio flagrans immortali diebus, ac noctibus, fœno extinguitur, quemadmodum tradit Plinius lib. 2. cap. 106. Aut eo modo, quo

Patientia non modo clypeus protegens ſed etiam haſta inimicos tranſuerberans iure dicitur.

ſtupa

A ſtupa retundit vim flammantis voraginis in Hecla Iſlandiae monte. Ergo, ne dum miramur naturæ prodigia, videamur de gratiae mirabilibus dubitare, fateamur neceſſe eſt, multo magis poſſe patientia infringi robur ingruentium calamitatum, quam vel fœno, vel ſtupa retundi debacchantium inſolentiam incendiorum, alioquin plus naturae conatibus, quàm donis caeleſtibus tribuere iudicaremur. Vtor autem eò libentiùs petita ab igne ſimilitudine, quò expreſſius inueſtio vſurpatam à S. Petro Damiano lib. 2. epiſt. epiſt. 18. ad Deſiderium Abbatem ſcribente in hunc modum: *humilitas patientia reprimit flammiuomum hominem à feruore vindictæ.* B *Fatigetur improbitas patientia tua. Plus improbum cædis ſuſtinendo. Nihil eſt, quod perſecutoris vim perinde frangat, vt patientis alacritas.* Mirum porrò videri non debet, ſi nobilem ac glorioſam tribuit homini fortitudinem patientia, quandoquidem decus illuſtre fortitudinis Deum ipſum à patientia ducere teſtatus eſt Propheta Nahum cap. 1. num. 2. *Vlciſcens Dominus, & habens furorem; vlciſcens Dominus in hoſtes ſuos, & iraſcens ipſe inimicis ſuis. Dominus patiens, & magnus fortitudine.* Vndè magnus fortitudine? Num à profligatis hoſtibus, aut à furore inimicos delente funditus? Nequaquam. C A ſola patientia magnus fortitudine perhibetur.

Deus ipſe à patientia magnus fortitudine dicitur.

Patientiam porrò, non homini tantùm ſed ipſi Deo decus afferre eximium accommodatè teſtatus eſt Senex ille virtute, quam aetate ſpectabilior, de quo ſcribit Caſſianus Collat. 12. cap. 13. Hic non procul ab Alexandria circumfuſa infidelium multitudine non ſolùm maledictis laceſſitus, verum etiam laceratus iniurijs, contumelijs affectus, verberibus contuſus; cum à ſubſannantibus mille ludibriorum modis circumquaque ganeonibus interrogaretur: quale miraculum illuſtre, & glorioſum ad D diuinitatem ſuam mortalibus indicandam Chriſtus Dominus exhibuiſſet? Reſpondit ſenex Deo plenus cordatum cedroque dignum apophthegma: *Maximum, & præſtantiſſimum Chriſti Domini miraculum eſt, vt his, ac grauioribus etiam ſi intuleritis, nec offendar iniurijs, nec probris iraſcar, nec mouear offenſis.* Nil quippe excogitari poteſt aptiùs, aut accommodatiùs patientia, non ad patefaciendam modo, ſed augendam etiam, amplificandamque commendationem potentiae, & maieſtatis, qua Deus tantopere gloriatur: Non praeclara opera, non ſingularia prodigia, non praeſtantiora miracula tantam vim habent ad euincendũ ſummae gloriam diuinitatis, quantùm ſola pollet patientia. Et quid mirum? ſi Deus ipſe magnitudinem fortitudinis ſuae à patientia accipit, & auſpicatur. *Dominus patiens, & magnus fortitudine.*

Intelligo iam, quanto cum acumine ſuæ coloribus eloquentiæ expreſſurus Tertullianus patientiae ſimulacrum, ſic dixerit, lib. de patientia, cap. 15. *Age iam ſi & effigiem, habitumque eius comprehendamus. vultus illi tranquillus, & placidus, frons pura, nulla mœroris, aut iræ rugoſitate contracta: remiſſa æquè in lætum modum ſupercilia, oculis humilitate, non infelicitate deiectis. Os taciturnitatis honore ſignatum. Color, qualis ſecuris, & innoxijs. Motus frequens capitis in diabolum, & minax riſus. Cæterũ amictus circum pectora candidus, & corpori impreſſus: vt qui nec inflatur, nec inquietatur. Sedet enim in throno ſpiritus eius mitiſſimi, & manſuetiſſimi; qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet, ſed eſt teneræ ſerenitatis, apertus & ſimplex, quem tertio vidit Helias. Nam vbi Deus, ibidem & alumna eius, patientia ſcilicet.* Proh quàm ingenioſè, quàm verè! Nihil non decorum: nihil non honeſtum ac nobile micat in patientiae vultu, vt ore, inceſſu, habitu pateat praeſtantiſſima veneranda maieſtate, & ope potentiſſima metuenda. Quod in patientia humile credis, & abiectum; decori imago eſt honore inſignita. Tandem ſuſpice patientiam in ſummae throno maieſtatis collegam Dei. Huc reſpicere volens B. Petrus Dam. lib. 6. Epiſt. epiſt. 31. initio, patientiam dixit reginam: *Quomodo*, inquiens, *vobis adhuc ignota ſit patientia regina virtutum, cui nimirùm cuncta deſeruiunt.* Et dubitabis, num patientia decus ſit, & praeſidium Chriſtianorum? Mihi ſanè Dei alumna patientia ſemper non modo praeſidium, ſed dulce inſuper decus futurum eſt.

Quàm pulchrè Chriſtianæ patientiæ imago à Tertulliano depingatur.

Patientia alumna Dei

Patientia regina virtutum.

Durum ſed leuius fit patientia
Quidquid corrigere eſt nefas.

Vſque adeò verum eſt leniri per patientiam dura, & amara dulceſcere, vt ab Horatio etiam lib. 1. Ode 24. in fine fuerit decantatum.

Quae quando peruicaces ac refractarios hominum rebellantium animos non poſſent compellere ad ſtudium patientiae; compellet ſine dubio Saluiani Maſſilienſis Epiſcopi ratio, & oratio huiuſmodi, quae habetur lib. 4. de vero Iudicio, & prouidentia Dei, ante medium: *Quamlibet aſpera, & aduerſa patiamur, minora patimur, quàm meremur. Quid queri-*

mur

mur, quod durè agat nobiſcum Deus? multò nos duriùs cum Deo agimus, exacerbamus quippe Deum impuritatibus noſtris, & ad puniendos nos trahimus inuitum. Quaecunque patimur nos nobis admouemus: ergò in nos ſolum ſuccenſeamus. Quaecunque patimur minora

A ſunt meritis: ergo non debemus contumelijs caelum petere, ſed moderato, imò libenti animo tolerare, praeſertim cum aequiùs quàm olim Ode 1. lib. Mecaenatem ſuum compellauerit non ignobilis Poëta: de patientia dicere poſſumus:

O & præſidium, & dulce decus meum.

IN CAPVT DECIMVM

A Num. XXVI. ad XXXII.

Ne ergo timueritis eos: Nihil enim eſt opertum quod non reuelabitur: & occultum, quod non ſcietur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam. Nonne duo paſſeres aſſe væneunt: & vnus illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro? Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere: multis paſſeribus meliores eſtis vos.

PARA-

PARADOXVM IX.

Timor, cauſa, & indicium fortitudinis.

QVID timere debeamus, quid non, opportunè monemur, atque dilucide. Vnum hac occaſione (quod fortaſſe non adeo clarum eſt) exponendum ſuſcipio, naturam videlicet Chriſtiani timoris, quem aio cauſam, & indicium eſſe fortitudinis, contra communem litteratorum hominum ſenſum arbitrantium timorem, & deſidiæ patrem, & vilium animorum indicem eſſe, quemadmodum nouimus à Poetarum maximo decantatum lib. Æneid. 4.

Degeneres animos timor arguit.

C Conſentit Oratorum Princeps M. Tullius 2. de inuentione pronuncians: *fortitudini contraria eſt ignauia*. Hæc ſcio, non tamen recanto, ſed iterum pronuncio genus timoris quod laudo, tale eſſe, vt eo fiant homines fortiores, & ſpectabiliores. Venit in meam ſententiam B. Laurentius Iuſtinianus, qui hac de re in hunc modum philoſophatur lib. de lig. o vitæ cap. 2. *Hominem timor fortem facit. Nam in via Dei à timore incipitur, vt ad fortitudinem veniatur. Sicut nanque in via ſeculi audacia fortitudinem, ita in via Dei audacia debilitatem parit, & timor fortitudinem gignit, vincula cupiditatis diſrumpit, ſimiliter timor Dei vitium corrigit*. D Placet ratio B. Laurentij, ex cuius ſententia rectè fortitudinis cauſa debet haberi timor, quia à timore prauae cupiditates diſruptae concidunt, quia vis vitij eneruata proſternitur. Quantae verò fortitudinis opus id ſit habemus ex oraculo Dei. Prou. 16. num. 32. *Qui dominatur animo ſuo fortior eſt expugnatore vrbium*. Propterea monebat Auguſtinus lib. 50. homil. homil. 46. *Facit hoſtis ſecuros, quos cupit eſſe captiuos*. Bene nouit hoſtis tartareus timentem expugnari non poſſe, quia ſtat in acie inexpugnabilis, qui timore obarmatur. Caue, ne abiecto timore ſecurus fias: quos

Timor Dei Homines fortes reddit.

A enim refellere, immo debellare timens poteras, ſuſtinebis tyrannica te captiuitate prementes.

Audiendus eſt attentè Richardus de S. Victore egregiè diſſerens de ſeptem filijs, quos Iacob Patriarcha habuit ex Lia: Docet autem totidem ſignificari virtutes, ita vt per Ruben ſignificetur timor, per Simeon dolor, per Leui ſpes, per Iudam amor, per Iſſachar gaudium, per Zabulon odium, per Dinam pudor. Facit pro re praeſenti, quod per Ruben ſignificetur timor: Primogenitus nanque virtutum timor, non niſi per primogenitum debuit deſignari. B Ratio porrò conuenientiæ inde deſumitur, quod Ruben ſignificet filium viſionis, & timor magno cum acumine viſionis filius debet nuncupari, cum ex viſione, ſeu ex conſideratione ducat originem. Propterea ſic loquitur Richardus: *Quodammodò caecus eſt, & minimè videt, qui peccare non timet, qui futura mala non prauidet, qui non erubeſcit prauitatem ſuam, qui non expaueſcit poteſtatem diuinam. Sed ſi incipiat iſta videre, incipit pariter, & timere: & quantò perfectiùs cognouerit, tanto vehementiùs timebit. Vides quam iuſtè Ruben vocetur, ideſt, viſionis filius, qui ex tali viſione generatur*. C Haec Richardus; ex quo habes timorem, viſionis filium nuncupari meritò poſſe, cum ex viſione, ſiue ex conſideratione oriatur. Attende iam verba Iacob, quibus Ruben compellat, inquiens: Gen. 49. num. 3. *Tu fortitudo mea*. Sicut timor per Ruben ſignificatur, quia tam Ruben, quàm timor Filius viſionis dici meritò poſſunt, ità agnoſcenda in timore fortitudo; quae à Patriarcha Iacob Ruben tribuitur. In virtutum familia vis omnis & fortitudo, in timore eſt, non ſecus ac in familia Iacob primogeniti Ruben peculiaris & propria eſt fortitudinis commendatio. Dicamus timori: *Tu fortitudo mea*: Et noſtrum D loquendi modum confirmabit Richardus, his verbis: *Quis in pralio victor extitit, vbi caro aduerſus ſpiritum concupiſcit? Quis tàm numeroſum exercitum concupiſcentiarum ſuarum debellauit, ſi ſine timore pugnauit? rectè primogenitus dicitur, quia à timore Domini omne bellum inchoatur: rectè fortitudo appellatur, quia per timorem Domini cor contra concupiſcentias ſuas roboratur*.

Fuit id Regi Dauid perſpectum cum pſal. 13. num. 4. apertè adeò declarauit, fortitudinem omnem à Dei timore originem ducere, vt hac de re, tanti Regis percepto oraculo, nemini dubium eſſe queat. Ipſe audiendus dùm ſic fatur: *Nonne cognoſcent*

omnes

Virtutum Primogenitus timor Dei.

Timor Dei viſionis ſiue conſiderationis Filius.

Iuſtorum fortitudo timor Dei.

*omnes qui operantur iniquitatem: qui deuo-
rant plebem meam ſicut eſcam panis?* Vi-
des? ad depingendum impiorum ingenium
vtitur ſumpta à leonibus ſimilitudine;
Sceleſti videlicet rabidorum, ac furentium
inſtar leonum, ſicuti nil metuunt, ita nil
non audent, nil non aggrediuntur in ſer-
uos Dei, quos rapiunt, dilacerant, deuo-
rant. *Deuorant plebem meam ſicut eſcam.*
Benè eſt. Sed attende quid ſubdat. *Domi-
num non inuocauerunt, illic trepidauerunt
timore, vbi non erat timor.* Contraria
omninò, atque pugnantia ſunt hæc: Iidem
modò leones dicũtur impauidi; modò tre-
pidantes timore, vbi nulla timẽdi ſit cauſa,
tanquam lepores perhibentur. Verùm, quæ
primo aſpectu videntur contraria, ſi con-
Qui timet Deum nihil timet.
ſiderentur attentiùs, plena ſunt ſtupendo
myſterio; Etenim ſceleſti, quibus nil penſi,
nil ſancti eſt, ideò lepores reperiuntur,
quia leones imitantur; Videlicet, quia, cùm
nil timeant, leonibus comparantur; Et
quia Dei timore deſtituuntur, timeant ne-
ceſſe eſt tanquam lepores. Didici id ex Ba-
ſilio in ſcholijs ſic dicente: *Illic trepidaue-
runt timore. Inſtar leonum audentes fue-
runt, & more leporum timuerunt, cum
enim Deum non timuerunt, Deum timue-
runt*, Vna timoris eſt cauſa, Deum non ti-
mere; omnem abigit metum timor Dei,
quem qui timet, nullo poteſt timore con-
cuti. Vndè cecinit *S. Paulinus* Natali
Octauo ante medium.

*—Non metuendi
Cauſa, timere Deum; quem quiſquis non
timet vnum,
Omnia iure timet.—*

Ergo timor Dei impauidum facit, nihil
enim poteſt concutere pectus Dei timore
occupatum. Hinc L. Cælius Lactantius
Firmianus lib. de ira Dei cap. 12. *Timor
Dei ſolus eſt, per quem vita ipſa ſuſtinetur,
munitur, gubernatur.* Notandum eſt ver-
bum illud: *Munitur*: dùm luculentiùs ex
texto ſuffragium S. Effraem Syri de patien-
tia & conſummatione ſæculi, decernen-
tis: *Timor Dei verſetur in corde tuo, ne
timidus ſis miles; neque ignauus, ac piger
operarius, ne fugias coronam.* Non modò
Dei timor ignauiam abigit, timoremque
depellit à corde Chriſtiani militis, ſed co-
ronam victoriæ tribuit, hoc eſt, honeſtiſ-
ſimum tribuit fortitudinis ornamentum,
hoſtibus debellatis.

Cunctabatur Moyſes ſecum ipſe perpen-
dens pericula, quæ imminebant in deman-
data ſibi à Deo ad Pharaonem legatione.
Stupendũ omnino conſilium à Deo initum,
ad abigendum à Moyſis corde hunc timo-
rem: Moyſem etenim prodigioſo portento

A perterrefecit, vt metu liberaret. Videlicet
metus, qui à Deo eſt, facit inuictum, & no- Timor Dei inuictos red-
ua quadam inauditaque fortitudine donat, dit.
& auget. Deus igitur non grauatur Moy-
ſen alloqui, metuque perculſum vt ſubie-
uet, ſic fatur Exod. 4. num. 3. *Dixitque
Dominus: Proÿce eam in terram* (ſermo
eſt de virga) *Proiecit, & verſa eſt in co-
lubrum, ita vt fugeret Moyſes.* Quale con-
ſilium, Deus immortalis? Moyſis animus
ſatis concuſſus, erigendus erat, non de-
nuò concutiendus. Trepidans Moyſes ſe
ſe adducere non poterat, vt ad Pharao-
nem ſe conferens, certum in diſcrimen
ſuum caput adduceret, modò verò terri-
B fico ſerpentis tortuoſi ſpectaculo cogitur
fugam arripere: Hoc nimirum reliquum
erat ad patefaciendam meticuloſæ men-
tis imbecillitatem. Sed fallor; vt Moyſes
Dux à Deo electus dignos concipiat ſpiri-
tus, omnemque præpoſteram deponat
formidinem, timorem hauriat Deo opifi-
ce inſinuatum; Deum timeat, vt cæleſti
fortitudine obfirmatus derideat tyranni-
cam vim, atque efferatam deſpiciat ho-
ſtium inſolentiam. Appoſitè in hanc ſen-
tentiam ſic ſtatuit venerabilis Beda, *Quod
verò*, inquiens, *ad hiſtoriam pertinet, vir-
ga, quæ in manu Moyſi fuerat, & in colu-
brum verſa eſt, ſignificat vt Moyſes Dei
poteſtati crederet, & plebs Moyſi, &
Moyſes Pharaonem non timeret.* Moyſi
C Deum timenti, Pharao timendus non erit.
Vidit hoc iampridem ſuperna perfuſus
luce Eliphaz, Iob 4. num. 6. eundem
ſic compellans: *Vbi eſt timor tuus, forti-
tudo, & patientia tua, & perfectio viarum
tuarum?* In arenam contra hoſtes huma-
ni generis deſcendens fortis erit, ſi timidus.
Vbi timor tuus, & fortitudo tua?

Hùc fortaſſe reſpexit ſapiẽtiſſimus mor-
talium Salomon, Prou. 30. num. 26. *Le-
puſculus, plebs inualida, qui collocat in pe-
tra cubile ſuum.* Videtur deſcribere timen-
tes trementeſque, ſeruientes Deo cum
D omni tremore, & timore, adeòque cum
plebecula, & cum lepuſculis conferendos.
Obſeruandam cenſeo coniunctionem, di-
citur enim Lepuſculus collocare in petra
cubile. Petræ durities, & meticuloſi le-
puſculi natura, ideo coniunguntur, vt in-
telligamus, in Petra, quæ Chriſtus eſt, for-
tes fieri, qui timent vt lepuſculi. Aut po-
tiùs audiẽdus Galfridus in Allegorijs Goe-
fridi Tilman. licèt diuerſo modo, in rem
tamen noſtram, exponentis hunc textum:
*Cubile ſibi ponit lepuſculus in petra apud
eos, qui inualidi quidem, ſed eiuſdem inua-
litudinis ſuæ non ignari, in fructibus pœni-
tentiæ cuſtodiunt vias duras. Huic di-
citur,*

citur, Ingredere in petram, abſcondere in foſſam humum; & Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus, qui omnia opera ſua verettur; nec currere audet, nec in terra ſuauiter viuentium, vbi ſapientia non habitat; nec in locis horrentibus, vbi Leuiathan dormit; ſed in petra ponit cubile ſuum. Hæc Galfridus. Ex quibus patet expreſſè, Dei timore iuſtos fortes fieri, & propugnari. Timore namque coercentur ad aſperum vitæ genus ducendum, quod eſt ponere in petra cubile, hoc eſt ſaxea obarmari firmitate, vt nequeat expugnari. Viuo lapide aggeres excitat, qui timore perculſus, remiſſo blandis oblectamentis nuncio, durat ſe ſe mille pœnarum generibus, quibus timore duce ſe conterit, & caſtigat. En ex ipſo metu firmitas, ex ipſo panore durities. Taceat iam prophana litteratura, quod ſcriptum reliquit Artemidorus lib. Oniroc. cap. 35. *Pauor & timor, quos aliqui vocant Martis filios.* Timere quippe in loco non vltima laus eſt bellatoris. Vndè Velleius Paterculus lib. 1. hiſt. de Marco Antonio belli metu perterrito, ſic ſcribit: *Hanc tamen Antonius fugam ſuam, qua viuus exierat, victoriam vocabat.* Timor itaque in ancipiti certamine à morte vendicans, non ignauæ mentis eſt nota, ſed victoris animi ornamentum; quia vitam donat. Quantò æquiùs fortẽ credemus Dei timorẽ, à quo vita animæ tribuitur? Imò hoc parum eſt. Neque enim fortitudinis cauſa credendus eſt timor Dei, eo ſolum nomine, quòd à mortis diſcrimine vindicet: verùm etiam multò magis, quia inimicos ipſos fugat, ac perdit. Non id quidem proprio ſenſu, ſed ex Radulphi ſententia profero, qui in Alleg. Tilmanni huc trahit ea verba Deuter. 32. n. 30. *Quomodò ſi vnus fugaret mille: & duo fugarent decem millia.* Sic autem de hoc numero philoſophatur. Fugatos, de quibus fit mentio, ait eſſe ſalutis humanæ inimicos, quorum licèt decem millia diſſipet diuinus amor, timor tamen Dei is eſt, qui ſolus mille fuſos compellit ad fugam. Hoc porrò non contemnendæ, ſed eximiæ præſtantiſſimæque fortitudinis eſſe, nemo non videt. Excipe verba Radulphi: *Ecce qualis prœliator timor Dei, qui non ſolùm nequitias, ſed etiam negligẽtias omnes ante ſe fugare conſueuit.*

Timor Dei hoſtes licet innumeros in fugã vertit.

Parentem, procreatoremque fortitudinis inuictæ decernit, ac prædicat Dei timorem magnus Iſraëlitico ſceptro, maximus ſui cordis imperio Dauid, palam enim pſal. 111. num. 1. cum cecinſſet. *Beatus vir qui timet Dominum.* Quid hinc ſequatur, ſtatim aperit, num. 8. *Confirmatum eſt cor eius, non commouebitur.* A timore Domini firmitas cordis, & vis pectoris nullo frangenda impetu, nullo robore proſternenda, à metu Summi Numinis ducit originem. Da cor Deum pauens, & dabis intrepidum, & dabis inuictum, & dabis eximia fortitudinis laude exornatũ. Confirmat id elegantiſſima inductione Veronenſis Epiſcopus Zeno, ſerm. de timore in 3. tom. Bibl. PP. Et primò quidem incipit à Daniele, qui leones non timuit, quia Dei timore muniebatur: *Daniel*, verba Zenonis, *timoris ſuffragio, populis terribilem draconem inermis necat: Leonibus obiectus, in periculo prandet, qui ſolet extra periculum ieiunare.* Tunc minùs territus, & paratior ad diſcrimina, cùm contra leones timoris ſuffragio fortior factus humana terriculamenta ridebat. Cui ſuffragatur Dei timor, ſecurus eſt ab omni metu. Subdit exemplum Ionæ. *Ionas*, inquiens, *timens Dominum, ſpontaneum non timet adire naufragium; Ceto inhiante miſerabiliùs ſepelitur, quàm præcipitatur: & tamen littus, quò tendebat, inuenit, antequàm videat; felix magis ſepulcro, quàm naui.* Pendo illa verba: *timens Dominum.* Hac vna ratio eſt, cur mare non formidet, cur monſtrum non refugiat: Nil quippe perhorreſcere poteſt, qui Deum timet. Affert etiam Teclæ tenerrimæ ſanctiſſimæque exemplum virgunculæ, quæ tyrannicam eluſit violentiam, tormentorum deſpexit acerbitatem, riſit rabiem carnificum, carceres, verbera, ſecures, vulnera, mortem intrepida tolerauit; Neque ſuccumbere potuit ea virtus, quæ Dei fulta timore firmiſſima reddebatur. *Tecla*, loquitur Zeno, *inter tot inſtrumenta mortis, ſpectatore metuente, ſecura calcat genera vniuerſa terrorum. Incolumis, quaſi orbe ſubacto, de illo ferali cauea ambitu, non miſerabilis, ſed mirabilis exceſſit.* Quid mirabilius? Nõ timet hoſtes inermis virguncula, ſed timetur: quia diuini timoris eſt, cuiuſcunque periculi timorem infringere. Circumſtante ſæuitia, vel leonum rabie ac fame furentium, vel maris æſtu fremente irrequieti, vel carnificum truculentiſſimorum immani furore non commouentur ſerui Dei, quia confirmantur timore, qui fortes facit. Sic viſum eſt Maximo Gregorio lib. 5. moral. cap. 13. decernenti: *Mens noſtra tantò valentiùs terrores rerum temporalium deſpicit, quantò ſe auctori earundem veraciùs per fortitudinem ſubdit.* Ergò tantam tribuit Dei timor fortitudinem, vt qui Deum timet, & conatus inuiſibilium inimicorum, & tyrannorum violentiam,

Inuictæ fortitudinis Parens timor Dei.

Qui timet Deum, carnificum tormenta licet acerbiſſima non timet.

A tiam,& aduerſariorum vires,& belluarum
feritatem, & mortem ipſam meritò con-
temnere queat. *Mens*, ſubdit Gregorius,
*quaſi non ſibi ſatisfecerit, in timore Domi-
ni conſtituta, non inuenit extra ſe quod
metuat, quia, dum recto metu conditori
omnium iungitur, poteſtate quadam ſupra
omnia ſubleuatur*.

Vocant me feſtiuæ acclamationes po-
puli Dei: Renunciato enim Dei auctorita-
te Rege Saul, omnium conſenſu, & voce
conſalutatur tot exoptatus votis: *Viuat
Rex*: lib. 1. Reg. cap. 10. num. 24. Sed
ecce tibi cæli oracula exponente Samuele,
vix inunctus Rex, purpura indutus, redi-
B mitus corona, iam ſceptro potens, non
deſtituitur modò, ſed contemnitur à præ-
cipua exercitus parte. O humani in-
coſtantiam ingenij in ſola volubilitate
conſtantem! Leges num. 26. cit. cap. *Saul
abijt in Domum ſuam in Gabaa, & abijt
cum eo pars exercitus, quorum tetigerat
Deus corda. Filij verò Belial dixerunt:
Num ſaluare nos poterit iſte?* Iàm in di-
uerſa trahuntur ſtudia eorum, qui mox co-
ronatum regem exceperant venerabundi.
Faciunt ad rem noſtram verba illa: *Pars
exercitus*, ex hebræo: *exercitus fortitu-
do, robur, virtus*. Nota, quòd non for-
tes, non robuſti, non virtute prædıti, ſed
C fortitudo, robur, virtus, nuncupantur,
Termini abſtracti, vt docent Dialectici,
ampliorem habent ſignificationem, quàm

A concreti. Sed ex Chaldæo clariùs: Red-
ditur enim ratio huius fortitudinis tàm
laudatæ, & tàm laudabilis. *Iuerunt* (ver-
ſio Chaldæa) *cum illo pars ex populo viri
timentes peccatum, & datus eſt timor an-
te Dominum in corde*. Habes iam quo pa-
re naſcatur fortitudo, nempe à timore
Dei, vel à metu ſecundùm præſcriptum
voluntatis diuinæ. Subijcio ex B. Lauren-
tio Iuſtiniano ſic ſcribente ex locis cita-
tis. *Qui timet Deum nihil trepidat: quia
timor Domini fiducia eſt fortitudinis: &
qui illum poſſidet, non corruet*. Ex Gre- Timendum fortitudo Deus.
gorio verò: *In via Dei timor fortitudinem
facit*. Verùm ſatius erit Dei loquentis ex-
B cipere oraculum, Prou. 14. num. 26. *In
timore Domini fiducia fortitudinis*. Cuius
veritatis ea certiſſima, & apertiſſima ratio
eſt, quam affert Dauid, pſal. 24. n. 14 *Fir-
mamentum eſt Dominus timentibus eum*.
Deus ipſe timentibus ſe tutela, fortitudo,
firmamentum eſt. Vndè Eccl. cap. 34. n. 16.
*Qui timet Dominum, nihil trepidabit, &
non pauebit: quoniam ipſe eſt ſpes eius*. Quæ
cùm ità ſe habeant, non ineleganter de iu-
ſti viri mente dici poſſe videtur, quod de
fide protulit Tertullianus de Idol. cap. vlt.
Inter ſcopulos, inquiens, *& ſinus veliſi-
cata ſpiritu Dei fides*, (dicamus mens iuſti)
tuta, ſi cauta; ſecura, ſi attonita. Pauor
C quippe reddit intrepidum, & donat for-
mido ſecuritatem, cum timor Dei indi-
cium, & cauſa ſit fortitudinis, &c.

IN CAPVT DECIMVM

A Num. XXXIV. ad XL.

Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem aduerſùs patrem ſuum, & filiam aduerſùs matrem ſuam, & nurum aduerſús ſocrum ſuam: & inimici hominis, domeſtici eius. Qui amat patrem, aut matrem plùs quàm me, non eſt me dignus; & qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Qui inuenit animam ſuam, perdet illam: & qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.

PARADOXVM X.

Pax Chriſtianorum armata, & bellatrix.

QVIS vnquam crederet niſi ipſamet, quæ mentiri non poteſt, veritas publicè profiteretur & palam; Chriſtum Dominum humanæ ſalutis vindicem, è cæleſti Hieruſalem, hoc eſt, è pacis Metropoli in terras delapſum, vt homines armis inſtructos non diſſociaret modò, ſed ad diſſidia prouocaret? *Non veni pacem mittere, ſed gladium*. An non hic, ille ipſe eſt, qui ab Iſaia cap. 9. num. 6. *Princeps pacis* veriſſimè, ac religioſiſſimè nuncupatur? Ergo Princeps pacis arma miniſtrat? Ergo beneuolæ cõiunctionis auctor imbutos humanitate animos excitat ad furorem? Ex his quae videntur pugnantia, omnem extrà controuerſiam ſtatuo, Chriſtianorum pacem armatam eſſe, & bellatricem.

D Id autem eò libentiùs aſſero, quò euidentiùs inuenio declaratum à Chriſto Domino, non verbis modò, ſed luculenta etiam exhibitione factorum, Id ſanè naſcens è Virgine, id è ſepulchro reſurgens voluit, ni fallor, noſtris mentibus inſinuare. Vndè *Lucæ* cap. 2. num. 13. & 14. dicitur edito in lucem Dei filio cantata quidem pax, ſed à cæleſti militia, non à cæleſtis chori cantoribus. *Facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus*. Attende pacem hominibus à militia nunciari: non imbellis quippe, ſed militaris eſt Chriſtianorum pax. Atque (vt vltima primis reſpõdeant) abſoluto mortalitatis noſtræ curriculo dicitur triumphator mortis

Chriſtianorum pax bellatrix, non imbellis.

pacem annunciauiſſe diſcipulis, ſed ſimul etiam manuũ, ac lateris vulnera oſtendiſſe. Sic Io. 20. n. 19. & 20. *Venit Ieſus, & ſtetit in medio, & dixit eis: pax vobis. Et cùm hoc dixiſſet, oſtendit eis manus, & latus.* Quid, obſecro, cicatrices à furore inflictæ commune habent cum pace? Immo nulla præteritòrum vulnerum mentio fiat, vt omni ſublata Deum inter & homines ſimultate, pax germana ſtabiliatur, atque imperturbabilis. Id, meo iudicio, conſilium eſt, pacem manãtium vulnerum ſanguine florere conſperſam: pax ſcilicet quæ à Chriſto eſt, armata cõſpicitur, & bellatrix. *Pax vobis: & oſtendit eis manus & latus.*

Bellatricis pacis præclarũ ſymbolum Iris.

Placet exponere intuentium oculis illud idem emblema, quod in theatro orbis terrarum à præpotente rerum opifice expoſitum fuiſſe accepimus: emblema, inquã, quod ſicut à Patre luminum certò ſcimus fuiſſe inuentũ, ità non alio colore, quàm illuſtri nitore ſolis depingi par fuit. Loquor de Iride, de arcu ſcilicet, qui, vt canebat ille,

Mille trabit varios aduerſo ſole colores:

Illum, obſecro, attenti inſpicite; & licebit perſpicere, quo pacto innocenti colorum ſuorum ſuperbia repræſentet, immò formet cæleſte monile; ſed fallor; arcus eſt, non torques, ſi Deum audiamus: Arcus quidem, ſed pacis obſes, non certaminis inſtrumentum. Geneſ. c. 9. n. 13. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis.* Ponitur in cælo pro ſymbolo pacis arcus, quo milites ſagittas iaculando hoſtes confodere ſolent, atque terebrare. Nimirum pax ea, quæ à cælo ducit originẽ, non modò non aliena eſt ab armorum ſtrepitu, ſed tantam cum armis habet affinitatem, vt non niſi per inſtrumenta militaria ſpectãtium oculis ſubijci queat. *Pacem* (monebat Greg. Nyſſenus hom. 8. in Eccleſ.) *habeamus propterea quòd hoſtili, & infeſto animo fuerimus aduerſus aduerſarium.* Pacem hoſtilis animus facit. Felix qui infeſtum ſemper animum aduerſus aduerſarios gerens pace perfruitur iucundiſſima. Maneat: neceſſe eſſe ad pacem tuendam, ſtabiliendamque, tractare continuò arma, & modò ſenſus vulnerare rebelles, modò inordinatos confodere affectus, modò cum prauis cupiditatibus manus conſerere, modò in arenam deſcẽdere cum vitijs, & concupiſcentijs; vno verbo, odio implacabili contrà inimicos teterrimos bellum gerere. Concludo cum Auguſtino epiſt. 107. ad Bonifacium Comitem: *Eſto ergo in bellando pacificus.*

Ruri vitam degebat Gedeon, alienus adeò ab vrbanis negociorum curis, vt plerumque moraretur in horreis, & excutien-
A do, purgandoque frumento ruſticaretur: Cùm ecce tibi è cælo nuncius, qui Dei nomine Gedeoni imperat, vt excitato altari Numini Maximo ſacra faciat venerabundus. Video iam Gedeonem ex colono Sacerdotem, ab agrorum cultura ad cultum Dei feciſſe gradum: Dum autem oculis perluſtro attentiùs excitatum altare, vel ſummæ Diuinitatis thronum, vel religioſæ trophæum pietatis, video faſciã circumuolantẽ è ſuperiore loco, cui inſcripta legitur epigraphe: *Domini Pax*: ſic habes c. 6. lib. Iudicum n. 24. *Ædificauit Gedeon altare Domino, vocauitque illud Domini pax.* Titulus ſanè egregius, & inſcri-
B ptio magnificentiſſima. Sed heu, quid audio? reſonat tubarum clangor, & confuſo ſtrepitu, quotquot adſunt, ad arma conclamant. En Gedeon magnanimitate magis, quàm ferro armatus ad proximam ſe ſe confert ſyluam, & ferrea claua, robore pluſquàm herculeo, geminatis ictibus furit adeò in idolum Baal, vt illud conterat, atque cõfringat. Inter hæc exclamat: Accurrite milites, irrumpite, cædite, ferro flammiſque vaſtate: Horridum quod circumquaque ſyluеſcit nemus, ſedes eſt execranda furiarum, hoc ſe campo iactat ſuperſtitio, hac ſe aula magnificè circumſpicit impietas: Extirpanda radicitus,
C & delenda funditus ea ſylua, in qua ſtationem inimici diuini nominis poſuerunt. Hiſce non tàm vocibus excitati, quàm fulminibus inflammati militum animi ſecant, euellunt, incendunt, vt quà ſucciſis, quà combuſtis arboribus ne veſtigium quidem nemoris ſupereſſet. Dùm micat ferrũ, dùm frendet miles, dùm gliſcit furor, dùm æſtuat incendium militari excitatum rabie, oculos denuò conuertamus ad altaris mox inſtructi inſcriptionem: *Domini pax*: Ergo pax quæ à Deo eſt, quæque altare habet pro cunis, non niſi armata eſt, & bellatrix. Satius erit audire Chryſoſt. hom. 16. de recip. Seueriano ſic loquen-
D tem: *Sicut cælum ſplendor ſolis, ità Eccleſiam fulgor pacis illuminat. O quàm deſiderabile nomen pacis, quàm religionis Chriſtianæ ſtabile fundamentum, & Altaris Dominici cæleſtis armatura.* O pacis armaturam in cæli officina fabrefactam, in altaris armamentario reconditam! Excitemus in corde noſtro altare Domino, inſcribamuſque: *Domini pax.* Ea ſcilicet pax, quæ ſemper arma miniſtrat; ea pax, cuius fortitudine, quandiu per ſylueſtre mortalis vitae nemus vagabimur, bellum nobis implacabile gerendum eſt, ad conterenda vitiorum idola, ad abſumendam malè ſuccreſcentem, ac ſylueſcentem

Pax religionis chriſtianæ ſtabile fundamentum, & Altaris dominici cæleſtis armatura.

Luxu-

luxuriem turpium cupiditatum: nulla licebit pace frui, niſi charitatis ignis incendat, niſi caedat, ac reſecet piae ferrum ſeueritatis.

Chriſtiana pax non niſi bello paratur.

De quodam Meneclide ſcribit Plutarchus, omnem mouiſſe lapidem, vt Thebanos à militaris diſciplinæ ſtudio auocaret: Mirum dictu eſt, quanta eum diligentia Thebani iuuenum animos imbuerent militaribus præceptionibus, conſilio Epaminondæ; Inſenſus Epaminondæ Meneclides, ciuibus inſinuare ſatagebat, ſatius eſſe pace frui, quàm arma tractare. Dicebat identidem. Quorſum, obſecro, tanto cũ incômodo duris militiæ legibus ſubiacere manultis, quàm blandè otiari? Hoſtis eſt, & quidem inſenſiſſimus, quicumque ille eſt, qui tanto veſtros animos complet furore, vt pacis amicæ tranquillitatem bellicis tumultibus poſthabeatis: Quorſum noctes inſomnes, dies ducitis execrandos; onuſti armis circumcurſatis per fora, ſtatis ſupra mœnia, hac illac incerti erratis, ſemper inquieti, ſemper attriti laboribus, ſemper anxij? Nullus circumſtat hoſtis, nihil non ſecurum, nihil non quietum. Quis ergo ſibi ſe ipſum non reddat? Quis eam ſibi eripiat tranquillitatem, quam vis nulla inimicorum aufert, aut perturbat? Quis frui abnuat amicorum conſortio, conuiuiorum lautitijs, blanditijs amicorũ? Vno verbo, dulce otium, & pacem amabilem, quis refugiat? Ergo ab armis ad ludos, ab arena ad orcheſtram, ab acie ad theatrum, à ſtrepitu ad cantum, à prælijs ad tripudia tranſeamus. Epaminondas, qui doloſas Meneclidis inſinuationes non acceperat modò, ſed iamdiù habebat exploratas, eundem offendens, his verbis compellauit: *Fallis ciues tuos, qui otij nomine eos ad ſeruitutem vocas: pax enim bello paratur, nec eam tueri licet, niſi ciues ſint ad bellum inſtructi* Vtinam perciperemus quid dicere velit abblandiens nobis ſubdola caro, dùm otij nomine auocat à militiæ laboribus. Hæreat noſtris mentibus aureum hoc monitum: *Pax non niſi bello paratur*.

Securitas inter certamina inuenitur.

Sed mittantur iſta, & à prophana ad ſacram hiſtoriam faciamus gradum. Ex vitis Patrum de quodam Abbate Marcello, eremi cultore celeberrimo accepimus, quod paucis ſum complexurus. Nocte quadam, fuſurus de more ad Deum preces, dùm ſomnũ excutit oculis, & ſimul quietem animo conciliat pia ſacrorum hymnorum cántilena, ecce tibi terribili ſonitu circumquaque reboat aër, tuba clangente, perinde ac ſi exercitu inſtructo claſſicum caneretur: Reſonabat hinnitus equorum, inſolentia militum mugiebat, fragore vndique perſtrepente, plena videbantur omnia, certamine iam imminente, mortis horrore, & plurima funeſtiſſimæ ſtragis imagine. Reſtitit attonito ſimilis, & exterrefactus bonus ſenex, cum in illa ſolitudine, tàm remota ab hominum frequẽtia, armatæ copiæ, legiones militum, inſtructus exercitus, nouum planè videri poſſet, &, præter rerum ordinem, monſtroſum. Hæc dùm animo volueret Marcellus, adeſt viſibili ſpecie tenebrarum Princeps, circumſeptus ſatellitio furiarũ; bellum atrox, ſæuum, truculentum Marcello indicit, niſi praetermiſſa oratione cubitum redeat, ſomnoque indulgeat Quid facies Marcellè? num differes in aliud tempus conceptã animo deprecationem? nàm cedere tempori, non rarò ſapientis eſt bellatoris. At, in bello contrà ſpiritualia nequitiæ, cedere, cadere eſt; nec vllo vnquam tempore ea pugna debet differri, quæ ſemper eſt ſecura victoriæ. Ergo Marcellus, omni metu depoſito, ab incæpto non deſiſtit, pedem ab acie non reuocat, ſtat in arena intrepidus, &, qui paulò antè metu perculſus ancipiti diſtrahebatur cogitatione, vndè nam fragor inſultantis militiæ oriretur, ibi primùm certò ſciuit, non ab hominibus, ſed à dæmonibus tumultum excitatum; hilaris, tranquillus, ſecurus orare cæpit, hoc eſt, bellare cum aduerſa inimicorum acie, immo de tartareis hoſtibus, ſtolidè inſultantibus, triumphare. Præclaro ſanè monet Marcellus documẽto, quietem non ab otio, aut à lecto, Dei ſeruo eſſe quærendam, ſed pacem animi ſecuritatemque non niſi inter certamina, & per arma inueniri, iuxtà ſententiam Tertulliani lib. ad Martyres c. 1. ſcribentis: *Pax veſtra bellum eſt*. Ergo fruemur pace, cùm arma vel contra nos mouerit regnum inferni, vel bellum ipſi nos contrà diabolum aggreſſi fuerimus. Stabit pax noſtra ſecurior, cum vis tartarea inſurrexerit efferatior; atque ad augendam confirmandamque pacem, ad bellum nobis eſt procedendum.

Verùm eſto (dicit fortaſſe ſecum ipſe non nemo) ità ſit; quamdiu in acie ſumus, à bellicis certaminibus ceſſare non poſſumus: cùm vitiorum idola ſunt conterenda, cùm prauarum cupiditatum ſylua ſuccidenda, & ſuccendendæ ſunt, cùm hoſtium impetus ſunt refellendi; arma tractare debemus, & fortiter dimicare: At cùm à campo ad thalamum fit gradus, tunc ſcilicet, cùm mundo, dæmone, carne, inimicis implacabilibus iam profligatis, in ſinu virtutis conquieſcimus, bello nunciur

remittere par eſt, & qui duris militiæ laboribus defatigabamur, inter ſponſi amplexus omni amoto ſtrepitu conquieſcimus. Quid ſi Chriſti ſponſæ in ipſo nuptiali thalamo habenda præ manibus arma demonſtremus, adeo vt nuptiales etiã inter blanditias bellandum ſit? Qua in re nemo meliùs, nemo certiùs, aut expreſſiùs loqui poteſt, quàm ipſa ſponſa, quæ, vt nos attentos faciat, ſic loquitur plena admiratione Can. 3. num. 7. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël: omnes tenentes gladium, & ad bella doctiſſimi.* Quis non obſtupeſcat nexum inauditum: iungitur ſimul le-
B ctus, & manipulus armatorum. In lecto tanquàm in regia otium ſpatiatur; inter armatos diſſidia germinant, & tumultus. Nùm hoc tempore ciuilium inimicitiarum viget ſuſpicio? Nequaquam. Scimus enim imbelles etiam virgunculas per ſecretiores vicos, etiam intempeſta nocte, inoffenſo pede vagari. Sic ipſamet ſponſa paulò ſuperiùs citat. cap. numer. 2. & 3. omni metu depoſito, dicebat: *Surgam, & circuibo Ciuitatem, per vicos, & plateas quæram quem diligit &c.* Aut certè Rex bellum meditatur, ac propterea ſubditos militaribus inſtruit diſciplinis? At omnibus notum eſt pompas adornari nu-
C ptiales; & nuper coronatum regem omnium ordinum homines turmatim confluunt ſpectaturi, eadem ſponſa inuitante num. 11. *Egredimini, & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua, in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Tandem hic Princeps animo fortaſſe adeò feroci eſt, vt ſolo armorum ſtrepitu delectetur, ita vt inter ipſas etiam maritalis tori blanditias armato militum manipulo recreetur? At exploratum omnibus eſt, ipſum in primis Pacifici denominatione gaudere. Licèt enim, templo extructo magnificentiſſimè, Pius denominari debuerit;
D licèt ob ſummam in ſententijs ferendis prudentiã omnium conſenſu ſapiens fuerit ſalutatus, dici tamen maluit Pacificus: Si ergo Rex Pacificus eſt, quorſum armato ſtipatus milite, ne quieſcens quidem in lecto vacat ab armis? Si nullum omninò periculum eſt ciuilis tumultus, cur miles non abſcedit? Si nuptiali tripudio domus regia exultat, pro bellatorum caſtris, chori canentium; pro excubijs, choreæ; pro feroci armatorum ſtrepitu, blandientium amicæ voces exaudiantur. Procul arma, procul furor, durum certaminum nomen, & cruenta crudelitatis inſignia procul. Et tamen, *En lectulum Sa-*
A *lomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladium, & ad bella doctiſſimi.* O thalamum cæleſtis cathedram ſapientiæ! Inſulſi animi, planèque dementis eſt, fingere ſibi aliam pacem, & genus aliud comminiſci tranquillitatis, quàm illud quod in innocentiæ thalamo conſeruant, & pariunt arma pugnantia contrà carnem & ſenſum, contrà ſcelera, prauaſque affectiones, vno verbo, contrà Dei, & ſalutis noſtræ hoſtes teterrimos. Sponſi cæleſtis amplexu non ſtringitur, niſi qui ſtrinxerit arma ad mundi inſolentiam infringendam. Nuptiarum lautitijs frui non poteſt, niſi ferro, & vul-
B neribus aſſuetus.

Monet Hilarius id non modò præuiſum, ſed decantatum etiam fuiſſe à Rege Dauid, cum religioſos animos excitaret verbis illis pſal. 65. num. 1. *Iubilate Deo omnis terra.* Vel iuxta ſeptuaginta Interpretum expoſitionem: *Ad Dominum cum iubilo clamate.* Attende ex Hilarij mente, quo pacto iubilare ſimul & clamare iubeamur. Iubilant, qui exultantes lætitiæ canticis pace iucundiſſima perfruuntur; Clamant, qui vel anhelant ad certamen, vel opem implorant in magno periculo conſtituti. Clamant, & quidem cum iubilo, quotquot bellantes in Chriſtianæ per-
C fectionis agone contendunt, quia ſæuos inter tumultus clamare non ceſſant, & exultant iubilo, quo perfunduntur in placido tranquillitatis amicæ ſinu quieſcentes. Quies enim nulla, pax nulla datur, niſi viris ſudores inter certaminis non indecoro puluere ſordidis. Concludet Hilarius his verbis: *Poſiti igitur in vita huius prælijs, & in hoc carnis, & ſanguinis noſtri certamine, aduerſus diabolum exercituſque eius, armis ſpiritualibus dimicantes, Deo monemur in voce exultationis iubilare.* Quietam duces vitam gaudiorum exceptus gremio, arma tractare ſi noueris; armatus pacem inuenies, & manus con-
D ferens, & in arenam deſcendens, & hoſtem inuadens, inter vulnera, inter funeta, inter inimicæ mortis horrores eam fouebis pacem, quæ non niſi inter arma viget, & bellando conſeruatur.

Iuſtorum pax non niſi bellando cõſeruatur.

Modò reſpondebo eorum querimoniæ, qui, cùm ſe ſe receperint ad bonam frugem, lamentantur non rarò, quaſi ea fruſtrati ſpe, quam conceperant ſummæ tranquillitatis: Dicunt enim, perſuadebam mihi, remiſſo ſceleribus nuncio montem Olympum chriſtianae ſanctitatis me conſcenſurum, vbi nulla perſtrepunt fulmina, vis nulla concutit ventorum, aut procellarum; credebam ab inſanis cupiditatibus

rece-

recedendo, feciſſe me gradum à tumultuante, atque inquieto Ierieho ad pacificam Ieruſalem, ſtationem nulla viciſſitudinis inquietæ mutatione perturbandam: Sed heu quot tentationum inſultibus angor! Infernus infremit, mundus infeſtat, mea me conficit ægritudine mens, mille ſcrupulis, & dubitantis conſcientiae perplexitatibus percellor. Atque haec ea pax eſt, quam ſerui Dei tantopere iactitant? Huic lamentationi perquàm appoſitè reſpondet Bernardus epiſt. 2. ad Fulconem data, his verbis: *Dicis pax, & non eſt pax*. Conquereris, eò quòd pacem conceptis expectes votis, ſed fruſtra. Quod ergo remedium? Accipe ex eodem Bernardo. *Vbi ſunt arma bellica? Vbi ſcutum fidei? Vbi galea ſalutis? Vbi patientia lorica? ſume arma, reſume vires*. Arrige aures. Pax Chriſtianorum non niſi armata, & bellatrix eſt. Num malus Daemon quà vi aperta, quà clandeſtinis inſidiarum technis mentem agitat? Excita fidem. *Vbi ſcutum fidei*. Scilicet ex Apoſtolo Paulo 1. ad Cor. 10. 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione prouentum*. Conatus mali Daemonis, coronae ſunt, non pericula. *Vbi ſunt arma bellica; Vbi ſcutum fidei?* Num labore Chriſtiani iugi deprimeris, aut taedio ſeuerioris vitae conficeris? Cor è cœno mortalitatis attolle, &, prae oculis habita ſalutis aeternae beatitate, mœror omnis fugatus abſcedet. *Vbi arma bellica; Vbi galea ſalutis?* Ex eodem ſanè Doctore gentium Paulo 2. ad Cor. 4. n. 17. *Momentaneum & leue tribulationis noſtra æternum gloria pondus operatur in nobis*. Num curae triſtes mentem lacerant, animumque diſcerpunt? At perturbare pacem aduerſa non poterunt, ſi patientiae lorica armemur, ſi protegamur munimine charitatis. *Vbi ſunt arma bellica? Vbi patientia lorica?* Mihi profectò vnus inſtar om-

Chriſtiana pax patientiæ lorica & charitatis munimine protecta inter pericula & mortis anguſtias inconcuſſa ſtat.

A nium eſt Paulus ad Romanos 8. 38. *Scio quia neque mors, neque vita, nec tribulatio, nec anguſtia, neque altitudo, neque profundum poterit nos ſeparare à Charitate Dei*. Dei charitas, quae Chriſtianae pacis mater eſt, inter anguſtias mortis ſtat inconcuſſa. Ergo arma bellica, pacis ſunt inſtrumenta, à Chriſtiano milite in ſpirituali certamine pertractanda. *Dicis pax, & non eſt pax?* Abieciſti ſcilicet arma, quibus & propulſantur hoſtes, & tranquillitas propugnatur.

Vnanimi itaque conſenſu fateamur, vero verius eſſe, tùm ad idola vitiorum conterenda, tùm ad repullulantem prauarum

B cupiditatum ſyluam radicitùs extirpandã ferro, flammiſque opus eſſe. Fateamur, caelo docente, non poſſe aptiori ſymbolo pacem repraeſentari, quàm arcu. Fateamur pugnandum eſſe; dum rebellat caro, dùm inſultat mundus, dùm Daemon aggreditur. Fateamur, in ipſo thalamo, cùm ſponſum amplectimur, arma in promptu eſſe debere ad propulſandas iniurias, & ad defendendam tranquillitatem. Praeclara ſunt haec, ſed minora ijs, quae complectitur pauciſſimis caſtiſſima, & ſapientiſſima ſponſa Can. cap. 8. num. 10. ſic definiens: *Ego murus, & vbera mea quaſi turris, ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens*. A mœnibus, & à turribus, ad vrbium ſecuritatem, & quietem ciuium, armati militum manipuli inuicta fortitudine dimicant. Audis quid Virago caeleſtis profiteatur? Tunc ſe pacem reperiſſe, cum tota quanta quanta eſt, in murum tranſijt, & in turrim ſe commutauit. Vt iam nequeat in controuerſiam reuocari quod proponebam initio; Pacem ſcilicet Chriſtianorum armatam eſſe, & bellatricem &c.

Hoc idem argumentum illuſtrat non ſemel P. Didaeus de Baeza, tom. 1. in Euang. hiſtor. lib. 5. cap. 4. §. 6. & tom. 2. in Euang. hiſtor lib. 6. cap. 6. §. 38.

EVAN-

EVANGELIVM

Secundùm Matthæum.

CAPVT VNDECIMVM

1 ET factum eſt, cum con-
ſummaſset Ieſus, præci-
piens duodecim diſcipulis
ſuis, tranſiit inde vt doce-
ret, & prædicaret in ciui-
2 tatibus eorum. Ioannes
autem cum audiſset in vinculis opera Chri-
3 ſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi:
Tu es, qui venturus es, an alium expecta-
4 mus? Et reſpondens Ieſus ait illis: Euntes
renunciate Ioanni quæ audiſtis, & vidi-
5 ſtis. Cæci vident, claudi ambulant, lepro-
ſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui re-
6 ſurgunt, pauperes euangelizantur: & bea-
tus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me.
7 Illis autem abeuntibus, cœpit Ieſus dicere
ad

ad turbas de Ioanne: Quid exiſtis in deſertum videre ? arundinem vento agita-
8 tam ? Sed quid exiſtis videre ? hominem mollibus veſtitum ? Ecce qui mollibus ve-
9 ſtiuntur, in domibus regum ſunt. Sed quid exiſtis videre ? prophetam ? Etiam dico vo-
10 bis, & plus quàm prophetam. Hic eſt enim, de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præpara-
11 bit viam tuam ante te. Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta: qui autem minor eſt in re-
12 gno cælorum, maior eſt illo. A diebus autem Ioannis Baptiſtæ vſque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.
13 Omnes enim prophetæ, & lex vſque ad
14 Ioannem prophetauerunt: & ſi vultis reci-
15 pere, ipſe eſt Elias, qui venturus eſt. Qui ha-
16 bet aures audiendi, audiat. Cui autem ſimilem æſtimabo generationem iſtam ? Similis eſt pueris ſedentibus in foro: qui clamantes
17 coæqualibus dicunt: Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis: lamentauimus, & non planxi-
18 ſtis. Venit enim Ioannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet.
19 Venit filius hominis manducans, & bibens,

&

& dicunt: Ecce homo vorax, & potator vi-
ni, publicanorum, & peccatorum amicus.
20 Et iuſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis. Tunc
cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus fa-
ctæ ſunt plurimæ virtutes eius, quia non egiſ-
21 ſent pœnitentiam. Væ tibi Corozain, væ ti-
bi Bethſaida: quia, ſi in Tyro, & Sidone fa-
ctæ eſsent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis,
olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſ-
22 ſent. Verumtamen dico vobis: Tyro, & Si-
doni remiſsius erit in die iudicii, quàm vo-
23 bis. Et tu Capharnaum, numquid vſque
in cælum exaltaberis? vſque in infernum
deſcendes: quia, ſi in Sodomis factæ fuiſ-
ſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, fortè
24 manſiſsent vſque in hanc diem. Verum-
tamen dico vobis, quia terræ Sodomorum
25 remiſsius erit in die iudicii, quàm tibi. In
illo tempore reſpondens Ieſus dixit: Confi-
teor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia
abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudenti-
26 bus, & reuelaſti ea paruulis. Ita Pater: quo-
27 niam ſic fuit placitum ante te. Omnia mihi
tradita ſunt à Patre meo. Et nemo nouit
Filium, niſi Pater: neque Patrem quis
nouit, niſi Filius, & cui voluerit filius re-
uelare

28 uelare. Venite ad me omnes, qui labo-
ratis, & onerati eſtis, & ego reficiam
29 vos. Tollite iugum meum ſuper vos, &
diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis
corde: & inuenietis requiem animabus
30 veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, &
onus meum leue.

IN CA-

IN CAPVT VNDECIMVM

A Num. II, ad XII.

Ioannes autem cùm audiſset in vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Et reſpondens Ieſus ait illis: Euntes renunciate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne: Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt. Sed quid exiſtis videre? prophetam? Etiam dico vobis, & plus quàm prophetam. Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta: qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo.

PARA-

PARADOXVM I.

Solitudo, aſperitas, & aduerſitas hominem faciunt in hac vita beatum.

ELOGIVM adeò præſtans quo Ioannis dignitas tantò maior humana à Chriſto Domino declaratur, vt Angelus nũcupetur, non tam me in admirationem rapit, quàm docet: cõſiderato enim ex vna parte vitæ genere quod Ioannes duxit: ex alia verò parte habita præ oculis Angeli appellatione, intelligo Dei ſeruos inter labores carceris, & ſolitudinis aſperitates, eſſe beatos. Id porrò vt doceam, tam vtile, quàm gratum futurum reor lectoribus meis, cùm teneam illud Auguſtini ſer. 30. de Sanctis: *Scimus, fratres, quod omnis homo gaudere deſiderat, ſed non omnes ibi quærunt gaudium, vbi oportet inquiri.* Parens vtique gaudij abſolutiſſimi & iucundiſſimi, beatitudo eſt, qua perfruitur (quis crederet?) is, qui omni conſuetudinis humanæ ſolatio deſtitutus, detruſus in carcere, mæſtus, afflictus, reus falsò creditus labores inter & ærumnas vitam trahit; quia re vera, hæc omnia hominem faciunt in hac vita beatum. Fateor vltrò diſerteque pronuncio, me non loqui in præſentia de ea beatitudine, quam iuxta Apoſtolum 1. Cor. 2. num. 9. *nec oculus vidit; nec auris audiuit; nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Hoc ſcilicet genus ineffabile beatitudinis, ne ipſæ quidem mentium beatarum linguæ indicare queunt; quemadmodum lepido; qui circumfertur apologo ſatis aptè declaratur. Expreſſerat pictor eximius ſimulacrum hominis ſiti æſtuantis, qui ad leuandam ſitim torrentis aquas, vbi quaſi hauſtu potaturus videbatur, auidiſſimè hauriebat anhelitum pectoris, faucium ſiccitatem, frontis ardorem, totius æſtum corporis ad viuum adeò repræſentans, vt quotquot confluxerant ad ſpectandam tabulam hærerent admiratione defixi. Inter ſpectantes, neſcio quis, dixiſſe fertur: loquendi facultatem ſi addas, viuum eredes quem mutis ſuſpicis coloribus animatum. Aderat pictor non magis penicillo præſtans quam ingenio, qui ſtatim reſpondit: quem potantem vides, immeritò tacentem damnas: Etenim qui labentium vndarum torrente ſiccas abluit fauces, dum recreatur à ſiti, à loquendo retinetur. Plena ſale admonitio, qua doceor mirum non eſſe, ſi ipſæ beatorum linguæ, ad enarranda cæleſtis patriæ gaudia fiant elingues. Nimirum torrente voluptatis iuxta Dauidis vaticinium pſ. 35. verſ. 5. ita recreantur, vt toti occupentur: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Igitur prætermiſſa oratione de felicitate Beatorum cui ipſæ etiam cæli mentes impares ſunt, verba faciam de beatitate viatorum, hoc eſt, de ijs, quæ hominem faciunt in hac vita beatum, quæ Ioannis exemplo eruditus, aio eſſe ſolitudinẽ, aſperitatem, & aduerſitatem.

Scio Sapientium magiſtrum Ariſtotelem lib. 9. Ethic. cap. 9. negare diſertè, ſolitarium beatum eſſe poſſe. Sed humana hæc ſapientia eſt fallax, & ignara eorum, quæ electos ſuos docet Deus. Teſtes habeo pro me Philonem, Climacum, Petrum Cellenſem, Hieronymum, Baſilium, Nazianzenum. Philo lib. Quis rerum diuinarum hæres, ait: *ſolitudo eſt poſſeſſio Dei.* Climacus gradu 27. ait: *ſolitarius eſt forma terreſtris Angeli.* Petrus Cellenſis lib. 4. epiſt. 12. ait, *ſolitudo eſt ambulatorium Dei.* Hieronymus ep. 4. ad Ruſticum ſcribit: *ſolitudo Paradiſus,* & Epiſt. 41. loquens de Bonoſo Monacho ait: *Solitarius, quaſi quidam nouus paradiſi colonus:* Baſilius de laudibus eremi ait: *Solitudo eſt curia cæleſtium Senatorum.* Nazianzenus orat. 2. ait: *Solitudo Deum ex homine efficiens;* & paulò poſt *veluti ſacra, & adminiſtra, diuinaque aſcenſionis magiſter.* Eant nunc ſapientes mundi, & cum Ariſtotele ſuo putent ſolitarium non poſſe eſſe beatum.

Quoties recito pſalmum 77. hæreo, in verſu 69 vbi loquens Dauid de Templo, ſiue de domo quam ſibi in terra extructurus erat Deus, ſic habet. *Ædificauit ſicut vnicornium Sanctificium ſuum in terra.* Non poſſum non indagare, cur hac vtatur ſimilitudine Sanctus Vates: Mirũ etenim non eſſet ſi compararet Aquilæ quæ imperatrix auium eſt, aut ſi ſumeret exemplum à Pho-

In ſolitarijs Deus ſibi templum ad habitandum ædificat.

à Phoenice, quæ ſingularis eſt, & conſtruit ſibi nidum, ætatem renouatura inter aromata ſuanè olentia. Quid habet vnicornium ſingulare adeò atque excellens, vt ei in ſtructura domicilij ſui ſimilis perhibeatur Altiſſimus? *Ædificauit ſicut vnicornium ſanctificium ſuum in terra.* Legit Hieronymus, *In ſimilitudinem Monocerotis ſanctuarium ſuum.* Apollinaris vertit: *templum ſuum.* De Monocerote ſcribit Ælianus lib. 16. de animal. cap. 20. in celſiſſimis, & inacceſſis Indiæ montibus degere. Huc reſpexiſſe crediderim Dauid, qui ad declarandum, Deum degere conſueuiſſe in celſiſſimis, & inacceſſis montibus, ſumpſit à monocerote ſimilitudinem. Ergo vt noſtrum cor Dei templum fiat, iuxta illud Apoſtoli, *Templum Dei eſtis vos*; requiritur neceſſariò, vt nulli pateat aditus, & ſolus Dominus in eo degat. Quis porrò beatum neget eum, in quo tanquam in ſua domo habitat Deus? Aut certè dicamus; quod Hugo, & Lyranus notauerunt de monocerote, qui cùm extruit ædificium & foueam ſuam, prohibet diligenter, ne aliae beſtiae accedant. Itaque vt habitatio Dei fiat in nobis, ſummo conatu, ac maximâ diligentia curare debemus, vt ſoli ſimus: felices animae, quae omni omninò aditu intercluſo obſtrepentibus creaturis, Creatore gaudent inhabitante.

Rapior celeberrimo illo exhibito in caeleſti amphitheatro ſpectaculo mulieris amictae Sole, & Stellis duodecim coronatae, quam deſcribit Ioann. Apoc. 12. numer. 1. & deinceps, in hunc modum: *Signum magnum apparuit in calo: mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona Stellarum duodecim.* Agnoſco in hac muliere non ignobile ſanctae animae emblema. Haec quippe ſole conſpicitur amicta, & iuſti anima *induit Dominum Ieſum Chriſtū*, ex Apoſt. Roman. 13. numer. 14. qui Sol eſt iuſtitiae, iuxta Malach. cap. 4. numer. 2. Mulier Lunam pedibus calcat; & anima iuſti ſoluto affectionũ pede rerum humanarum premit inſtabilitatem. Quòcirca Eccleſ. 27. 12. dicitur, *Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut Sol: nam ſtultus ſicut luna mutatur.* Planè ſicut Luna, de qua Plinius lib. 2. cap. 19. *modò curuata in coronam, modò aqua portione diuiſa, modò ſinuata in orbem; maculoſa, eademque ſubitò pranitens; immenſa orbe pleno, ac repentè nulla.* Denique mulieris caput ſtellarum corona cingit; & ſanctam animam virtutum ſplendor coronat. Igitur magnum hoc ſignum ſanctam animam exprimit, eam vtique, quae conſortio, contubernio, conſuetudine Dei digna cenſeatur. Verùm haec anima cultu virtutum conſpicua, dicitur recepiſſe ſe ſe in ſolitudinem, ſic enim leges num. 6. cit. cap. *Mulier fugit in ſolitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo.* Quid audio? Putabam tam dignam imperio Heroinam, empyreo excipiendam; Credebam extollendam eſſe ſupra ſydera tam inclytam animam. Immo quòd mirere magis, Deus ipſe dicitur locum illi in ſolitudine parauiſſe. Sed fallor. Nulla ſedes dignior, aut locus aptior ad excipiendam cum honore eam, quae calcata Luna, redimita Stellis, Sole induta omnium oculos animoſque trahit ad ſe ſe: Nuſquam Deo ſuo diutiùs aut quietiùs quàm in ſolitudine fruitur anima electa. Teſtem appello Sanctum Dauidem pſal. 54. verſ. 8. canentem: *Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine.* Quorsùm autem in ſolitudine maneat, ſequenti verſu explicat. *Expectabam eum, qui ſaluum me fecit.* Locus in quo Deus habitat, & in quo certo certiùs reperiri poteſt, ſolitudo eſt. Itaque parùm eſt Solem induiſſe, hoc eſt, illuſtribus ſanctiſſimae vitae geſtis illuxiſſe: parùm ſupra Lunam aſcendiſſe, hoc eſt, caduca & inſtabilia conculcando contempſiſſe: parùm ſtellis tempora circumcinxiſſe, hoc eſt, virtutum radiaſſe ſplendoribus: niſi inſuper in ſolitudinem fugiat, vt cum Deo quieſcens vitam ducat perbeatam. Audio dicentem: non omnium eſſe, relictis vrbibus eremi fieri habitatores. Audio interogantem, quo pacto Deo fruentur illi, quibus ſolitudinem petere non licet? Reſpondebo animaduerſione Magni Gregorij, qui in pſal. 6. pœnit. negat Dauidem regem potentiſſimum, & tot negotijs regni diſtractum in ſolitudine habitaſſe; ſed in ſecreto cordis ſui ſibi mentis tranquillæ ſolitudinem erexiſſe, in qua nullos hoſtium ſpiritualium impetus pateretur, nullos peruerſarum cogitationum ſtrepitus audiret, nullos clamoris iniqui tumultus experiretur. Nos ergo & inter illos numeremur, de quibus Iob c. 3. numer 14. *Qui ædificant ſibi ſolitudines.* Mens ſanè à mundi tumultibus ſegregata, quæ nihil omninò in mundo concupiſcit, & ad ſola anhelat cæleſtia, ea, de qua loquimur, ſolitudo eſt.

Electæ, & dilectæ animæ nulla dignior vel aptior ſedes reperitur quàm ſolitudo.

Audiamus attenti ſanctiſſimam ſimul, & ſapientiſſimam ſponſam capite tertio ver. primo Cant. dicentem: *In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea.* Nouit dilecti ſui morem, quem

Iuſtorum mens à mũdi tumultibus ſegregata, ſolitudo eſt, in qua certius Deus reperitur.

bene

bene ſciebat fruſtra quæri in hominum frequentia. Ideoque plenus, ni fallor, luminis, & acuminis eſt ſermo tantae matronae. In lectulo quaeſiſſe ſe profitetur. Quis neſciat nuſquam tam ſeuera lege ſolam eſſe debere ſponſam, quam cùm in maritali lecto requieſcit. Quaſi dicere velit, cum iuxta ſacroſancta connubij iura maximè ſolitaria eſſem, quæſiui dilectũ meum, quem experientia didici haberi tenerique non poſſe, niſi ab eo qui ſolus ſit.

Nil creatũ amet Dei Spõſa ſi cæleſtem Spõſum intra ſui cordis cubile optat inuenire.

Diſce, cui detur Deo tanquam cariſſimo ſponſo frui, ei videlicet animæ, quæ, vtpotè ſponſa, à cubili cordis quemlibet alium arcet amatorem, & quidem ita arcet vt nullum crimen eſſe tam fœdum, nullum ſcelus adeò execrandum arbitretur, quàm ſanctiſſimam huiuſmodi maritalis tori legem violare. Accommodatè S. Gregorius lib. 8. moral. c. 17. *In lectulo*, inquit, *& per noctem dilectus quæritur: quia inuiſibilis conditoris ſpecies, repreſſa omni corporea viſionis imagine, in cubili cordis inuenitur*. Modum habes facilem inueniendi, & ſtringendi ſponſum: Tenebis autem, dummodò cor habeas velut nuptiale cubile cuſtoditum, nulli peruium, & excepto ſponſo omnibus inacceſſum. Notanda cenſeo verba illa ſancti Pontificis, *repreſſa omni corporea viſionis imagine, in cubili cordis inuenitur*. Solus itaque vſque adeo eſſe debet, qui ſuos inter amplexus ſtringere anhelat ſponſum, vt non modò omnem excludat conſuetudinem amoremque rei creatæ, ſed ne ipſam quidem admittat imaginem: Nihil creatum amet, non opes, non honores, non voluptates, vt ſolus ita cum Chriſto viuat, vt ab eo nequeat ſeparari. Ioannes dilectus diſcipulus, aſſuetus vti familiariter Dei conſuetudine, de ſe ipſo ſic ſcribit cap. 1. Apocal. num. 10. *Fui in ſpiritu in Dominica die, & audiui poſt me vocem magnam*. Duo mihi hoc loco occurrunt examinanda: Primò enim inquiro, cur faciat mentionem vocis quam poſt ſe inſonare audiebat? ſanè qui narraturus erat ſermones cum Deo habitos, quae retro fuerant poterat obliuiſci, memor ſolum eorum, quæ ex colloquio Dei reportauerat. Secundò inquiro, quænam ſit iſta vox adeò magna, vt exaudiatur ab eo, qui relictis rebus omnibus Deum quaerit. Dabit reſponſum Rupertus Abbas. *Poſt Ioannem*, inquiens, *erat totus mundus, & quidquid corporeis oculis cernitur, immo, & totius præſentis Eccleſiæ ſtatus. Retro hæc erant, quia ipſe ad anteriora extendebatur, cùm ad cæleſtia ſurſum raperetur*. O egregium monitum, & plenum chriſtiana ſapientia reſponſum. Totum mundum poſt ſe ſtrepentem relinquat, & quidquid corporeis oculis cernitur deſerat neceſſe eſt, vt aditum habeat ad Deum. En cur ad Dei colloquium non admittimur: quia non accedimus ſoli, nec nouimus terga vertere mundanarum occupationum turbis. *Audiui poſt me vocem magnam: Poſt Ioannem erat totus mundus, & quidquid corporeis oculis cernitur*. Quid mirum eſt ſi ad Deum accedens aditum non inuenias; Nimirum non poſt te, ſed in corde tuo, intrà tui pectoris fines concluſus mundus inſonat inconditis clamoribus, & inſanis vociferationibus. Neque poſſum ſilentio inuoluere quod innuit Rupertus, addens: *Immo, & totius præſentis Eccleſiæ ſtatus. Retro hæc erant*: Monens non modò à mundi ſtrepitu liberum, verùm etiam ab ipſis religioſis cæteroqui, ac pijs negocijs vacare debere animum eius, qui ſingularem cum Deo coniunctionem, comunicationemque deſiderat. Sic Ioannes, & mundum vociferantem, & Eccleſiæ inſuper adminiſtrationem reliquit poſt ſe, acceſſurus ad eum, cum quo quiſpiam mortalium familiariter viuere nequit niſi omninò ſolus ſit; & à conſuetudine hominum, & ab amore rerum tranſeuntium omninò ſeiunctus.

Mundum deſerat is, qui ad Deũ aditum habere cupit.

A Mundi conſuetudine longè ſit, qui Deo propiùs eſſe deſiderat.

Crediderim non ſine myſterio ab Euangeliſta Luca notatum, Magdalenam fuiſſe in ciuitate peccatricem. Sic enim ſcribit cap. 7. num. 37. *Et ecce mulier, quæ erat in Ciuitate peccatrix*. Illa vtique peccatrix de qua, vt habetur Marci 16. 9. *eiecerat ſeptem dæmonia*. Cur ſit mentio ciuitatis? Fortaſſe, vt intelligamus Magdalenae exemplo eruditi, fieri ſæpenumerò, vt in Ciuitatum frequentia corda hominum, in Dæmonum tranſeant domicilia; ita tamen, vt ſi ſe ſe in ſolitudinem recipiant, Deo gaudeant inhabitante. Sic Magdalena, quæ in Ciuitate peccatrix ſeptem dæmonia cordis exceperat hoſpitio, poſtea in Maſſilienſi ſolitudine Dei colloquio, conſuetudine, conſpectu, adeo familiariter vſa eſt, vt cæleſtem vitam in terris degere videretur. Hic, vt verum fatear, continere me non poſſũ quin dicam cum Magno Baſilio opuſc. de laudibus vitæ ſolitariae. *Solitaria vita cæleſtis doctrinæ ſchola eſt, diuinarum artium diſciplina, paradiſus deliciarum, vbi roſa charitatis igneo rubore flammeſcunt, lilia caſtitatis niueo albent candore, & humilitatis viola, dum imis contenta ſunt, nullis flatibus impelluntur: eſt ſanctarum mentium delectatio, & intimi guſtus inexhauſta dulcedo*. Hoc eodem

Magdalena in Ciuitate peccatrix, in ſolitudine cæleſtem vitam ducit.

Præclara ſolitudinis deſcriptio.

A loco plura habes in hanc ſententiam.

Duxi dignum animaduerſione, quod de Elia narratur lib. 3. Reg. cap. 19. Dicitur enim fugiens ab hominum cœtu recepiſſe ſe in deſertum, relicta non modò ciuium frequentia, ſed dimiſſo etiam pucro ſuo, quem habebat ſocium, & pediſſequum. Sic num. 3. & 4. cit. cap. leges: *Venitque in Berſabee Iuda, & dimiſit ibi puerum ſuum, & perrexit in deſertum, viam vnius diei.* En Eliam in deſerto degentem. Nunquid Deum inueniet? Nequaquam. Adeſt tamen Angelus, qui Eliam inedia, & itineris labore confectum, cibo, tactu, ſomno, ſermone recreet, ſemel atque iterum tan-
B ta vi, atque efficacitate, vt confirmatus Elias, quadraginta dierum, totidemque noctium itinere peruenerit ad montem Dei Horeb. Sic num. 5. cit. cap. & deinceps. *Ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: ſurge, & comede. Comedit ergo, & bibit, & rurſum obdormiuit. Reuerſuſque eſt Angelus Domini ſecundò, & tetigit eum, dixitque illi: Surge, & comede: grandis enim tibi reſtat via. Qui cùm ſurrexiſſet, comedit & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vſque ad montem Dei Horeb.* En Eliam Angelo duce, deſerti interiora tenentem. En
C Eliam in ipſo Dei monte habitantem. Nunquid Deum inueniet? Nequaquam. Abdat ſe neceſſe eſt intra ſpeluncam, vt Deum audiat loquentem, *Cùmque veniſſet illuc*, verba textus, *manſit in ſpelunca: Et ecce ſermo Domini ad eum.* Summa felicitas eſt, Deo loquente recreari, ſed id paucorum eſt: Multi quippe ab aula Iezabel fugientes, à mundi tumultibus vnius diei ſpatio ſe ſe elongant, breui videlicet redituri ad turbas negociorum. Aliqui progrediuntur vlteriùs vſque ad montem Dei Horeb, longiùs amoti à tumultibus ſæcularium negotiationum. Adhuc intranda ſpelunca eſt, hoc eſt, remotior, &
D ſeiunctior pars ſolitudinis, in qua ſedem figamus, eligenda eſt, vt Deum inueniamus. Sed nihil adhuc eſt dictum, niſi inſuper obſeruemus modum quo Dominus Eliam in ſpelunca degentem alloquatur. Tria citato capite adnotantur: primò quidem, Dei vocem in ſibilo auræ tenuis inſonuiſſe; ſecundò Eliam operuiſſe pallio vultum ſuum; tertiò Eliam ſtetiſſe in oſtio ſpeluncæ. Cur in ſibilo auræ tenuis ſonat ea vox, quæ replet orbem terrarum, niſi vt intelligamus tenuem eſſe vocem Domini, & quæ nequeat audiri, niſi omni omninò ſtrepitu amoto longiſſimè. Cur ſtat in oſtio ſpeluncæ Dei arcana excepturus Elias, niſi vt nos doceat oſtium ſpeluncæ, in qua ſoli viuimus, vt Deo placeamus, diligentiſſimè cuſtodiendum. Cur inſuper pallio operit vultum ſuum, qui pronus in terram cadere debuiſſet, vt praeſentem rerum Dominum religioſè veneraretur, niſi vt exemplo ſuo faceret manifeſtum, hominem Dei fruentem alloquio familiariter, id ſummo ſtudio curare debere, vt ſenſibus à rebus creatis ſubductis maximè ſolus cum Deo ſit. Lege ex cit. cap. à n. 9. & deinceps: *Ecce ſermo Domini ad eum.* & n. 11. *& ait ei: Egredere, & ſta in monte coram Domino: & ecce dominus tranſit, & ſpiritus grandis, & fortis ſubuertens montes, & conterens petras ante Dominũ: non in ſpiritu Dominus, poſt ſpiritum commotio: non in commotione Dominus; & poſt commotionem ignis: non in igne Dominus, & poſt ignem ſibilus auræ tenuis. Quod cum audiſſet Elias, operuit vultum ſuum pallio, & egreſſus ſtetit in oſtio ſpeluncæ.* In quem locum ingenioſè Eucherius lib. 4. in lib. reg. c. 8 ſic habet. *In ſpelunca ſua oſtio ſtat, & faciem velat, quia dum contemplationis gratia vox ſuperna intelligentia fit in mente, animum carnis cura non poſſidet, & mortalitatis anguſtias exire meditatur.* Cogita ſedulò æternitatem, volue animo gaudia cæleſtis patriæ, depone corruptibilis amorem carnis, perpende caduca iſta omnia deſerenda, & ſolutus omnibus vinculis non modò peccatorum, ſed affectionum humanarum, accinge te ad vitæ melioris vſuram in regno beatorum. Non caro poſſideat animum, ſed animus carnem calcare diſcat; mortalitatis anguſtiae non ſtringant mentem, ſed mens Deo plena frangat anguſtias mortalitatis, vt alienus à mundi tricis ſolus viuas, & beatus, vtpotè Dei montis incola, & diuinae particeps familiaritatis.

Multum ſanè iuuat ſolitudo ad vitam beatam traducendam, vnde canebat Horatius:

> *Beatus ille, qui procul negotijs,*
> *Vt priſca gens mortalium,*
> *Forumque vitat, & ſuperba Ciuium*
> *Potentiorum limina.*

Diſtractus quippe curarum tumultibus, & negotiorum varietate laborat animus, qui tunc ſibi redditur curis ereptus, cùm ſolicitudine ſolutus, gaudet ſolitudine. At verò longè aptior eſt ad mentem hominum omni bonorum genere cumulandam, non ad ferendas arbores, aut ad captandas auiculas, ſed ad tenendum cordis amplexibus Deum quaeſitus ſolitu-

Vt Deum inuenias, & alloquaris, ſolitudinem ingredi neceſſe eſt.

Ad vitam beatam in hoc mundo traducendã plurimum iuuat ſolitudo.

ſolitudinis amicæ receſſus. Teſtes habeo è Patriarcharum Choro Iſaac, Moyſen, Iacob. Etenim quod Geneſis cap. 24. num. 63. de Iſaac legimus, *egreſſum fuiſſe ad meditandum in agro*: indicat Iſaac ſelegiſſe locum liberum, atque ſeiunctum ab hominum commercio, adeoque accomodatum ad agendum familiariùs cum Deo. Similiter Moyſes ſpectator fuiſſe dicitur viſionis magnae rubi, qui ardebat; & non conſumebatur, de qua Exodi capite tertio numer. 2. cùm Iethro ſoceri ſui gregem paſcens deſerti interiora penetrauit; Sic Iacob Syriam petens, cum remotis arbitris ſolus quieſceret, caeli, terraeque commercia in Angelis aſcendentibus, ac deſcendentibus (vt habetur Gen. 28.) Dominumque innixum ſcalæ conſpexit. Quis non exclamet cum Hieronymo ad Heliodorum ſcribente: *ò deſertum Chriſti floribus vernans! ò ſolitudo, in qua illi naſcuntur lapides, de quibus in Apocalypſi ciuitas magni regis extruitur! ô Eremus familiariùs Deo gaudens!* Ergo ſi in ſolitudine diuinarum flores gratiarum perpetuò vernant, Ergo ſi ſolitarium eodem aedificat ſummo Deo, ſi recedens ab hominum frequentia ſit maximi rerum Domini familiaris; hunc quis negare audeat eſſe beatũ? beatum, inquam, non alloquio modo, ſed contubernio, conſuetudine, communicatione ſecretorũ cum eo, qui ſolo aſpectu beat, ſuoque conſpectu, miſeriarum centurijs longiùs amandatis, vberem tribuit bonorum omnium perennitatem.

Quae cùm ita ſint, nullus ſupereſt admirationi locus, ſi vates ſanctiſſimi, vt ſaepè, ita magnificè ſolitudinis bona cõmemorent, ad permouendos hominum animos, alliciendoſque ad capeſſendam beatam in hoc ſeculo vitam, hoc eſt, bonum bonorum omnium aggregatione perfectum. Vnde Oſeas cap. 2. num. 14. vaticinatus eſt. *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem. & loquar ad cor eius.* Ecce (vt admirationis particula eadem vtar, qua vtitur Propheta) in lacte medullam diuinarum gratiarum, & ſupernæ ſuauitatem dulcedinis; Ecce in locutione ad cor intimæ argumenta beneuolentiæ. Hæc ſi aduertas concedi in ſolitudine, dabis abſque vlla dubitatione ſolitarium eſſe beatum. Quod mihi ſit manifeſtum apud Ieremiam Thren. 3. n. 28. legenti: *Sedebit ſolitarius, & tacebit: quia leuauit ſuper ſe.* Vides ſolitarium leuari ſuper ſe, hoc eſt, humanas inter miſerias homine maiorem fieri, nullis ſcilicet vitæ huius calamitatibus tangi, nullis vexari moleſtijs, nullis infortuniorum turbinibus agitari, eo planè modo, quo montis olympi vertex altè adeò attollit ſe ſe, vt nullo ventorum, aut tempeſtatum impetu quatiatur. Hinc facilè percipies quid ſignificet ſponſa Can. 7. num. 12. dilectum ſuum alloquens illis verbis. *Veni dilecte mi; egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Laudata fuerat Sponſa toto capite à dilecto ſuo ob elegantiam, & ornatum: Sponſa verò reſpondet: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Quaſi dicat, ſi res ita ſe habet, vt pulchritudine, & ornatu placeam oculis tuis, vnum reſtat, vt vrbanis, & domeſticis turbis relictis ſolitudinem petamus: Videlicet, quæ omni virtutum decore nitet, vt beata ſit in hac vita, Deo ita adhæreat, vt creatis omnibus contemptis ſola in Deo, & cum Deo conquieſcat. Id ſuadet Ieremias c. 48. num. 28. inquiens: *Relinquite Ciuitates, & habitate in petra habitatores Moab, & eſtote quaſi columba nidificans in ſummo ore foraminis.* Vtinam & nos relictis ciuitatibus, ideſt, poſthabitis rerum caducarum tricis, in foraminibus petræ, ideſt, in vulneribus Chriſti Domini, qui petra angularis dicitur, animorum noſtrorum nidum excitemus ad vitam ſumma cum tranquillitate degendam.

Vt cæleſtibus fruaris bonis, ſolitudinem ama.

Valdè vereor, ne permulti hæc legentes à meo ſenſu toto caelo aberrent. Aberrant autem vnà in longiſſimè, ſi fortè ſibi perſuadeant, commendare me in praeſentia ſolitarios tantummodo, & Eremitas, aut intra monaſtica ſepta viuentes. Longè mihi diuerſa mens eſt: cùm enim ſolitudinem commendo, quietam mentem à rebus terrenis adumbro, quae ſtatis horis ita contemplationi rerum diuinarum, & caeleſtium gaudiorum vacat, vt ad eam, quaſi ad aſylum confugiat, vt, dum pluribus intentus negotijs occupatur, pro eo vitæ genere quod profitetur, nunquam obliuiſcatur Dei. Dum ſeceſſum ab vrbibus inſinuo, dicere volo: viro iuſto minimè licere intra ſceleſtorum conuentus immorari, ſed in montem, praecelſum ſcilicet virtutum cacumen properandum. Nempe, vt ait Ansbertus in cap. 1. Apoc. *Sancti viri ſeipſos deſertis quietis faciunt, vt habeant quò ſalubriter fugere poſſint. Priùs quippe terrenorum deſideriorum motus manu cõſiderationis à corde reſeciunt, & poſtmodum quietis locum in ipſa ſolitudine, quò latere poſſint, inueniunt. Quia enim tranſitoria cuncta deſpiciunt, ex his naſcentes cogitationum inſolentias non patiuntur. Solam namque æternam patriam appetunt; & quia nulla huius mundi diligunt, magna mẽtis tranquillitate perfruũtur.*

Cordis, mẽtiſque ſolitudo maximè commẽdatur.

tur. Ergo non loci, ſed animi; non montium, ſed mentium; non eremi, ſed cordis ſolitudo commendatur. Non te ab hominibus ſeiungas, ſed iungas Deo; non receſſus ab vrbibus, ſed acceſſus ad cæleſtem patriam attentis meditationibus faciet beatum. Sis liber à prauis affectionibus, ſolue cupiditatum commercia, & tranquilla, ac fida mentis ſolitudine perfrueris; quieſce à vanis cogitationibus, vt quàm bonus, quàm miſericors, quàm ſanctus ſit Deus, examinans ſedulò, derideas mundi voluptatumque fallacias tumultuantes, & inquietas.

Spiritualis ſolitudinis præclarum exemplum Iudith.

Video non dum à me ſatis explicatum quo pacto ſolitarij eſſe poſſint, qui multitudine negociorum diſtracti in maxima vivunt vrbium frequentia, & rerum tam domeſticarum, quàm publicarum varietate occupantur. Explicabo autem exemplari propoſito Iudith Matronae, vt de populo Dei olim optimè meritæ, ità toto terrarum orbe celeberrimae. Adeſte diuites, adeſte temporalium negotiationum multiplici varietate diſtracti, adeſte quotquot habetis prae manibus praclara, ardua, magna: Vos enim compello, vos moneo, dum aio amandam, & procurandam eſſe ſolitudinem, quærenti in hoc ſeculo felicitatem. Nunquid diuitiarum ſolicitudo nequit cum ſolitudine coniungi? At ſcimus Iudith fuiſſe ditiſſimam; Nunquid rei domeſticae, praeſertim amplae atque magnificae, adminiſtratio? At ſcimus Iudith, viro ſuo Manaſſe defuncto, amplæ domus ſumma cum laude curam geſſiſſe; Nunquid ſlos iuuentæ auocatum à ſolitaria vita animum ducit ad cœtus ciuium, atque ad vrbanam conſuetudinem? At Iudith primo vernantium annorum vere fruentem, florentemque, ſcimus ſuam ſibi feciſſe ſolitudinem. Sic enim leges c. 8. eius hiſtor. à n. 4. & deinceps: *Erat autem Iudith relicta vidua iam annis tribus, & menſibus ſex. Et in ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculũ, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur &c. Erat autem eleganti aſpectu nimis, cui vir ſuus reliquerat diuitias multas, & familiã copioſam, ac poſſeſſiones armentis boum, & gregibus ouium plenas*. Vt vides, omni bonorum genere florentiſſima fœmina non intra eremi antra inacceſſa ſolitudinẽ quærit, ſed eam ædificat ſibi domi ſuæ; non relicta ſuorum frequentia inter ſyluas fit ſola, ſed in ipſo hæreditario iure accepto palatio, garrulas inter ancillarũ ineptias, in ipſa accedentium, ac recedentium turba, ab omni ſeiuncta ſtrepitu ſola remotis arbitris vacat. Verùm in his im-

A morari non debeo, cum maiora ſuperſint. Iudith non domeſticis rebus ſolùm proſpicit, ſed conſulit publicis, & periclitantibus de fortunis, de libertate, de vita ciuibus vna Iudith præſto eſt. Quis neſciat obſeſſam Bethuliam, exercitum Arphaxad victorijs inſolentem, Holophernem ſuperbia tumidum? Et Bethuliam in libertatem aſſeruit, & exercitum Arphaxad fugauit, & obtruncatum Holophernem è medio ſuſtulit vna Iudith. Et quem in poſterum non pudebit pretextu negociorum aſſerere, fieri minimè poſſe, vt vitam ducat ſolitariam. Minima ſunt, quæ nos occupant; nullius momenti ſunt

B quæ nos diſtrahunt: fœmineum ingenium rebus ſummis perficiendis ſit par; & licèt in hoſtium caſtris de ſumma rerum deliberare conſilio, manu decernere, memorando abſoluere facinore cogatur, habet tamen ſecretũ cubiculum in quod ſe ſola recipiat. Vnde egregiè S. Petrus Damianus lib. 8. ep. 14. de Iudith loquens ait: *De domo communi reclusorium fecerat, & in populoſa vrbe, amor artifex ſolitudinem reperit*. Itaque nullum vitæ genus eſt adeo negotijs addictum, adeo curis diſtractum, adeo ſolicitudinibus implicatum, in quo ſolitudinem animi, mentiſque receſſum, ac ſeiunctum ab omnibus cor-

C dis ſecretum inuenire nequeamus: Cordis ſecretum, in quo bona huius vitae tanquam labentia iudicemus; mentis receſſum, in quo de aeternitate ſedulò cogitemus; ſolitudinem animi, in qua reddituri Deo vitæ noſtræ rationem ſeriò examinemus. In hac ſolitudine Deus inuenitur, ab hac ſolitudine longè abſunt anguſtiæ, & ſolicitudines rerum temporaliũ. In hac quieſcit animus, delectatur aeternis, fit ſuperis carus, & ſpiritualium voluptatũ iucunditate perfunditur. Huiuſmodi ſolitarium beatum eſſe, nemo, vt arbitror, pernegabit.

Fallor, niſi id expreſſum inueniamus oraculo Redemptoris verbis illis ſuos al-

D loquentis diſcipulos Luc. 24. num. 49. *Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto*. Attende quo in loco ſedere debeant: in ciuitate Ieruſalem videlicet. Quis neſciat ſeiunctum locum, atque ſecretum ab omni ciuium turba futurum aptiorem, vt ad Sanctum Spiritum recipiendum conclaue cordis præpararent. Cur ergo non in deſertum, aut ſeparatum aliquem montem mittuntur Apoſtoli, vt maiori quiete, & tranquillitate cordis placidiſſima, eum præſtolarentur ſpiritum, qui non niſi ſuper humilem, & quietum requieſcit. Ciuitas deſerto præponitur, quia nouae legis priuilegium eſt, vt in

Cordis, non corporis ſolitudo à Chriſto diſcipulis commendatur.

magna

magna vrbium, negotiorum, curarum varietate, à multitudine excitato cordis deſerto, ac mentis ſolitudine ſtabilita, perfecti viri Deo gaudeant inhabitante. Cordis, non corporis ſolitudinem diſcipulis ſuis commendat Deus, docetque in medio populi ſtrepitu cor quietum, ac pacificum, vnicè factum aptumque ad videndum ac recipiendum cæleſtium munerum largitorem. Et fortè non abſque myſterio ciuitas illa, licèt alioqui frequentiſſima, Ieruſalem nuncupatur, quod nomen viſionem pacis ſignificat, vt innoteſcat nobis, pacem, hoc eſt, compendium bonorum omnium ijs dari, qui in populoſa vrbe quieti ſedere nouerint, ac ſolitarij, iuxta ſententiam S. Bernardi ſer. 4. in Cant. monentis: *Sede igitur ſicut turtur: nihil tibi & turbis, nihil tibi, & multitudinè cæterorum; ipſumque etiam obliuiſcere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiſcet rex decorem tuum. O ſancta anima, ſola eſto, vt ſoli omnium ſerues te ipſam, quem ex omnibus tibi elegiſti. Fuge publicum, fuge & ipſos domeſticos, ſecede ab amicis, & intimis, etiam & ab illo qui tibi miniſtrat.* Hæc Bernardus. Cur autem tantopere ſolitudinem probat? nimirum, vt beata fruamur vita, eius intima conſuetudine, qui ſolus beare poteſt. Sic enim explicauerat loc. cit. immediatè ante Ieremiæ oraculum Thren 3. num. 28. his verbis: *Sedeas ſecundum prophetam ſolitarius, quoniam leuaſti te ſupra te: Omnino ſupra te eſt, Angelorum Domino deſponſari.*

Sola ſit anima, vt Deũ omnium ſolum poſſit excipere.

Quibus ita conſtitutis, quis non exclamet, quemadmodum repetere identidem ſolebat magnus ille Eremitarũ parens Romualdus: *O beata ſolitudo, ò ſola beatitudo!*

Videatur S. Ambroſ. lib. offic. c. 1. Nec non Gregorius Magnus lib. 4 mor. c. 28.

Videri poteſt P. Didacus de Baeça tom. 1. in Euan. hiſt. lib. 3. c. 4. §. 5. nec non tom. 2. lib. 16. cap. 13. §. 2.

Videri poteſt P. Paulus Theologus tom. 2. in Cant. explanatione Didaſcalica in cap. 1. verſ. 9.

Videri poteſt P. Didacus Niſſenus Dom. 2. Quadr. Aſſump. 3.

IN CA-

& dicunt: Ecce homo vorax, & potator vi-
ni, publicanorum, & peccatorum amicus.
20 Et iuſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis. Tunc
cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus fa-
ctæ ſunt plurimæ virtutes eius, quia non egiſ-
21 ſent pœnitentiam. Væ tibi Corozain, væ ti-
bi Bethſaida: quia, ſi in Tyro, & Sidone fa-
ctæ eſsent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis,
olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſ-
22 ſent. Verumtamen dico vobis: Tyro, & Si-
doni remiſsius erit in die iudicii, quàm vo-
23 bis. Et tu Capharnaum, numquid vſque
in cælum exaltaberis? vſque in infernum
deſcendes: quia, ſi in Sodomis factæ fuiſ-
ſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, fortè
24 manſiſsent vſque in hanc diem. Verum-
tamen dico vobis, quia terræ Sodomorum
25 remiſsius erit in die iudicii, quàm tibi. In
illo tempore reſpondens Ieſus dixit: Confi-
teor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia
abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudenti-
26 bus, & reuelaſti ea paruulis. Ita Pater: quo-
27 niam ſic fuit placitum ante te. Omnia mihi
tradita ſunt à Patre meo. Et nemo nouit
Filium, niſi Pater: neque Patrem quis
nouit, niſi Filius, & cui voluerit filius re-
uelare

28 uelare. Venite ad me omnes, qui labo-
ratis, & onerati eſtis, & ego reficiam
29 vos. Tollite iugum meum ſuper vos, &
diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis
corde: & inuenietis requiem animabus
30 veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, &
onus meum leue.

IN CAPVT VNDECIMVM

A Num. II, ad XII.

Ioannes autem cùm audiſset in vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Et reſpondens Ieſus ait illis: Euntes renunciate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne: Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt. Sed quid exiſtis videre? prophetam? Etiam dico vobis, & plus quàm prophetam. Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta: qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo.

PARA-

PARADOXVM I.

Solitudo, aſperitas, & aduerſitas hominem faciunt in hac vita beatum.

ELOGIVM adeò præſtans quo Ioannis dignitas tantò maior humana à Christo Domino declaratur, vt Angelus nũcupetur, non tam me in admirationem rapit, quàm docet: cõſiderato enim ex vna parte vitæ genere quod Ioannes duxit, ex alia verò parte habita præ oculis Angeli appellatione, intelligo Dei ſeruos inter labores carceris, & ſolitudinis aſperitates, eſſe beatos. Id porrò vt doceam, tam vtile, quàm gratum futurum reor lectoribus meis, cùm teneam illud Auguſtini ſer. 30. de Sanctis: *Scimus, fratres, quod omnis homo gaudere deſiderat, ſed non omnes ibi quærunt gaudium, vbi oportet inquiri.* Parens vtique gaudij abſolutiſſimi & iucundiſſimi, beatitudo eſt, qua perfruitur (quis crederet) is, qui omni conſuetudinis humanæ ſolatio destitutus, detruſus in carcere, mæſtus, afflictus, reus falsò creditus labores inter & ærumnas vitam trahit; quia re vera, hæc omnia hominem faciunt in hac vita beatum. Fateor vltrò, diſerteque pronuncio, me non loqui in præſentia de ea beatitudine, quam iuxta Apoſtolum 1. Cor. 2. num. 9. *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Hoc ſcilicet genus ineffabile beatitudinis, ne ipſæ quidem meotium beatarum linguæ indicare queunt; quemadmodum lepido, qui circumfertur apologo ſatis aptè declaratur. Expreſſerat pictor eximius ſimulacrum hominis ſiti æſtuantis, qui ad leuandam ſitim torrentis aquas, vno quaſi hauſtu potaturus videbatur, auidiſſimè hauriebat anhelitum pectoris, faucium

A ſiccitatem, frontis ardorem, totius æſtum corporis ad viuum adeò repræſentans, vt quotquot confluxerant ad ſpectandam tabulam hærerent admiratione defixi. Inter ſpectantes, neſcio quis, dixiſſe fertur: loquendi facultatem ſi addas, viuum credes quem mutis ſuſpicis coloribus animatum. Aderat pictor non magis penicillo præſtans quam ingenio, qui ſtatim reſpondit: quem potantem vides, immeritò tacentem damnas: Etenim qui labentium vndarum torrente ſiccas abluit fauces, dum recreatur à ſiti, à loquendo retinetur. Plena ſale admonitio, qua doceor mirum non eſſe, ſi ipſæ beatorum

B linguæ, ad enarranda cæleſtis patriæ gaudia fiant elingues. Nimirum torrente voluptatis iuxta Dauidis vaticinium pſ. 35. verſ. 5. ita recreantur, vt toti occupentur: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Igitur prætermiſſa oratione de felicitate Beatorum cui ipſæ etiam cæli mentes impares ſunt, verba faciam de beatitate viatorum, hoc eſt, de ijs, quae hominem faciunt in hac vita beatum, quae Ioannis exemplo eruditus, aio eſſe ſolitudinẽ, aſperitatem, & aduerſitatem.

Scio Sapientium magiſtrum Ariſtotelem lib. 9. Ethic. cap. 9. negare diſertè, ſolitarium beatum eſſe poſſe. Sed humana

C hæc ſapientia eſt fallax, & ignara eorum, quae electos ſuos docet Deus. Teſtes habeo pro me Philonem, Climacum, Petrum Cellenſem, Hieronymum, Baſilium, Nazianzenum. Philo lib. Quis rerum diuinarum hæres, ait: *ſolitudo eſt poſſeſſio Dei.* Climacus gradu 27. ait: *ſolitarius eſt forma terreſtris Angeli.* Petrus Cellenſis lib. 4. epiſt. 12. ait, *ſolitudo eſt ambulatorium Dei.* Hieronymus ep. 4. ad Ruſticum ſcribit: *ſolitudo Paradiſus,* & Epiſt. 41. loquens de Bottoſo Monacho ait: *Solitarius, quaſi quidam nouus paradiſi colonus.* Baſilius de laudibus eremi ait: *Solitudo eſt curia cæleſtium Senatorum.* Na-

D zianzenus orat. 2. ait: *Solitudo Deum ex homine efficiens;* & paulò poſt *veluti ſocia, & adminiſtra, diuinaque aſcenſionis mater.* Eant nunc ſapientes mundi, & cum Ariſtotele ſuo putent ſolitarium non poſſe eſſe beatum.

Quoties recito pſalmum 77. hæreo in verſu 69 vbi loquens Dauid de Templo, ſiue de domo quam ſibi in terra extructurus erat Deus, ſic habet. *Ædificauit ſicut vnicornium Sanctificium ſuum in terra.* Non poſſum non indagare, cur hac vtatur ſimilitudine Sanctus Vates: Mirũ etenim non eſſet, ſi compararet Aquilæ quæ imperatrix auium eſt, aut ſi ſumeret exemplum

In ſolitarijs Deus ſibi tẽplum ad habitandum ædificat.

à Phoenice, quæ ſingularis eſt, & conſtruit ſibi nidum, ætatem renouatura inter aromata ſuauè olentia. Quid habet vnicornium ſingulare adeò atque excellens, vt ei in ſtructura domicilij ſui ſimilis perhibeatur Altiſſimus? *Ædificauit ſicut vnicornium ſanctificium ſuum in terra*. Legit Hieronymus, *In ſimilitudinem Monocerotis ſanctuarium ſuum*. Apollinaris vertit: *templum ſuum*. De Monocerote ſcribit Ælianus lib. 16. de animal. cap. 20. in celſiſſimis, & inacceſſis Indiæ montibus degere. Huc reſpexiſſe crediderim Dauid, qui ad declarandum, Deum degere conſueuiſſe in celſiſſimis, & inacceſſis montibus, ſumpſit à monocerote ſimilitudinem. Ergo vt noſtrum cor Dei templum fiat, iuxta illud Apoſtoli, *Templum Dei eſtis vos*; requiritur neceſſariò, vt nulli pateat aditus, & ſolus Dominus in eo degat. Quis porrò beatum neget eum, in quo tanquam in ſua domo habitat Deus? Aut certè dicamus, quod Hugo, & Lyranus notauerunt de monocerote, qui cùm extruit ædificium & foueam ſuam, prohibet diligenter, ne aliae beſtiae accedant. Itaque vt habitatio Dei fiat in nobis, ſummo conatu, ac maximâ diligentia curare debemus, vt ſoli ſimus: felices animae, quae omni omninò aditu intercluſo obſtrepentibus creaturis, Creatore gaudent inhabitante.

Rapior celeberrimo illo exhibito in cæleſti amphitheatro ſpectaculo mulieris amictae Sole, & Stellis duodecim coronatae, quam deſcribit Ioann. Apoc. 12. numer. 1. & deinceps, In hunc modum: *Signum magnum apparuit in cælo: mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim*. Agnoſco in hac muliere non ignobile ſanctae animae emblema. Haec quippe ſole conſpicitur amicta, & iuſti anima *induit Dominum Ieſum Christũ*, ex Apoſt. Roman. 13. numer. 14. qui Sol eſt iuſtitiae, iuxta Malach. cap. 4. numer. 2. Mulier Lunam pedibus calcat; & anima iuſti ſoluto affectionũ pede rerum humanarum premit inſtabilitatem. Quòcirca Eccleſ. 27. 12. dicitur, *Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut Sol; nam ſtultus ſicut luna mutatur*. Planè ſicut Luna, de qua Plinius lib. 2. cap. 19. *modò curuata in cornuam, modò aqua portione diuiſa, modò ſinuata in orbem; maculoſa, eademque ſubitò praenitens; immenſa orbe pleno, ac repentè nulla*. Denique mulieris caput ſtellarum corona cingit; & ſanctam animam virtutum ſplendor coronat. Igitur magnum hoc ſignum ſanctam animam exprimit, eam vtique, quae conſortio, contubernio, conſuetudine Dei digna cenſeatur. Verùm haec anima cultu virtutum conſpicua, dicitur recepiſſe ſe ſe in ſolitudinem, ſic enim leges num 6. cit. cap. *Mulier fugit in ſolitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo*. Quid audio? Putabam tam dignam imperio Heroinam, empyreo excipiendam; Credebam extollendam eſſe ſupra ſydera tam inclytam animam. Immo quòd mirere magis, Deus ipſe dicitur locum illi in ſolitudine parauiſſe. Sed fallor. Nulla ſedes dignior, aut locus aptior ad excipiendam cum honore eam, quae calcata Luna, redimita Stellis, Sole induta omnium oculos animoſque trahit ad ſe ſe: Nuſquam Deo ſuo diutiùs aut quietiùs quàm in ſolitudine fruitur anima electa. Teſtem appello Sanctum Dauidem pſal. 54. verſ. 8. canentem: *Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine*. Quorsùm autem in ſolitudine maneat, ſequenti verſu explicat. *Expectabam eum, qui ſaluum me fecit*. Locus in quo Deus habitat, & in quo certò certiùs reperiri poteſt, ſolitudo eſt. Itaque parùm eſt Solem induiſſe, hoc eſt, illuſtribus ſanctiſſimae vitae geſtis illuxiſſe: parùm ſupra Lunam aſcendiſſe, hoc eſt, caduca & inſtabilia conculcando contempſiſſe: parùm ſtellis tempora circumcinxiſſe, hoc eſt, virtutum radiaſſe ſplendoribus: niſi inſuper in ſolitudinem fugiat, vt cum Deo quieſcens vitam ducat perbeatam. Audio dicentem: non omnium eſſe, relictis vrbibus eremi fieri habitatores. Audio interogantem, quo pacto Deo fruentur illi, quibus ſolitudinem petere non licet? Reſpondebo animaduerſione Magni Gregorij, qui in pſal. 6. poenit. negat Dauidem regem potentiſſimum, & tot negotijs regni diſtractum in ſolitudine habitaſſe; ſed in ſecreto cordis ſui ſibi mentis tranquillae ſolitudinem erexiſſe, in qua nullos hoſtium ſpiritualium impetus pateretur, nullos peruerſarum cogitationum ſtrepitus audiret, nullos clamoris iniqui tumultus experiretur. Nos ergo & inter illos numeremur, de quibus Iob c. 3. numer 14. *Qui ædificant ſibi ſolitudines*. Mens ſanè à mundi tumultibus ſegregata, quæ nihil omninò in mundo concupiſcit, & ad ſola anhelat cæleſtia, ea, de qua loquimur, ſolitudo eſt.

Electæ, & dilectæ animæ nulla dignior vel aptior ſedes reperitur quàm ſolitudo.

Iuſtorum mens à mundi tumultibus ſegregata, ſolitudo eſt, in qua certius Deus reperitur.

Audiamus attenti ſanctiſſimam ſimul, & ſapientiſſimam ſponſam capite tertio ver. primo Cant. dicentem: *In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea*. Nouit dilecti ſui morem, quem

bene

A bene ſciebat fruſtra quæri in hominum frequentia. Ideoque plenus, ni fallor, luminis, & acuminis eſt ſermo tantae matronae. In lectulo quaeſiſſe ſe profitetur. Quis neſciat nuſquam tam ſeuera lege ſolam eſſe debere ſponſam, quam cùm in maritali lecto requieſcit. Quaſi dicere velit, cum iuxta ſacroſancta connubij iura maximè ſolitaria eſſem, quæſiui dilectũ meum, quem experientia didici haberi tenerique non poſſe, niſi ab eo qui ſolus ſit.

Nil creatũ amet Dei Spõſa ſi cæleſtem Spõſum intra ſui cordis cubile optat inuenire.

Diſce, cui detur Deo tanquam cariſſimo ſponſo frui, ei videlicet animæ, quæ, vtpotè ſponſa, à cubili cordis quemlibet alium arcet amatorem, & quidem ita B arcet vt nullum crimen eſſe tam fœdum, nullum ſcelus adeò execrandum arbitretur, quàm ſanctiſſimam huiuſmodi maritalis tori legem violare. Accommodatè S. Gregorius lib. 8. moral. c. 17. *In lectulo*, inquit, *& per noctem dilectus quæritur: quia inuiſibilis conditoris ſpecies, repreſſa omni corporea viſionis imagine, in cubili cordis inuenitur*. Modum habes facilem inueniendi, & ſtringendi ſponſum: Tenebis autem, dummodò cor habeas velut nuptiale cubile cuſtoditum, nulli peruium, & excepto ſponſo omnibus inacceſſum. Notanda cenſeo verba illa ſancti Pontificis, *repreſſa omni corporea viſionis imagine, in cubili cordis inuenitur*. C Solus itaque vſque adeo eſſe debet, qui ſuos inter amplexus ſtringere anhelat ſponſum, vt non modò omnem excludat conſuetudinem amoremque rei creatæ, ſed ne ipſam quidem admittat imaginem: Nihil creatum amet, non opes, non honores, non voluptates, vt ſolus ita cum Chriſto viuat, vt ab eo nequeat ſeparari. Ioannes dilectus diſcipulus, aſſuetus vti familiariter Dei conſuetudine, de ſe ipſo ſic ſcribit cap. 1. Apocal. num. 10. *Fui in ſpiritu in Dominica die, & audiui poſt me vocem magnam*. Duo mihi hoc loco occurrunt examinanda: Primò enim inquiro, cur faciat mentionem vocis quam poſt ſe in- D ſonare audiebat? ſanè qui narraturus erat ſermones cum Deo habitos, quae retro fuerant poterat obliuiſci, memor ſolum eorum, quæ ex colloquio Dei reportauerat. Secundò inquiro, quænam ſit iſta vox adeò magna, vt exaudiatur ab eo, qui relictis rebus omnibus Deum quaerit. Dabit reſponſum Rupertus Abbas. *Poſt Ioannem*, inquiens, *erat totus mundus, & quidquid corporeis oculis cernitur, immo, & totius præſentis Eccleſiæ ſtatus. Retrò hæc erant, quia ipſe ad anteriora extendebatur, cùm ad cæleſtia ſurſum raperetur*. O egregium monitum, & plenum

Mundum deſerat is, qui ad Deũ aditum habere cupit.

A chriſtiana ſapientia reſponſum. Totum mundum poſt ſe ſtrepentem relinquat, & quidquid corporeis oculis cernitur deſerat neceſſe eſt, vt aditum habeat ad Deum. En cur ad Dei colloquium non admittimur: quia non accedimus ſoli, nec nouimus terga vertere mundanarum occupationum turbis. *Audiui poſt me vocem magnam: Poſt Ioannem erat totus mundus, & quidquid corporeis oculis cernitur*. Quid mirum eſt ſi ad Deum accedens aditum non inuenias; Nimirum non poſt te, ſed in corde tuo, intrà tui pectoris fines concluſus mundus inſonat inconditis clamoribus, & inſanis vociferationibus. Ne- B que poſſum ſilentio inuoluere quod innuit Rupertus, addens: *Immo, & totius præſentis Eccleſiæ ſtatus. Retro hæc erant*: Monens non modò à mundi ſtrepitu liberum, verùm etiam ab ipſis religioſis cæteroqui, ac pijs negocijs vacare debere animum eius, qui ſingularem cum Deo coniunctionem, comunicationemque deſiderat. Sic Ioannes, & mundum vociferantem, & Eccleſiæ inſuper adminiſtrationem reliquit poſt ſe, acceſſurus ad eum, cum quo quiſpiam mortalium familiariter viuere nequit niſi omninò ſolus ſit; & à conſuetudine hominum, & ab amore rerum tranſeuntium omninò ſeiunctus.

A Mundi conſuetudine longè ſit, qui Deo propiùs eſſe deſiderat.

C Crediderim non ſine myſterio ab Euangeliſta Luca notatum, Magdalenam fuiſſe in ciuitate peccatricem. Sic enim ſcribit cap. 7. num. 37. *Et ecce mulier, quæ erat in Ciuitate peccatrix*. Illa vtique peccatrix de qua, vt habetur Marci 16. 9. *eiecerat ſeptem dæmonia*. Cur fit mentio ciuitatis? Fortaſſe, vt intelligamus Magdalenae exemplo eruditi, fieri ſæpenumerò, vt in Ciuitatum frequentia corda hominum, in Dæmonum tranſeant domicilia; ita tamen, vt ſi ſe ſe in ſolitudinem recipiant, Deo gaudeant inhabitante. Sic Magdalena, quæ in Ciuitate peccatrix ſeptem dæmonia cordis exce- D perat hoſpitio, poſtea in Maſſilienſi ſolitudine Dei colloquio, conſuetudine, conſpectu, adeo familiariter vſa eſt, vt cæleſtem vitam in terris degere videretur. Hic, vt verum fatear, continere me non poſſũ quin dicam cum Magno Baſilio opuſc. de laudibus vitæ ſolitariæ. *Solitaria vita cæleſtis doctrinæ ſchola eſt, diuinarum artium diſciplina, paradiſus deliciarum, vbi roſæ charitatis igneo rubore flammeſcunt, lilia caſtitatis niueo albent candore, & humilitatis violæ, dum imis contentæ ſunt, nullis flatibus impelluntur: eſt ſanctarum mentium delectatio, & intimi guſtus inexhauſta dulcedo*. Hoc eodem

Magdalena in Ciuitate peccatrix, in ſolitudine cæleſtem vitam ducit.

Præclara ſolitudinis deſcriptio.

loco plura habes in hane ſenteotiam.

Duxi dignum animaduerſione, quod de Elia narratur lib. 3. Reg. cap. 19. Dicitur enim fugiens ab hominum cœtu recepiſſe ſe in deſertum, relicta non modò ciuium frequentia, ſed dimiſſo etiam puero ſuo, quem habebat ſocium, & pediſſequum. Sic num. 3. & 4. cit. cap. leges: *Venitque in Berſabee Iuda, & dimiſit ibi puerum ſuum, & perrexit in deſertum, viam vnius diei.* En Eliam in deſerto degentem. Nunquid Deum inueniet? Nequaquam. Adeſt tamen Angelus, qui Eliam inedia, & itineris labore confectum, cibo, tactu, ſomno, ſermone recreet, ſemel atque iterum tanta vi, atque efficacitate, vt confirmatus Elias, quadraginta dierum, totidemque noctium itinere peruenerit ad montem Dei Horeb, Sic num. 5. cit. cap. & deinceps. *Ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: ſurge, & comede. Comedit ergo, & bibit, & rurſum obdormiuit. Reuerſuſque eſt Angelus Domini ſecundò, & tetigit eum, dixitque illi: Surge, & comede: grandis enim tibi reſtat via. Qui cùm ſurrexiſſet, comedit & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vſque ad montem Dei Horeb.* En Eliam Angelo duce, deſerti interiora tenentem. En Eliam in ipſo Dei monte habitantem. Nunquid Deum inueniet? Nequaquam. Abdat ſe neceſſe eſt intra ſpeluncam, vt Deum audiat loquentem, *Cùmque veniſſet illuc*, verba textus, *manſit in ſpelunca: Et ecce ſermo Domini ad eum.* Summa felicitas eſt, Deo loquente recreari, ſed id paucorum eſt: Multi quippe ab aula Iezabel fugientes, à mundi tumultibus vnius diei ſpatio ſe ſe elongant, breui videlicet redituri ad turbas negociorum. Aliqui progrediuntur vlteriùs vſque ad montem Dei Horeb, longiùs amoti à tumultibus ſecularium negotiationum. Adhuc intranda ſpelunca eſt, hoc eſt, remotior, & ſeiunctior pars ſolitudinis, in qua ſedem figamus, eligenda eſt, vt Deum inueniamus. Sed nihil adhuc eſt dictum, niſi inſuper obſeruemus modum quo Dominus Eliam in ſpelunca degentem alloquatur. Tria citato capite adnotantur: primò quidem, Dei vocem in ſibilo auræ tenuis inſonuiſſe; ſecundò Eliam operuiſſe pallio vultum ſuum; tertiò Eliam ſtetiſſe in oſtio ſpeluncæ. Cur in ſibilo auræ tenuis ſonat ea vox, quæ replet orbem terrarum, niſi vt intelligamus tenuem eſſe vocem Domini, & quæ nequeat audiri, niſi omni omninò ſtrepitu amoto longiſſimè. Cur ſtat in oſtio ſpeluncae Dei arcana excepturus

Vt Deum inuenias, & alloquaris, ſolitudinem ingredi neceſſe eſt.

Elias, niſi vt nos doceat oſtium ſpeluncæ, in qua ſoli viuimus, vt Deo placeamus, diligentiſſimè cuſtodiendum. Cur inſuper pallio operit vultum ſuum, qui pronus in terram cadere debuiſſet, vt præſentem rerum Dominum religioſè veneraretur, niſi vt exemplo ſuo faceret manifeſtum, hominem Dei fruentem alloquio familiariter, id ſummo ſtudio curare debere, vt ſenſibus à rebus creatis ſubductis maximè ſolus cum Deo ſit. Lege ex cit. cap. à n. 9. & deinceps: *Ecce ſermo Domini ad eum.* & n. 11. *& ait ei: Egredere, & ſta in monte coram Domino: & ecce dominus tranſit, & ſpiritus grandis, & fortis ſubuertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in ſpiritu Dominus, poſt ſpiritum commotio: non in commotione Dominus; & poſt commotionem ignis: non in igne Dominus, & poſt ignem ſibilus auræ tenuis. Quod cum audiſſet Elias, operuit vultum ſuum pallio, & egreſſus ſtetit in oſtio ſpeluncæ.* In quem locum ingenioſè Eucherius lib. 4. in lib. reg. c. 8 ſic habet. *In ſpelunca ſua oſtio ſtat, & faciem velat, quia dum contemplationis gratia vox ſuperna intelligentia fit in mente, animum carnis cura non poſſidet, & mortalitatis anguſtias exire meditatur.* Cogita ſedulò æternitatem, volue animo gaudia cæleſtis patriæ, depone corruptibilis amorem carnis, perpende caduca iſta omnia deſerenda, & ſolutus omnibus vinculis non modò peccatorum, ſed affectionum humanarum, accinge te ad vitæ melioris vſuram in regno beatorum. Non caro poſſideat animum, ſed animus carnem calcare diſcat; mortalitatis anguſtiae non ſtringant mentem, ſed mens Deo plena frangat anguſtias mortalitatis, vt alienus à mundi tricis ſolus viuas, & beatus, vtporè Dei montis incola, & diuinæ particeps familiaritatis.

Multum ſanè iuuat ſolitudo ad vitam beatam traducendam, vnde canebat Horatius:

Ad vitam beatam in hoc mundo traducendã plurimum iuuat ſolitudo.

Beatus ille, qui procul negotijs,
Vt priſca gens mortalium,
Forumque vitat, & ſuperba Ciuium
Potentiorum limina.

Diſtractus quippe curarum tumultibus, & negotiorum varietate laborat animus, qui tunc ſibi redditur curia ereptus, cùm ſolicitudine ſolutus, gaudet ſolitudine. At verò longè aptior eſt ad mentem hominum omni bonorum genere cumulandam, non ad ſerendas arbores, aut ad captandas auiculas, ſed ad tenendum cordis amplexibus Deum quaeſitus ſolitu-

ſolitudinis amicæ receſſus. Teſtes habeo è Patriarcharum Choro Iſaac, Moyſen, Iacob. Etenim quod Geneſis cap. 24. num. 63. de Iſaac legimus, *egreſſum fuiſſe ad meditandum in agro*: indicat Iſaac ſelegiſſe locum liberum, atque ſeiunctum ab hominum commercio, adeoque accomodatum ad agendum familiariùs cum Deo. Similiter Moyſes ſpectator fuiſſe dicitur viſionis magnae rubi, qui ardebat; & non conſumebatur, de qua Exodi capite tertio numer. 2. cùm Iethro ſoceri ſui gregem paſcens deſerti interiora penetrauit. Sic Iacob Syriam petens, cùm remotis arbitris ſolus quieſceret, caeli, terraeque commercia in Angelis aſcendentibus, ac deſcendentibus (vt habetur Gen. 28.) Dominumque innixum ſcalæ conſpexit. Quis non exclamet cum Hieronymo ad Heliodorum ſcribente: *ò deſertum Chriſti floribus vernans! ò ſolitudo, in qua illi naſcuntur lapides, de quibus in Apocalypſi ciuitas magni regis extruitur! O Eremus familiariùs Deo gaudens!* Ergo ſi in ſolitudine diuinarum flores gratiarum perpetuò vernant; Ergo ſi ſolitarius ædem ædificat ſummo Deo, ſi recedens ab hominum frequẽtia fit maximi rerum Domini familiaris: hunc quis negare audeat eſſe beatũ? beatum, inquam, non alloquio modo, ſed contubernio, conſuetudine, communicatione ſecretorũ cum eo, qui ſolo aſpectu beat, ſuoque conſpectu, miſeriarum centurijs longiùs amandatis, vberem tribuit bonorum omnium perennitatem.

Quae cùm ita ſint, nullus ſupereſt admirationi locus, ſi vates ſanctiſſimi, vt ſaepè, ita magnificè ſolitudinis bona cómemorent, ad permouendos hominum animos, alliciendoſque ad capeſſendam beatam in hoc ſeculo vitam, hoc eſt, bonum bonorum omnium aggregatione perfectum. Vnde Oſeas cap. 2. num. 14. vaticinatus eſt. *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem: & loquar ad cor eius.* Ecce (vt admirationis particula eadem vtar, qua vtitur Propheta) in lacte medullam diuinarum gratiarum, & ſupernæ ſuauitatem dulcedinis; Ecce in locutione ad cor intimæ argumenta beneuolentiæ. Hæc ſi aduertas concedi in ſolitudine, dabis abſque vlla dubitatione ſolitarium eſſe beatum. Quod mihi fit manifeſtum apud Ieremiam Thren. 3. n. 28. legenti: *Sedebit ſolitarius, & tacebit: quia leuauit ſuper ſe.* Vides ſolitarium leuari ſuper ſe, hoc eſt, humanas inter miſerias homine maiorem fieri, nullis ſcilicet vitæ huius calamitatibus tangi, nullis vexari moleſtijs, nullis infortuniorum turbinibus agitari, eo pla-

Vt cæleſtibus fruaris bonis, ſolitudinem ama.

A nè modo, quo montis olympi vertex altè adeò attollit ſe ſe, vt nullo ventorum, aut tempeſtatum impetu quatiatur. Hinc facilè percipies quid ſignificet ſponſa Can. 7. num. 12. dilectum ſuum alloquens illis verbis. *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Laudata fuerat Sponſa toto capite à dilecto ſuo ob elegantiam, & ornatum: Sponſa verò reſpondet: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Quaſi dicat, ſi res ita ſe habet, vt pulchritudine, & ornatu placeam oculis tuis, vnum reſtat, vt vrbanis, & domeſticis turbis relictis ſolitudinem petamus: Videlicet, quæ B omni virtutum decore nitet, vt beata ſit in hac vita, Deo ita adhæreat, vt creatis omnibus contemptis ipſa in Deo, & cum Deo conquieſcat. Id ſuadet Ieremias c. 48. num. 28. inquiens: *Relinquite Ciuitates, & habitate in petra habitatores Moab, & eſtote quaſi columba nidificans in ſummo ore foraminis.* Vtinam & nos relictis ciuitatibus, id eſt, poſthabitis rerum caducarum tricis, in foraminibus petræ, id eſt, in vulneribus Chriſti Domini, qui petra angularis dicitur, animorum noſtrorum nidum excitemus ad vitam ſumma cum tranquillitate degendam.

Valdè vereor, ne permulti hæc legen- C tes à meo ſenſu toto caelo aberrent. Aberrant autem quàm longiſſimè, ſi fortè ſibi perſuadeant, commendare me in praeſentia ſolitarios tantummodo, & Eremitas, aut intra monaſtica ſepta viuentes. Longè mihi diuerſa mens eſt: cùm enim ſolitudinem commendo, quietam mentem à rebus terrenis adumbro, quae ſtatis horis ita contemplationi rerum diuinarum, & caeleſtium gaudiorum vacat, vt ad eam quaſi ad aſylum confugiat, vt, dum pluribus intentus negotijs occupatur, pro eo vitæ genere quod profitetur, nunquam obliuiſcatur Dei. Dum ſeceſſum ab vrbibus inſinuo, dicere volo: viro iuſto mi- D nimè licere intra ſceleſtorum conuentus immorari, ſed in montem, praecelſum ſcilicet virtutum cacumen properandum. Nempe, vt ait Anbertus in cap. 1. Apoc. *Sancti viri ſeipſos deſertũ quietis faciunt, vt habeant quò ſalubriter fugere poſſint. Priùs quippe terrenorum deſideriorum motus manu cõſiderationis à corde reijciunt, & poſtmodum quietis locum in ipſa ſolitudine, quò latere poſſint, inueniunt. Quia enim tranſitoria cuncta deſpiciunt, ex his naſcentes cogitationum inſolentias non patiuntur. Solam namque æternam patriam appetunt; & quia nulla huius mundi diligunt, magna mẽtis tranquillitate perfruuntur.*

Cordis, mẽtiſque ſolitudo maximè commẽdatur.

tur. Ergo non loci, ſed animi; non montium, ſed mentium; non eremi, ſed cordis ſolitudo commendatur. Non te ab hominibus ſeiungas, ſed iungas Deo; non receſſus ab vrbibus, ſed acceſſus ad cæleſtem patriam attentis meditationibus faciet beatum. Sis liber à prauis affectionibus, ſolue cupiditatum commercia, & tranquilla, ac fida mentis ſolitudine perfruens; quieſce à vanis cogitationibus, vt quàm bonus, quàm miſericors, quàm ſanctus ſit Deus, examinans ſedulò; derideas mundi voluptatumque fallacias tumultuantes, & inquietas.

Video non dum à me ſatis explicatum quo pacto ſolitarij eſſe poſſint, qui multitudine negociorum diſtracti in maxima viuunt vrbium frequentia, & rerum tam domeſticarum, quàm publicarum varietate occupantur. Explicabo autem exemplari propoſito Iudith Matronae, vt de populo Dei olim optimè meritæ, ita toto terrarum orbe celeberrimae. Adeſte diuites, à leſte temporalium negotiationum multiplici varietate diſtracti, adeſte quotquot habetis præ manibus præclara, ardua, magna: Vos enim compello, vos moneo, dum aio amandam, & procurandam eſſe ſolitudinem, quærenti in hoc ſeculo felicitatem. Nunquid diuitiarum ſolicitudo nequit cum ſolitudine coniungi? At ſcimus Iudith fuiſſe ditiſſimam; Nunquid rei domeſticae, praeſertim amplae atque magnificae, adminiſtratio? At ſcimus Iudith, viro ſuo Manaſſe defuncto, amplæ domus ſumma cum laude curam geſſiſſe; Nunquid flos iuuentæ auocatum à ſolitaria vita animum ducit ad cœtus ciuium, atque ad vrbanam conſuetudinem? At Iudith primo vernantium annorum vere fruentem, florentemque, ſcimus ſuam ſibi feciſſe ſolitudinem. Sic enim leges c. 8. eius hiſtor. à n. 4. & deinceps: *Erat autem Iudith relicta vidua iam annis tribus, & menſibus ſex. Et in ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculũ, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur &c. Erat autem eleganti aſpectu nimis, cui vir ſuus reliquerat diuitias multas, & familiã copioſam, ac poſſeſſiones armentis boum, & gregibus ouium plenas*. Vt vides, omni bonorum genere florentiſſima fœmina non intra eremi antra inacceſſa ſolitudinẽ quærit, ſed eam ædificat ſibi domi ſuæ; non relicta ſuorum frequentia inter ſyluas fit ſola, ſed in ipſo hæreditario iure accepto palatio, garrulas inter ancillarũ ineptias, in ipſa accedentium, ac recedentium turba, ab omni ſeiuncta ſtrepitu ſola remotis arbitris vacat. Verùm in his immorari non debeo, cum maiora ſuperſint. Iudith non domeſticis rebus ſolùm proſpicit, ſed conſulit publicis, & periclitantibus de fortunis, de libertate, de vita ciuibus vna Iudith praeſto eſt. Quis neſciat obſeſſam Bethuliam, exercitum Arphaxad victorijs inſolentem, Holophernem ſuperbia tumidum? Et Bethuliam in libertatem aſſeruit, & exercitum Arphaxad fugauit, & obtruncatum Holophernem è medio ſuſtulit vna Iudith. Et quem in poſterum non pudebit pretextu negociorum aſſerere, fieri minimè poſſe, vt vitam ducat ſolitariam. Minima ſunt, quæ nos occupant; nullius momenti ſunt quæ nos diſtrahunt: fœmineum ingenium rebus ſummis perficiendis fit par; & licèt in hoſtium caſtris de ſumma rerum deliberare conſilio, manu decernere, memorando abſoluere facinore cogatur, habet tamen ſecretũ cubiculum in quod ſe ſola recipiat. Vnde egregiè S. Petrus Damianus lib. 8. ep. 14. de Iudith loquens ait: *De domo communi recluſorium fecerat, & in populoſa vrbe, amor artifex ſolitudinem reperit*. Itaque nullum vitæ genus eſt adeo negotijs addictum, adeo curis diſtractum, adeo ſolicitudinibus implicatum, in quo ſolitudinem animi, mentiſque ſeceſſum, ac ſeiunctum ab omnibus cordis ſecretum inuenire nequeamus: Cordis ſecretum, in quo bona huius vitae tanquam labentia iudicemus; mentis ſeceſſum, in quo de aeternitate ſedulò cogitemus; ſolitudinem animi, in qua redditurã Deo vitæ noſtræ rationem ſeriò examinemus. In hac ſolitudine Deus inuenitur, ab hac ſolitudine longè abſunt anguſtiæ, & ſolicitudines rerum temporaliũ. In hac quieſcit animus, delectatur aeternis, fit ſuperis carus, & ſpiritualium voluptatũ iucunditate perfunditur. Huiuſmodi ſolitarium beatum eſſe, nemo, vt arbitror, pernegabit.

Fallor, niſi id expreſſum inueniamus oraculo Redemptoris verbis illis ſuos alloquentis diſcipulos Luc. 24. num. 49. *Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto*. Attende quo in loco ſedere debeant: in ciuitate Ieruſalem videlicet. Quis neſciat ſeiunctum locum, atque ſecretum ab omni ciuium turba futurum aptiorem, vt ad Sanctum Spiritum recipiendum conclaue cordis præpararent. Cur ergo non in deſertum, aut ſeparatum aliquem montem mittuntur Apoſtoli, vt maiori quiete, & tranquillitate cordis placidiſſima, eum præſtolarentur ſpiritum, qui non niſi ſuper humilem, & quietum requieſcit. Ciuitas deſerto præponitur, quia nouae legis priuilegium eſt, vt in magna

Spiritualis ſolitudinis præclarum exemplum Iudith.

Cordis, non corporis ſolitudo a Chriſto diſcipulis commendatur.

magna vrbium, negotiorum, curarum varietate, à multitudine excitato cordis deſerto, ac mentis ſolitudine ſtabilita, perfecti viri Deo gaudeant inhabitante. Cordis, non corporis ſolitudinem diſcipulis ſuis commendat Deus, docetque in medio populi ſtrepitu cor quietum, ac pacificum, vnicè factum aptumque ad videndum ac recipiendum cæleſtium munerum largitorem. Et fortè non abſque myſterio ciuitas illa, licèt alioqui frequentiſſima, Ieruſalem nuncupatur, quod nomen viſionem pacis ſignificat, vt innoteſcat nobis, pacem, hoc eſt, compendium bonorum omnium ijs dari, qui in populoſa vrbe quieti ſedere nouerint, ac ſolitarij, iuxta ſententiam S. Bernardi ſer. 4. In Cant. monentis: *Sede igitur ſicut turtur: nihil tibi & turbis, nihil tibi, & multitudini cæterorum; ipſumque etiam obliuiſcere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiſcet rex decorem tuum. O ſancta anima, ſola eſto, vt ſoli omnium ſerues te ipſam, quem ex omnibus tibi elegiſti. Fuge publicum, fuge & ipſos domeſticos, ſecede ab*

Sola ſit anima, vt Deū omnium ſolum poſſit excipere.

A *amicis, & intimis, etiam & ab illo qui tibi miniſtrat.* Haec Bernardus. Cur autem tantopere ſolitudinem probat? nimirum, vt beata fruamur vita, eius intima conſuetudine, qui ſolus beare poteſt. Sic enim explicauerat loc. cit. immediatè ante Ieremiae oraculum Thren 3. num. 28. his verbis: *Sedeas ſecundùm prophetam ſolitarius, quoniam leuaſti te ſupra te: Omnino ſupra te eſt, Angelorum Domino deſponſari.*

Quibus ita conſtitutis, quis non exclamet, quemadmodum repetere identidem ſolebat magnus ille Eremitarū parens Romualdus: *O beata ſolitudo, ò ſola beatitudo!*

B Videatur S. Ambroſ. lib. offic. c. 1. Nec non Gregorius Magnus lib. 4 mor. c. 28.

Videri poteſt P. Didacus de Baeza tom. 1. in Euan. hiſt. lib. 3. c. 4. §. 5. nec non tom. 2. lib. 16. cap. 13. §. 2.

Videri poteſt P. Paulus Theologus tom. 2. in Cant. explanatione Didaſcalica in cap. 1. verſ. 19.

Videri poteſt P. Didacus Niſſenus Dom. 2. Quadr. Aſſump. 3.

IN CA-

IN CAPVT VNDECIMVM

A Num. II. ad XII.

Ioannes autem cùm audiſset in vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Et reſpondens Ieſus ait illis: Euntes renunciate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne: Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt. Sed quid exiſtis videre? prophetam? Etiam dico vobis, & plus quàm prophetam. Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta: qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo.

PARA-

PARADOXVM II.

Labor, aſperitas, aduerſitas hominem faciunt in hac vita beatum.

Nutrices infantibus olim proſpera omnia peroptabãt

RELIQVVM eſt, vt partem alteram propoſiti thematis illuſtrem. Id eò libentiùs aggredior, quò ſpero futurum vtilius. Notum eſt, nutrices olim optare infantibus conſueuiſſe, ac precari opes, honorem, famam, commoda, proſpera omnia, atque ſecunda, quam beatam vocitabant vitam. Immo parentes, ac pædagogi, vt ex epiſt. 60. Senecæ conſtat, vt felicem vitam, ac beatam iuuenibus precarentur, omni eam labore, atque moleſtia liberam exoptabant. Vtinam huiuſmodi de beata vita ſententia noſtris etiam temporibus vulgaris non eſſet, atque communis. Vt propterea vti poſſim verbis illis, quibus Iſaias, Dei nomine, populum Iſraël compellabat cap. 3. n. 12. *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt*. Vt igitur videamus, quo pacto non ſuauia, ſed aſpera; non quieta, ſed laborioſa; non ſecunda, ſed aduerſa faciant in hac vita beatum, conſulamus Sanctum Iob, virum vtique probatum per omnia, qui ſicuti amplo patrimonio, numeroſo famulatu, pulchra prole, & omni felicitatum genere gauiſus eſt; ita etiam pauperiem, orbitatem, contemptum, & genus omne calamitatum expertus duriſſimam duxit vitam, & laborioſiſſimam. Ferat itaque iudicium, quibus humana fiat vita beata. Is autem c. 31. n. 35. ſic loquitur. *Librum ſcribat ipſe, qui iudicat, vt in humero meo portem illum, & circundem illum quaſi coronam mihi*. Mira planè ſententia. Optat conſcribi librum ab eo qui Iudex eſt. Vult videlicet referri in codicem labores omnes, angores, atque ærumnas, quas diuino conſilio, toto ſuæ vitæ curriculo ſubire debet; referri, inquam, in codicem, vt

Iob præclarum patientiæ exemplar.

A eorum ſumma ſit in promptu, & ne vnus quidem prætermittatur infortunij caſus, quem ipſe non ferat. Vult totum librum ferendo patienter percurrere, ne vno quidem iota prætermiſſo. *Vt in humero meo portem illum*. Humeros ſupponit inuictus patientiæ Athlas orbi immenſo calamitatum, quas ideo deſiderat recenſeri. O quàm appoſitè ſubiungit ſtatim: *Et circundem illum quaſi coronam mihi*. Videlicet dum premuntur humeri, tempora coronantur, corona vtique exultationis, & gloriæ. Quia nil tam glorioſum, ac illuſtre, quàm pro Dei amore laborare. Paulus ſanè, dum ſub pondere gemeret, de ſe ſuique ſi-

Laborum tolerantia coronat.

B milibus prædicabat: Gloriamur in tribulationibus, gloria noſtra labor eſt; quibus dum premimur, triumphamus. Læti ergo audiamus, quod Paulus ad Galat. ſcribens nos omnes admonet dicens cap. 6. 3. *Vnuſquiſque onus ſuum portabit*. O optabile pondus, quo veluti triumphatores, ac reges exultantis lætitiæ diademate exornamur.

Non longè ab hac ſententia abijt, ni fallor, rex Dauid num. 1. pſal. 96. dicens: *Dominus regnauit, exultet terra, lætentur inſulæ multæ*. Et terra, & Inſulæ multæ exultare iubentur, & lætari ob gloriam regnantis Domini. Crederem Terræ no-

C mine ſignificari patriam beatorum, quæ Terra viuentium dicitur, & firmiùs conſiſtit immutabili beatitate, quàm pondere ſuo in æternum ſtare dicitur terra iſta, quam pedibus calcamus. Quid porrò per *Inſulas* ſignificetur, dicent Auguſtinus, Gregorius, Hugo. Auguſtinus de animabus iuſtis inter aduerſitatum vndas inſularum inſtar immotis interpretatur: *Quemadmodum*, inquiens in hunc locum, *inſula vndique circumſtrepentibus fluctibus tundi poteſt, frangi non poteſt, magiſque ipſa frangit fluctus venientes, quàm frangitur ab eis*. Gregorius in 1. Reg.

Beatorum patria viuentium terra meritò dicitur.

D cap. 16. ſimiliter intelligit de mentibus tentationum fluctibus vallatis, ſed immotis. Hugo in hunc pſalmum, *bonos*, ait, *inſulis comparari, quia poſiti in ſalo tribulatoinis, quia reſiſtunt ventis aduerſitatum, quia inter fluctus confluentes calamitatum ſtant immoti. Huiuſmodi ergo homines iubet Dauid lætari, & exultare, hoc eſt, ijs affectibus vult plenos, qui proprij ſunt beatorum; de quibus dicitur, exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis*. Quod in futuro ſeculo promittitur venturum amicis Dei, in præſenti per quandam participationem exhibetur ijs, qui eiuſdem Dei amore laborant inter tempeſtates ingruentium malorum,

Viri Dei inter labores cæleſtis beatitatis gaudia capeſſiuntur.

&

A & non alluuntur modò, ſed illiduntur ſa- lo multiplicium curarum, marinorum fluctuum inſtar concurrentium, atque quaſſantium. Cap. 12. Act. Apoſt narratur, quo pacto Petrus ferreis ſolutus vinculis, & è carcere eductus ab Angelo, petijt *domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus eſt Marcus, vbi erant multi congregati, & orantes*, vt dicitur n. 12. cit. cap. Pulſante Petro, domeſtica ancilla, nomine Rhode adeſt, quæ *vt cognouit vocem Petri, præ gaudio non aperuit ianuam, ſed intro currens nunciauit ſtare Petrum ante ianuam*. Audito nuncio tam nouo, & inopinato, quotquot aderant vnanimi B conſenſu leuitatem ancillæ deridentes, inſanire illam affirmarunt. Verba text. à num. 15. *At illi dixerunt ad eam: inſanis. Illa autem affirmabat ſic ſe habere. Illi autem dicebant: Angelus eius eſt*. Miror non modò religioſiſſimos viros tam faciles eſſe ad reprehendēdam immeritò Rhoden vera nunciantem: ſed etiam non poſſum non obſtupeſcere viros tam cordatos, & cæleſti perfuſos lumine, adeò eſſe promptos ad miracula confingenda: quod enim fundamentum habent dicendi potiùs Angelum Petri, quàm Petrum ipſum ad ianuam pulſare? Verùm boni illi Chriſti fideles ſapienter decernebant, non C temerè pronunciabant. Siquidem, vt ait Oecumenius, *A tempore coniectabant*. Videlicet eo tempore, quo Princeps Eccleſiæ captiuus ab Herode detinebatur, eo, inquam, tempore quo ferreis ligabatur vinculis, eo tempore quo in ſummo diſcrimine de capite periclitabatur, mirum non erat, ſi Angelus famulatricem præſtaret operam Petro, modis tam diris vexato, & tot inter anguſtias laboranti. Si ſapis, non dubitabis, ſit ne Beatus is, cui Angeli deſeruiunt; & quidem ſeruiunt, quia pro Chriſto laborat vſque ad vincula; ſeruiunt, inquam, Angeli Petro non quouis loco, aut tempore, ſed ſolùm dum deti- D netur in carcere, & ferro premitur.

Petro pro Chriſto laboranti Angeli tanquā beato deſeruiunt.

Problema dignum auditu proponit, & ſoluit eloquentiſſimus Chryſoſtomus ſer. 8. in cap. 4. Epiſt. ad Epheſ. his verbis: *Si mihi quiſpiam dixiſſet: Elige vtrum velis; Vis eſſe Angelus Petrum ſtimulans ac ſoluens, an Petrus ſeruatus? Petrus vtique maluiſſem eſſe; propter quem & Angelus deſcendit. Vinculis illis potiri libuiſſet*. Dicamus hoc modo: ſit ex hac parte Angelus, ex alia Petrus inter vincula pro Chriſto laborans: vter horum beatior, ac felicior cenſeri debet? ſi Chryſoſtomum audiamus, Petrus. Negot iam qui voluerit hominem fieri in hac vita beatum ob labores, quos pro Chriſti amore patitur.

Vir pro Chriſto patiens ipſis Angelis felicior.

Verùm quod in præſenti illuſtro, clariùs dici non poteſt, quàm à Rege Dauid dicatur pſal. 127. num. 2. *Labores manuū tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit*. Quem textum Paraphraſtes exponit: *beatus tu in mundo iſto, & bonum erit tibi in mundo venturo*. Duo, vt vides, genera bonorum laborāti promittuntur, quorum alterum eſt: in mundo iſto beatitudo. O verè optandi pro Chriſto labores, à quibus in hac ipſa vita gaudium in Spiritu Sancto, & ipſemet guſtus emanat honeſtorum operum, quibus non alieni (nempe dæmones, quod impijs laborantibus accidit) ſed nos ipſi veſcimur. Videtur mihi duplex hoc præmium, huius vitæ videlicet, & futuræ beatitudinis, quod conſequuntur qui pro Chriſto laborant, graphicè adumbrari Gen. 44. num. 1. Vbi Ioſeph imperat diſpenſatori domus ſuæ, vt ſaccos fratrum & frumento compleat, & pecuniam, quam pro frumento ſoluerant, in ſummitate eorum ſaccorum reponat. Ita planè cum ſeruis ſuis agere videtur Deus, qui laborantibus vt congregent meſſem frumenti in vitam æternam, non ſolùm frumentum tribuit quo in patria veſcantur, ſed etiam donat aurum, quo diuites incedant, etiam dum à Domino peregrinātur in itinere huius noſtræ mortalitatis. Beatus es auro charitatis & gratiæ, qui labores ſubis amore Dei, & bene tibi erit, cùm mortalis vitæ fructibus perfrueris in cælo.

Pro Chriſto laborātibus etiam in hac vita cæleſtis beatitudo promittitur.

Dicebat Epicharmus apud Xenophontem 2. memorab.

Dij cuncta protinus laboribus vendunt bona. Quanto ſunt in pretio noſtri labores, vt protinus, non exacto vitæ curriculo, non in futuro ſæculo, non in patria poſt obitum; ſed ſtatim, etiam dum vitam hanc ducimus, omnia bonorum genera promereantur. Et ſanè promerentur ea bona, quae deſurſum ſunt, à patre luminum conceſſa mortalibus. Quaeris, quae ſint haec bona? reſpondebit Seneca pluribus in locis Epiſt. 66. 71. 74. 99. 120. eſſe bona honeſta, hoc eſt, ea quae bonum reddunt habentem, & verè beatum faciunt, qualia ſunt opera virtutum. Cùm autem virtus ſine labore exerceri non poſſit; vnde ex Heſiodo in Erg. vulgò dicitur,

Plura bona laborātibus ſpondentur.

Virtutem poſuere dij ſudore parandam.

Conſequi videtur, vt per ſolos labores veris in hac vita bonis frui poſſimus. Quod & Sophocles in Elect. cecinit.

Abſque laboribus nulla certè felicitas.

Audiuimus ſaepiùs S. Iob. cap. 5. n. 7. monen-

monentem, *Homo naſcitur ad laborem, & auis ad volatum.* Semper mihi viſa eſt plena myſterio huiuſmodi coniunctio, qua labor hominis cum volatu auis connectitur, quaſi eodem modo ſe habeat hominis labor, & volatus auis. Ita planè: Volatanis, & volando deſatigatur & laborat, ſed hoc labore nil felicius, quando per illum, alarum remigio, velocior auris per aëra vagatur. Quid melius aut optabilius habet auis, quàm volandi facultatem? Id quod volatus tribuit auibus, dat hominibus labor, vt ſicuti à volatu habetur auium præſtans prærogatiua, ita à laboribus hominum pendeat felix conditio. Nil tam inuidendum in auibus, quàm volatus; nil tam ſingulare in homine, quàm labor. Nil in auibus tam eximium, nil in homine tam præclarum. O fortunati labores, quibus felices euadimus, & ſupra mediocritatem humanæ ſortis extollimur; non ſecùs ac aues pennarum beneficio ſuper infima terræ efferuntur, & volant.

Labores alæ ſunt quibus ſerui Dei in altum extolluntur.

Exodi 33. cùm familiariùs Moyſes cum Domino loqueretur, audiuerat enim ab eodem Domino num. 17. *Inueniſti gratiam coram me*; auſus eſt exponere quod exoptabat. Vnde ſequenti num. 18. dixit Moyſes: *Oſtende mihi gloriam tuam.* Quaſi diceret; quandoquidem ſum apud te gratioſus, vnum reſtat, vt ſim particeps bonorum tuorum. *Oſtende mihi gloriam tuam.* Reſpondit: *Ego oſtendam omne bonum tibi.* Bono animo eſto Moyſes. En audiris. Tene ſponſionem eius, qui mentiri non poteſt. Verùm, quis credat? Et tamen ſic ſe res habet. Paulò poſt idem Dominus declarat Moyſi, fore vt videat non faciem, ſed tergum, num. 20. *Rurſumque ait, non poteris videre faciem meam* & num. 23. *Videbis poſteriora mea: Faciem autem meam videre non poteris.* Hunc ergo euadunt promittentis Dei oracula? ſi omne bonum oſtenſurum ſe promiſerat, cur faciem, hoc eſt, bonorum maximum negat? *Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus*, trita deprecatio eſt. Salutem itaque ſperare non poteſt Moyſes, ſi à videnda facie prohibeatur? Quid dicemus? & Deum promiſſis non ſtetiſſe, & Moyſis orationem non fuiſſe exauditam? Abſit. Immo non poterat meliùs, & voto Moyſis, & Dei ſponſioni fieri ſatis. Poſtulabat enixè Moyſes gloriam Dei, & Deus omne bonum disertè promiſit: Ac quia, dum viuimus, tam Dei gloria, quàm omne bonum non niſi ab humeris haberi poſſunt, ideò abſcondita facie, humeros oſtendit. Sicut ab humeris Dei portata fuit, ita à nobis portari debet crux laborum; ſicuti hu-

Bonorum omnium gloria, labor eſt.

A meris Dei excepta fuere flagella, ita noſtris humeris aduerſitatum flagra ſunt toleranda; & hoc pacto poſſidemus in præſenti gloriam Dei, & omne bonum oſtenditur nobis. Vno verbo, dum viam terimus ad promiſſam patriæ ſtationem, laborandum nobis eſt, vt viuamus beati.

Notiſſima eſt illa querela Iſraëlitici populi, quæ habetur Numer. cap. 21. verſ. 5. *Anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo.* O ingenium hominum planè barbarum! Gratias referre debuiſſent immortales pro cibo Angelicis manibus præparato, & tamen impudentiſſimè conqueruntur. Fallor, niſi tam iniuſtæ que-
B relæ rationem reddat Spiritus Sanctus ſap. 16. 20. *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & paratum panem de cælo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem.* Noto verba illa: *ſine labore*, in quibus animaduerto, nec Angelorum panem de caelo praeſtitum, nec omne delectamentum, ac ſaporis ſuauitatem poſſe voluptatem afferre manducantibus, ſi labor abſit. Videlicet in hac vita, non Angelicis parata manibus, non de caelo miſſa fercula, non omnium ſaporum oblectamenta, ſed toleratus pro Deo labor facit beatum. Sapores ipſi ſtomachum mouent,
C & nauſeam prouocant, ſi labor abſit. Hinc Theodoretus proœm. in Ezech. *Contemnitur re vera eorum, quæ ſunt in promptu, poſſeſſio: ſed quæ labore parta poſſidentur, ea verò iucundiſſima ſunt, & amabiliſſima.*

Labore parta, ſumma iucunditate plena ſunt.

Nemo eſt qui non animaduerterit millies, quod Matth. 5. cùm Beatitudines recenſentur, bis tantùm tempore præſenti proferuntur, cùm dicitur num. 3. *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* & num. 10. *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Cæterùm ſemper futuro tempore enunciã-
D tur: Vnde à num. 4. *Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram. Beati qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur.* Et ſic de ſingulis. O præclarum diſcrimen. Quid calamitoſius paupertate? perſecutione quid laborioſius? Intelligo iam, mitibus, iuſtis, miſericordibus, mundis corde, pacificis promitti cælorum regnum: ſed dari laborantibus ſub ærumnarum pondere. Cum his fieri mihi videtur quod ſcribit Iuſtus Lipſius, in mon. polit. lib. 2. cap. 3. de Peruanis populis, qui vt regem eligant, accipiunt inſanæ magnitudinis pondus ingens, coactiſque regnandi cupidis, ſingulorum humeris imponunt, ea lege, vt

Reliquis cæleſtis beatitudo promittitur, laborantibus verò datur etiam in terris.

Rex

Rex ab omnibus agnoſcatur is, qui diutiùs ſtare ſub pondere potuit. Pondus ergo non promittit regnum, ſed donat. Non miror audiens eſſe regnum caelorum eorum, qui ſub laborum pondere ſuarum virium ſpecimen exhibene, non futuri exacto mortalitatis curriculo, ſed iam in praeſenti Beati.

Canente Moyſe, promittit Dominus cap. 32. Deuteron. num. 13. fore vt Dei populus mellis dulcedinem ab aſperrima petrae duritie excipiat, & ſuauitatem olei à ſaxo hauriat. *Conſtituit eum*, verba Moyſis vaticinantis, *ſuper excelſam terram, vt ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo*. Monet Gregorius B homil. 26. in Euang. hoc oraculum nequaquam fuiſſe completum tempore antiquae legis. Nunquam enim Iudaei, ne in terra quidem promiſſionis, aut de petra mel, aut oleum de ſaxo acceperunt. Id autem quod Iudaeis negatum fuit, Chriſtianis in lege gratiae contingere gratulamur. Sic ſe ſe res habet. Electus Dei populus Chriſto duce experitur inter ſaxeos labores internae ſuauitatis liquorem melleum & in ipſa aerumnarum duritiae guſtat ſacrorum Charismatum oleum iucundiſſimum. Vnde Bernardus melleus planè de huiuſmodi melle ſcriptor epiſt. 106. ait: *An non montes ſtillant dulcedinem, & colles fluent lac, & mel*. C Crede quos montes arbitrabaris inacceſſos mellis inuenies gurgite a beata perennitate fluentes. Quod Sponſa auctoritate ſua confirmabit, dum enim ſibi minimè conſtare videtur, maximè ſapit. Cant. 4. 11. Audia dicentem. *Mel & lac ſub lingua eius*. Paulò poſt Can. 5. 11. pronunciat. *Labia eius ſicut lilia diſtillantia myrrham primam*. Myrrha nil amariùs? At lacte, & melle quid dulciùs? Myrrha mortuorum cadauera condiuntur, lacte creſcunt, melle recreantur vina corpora. Quomodo ergo ſponſa, quae caeteroqui tanta praedita ſapientia eſt, cohaeret ſibi, adeò inter ſe pugnantia D componens? Ego ſanè myrrham, & mel ſimul iungi in eodem ſponſi ore dum audio, diſco eos eſſe laborum pro Chriſto ſuſceptorum amarores, vt vna cùm ipſis melleus exundet liquor. Nequaquam expectanda eſt futuri ſeculi felicitas ſeruo Dei, ſed cùm myrrha in hac vita mel hauriet, & guſtabit.

Caeleſtem ſuauitatem etiam inter labores experiuntur ſerui Dei.

Iam dabo reſponſum ijs, qui fortè obijciunt; quo pacto fieri poteſt vt credamus aſperis laboribus homines reddi beatos? Profero Chryſoſtomum hom. 62. dum explicat illud Pauli: *Gaudete in Domino*. Sic diſſerentem. *Et quomodò gau-* A *dere licet vbi ſunt vincula, vbi tormenta, vbi iudicia? Hinc maximè gaudere licet. Quomodò verò licet vbi non haec? Qui namque ſibi nullius magna rei conſcius eſt, quomodò delectabitur? Itaque quantò maiorem dixeris tribulationem, tantò maiorem dicis voluptatem*. Tantùm abeſt vt ingruentium aduerſitatum labores, angoreſue calamitatum, auferant, vt potiùs cóferant laetitiam, alacritatem, gaudium, voluptatem; vno verbo beatam faciant vitam laborantis. Etenim dum angimur aduerſis, dum inter labores anhelamus, dum defatigamur arduis, magnae rei nobis ſumus conſcij, magnum enim quid eſt B duris percuti, ſed non concuti: magnum eſt arduis peti, ſed non proſterni. Hinc Seneca Epiſt. 53. in fine ſic ſcribit: *Eſt aliquid, quò ſapiens antecedat Deum: Ille naturae beneficio, non ſuo ſapiens eſt. Ecce res magna, habere imbecillitatem hominis, ſecuritatem Dei*. Loquitur Philoſophus de ijs, qui inuicto ſunt animo inter anguſtias calamitatum. Stat Chryſoſtomi ratio, qua vult illum delectari ſolummodò poſſe, & beatam traducere vitam, qui rei magnae ſibi ſit conſcius: res autem magna eſt ex Seneca, inter anguſtias laborum, & aerumnarum animo ſtare firmo hominem natura ſua infirmum. Fa- C tendum igitur eſt, animi tranquillitatem, voluptatem mentis, plenam cordis laetitiam obtineri ab ijs, qui pro Deo laboribus vſquequaque conficiuntur.

Quo maior tribulatio ingruit, eò maior voluptas inter illam reperitur.

Repetamus, ſi placet Cap 26. Geneſ. atque vt in eo quòd de Iſaac & Rebecca narratur myſterium intelligamus, ſciendum eſt nomine Iſaac ſignificari riſum, & nomine Rebeccae, ſignificari tolerantiam. Leges autem citato capite Iſaac negauiſſe Rebeccam eſſe vxorem ſuam; Sed Abimelech rex Palaeſtinorum cùm illos iocantes videret, deprehendit Iſaac vxorem eſſe Rebeccam, Sic planè contingit: Iſaac, ideſt, riſus & iucunditas negat verbo te- D nùs Rebeccam, hoc eſt, tolerantiam laborum iungi ſibi in matrimonio: ſed reuera ita riſus & tolerantia copulantur, vt ſeiungi nequeant, & licet in ore omnium ſit tolerantiam cùm riſu minimè coniungi, tamen experientia docti fateri debemus, ſicut Iſaac non aliam quàm Rebeccam habet vxorem, ita germanam voluptatem ſyncerumque cordis riſum nõ niſi cùm tolerantia copulari. Diſce vnum fieri ex tolerantia & riſu, ſicut coniuges fiunt vnũ in Carne vna. Id me ab Alexandrino Clemente edoctum non negabo: Sic enim ſcribit lib. 1. Paedagog. cap. 5. paulò ante finem. *Iſaac riſus exponitur: Interpre-*

Quam benè laborum tolerantia cũ ſuperna voluptate copuletur.

pretantur autem Rebeccam tolerantiam. O prudentem ludum, ac diſciplinam. Riſus, & à tolerantia adiuuatur, & Rex qui ea attendit (loquitur de Abimelech) *ſtupet, & admiratur ſpiritum eorum, qui ſunt pueli in Chriſto, qui in tolerantia vitam agunt. Et hic eſt diuinus ludus, ac diſciplina. Talem ludum ludere ſuum Iouem dicit Heraclitus. Quid enim aliud viro ſapienti & perfecto magis conuenit, quam ludere & collatari per honeſtarum rerum tolerantiam, & honorum adminiſtrationem, dies feſtos cum Deo celebrantē?* Chriſtianorum, ac perfectorum hominum vita ludo Iſaac ſimilis eſt, tunc quippe ludunt cum tolerant, tunc rident cum laborant: placet lætitia, non diſpliceat labor; quæris gaudium, non refugias angores, nanque neceſſe eſt vt lætus labor ſit, & ſimul laborioſa lætitia. Verè bona facere, & mala pati: Immo inter malorum preſſuras lætari, ac beatum eſſe, Chriſtianum eſt.

Plurimum chriſtianæ pulchritudini, & perfectioni labores proſunt.

Gemina Senecæ libro de Tranquillitate animi, ſimilitudo declarabit apertius quod hoc loco contendo. Prima petitur à pingendi magiſtris in hunc modum. *Proinde* (inquit Philoſophus) *vt pictores fuſcos in tabulis colores, omninoque ſubducendos oculis prænitentibus alijs, atque viſendis coloribus inducere, atque interſinire ſolent: ſic homines in ſuo ſibi animo triſtia quæque euenta memorandis alijs premere oportet, ac diluere.* Reſpondeat mihi, obſecro, lector: colores fuſci ſunt ne à tabulis amouendi? Sine dubio amouendi non ſunt. Huiuſmodi colores conferunt, an obſunt elegantiæ, & pulchritudini picturæ? Planè conferunt. Ita etiam labores, & preſſuræ fuſci coloris inſtar tantum abeſt vt noceant perfectioni, & pulchritudini beatæ vitæ, vt potius maximè iuuent. Altera ſimilitudo quam ſubijcit Seneca loco cit. eſt huiuſmodi. *Tam eſt varia, multiplex, reciprocabiliſque huius mundi harmonia, quam lyra eſt, aut arcus, nec in humanis quidquam eſt, quod ſimplex purumque ſit. Verùm vt muſica ſonis acutis, & grauibus conſtat: & Grammatica litteris vocalibus, & mutis: vt Muſicus Grammaticuſque non qui horum alterutris, ſed qui vtriſque vti miſcereque accommodatiſſimè nouit. Haud aliter, ſapienter is demum inſtituiſſe vitam mihi videtur, qui diuerſiſſimos rerum euentus, mutuoque ſibi aduerſarios miſcere ſcitè didicit, ſecundos cum aduerſis compenſando. Nam vt ſeorſum bona, & mala ponantur, humana vitæ commoditas non admittit: ſed temperamentum quoddam de his conflari conuenit, ſi rectè de his ſtatuere volumus. Non eſt igitur conſentaneum alteris eorū ingemiſcere & tanquam oneri ſuccumbere animo concidentes: ſed deterrimi cuiuſque euentus vim, atque impreſſionem meliorum rerum recordatione retundere, omninoque commodis incommoda veluti inuolucro quodam velantes totius vitæ tenorem ex proſperis, aduerſiſque rebus concretum, & coagmentatum, quaſi concentum quendam efficere harmonica ratione temperatum.* Non potuit melius, aut aptius declarari quod cōfirmare contendo: Vt præſens vita ad modum harmoniæ ſuauiter reſonātis traducatur, labores, preſſuræ, anguſtiæ non repellendæ ſunt, ſed admittendæ; immo quærendæ vt diuerſi rerum euentus, proſperi ſcilicet & iniucundi ſcitè permixti, ſecundi cum aduerſis compenſentur. Si fortè pauperiem pateris, ſi morbo laboras, ſi inimicorum vexaris fraudibus, nequaquam queſtibus cælum impleas, ſed aſperis hiſce attempera iucunda. Cur non tibi ipſi ſuggeris glorioſum eſſe ſpecimen fortis animi præbere, cur non reuocas in mentem hiſce aditum patefieri ad immortalitatem: Cur non aduertis ſocium eſſe Chriſti patientis, qui aequo animo inter anguſtias laboreſque defatigatur. Hac permixtione fit concentus harmonica ratione temperatus. Diſce laboribus, aduerſis, aſperis, non deſtrui, ſed fieri, ac perfici beatum etiam in hac mortalitate genus vitæ? Diſce à Grammatico ſolis vocalibus non fieri dictiones, ſed neceſſariò mutas etiam literas eſſe admiſcendas. Sicut enim vocales licet ſonoræ ſint, niſi tamen mutis percuſſæ nil boni ſenſus proferunt, ſic etiam iucunda, ac laeta huius vitae niſi aduerſis, ac triſtibus intermixta, abſolutum iucunditatis ſenſum parere, aut perficere nullo pacto poſſunt. Quanto igitur, & quam palmari decipiuntur errore, qui aſperitates, labores, aduerſitates tanquam humanae felicitatis inimicas auerſantur, ac fugiunt. Illuſtre habemus exemplum in Dauide de quo Eccl. 47. 3. *Luſit cum leonibus, quaſi cum agnis, & in vrſis ſimiliter fecit.* Vt diſcamus eum, qui ſecundum cor Dei vir ſit, non ſecus ac Dauid Vrſis, & Leonibus irruentibus non perhorreſcere, ſed ludere. Exemplum habemus in S. Stephano, *cui lapides torrentis dulces fuiſſe* dicuntur, vt certi ſimus ſaxorum duritiem molleſcere amicis Dei, & fieri ipſo nectare dulciorem. Exemplum habemus in Apoſtolis, qui *Ibant gaudentes à cōſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt, pro nomine Ieſu contumeliam pati.*

Chriſtianorum harmonia laboribus ſatis temperatur, & ſuauior efficitur.

Varia labores ſtrenuè tolerantium exempla.

A Nimirum ea omnia quæ imperfectis incutiunt metum, ſanctis viris voluptatem pariunt, faciunt beatitatem. Teſtis mihi ſit Io. Apoc. 14. 2. *audiui vocem tanquam vocem tonitrui magni*. Quis non contremiſcat? ſed attende quæ ſequuntur: *& vocem quam audiui, ſicut citharædorum citharizantium in citharis ſuis*. Vox eadem quae reſonans tanquam tonitru perterrefacit, recreat velut iucundiſſimum melos. Teſtis mihi ſit Moyſea cuius illa benedictio Deut. 33. 19. complectitur omnes inſignes pietate viros. Ait autem *lætare Zabulon in exitu tuo, & Iſſachar in tabernaculis tuis. Populos vocabunt ad montem: Ibi immolabunt victimas iuſtitiæ, Qui inundationem maris quaſi lac ſugent*.
B Verè fœlices ac beati qui in præcelſo ſanctitatis monte conſtituti iuſtitiæ victimas continuò immolant. Iſtis datur lac ſugere non ex vberibus matrum, ſed ex ipſa maris inundatione: Sic mare amarum lacte exuberat. Teſtis denique mihi ſit mitiſſimus Dauid pſalm. 117. num. 12. de ſe ſcribens *Circundederunt me ſicut apes*. Aduerſa quæcunque illa ſint in hac vita circundant iuſtum ſicut apes: Hae videlicet dum aculeo pungunt, vngunt melle; dum vulnere lauiant, liniunt nectare.

C Do Iuuenis Azariae orationem breuem illam quidem, ſed caeleſtis ſapientiae plenam, Daniel. 3. à. num. 32. ſic exclamat Azarias ad Deum conuerſus: *Tradidiſti nos in manibus inimicorum noſtrorum iniquorum, & peſſimorum*. Mirum dictu eſt, Azarias beneficijs à diuina miſericordia auctus, & ſimul ſupplicijs afflictus, de beneficijs ne verbum quidem, ſupplicia ſolummodo memoranda, immo exaltanda ſuſcepit, & laudanda. Video Azariam damnatum ad flammas, mille nodis reuinctum, ſatellitum impetu proſtratum iactatumque in fornacem: Eundem intueor è camino ardentis incendij eductum, illæſum, incolumem, Regis gratia, acclamatione Optimatum, gratulatione omnium tanquam ſpirans miraculum adoratum. At ſi loquentem audire voluero, excipio docentem; *Tradidiſti nos in manibus inimicorum noſtrorum iniquorum, & peſſimorum &c.* An ignoras Azaria ingratae mentis eſſe beneficia tacere diuina? Ergo ſi gratularis te traditum inimicorum poteſtati, cur non gaudes ab ijſdem ereptum? Potiora ſunt & cariora Azariae ſupplicia, quam ipſa ſint beneficia, illa quippe faciunt in hac vita beatum ſi Tertulliano credimus lib. de patientia cap. 11. ſic dicenti. *Si à Domino non nulla credimus incuti, cui magis patientiam, quam Domino præbeamus? Quin inſuper gratulari, & gaudere nos docet, dignatione diuinæ caſtigationis: Ego* (inquit Apoc. 3. num. 19.) *quos diligo caſtigo. O ſeruum illum beatum, cuius emendationi Dominus inſtat: cui dignatur iraſci: quem admonendi diſſimulatione non decipit*.

Ingens Dei beneficium pro Deo pati imò quoquis beneficio carius,

Videatur P. Blaſius Viegas in cap. vndecimum Apocalyp. com. 5. ſect. 3. n. 1. & 2.

P. Didacus de Baeza tom. 2. in Euang. hiſt. lib. 15. cap. 9. §. 5. & tom. 1. de Chriſto figurato lib. 2. cap. 2. §. 6.

Videatur P. Didacus Nyſſenus Dom. 2. Quadr. Aſſump. 4.

IN CA-

IN CAPVT VNDECIMVM

A Num. XVI. ad XXIV.

Cui autem ſimilem æſtimabo generationem iſtam? Similis eſt pueris ſedentibus in foro: qui clamantes coæqualibus dicunt: Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis: lamentauimus, & non planxiſtis. Venit enim Ioannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus. Et iuſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis. Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ ſũt plurimæ virtutes eius, quia non egiſsent pœnitentiam. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida: quia, ſi in Tyro, & Sidone factæ eſsent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiã egiſsent. Verumtamen dico vobis: Tyro, & Sidoni remiſsius erit in die iudicii, quàm vobis. Et tu Capharnaum, numquid vſque in cælum exaltaberis? vſque in infernum deſcendes: quia, ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, forte manſiſsent vſque in hanc diem,

PARADOXVM III.

Mundanæ felicitates, & magnitudines, pueriles ludi.

NEQVAQVAM excogitatum à nobis axioma, ſed ab ipſiſſima diuinae ſapientiae voce magiſtra pronunciatū oraculum illuſtrabitur in præſentia. Inſaniunt profectò cum Tyro, Sidone, & Capharnaum, puerorum in morem, qui terrenis rebus occupati, ad bonam pœnitentiae frugem ſe ſe reducere negligunt, ſemper intenti, vt ſe ſe extollant honoribus ſeculi tranſeuntis: quaſi verò ad caelum vſque hiſce gradibus arbitrentur aſcendere poſſe, ingnorantes, mundanas celſitudines, ac felicitates, re vera ludos eſſe puerorum.

Docuerat id ipſum multo antea eadem diuina bonitas caeleſti effato, Sapientiae 12.n.24.& 25. his verbis, deceptos mundi vanitatibus deſcribens: *Infantium inſenſatorum more viuentes*, vel ex Græco textu, *Infantium more ſtultorum illuſi*. Sequitur lectio vulgata, *Propter hoc tanquàm pueris inſenſatis iudicium in deriſum dediſti*. Videmus, & ridemus ſaepe pueros, dùm, quaſi ſuperbam extructuri molem, ædificant, & pro trabibus feſtucas adhibent, pro marmoribus lutum coagmentant: recreantur illi quidem, veluti molis nobiliſſimae architecti, ſed non tàm ludunt inter ſe fallendi temporis gratia, quàm illudunt ſeriò mentis humanae elationem. Id enim, quod per iocum à pueris fieri ridemus, re vera fit ab hominibus ambitioſis, qui magna, atque inſignia expetentes in ſpeciē, re ipſa luto, veluti pueri, occupantur. Sic viſum eſt Auguſtino, qui lib. 5. Conf. c. 12. loquens de ijs, quae tanquàm excelſa, humana cupiditas expetit, atque admiratur, dixit eſſe *volatica ludibria temporis, & lucrum luteum*. Quàm verè dicuntur infantium inſanientiū more viuentes, quoniam lucrum eſt luteum.

Mundana felicitas vo latica ludibrium, & lucrum luteū rectè dicitur.

A Nempe lucrū magni laboris, nullius pretij.

Quid obſecro tàm proprium, quid tàm peculiare puerorum, quàm inanibus delectari detinerique figuris? quibus decipitur oculus, animus non expletur. Propterea Paulus mentes hominum à magnis, ac mirabilibus huius vitae auocaturus, ſcribebat ad Rom. 12. n. 2. *Nolite conformari*, vel iuxta aliorum lectionem: *Nolite configurari huic ſeculo*. Figurae ſunt bona, quaecumque oſtendit, & oſtentat ſeculum fallax. Haec qui ſectatur, hiſce qui ſe conformat, mores induit ludentium puerorum. In hanc ſententiam accommodatè Chryſoſtomus hom. 20. *Si rectè incedere*

Mundana gloria figura eſt & quaſi quædam ſcenica perſona.

B *voles, ne te adaptes ad præſentis vitæ figuras. Nàm ſi diuitias obieceris, ſi gloriam, ſi delicias, ſiue illud quodcunque ex ijs, quæ magna eſſe videntur, figura tantummodò ſunt, non ipſius, quæ in rebus eſt, veritatis demonſtratio; perſona quædam ſcenica, non conſiſtens rerum ſubſtantia. Sed tu vide ne illis configureris*. Ridiculum eſt videre pueros, qui papyraceos lembus per riuulum deducunt, quaſi opes Indicas vehant; vel exercitus diſponunt, quaſi orbem cùm Alexandro expugnaturi; vel magiſtratus creāt, mercaturā exercent, equitant in arundine longa; haec, & his ſimilia mille proferunt rerum imagines inanes

C omninò, ac pueriles. Vide num parui in morem pueri vixeris hactenus, quandoquidem, quae magna eſſe videntur, figura tantummodo ſunt, & perſona quaedam ſcenica. Hoc eſt negotium puerorum. Quò fortaſſe reſpiciebat S. Gregorius Nazianzenus orat. 17. *Mundus tranſit, & ſcena diſſoluitur*. Quaſi dicere vellet. Mundus quantuſquantus eſt, ſcenicus ludus eſt, quo qui decipiuntur puerilis animi ſunt. Hoc enim diſcrimen eſt inter cordatum virum, & leuem puerum, dum exhibitos in ſcena iocos videt, quod ille rideat, tanquàm ludicra deliramenta; hic verò tanquàm ſeria ſpectacula demire-

Mundi honor ludicra deliramenta, & vaniſſimi puerorū ludi ſunt.

D tur. Decipiunt mirum, an potiùs miſerandum in modum maxima dignitatis humanae decora, & probant ſe ſe veriſſimos ludos eſſe, honores vaniſſimos. Id quidem expertus eſt Conſul Romanus, qui Petilius vocabatur, de quo Valerius Maximus lib. 1. cap. 5. Cùm enim in Liguria bellum gereret, & oppugnaret montem, cui Letum cognomen erat, flagrantiſſimè cupiebat eundem expugnare, ad ſui famam nominis amplificandam; ideò quaſi certus victoriae blandiens ſibi, ad excitādos militum animos, non tàm dicebat, quàm iactabar: Hodie ego Letum vtique capiam. Haec porrò non fuit confidentis animi

vox,

vox, ſed animi præſagientis oraculum infauſtum, vt euentus demonſtrauit, eodem quippe die non Letum mõtem, ſed lethum, ideſt, mortem cepit; non vtique occupans hoſtilia, ſed ipſe ab hoſtibus occupatus. Sic triumphalem laurum, cùm funeſta cupreſſu permutat ſæpe, in noſtrã iocans perniciem, ambitionis humanae viciſſitudo deludens. Heu ferales ludos temporalium magnitudinum! Heu deflendos iocos mortalium felicitatum! Quot ſunt, quos perniciosiùs quàm Petilium mundus deridet, paucularum immutatione literarum, ſortes longè diuerſas tribuens. Quot ſunt, quibus, dùm laetum culmen ſpondet honorum, dat ſaepe lethum, culmen vltimum calamitatum.

Honoribus mundanis, & dignitatibus ſeculi minimè fidendum.

Quis neſciat inania omninò, atque inutilia eſſe, quae mundus tanquàm praeclara, atque praeſtantia admiratur. In ijs porrò, quae vana certo certius eſſe ſcimus, tanquàm pro maximi momenti negotijs laborare, puerorum eſt; quibus ſolemne eſſe experimento didicimus, in nihil agendo mirum in modum occupari. Illuſtrat id Beatus Laurentius Iuſtinianus de triumph. Chriſti agone, cap. 14. his verbis: *Hoc indicauit mediator, qui illudi voluit, ſicut in corona ſpinea, ità & in ſceptro arundineo. Meritò terrena dignitas arundini comparatur, quæ exterius viret, & tamen infructuoſa, intuſque inanis eſt, & vacua. Quis in aſpectu primo potentum ſeculi non appeteret faſtum? quidquid in ipſo eſt, arridere, & vireſcere creditur. Accede autem propiùs, diligenter conſidera, quantis intus agitetur curis, quale etiam foris præferat germen, vtique inutile, & citò periturum.* Quod ſceptrum apparet, arundinem eſſe certò ſcimus; quod pretioſum humana fingit ambitio, inutile germen, & citò periturum, atque inane omninò Salomonis voce declarant ſacrarum oracula literarum. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Eccleſ. 1. An non ergo pueriles negotiationes eſſe dicemus haſce nugas, quas malè ſanè cupiditates hominum amore adeò impotenti proſequuntur? Idem Rex Salomon, ſapientia, quàm corona celebrior Prouer. 22. n. 15. & Prou. 14. 18. pronunciauit, *Stultitia alligata eſt in corde pueri.* Nunquid pueri tantummodo ſtulti ſunt? Ea ſanè ſtultitia, quae temporaliũ amore felicitatum, hominũ mentes à Deo auocat, in corde pueri alligata eſt, quia pueros facit.

Quàm bene terrena dignitas arũdini cõparetur.

Concutit me timore, vt verum fatear; quod ſcribit Euangeliſta Matthæus c. 19. à num. 16. & deinceps. Vbi dicitur, neſcio quis, ad Ieſum acceſſiſſe, & non ſine ma-

Mundanis cupiditatibus detineri, puerilis res eſt.

A gno pietatis ſenſu petijſſe, quibus ad cælum gradibus poſſet aſcendere? n. 17. *Magiſter bone quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* Prompta fuit, & facilis reſponſio: ſeruanda videlicet eſſe mandata. Quod vbi perfectum iam fuiſſe intellexit Saluator, conſilium ſubdit vitæ ſanctioris: n. 21. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni ſequere me. Cùm audiſſet autem adoleſcens verbum, abijt triſtis.* Deus bone, cur triſtis abit is, qui verba vitæ audiuerat? Num cæleſtis theſauri promiſſio, num ſpontanea oblatio, num innitantis vox Chriſti tàm

B alacrem animum mœrore perfundere potuerunt? Et tamen abijt triſtis. Quis oro dignior qui inter Chriſti ſocios recenſeatur homine iſto, qui nulla peccati labe fœdatus, ab ineũte ætate ambulauerat immaculatus in lege Domini. Et tamẽ abijt triſtis. Notandum cenſeo diligenter, non ſine cauſa ab Euangeliſta nuncupari *adoleſcentem*, cùm dicere vult abijſſe triſtẽ. ait enim n. 22. *Cùm audiſſet adoleſcens verbum, abijt triſtis: erat enim habens multas poſſeſſiones.* Vtique adoleſcens, nec maturæ adhuc, aut virilis ætatis, qui bonorum temporalium cupiditate tenebatur; hiſce quippe delectari humanum, detineri verò

C puerile. Liberat me ſuſpicione mendacij eloquentiſſimus Chriſoſtomus hom. 33. in Matth. vbi recognoſcens in hoc iuuene Iudaicum populum, ſic loquitur: *Iudaicus populus erat adoleſcens, non ætate, ſed leuitate; moribus immaturus, non annis.* En cur Euangelicæ culmen ſanctitatis nõ teneat, licèt cæteroqui innocens moribus, & Chriſtianae cupidus diſciplinae ad Ieſum accedens; quia puerilibus praeditus moribus, affectu ſtringit, & corde fouet inanem bonorum temporalium felicitatem. Diuitiarum, honorum, dignitatum, bonorum, quae ſperare poterat, amore deperibat, ideò iuuenis, non aetate, ſed

D leuitate; moribus immaturus, non annis. Caue ne puerilia iſta primum te à Chriſti ſchola, & deindè etiam ab ipſa caeleſtis patriae beatitate abducant.

Pulchrè ſanè Clemens Alexandrinus lib. 2. ſtromat. ſcribebat. *Eſt vna quidem veritas, permulta autem veriſimilia: ſi quis autem in multis veriſimilibus verum proſequitur, perindè facit, atque ſi quis ſub multis laruis verum vultum quærit, qui non poteſt inueniri.* Sic planè ſe ſe res habet. Ludẽtes pueri mutuis ſe ſubducunt aſpectibus, & mille ſe modis abſcondunt, mille laruis effictis, perſoniſque ſuperimpoſitis. Dici facile non poteſt quantopere

Mundana gaudia laruæ ſunt, & vaniſſima oblectamẽta, & apparentia bona.

delectentur pueri illa laruarum varietate, A & multitudine, quibus, dùm trahuntur, & diſtrahuntur, inueniunt nihil. Tales omninò vos eſtis, quos allicit humana felicitas, quæ non niſi larua lætitiæ eſt, res inaniſſima, vanitas, mendacium. Hinc Tertullianus de corona mil. cap. 31. protulit: *Omnia imaginaria in ſaeculo, & nihil veri.* Sed multò meliùs id declarauit Apoſtolus Paulus vocula, illa qua vtitur ad Corinthios ſcribens, vbi *figura* nomine, mundi huius bona appellat, 1. ad. Cor. 7. 29. *Præterit enim figura huius mundi.* In quem locum Theophilactus ait; *Mundi verò, ideò dixit figuram, quia eius bona ſolo terminentur aſpectu; & apparentia ſint; & nullo fundamento ſubſiſtant.* B Quis noſtrum eſt, qui admiretur, & magnifaciat pueros, dùm perſonam regis, vel principis breui horarum ſpatio mentiuntur; immo quis eſt qui non rideret, atque contemneret, ſi quos fortè videret in ſcena larua inducta mentitæ dignitatis, gratulari ſibi tanquàm de honore præcellenti. Is quippe, qui modo rex inclytus ſplendet in purpura, breuiſſimi ſpatio temporis pannoſus ſordeſcet in angulo. Crede, puerile negotium eſſe, proſequi curſu irrequieto labentia; & quæ conſiſtere nequeunt, ſtringere velle. Veriſſimè pro re præſenti Seneca. C *Quoties occurrit domus ſplendida, cohors culta ſeruorum, lectica formoſis impoſita coloribus: quid miraris? quid ſtupes? Pompa eſt: Oſtenduntur iſta res, non poſſidentur; & dùm placent, tranſeunt.* Dicamus iterùm cum Salomone Eccleſ. 1. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Addet Chryſoſtomus ep. ad Eutropium: *Hunc verſiculum, ſi ſaperent, qui in poteſtate ſunt, in parietibus omnibus, & in veſtibus ſcriberent, in foro, in domo, in ianuis, in ingreſſibus; & ante omnia in conſcientijs ſuis, vt ſemper eum oculis cernerent, & corde ſentirent: quoniam quidem multa ſunt rerum facies, multa imagines falſæ, quæ decipiunt incautos.* D

Humana vanitas dum placet tranſit.

Notior eſt, quàm à me deſcribi, aut declarari queat pueritiæ inconſtantia. Vndè Horatius de arte poëtica.

Nihil ipſa pueritia inconſtantius.

Reddere qui voces iam ſcit puer, & pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere, & iram
Colligit, & ponit temerè, & mutatur in horas.

Nihil profectò ingenio pueri inconſtantiùs, vt de eo dici poſſe videatur, quod de cauda Pauonis lib. 3. de Pallio pronunciauit Tertullianus. *Multicolor, & diſcolor, & verſicolor, nunquam ipſa, ſemper alia; etſi ſemper ipſa, quandò alia.* Talis eſt pueri natura, in ipſo viciſſitudinis inconſtantiſſimæ fluxu, nunquàm ipſa, ſemper alia; etſi ſemper ipſa, quandò alia. Quæ non contemnenda ratio eſt, propter quam amatores mundi, pueri & cenſeri debeant, & nuncupari. Solis quippe rebus, innumeris mutationibus obnoxijs delectantur. Grauiſſimè Auguſtinus, & veriſſimè, de prætereuntis ſeculi bonis lib. 4. Conf. cap. 10. ſic loquitur: *Illa pulchra, cùm oriuntur, & tendunt eſſe, quò magis celeriter creſcunt vt ſint, eò magis feſtinant vt non ſint.* Flos nullus tàm cito marceſcit, quàm felicitatis humanæ fucatus ſplendor. *Omnis creatura,* verba S. Athanaſij ad Maximum, *de mutabilitate ſuſpecta eſt.* Placuit mihi ſemper, quod S. Baſilius de Diuite illo apud Lucam 12. dixit, examinans quæ ſecum ipſe voluebat; *deſtruam horrea mea, & maiora faciam.* Audi quid Baſilius ſubiungat: *Ego ſanè dicerem, bene facis. Nàm iniquitatis horrea proculdubio digna ſunt, quæ diruantur. Euerte, miſer, tuis ipſe manibus, quæ malè ædificaſti.* Deſtruit, ædificat; modò ædificijs gaudet factis, modò inhiat faciendis; quibus paulò ante gaudebat, nunc triſtatur planè puer. Mutatur in horas a nunquam ipſe, ſemper alius; etſi ſemper ipſe, quandò alius. Illud prætermitti non debet ex Baſilio, ſuæ fabrum viciſſitudinis, & inconſtantiæ architectum, & artificem eſſe hominem ſecularibus bonis deditum; quippe, quemadmodum diues ille ſuis ipſe manibus deſtruit, quæ malè ædificauit. Et non ſine cauſa Baſilius humanae inconſtantiae conſtantiſſimam mutationem demonſtraturus, exemplum duxit ab aedificio diruendo, quaſi dicere vellet: Ea, quae natura ſua ſtabilis inſtar ædificij ſtarent, deſtruuntur, & concidunt, quandò ab ijs, qui humana ſapiunt, poſſidentur. Prauæ cupiditates, & inordinatæ affectiones pueros faciunt, ac proindè mutetur in horas neceſſe eſt; amantes, quæ oderant; odio habentes, quae habuerant in delicijs.

Mundanæ res quò magis creſcũt, eò celeriùs ad ruinam feſtinant.

Mundus ſemper mutatur vt puer.

Sed neque clariùs, neque accommodatiùs declarari poteſt, quod in præſenti contendo, quàm à Chryſoſtomo explicetur hom. 1. in 1. epiſt. ad Corinth. his verbis. *Non videtis pueros, quandò ludentes ſtruxerint aciem, & ordinarint milites, & eos præcedunt lictores, & præcones; & puer incedit in medio, loco Imperatoris: quàm ſint ea quæ fiunt puerilia? Tales ſunt res humanæ; ijſque viliores, & abiectiores; vt quæ ſint hodie, cras non ſint.* Deflenda planè

Mundana voluptas puerilis omninò eſt.

planè conſultorum hominum pueritia eſt. Quemadmodum enim pueri, quæ fortè præ manibus habent pretioſa, puta aurum, aut argentum, dimittunt facilè, ſi pomum offeratur, aut imago, vel ſimulacrum, rude licèt, nouum tamen, & ad ludendum accommodatum. Ità planè mundani homines pro terrenis cæleſtia, æterna pro temporalibus, pro humanis diuina contemnunt. *Vſquequo*, exclamat Salomon Prouer. 1. nu. 12. *paruuli diligitis infantiam?* In illos ſine dubio inuehitur pueros, plenus Dei ſpiritu ſapiens Rex, quorum miſeram conditionem, fletu dignam proponit Ieremias Thren. 2. nu. 12. *Matribus ſuis dixerunt: vbi eſt triticum & vinum? cùm deficerent quaſi vulnerati in plateis ciuitatis; cùm exhalarent animas ſuas in ſinu matrum ſuarum.* Vides ſine remedio calamitatem, puerum eſſe non ætate, ſed moribus. Iudæi Deo inimici fame pereunt, quaſi confoſſi vulneribus moriuntur, quia ſemper pueri, quia in ſumma calamitate animo, & viribus viro dignis destituti, puerilibus detinentur blanditijs, in ſinu matrum. *Væ vobis in quibus*, vt loquitur Seneca epiſ. 4. *non pueritia, ſed puerilitas remanet.*

Nos autem, vt cordatos homines decet, non modò miſſos faciamus pueriles ludos, ſed Euangelici negotiatoris prudentiam imitemur. Eius, inquam, negotiatoris, de quo Matth. 13. num. 45. *Simile eſt regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas inuenta autem vna pretioſa margarita, abijt, & vendidit vniuerſa quæ habuit, & emit eam.* Non ſicut pueri, qui inani decepti ſpecie, vitro, vel colore fictas, veris & pretioſis margaritis anteponunt; ſed ſicut negotiatores, magna cùm attentione pretioſa à vilibus ſecernamus. Do Euſebium Gallicanum in natali Virginis ſic loquentem: *Pro amore cæleſtis patriæ, & æternæ felicitatis, non ſolùm ea, quæ habuit, ven-*

A *didit; verùm & ſe ipſum ſeruituti ſubiugauit, vt emere, & poſſidere valeat. Callidus enim negotiator eſt, qui ex ipſis, quæ diù poſſidere non poteſt, tale aliquid emit, quod nunquam amittere timeat, & in quo vniuerſa poſſideat.* Mihi, vt ſpero, nunquàm excidet mente, quod ſcripſit Gregorius Nazianzenus orat. 24 vbi breuiſſimè, & acutiſſime inſinuat puerilem ludum eſſe, quidquid magnum, atque excelſum putat infirmitas humani ingenij. Verba Greg. ſunt: *Aurum, dulcis tyrannus, per quem nunc multa ſurſum, deorſumque, velut in talorum ludo iactantur.* Pecunia ad ſublimia quæque, atque altiſſima, ſolet aditus
B fieri. Sed attende, talorum ludum. Ludit, imò deludit fortuna ridens, cùm ſurſum videtur euehere. Et, quod caput eſt, is de quo loquimur, non cuiuſcunque generis ludus eſt, ſed ludus vtique plenus diſcriminis, & periculorum; quemadmodum idem Gregorius Nazianzenus oration. 1. de fuga ſua in Pontum; declarauit in hunc modum. *Quemadmodum in ſublimi, & pendulo fune gradientibus, in hanc, vel illam partem deflectere minimè tutum eſt; nec etiam parua inclinatio, paruum periculum facit: verùm eorum ſalus in æquilibrio poſita eſt: ad eundem quoque modum vtramuis in partem quiſpiam propenderit, haud leue periculum, tùm ipſi, tùm ijs, quibus præeſt, imminet.* Ergo funambulonum eſt ludus eorum vita, qui ſupra cæteros elati, de ſua magnitudine gloriantur. Puerorum eſt, homine digna prudentia deſtituorum, tantò periculo ludere.

Mundana vita Talorũ, & funambulonum ludo rectè confertur.

Hoc idem argumentum fusè tractat P. Io: Antonius Velaſquez tom. 2. in epiſt. ad Philipp. cap. 3. ver. 8. Adnotatione 2.

Videatur P. Didacus de Baëza com. in Euang. tom. 4. lib. 17. cap. 1. § 14.

Videatur P. Franciſcus de Mendoza tom. 1. in lib. reg. in cap. 2. n. 7. in expoſitione litteræ, & n. 36. eiuſd. cap. ſect. 2.

IN CAPVT VNDECIMVM

A Num. XX. ad XXV.

Tunc cœpit exprobare ciuitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes eius, quia non egiſſent pœnitentiam. Væ tibi Corozain; væ tibi Bethſaida: quia, ſi in Tyro, & Sidone factæ eſsent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis; olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent. Verumtamen dico vobis: Tyro, & Sidoni remiſsius erit in die iudicii, quàm vobis. Et tu Capharnaum, numquid vſque in cælum exaltaberis? vſque in infernum deſcendes: quia, ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, fortè manſiſsent vſque in hanc diem. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remiſsius erit in die iudicii, quàm tibi.

PARADOXVM IV.

Vitia ſunt ſcholæ virtutum.

SApientiſſimus cæleſtis doctrinæ Magiſter, auditorum ſuorum torpeſcẽtes deſidia animos, ad pœnitentiam excitaturus, non modò Tyrum, & Sidonem, vrbes idololatras, B ſed Sodomam etiam in medium affert, & omni vitiorum genere corruptiſſimam, & voracis incendio ignis horrendam potiùs, quàm memorandam. Dicere profectò non dubitarem, in vitijs ipſis, ſi ſapimus, virtutum ſcholas reperiri. Effatum tàm nouum dilucidè comprobandum eſt, ne notam ſubeat temeritatis.

Athenarum vrbs vitijs plena, virtutũ & perfectionis ſchola fuit. DD Baſilio & Nazianzeno.

Fauet in primis D. Gregorius Nazianzenus orat. 20. quæ eſt funebris in laudem Baſilij, vbi exponens, ſocium ſe C Baſilio adiunxiſſe Gregorium, cum ſtudiorum cauſa morarentur Athenis, Vrbe tunc omnium labe vitiorum contaminata; ſic loquitur de ſe ipſis: *Nobis nihil detrimenti ab ijs illatũ eſt, vtpote animo communitis, & obſeptis. Quin potiùs quod vix credibile eſt, hinc ad fidem confirmati ſumus, ipſorum fraudem, & impoſturam agnoſcentes: atque illic dæmones contemnentes, vbi dæmones admiratione afficiuntur. Quòd ſi quis eſt, aut eſſe creditur fluuius per mare dulcis fluens, aut animal in igne, quo omnia conſumuntur, ſaliens; hoc ipſi inter æqualium greges eramus.* D O nobile non tàm Athenienſis Academiæ, quàm Chriſtianæ diſciplinæ, diſcipulorum par; quippe re ipſa perfecerunt opus præſtantius, quàm vel natura proferre, vel poeticæ fabulæ potuerunt comminiſci.

Alphæi fluuij admirãda natura.

Alphæum Fluuium mentiuntur Poetae dulcem per mare fluere, non tamen audent dicere, fieri dulciorem; Salamandram inter flammas viuere poſſe naturae prodigium creditur: At Baſilius, & Nazianzenus, non modò ſine detrimento, ſed magno cum incremento virtutis inter flagitioſae temeritatis homines vitam innocuam traduxerunt. Traduxerunt inquam? imò auxerunt innocentiam, probi- A tatemque. *Quin potiùs, quod vix credibile eſt, hinc ad fidem confirmati ſumus, illic dæmones contemnentes vbi dæmones admiratione afficiuntur.* Quò fortaſſe reſpexit Sponſa ſanctiſſima illa eadem, atque prudentiſſima inueſtigatrix voluntatis ſponſi ſui, hoc eſt, veræ ſapientiæ; cùm Can. 3. decernit, domo egredi, & per ciuitatem vagari n. 2. *Surgam, & circuibo ciuitatem.* Nouum ſanè conſilium quaſi verò ignoret ſponſi ſui morẽ, cui ianuis clauſis ingredi mos eſt. Si neſcis, ò Domina, non in frequentia vrbium, Chriſti ſcholam inuenies, ſed in ſecretiore domeſticae ſolitudinis conclaui. Sic ipſemet apertè B monuit, cùm dilectam ſuam docturus, profitetur Oſeae cap. 2. n. 14. *ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Ita eſt; ſed tamen ſponſa à ſententia non recedet, & mox per fora, per vias, per plateas, libero excurret pede. Philo hic ſatis ingenioſè ſponſam ſic loquentem introducit: *ſurgam, & circuibo in ciuitate, ſtudioſè quæram in ciuitate, quomodò rectè ambulare ad te debeam, & quomodò hucuſque vixerim, & ambulauerim.* Quaſi verò incipientium ſit, probum eſſe cum probis; at in ipſa populi, ac vitiorum frequentia fieri ſanctiorem, paucorum eſt, ac perfectorum; eorum ſcilicet, C qui ſponſæ inſtar flagrant amore ſanctitatis.

Perfecti viri, imitatione cæleſtis ſponſæ, etiã in plateis, & vitiorum frequentia ſanctiores reddi poſſunt.

Si anima virtutum ſtudioſa, taedio afficiatur prae tolerantia laborum, quos ſubit; ſi vigiliae diſplicent, ſi cruciant ieiunia, ſi durities crucis Chriſti angit; egrediatur ex angulo ſuae afflictionis, & per ciuitatem vagetur. Videbit, nocte intempeſta euigilare fabros ferrarios, tundendo ferrum, retundendoque, ipſis indefeſſis, laborem ipſum quodammodo deficere: videbit mercatores vigilare ſine moleſtia, eſurire ſine fame, mille angi ſolicitudinibus ſine moleſtia: videbit aulicos ſe humanos cùm inimicis gerere, aſperrima quaeque cùm riſu, & quaſi per iocum to- D lerare. Pudeat nos tàm ſegnes eſſe in exercitatione virtutum, habita prae oculis eorum diligentia, qui vel ambitioni, vel lucro, vel cuilibet mortalis vitae commodo adlaborant. *Surgam, & circuibo ciuitatem. Studioſè quæram in ciuitate, quomodò rectè ambulare debeam.*

Caro noſtra ſcelerũ ſchola, virtutum magiſtra ſæpius eſſe ſolet.

Nihil ſanè inueniri poſſe quò vehementiùs ad vitia impellamur, quàm ipſa haec caro noſtra, quae ſcelerum eſt magiſtra, diſcimus experimento. At hanc eandem, virtutum aperire ſcholam, ex S. Paulo certum eſt ad Rom. cap. 6. n. 19. ſcribente in hunc modum: *Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ.*

Sicut

A *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiae, & iniquitati ad iniquitatem: Ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiae in ſanctificationem.* Ergo, vt iuſtitiae praeceptis imbuamur, vt inſtituamur regulis probitatis, carnem noſtram habemus magiſtram. Audire mihi videor diuino tonantem eloquio Chryſoſtomum hom. 12. in ep. ad Rom. *Quis tandem eò vſque miſer eſt, & eò vſque infelici ſidere natus eſſe queat, vt nec ſtudij quidem tantundem Chriſti, quantum peccati, ac diaboli ſeruituti impendat.* Aut, ſi placet, audi Anſelmum in hunc locum ſic dilucidè pro re praeſenti diſcurrentem: *Quid eſt autem, ſicut illud, ita & hoc agite?* B *Niſi quemadmodum ad peccandum nullus vos cogebat timor, ſed ipſa libido, voluptaſque peccandi; ſic ad iuſtè viuendum.* Vide quanti momenti ſit hoc praeceptum & à quo magiſtro traditum. Ego ſanè apud S. Petrum Chryſologum ſerm. 12. legi: *Corpus eſt animae domicilium, murus ſpiritus, virtutum ſchola.* Non erit omninò abs re hoc loco afferre, quòd de Sancto Ephraem ſcriptores eius vitae memoriae prodiderunt. Petens Ephraem Edeſſam, patriam ſuam, conceptis votis Deum precabatur, vt ciuitatem ingrediens hominem aliquẽ offenderet, & ſapientia, & religione ſpectabilẽ, quo magiſtro documentũ C aliquod percipere poſſet, ad ſanctioris vitae inſtitutionẽ accommodatũ. Ephraem, cui nota ſatis erat diuina bonitas, certò ſperabat fore, vt propitium numen annueret votis tam ſanctis, & menti integerrimae tàm accommodatis. Cùm ecce tibi in ipſo ciuitatis aditu Ephraem ſit obuiam non ſpectatae vir probitatis, ſed impudica meretricula, ad omnem libidinem proiectae notas temeritatis in fronte praeſeferens. Obſtupuit, immo exhorruit vir Dei monſtri tam execrandi conſpectu, & ſpectaculi, vel nouitate, vel atrocitate perculſus, à ſe ipſo abalienatus defigit in mu- D lierem oculos, & animaduertens aſpici ſe oculis intentis ab impudica fœmina, continere ſe non potuit, quin eius reprehenderet impudentiam tàm palmarem. Statim mulier reſpondit: Ego in te defixos teneo oculos, quòd aequum & rationi conſonũ eſt; Aſpicio enim latus tuum, à quo Dei manibus coſta deſumpta fuit, ex qua formatam me ſacrarum monumenta litterarum disertè teſtãtur. Tu demitte oculos, & terram aſpice, de qua ſumptus es. Ecquid, oro, hàc illàc vagaris, quaſi verò de luto nõ fueris efformatus. Agnoſco cum Sancto Ephraem, Deo iubente, vel turpiſſimam impudicitiae alumnam fieri poſſe magi-

Admirandum exemplum Diui Ephraem Syri.

A ſtram perfectionis; & ſcholam virtutum inueniri aliquandò in ſentina vitiorum.

Sed ſatius erit ire per ſingula, vt euidenti inductione fiat manifeſtum, ab infidelitate doceri fidem, à ſuperbia humilitatem, à libidine continentiam. Et primò quidem quantum attinet ad fidem, auctorem habeo ipſummet auctorem fidei, & ſanctitatis, nempe quis neſciat à Chriſto Domino propoſitum fuiſſe credentibus Centurionem, pro exemplari perfectae fidei abſolutiſſimo. Matth. cap. 8. num. 10. *Audiens autem Ieſus miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſraël.* In quem B locum Baſilius Seleuc. orat. 19. ingenioſè conſiderat Centurionem Gentilem in hunc modum: *Quid tibi, Iſraël, lucri ex miraculis in Ægypto editis? Vnicus Gentilis ſupra totam Iudaeorum multitudinem fide ſe ſe extulit. Eſto Gentilis diſcipulus incredulos, vt credas, ſequere.* Miror equidem Iſraëlitas tot in Ægypto miraculis erudiri fide non potuiſſe. Scio enim quod S. Gregorius Nyſſenus de Sancta Chriſti Natiuitate (loquens de Praecurſoris Baptiſtae matre Eliſabeth) ſcripſit his verbis: *Ne incredibile putarent homines, ex Virgine partum edi poſſe, minoribus miraculis ante exercendo fideles ad aſſen-* C *tiendum, & credendum aſſuefacit.* Itaque ea vis eſt miraculorum, vt credentium augeat fidem. Ita profectò. Sed nouum nobis fidei gymnaſium aperit caeleſtis Sapientia humanitate donata, vt qui per miracula inſtitutionibus fidei imbui nequiuerunt, habeant ex ipſa Gentilium turba magiſtrum. Eſto Gentilis diſcipulus: incredulos, vt credas, ſequere. *Non inueni tantam fidem in Iſraël.* Melius ergo quàm ex miraculis, ab ipſa infidelitate, fidei arcana perdiſces. Hoc loco, mea quidem ſententia, non erit abs re, in memoriam reuocare quod tradit Carol. Sigonius lib. 16. de occid. Imperio. D Theodoricus Rex impietatis Arianae labe fœdatus, amore ac beneuolentia proſequebatur ſingulari aulicũ neſcio quem, qui cùm eſſet Catholicus, videretque ſe Regi maximè gratioſum, vt maiorem ſui Principis gratiam conciliaret ſibi, turpiſſimus Romanae fidei deſertor Arianam perfidiam profeſſus eſt. Id vbi primum ad Theodorici peruenit aures, eò vſque exarſit furore, vt, quem antea ſupra caeteros dilexerat, non modò tanquàm inuiſum aoerſaretur, ſed tanqoàm hoſtem infenſiſſimum proſequeretur odio tàm vehementi, vt eum vulneribus confoderet (ſcribunt alij miſerum fidei deſertorem

iuſſu

Centurio, licèt ethnicus, perfectae fidei abſolutiſſimũ exemplar.

Chriſtianae fidei deſertor quàm acerrimè ab Ariano Rege punitur.

iuſſu Regis capite damnatum, manu carnificis fuiſſe ſublatum è medio) exclamante Theodorico, deſertorem fidei, & ſummi Domini proditorem homini fidem ſeruare non poſſe. Diſce ab Ariano Tyranno, vſque ad ſanguinem, vſque ad vulnera, vſque ad mortem pro fide pugnare. Diſce, nil antiquiùs eſſe debere, atque carius Christiano homini, quàm illibatam fidei ſeruare fidem, quauis humanæ felicitatis acceſſione poſthabita, atque contempta.

Superbia quandoque humilitatis ſchola eſſe ſolet.

Venio ad humilitatem, & hanc aio à ſuperbia addiſcendam. Id vt pateat, dabunt omnes ſine difficultate, prophanæ ſapientiæ ſectatores tumidos maximè fuiſſe, atque ſuperbos, inani philoſophiæ, quam profitebantur, gloria elatos. Et certum eſt inflare ſcientiam, ex 1. ad Corin. cap 8. num. 1. Quid ſi philoſophos ipſos auctores habeã, & magiſtros humilitatis? Habeo profectò ex Plutarcho lib cui titulus, *Quomodò ſentias te in virtute proficere*. Vbi ſic ſcribit: *Nauigare* (ait Menedemus) *complures ſtudiorum cauſa Athenas; Sapientes primùm, indè fieri philoſophos, mox oratores, progeſſu temporis Tyrones: atque quò magis imbuti literis ſint, eò arrogantiam magis, & faſtum deponere*. Quis non exclamet, ò Athenienſem Academiam, humilitatis vniuerſitatem, toto litteratorum orbe celeberrimam! Et fieri poterit, vt Christi diſcipulus de ſapientia, de doctrina, vel de quouis ornatu virtutum intumeſcat? Quò magis cuique ex Philoſophia accedit rationis, eò plùs decedit faſtus, & arrogantiæ. Iam non videbitur noua, aut abſona D. Gregorij Nyſſeni deſcriptio; Conſiderans enim Core, Dathan, & Abyron ſupplicium, de quo Eccleſiaſt. 45 num. 22. ait: *Superbia eſt deſcenſus ad inferiora*. Itaque ipſa nobis ſuperbia viam aperit ad deſcenſum. Quia verò nunquam firmiùs ſtabiliri poteſt veritas, quàm aſſertione impugnantium veritatem; proferam mendaciorum patrem, hoſtem veritatis infenſiſſimum, dæmonem, qui vel inuitus docet ipſa ſuperbia humilitatem: Cùm enim ſuperbiæ ſuæ blandiretur, putauit poſſe fieri, vt prouolutum in genua ante ſe videret, quem agnoſcebat Dei filium. Agnoſcebat certè, ſed propriæ ſeruiens arrogantiæ ſimulabat ſe ſuſpicari. Vnde Matt. cap. 4. num. 9. *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me*. O cæcum ſuperbi Luciferi conſilium! facis ergo manifeſtum, neceſſe eſſe, vt qui, ſuperbia inflante, ad imperia anhelant, & dominatus affectant, proſternant ſe ſe atque deijciant vſque ad

A terram, immo vſque ad indignam, atque indebitam adorationem. Vidit S. Ambroſius, qui appoſitè non minùs, quàm religiosè in hunc locum, lib. 4 in Lucam, de ambitione loquens: *Habet*, inquit, *domeſticum periculum; vt enim dominetur alijs, prius ſeruit. curuatur obſequio, vt honore donetur, & dum vult eſſe ſublimior, fit remiſſior*. Vtinam Chriſtianæ humilitatis profeſſores deijcerent ſe ſe, ſicuti facere conſueuerunt, qui ad ſublimiora ſemper, & altiora quærenda, animi elatione feruntur. Hoc Eccleſiaſticus cap. 19. num. 23. breuiſſimè deſcribit, ſed accommodatiſſimè. *Eſt qui nequiter humiliat*

Tumida aulicorum ſuperbia humilitatis magiſterium ſæpius ſolet fieri.

B *ſe*. Ea ſanè humilitate, de qua Paulinus epiſt. 22. ad Amandum poſt medium. *Illa humilitas condemnatur, quæ ex ignauia mentis hominibus adducitur, & humanam gratiam magis, quàm ſuam ſalutem curat; mendacij famula, veritatis inimica, libertatis expers, iniquitati obnoxia*. Quoniam verò fas eſt, & ab hoſte doceri: Vis diſcere humilitatem? Attende quo ſe geſtu demittant, qui magiſtratus affectant; Vide qua demiſſione ad potentiores accedant ſuperbiſſimi homines; Conſideranum aliquid ſit vile adeò, atque abiectum, quod non ſubeant, qui tumidi ambitione ad altiorem dignitatis anhelant gradum.

C Hos elegantiſſimè deſcribit, & accommodatiſſimè S. Cyprianus ad Donatum ſcribens his verbis: *Qui amictu clariore conſpicuus fulgere ſibi videtur in purpura, quibus hoc ſordibus emit, vt fulgeat? Quos arrogantium faſtus prius pertulit? quas ſuperbas fores matutinus Salutator obſedit? quot tumentium contumelioſa veſtigia in clientium cuneis ante præceſſit; vt ipſum etiam ſalutantum comes poſtmodum pompa præcederet?* Quis crederet tumidam aulicorum ſuperbiam fieri magiſteriam humilitatis? Huc reuocari poſſunt quæ dixi 1. tom. in cap. 4. Parad. 4. circa med. & in cap 6. Parad. 2.

Fœdatæ carnis corruptela integerrimæ puritatis & caſtitatis diſciplinam ſæpius docet.

D Quid, ſi puritatis integerrimæ diſciplinam ipſa fœdatæ carnis doceat corruptela? Quod tamen in controuerſiam reuocare non poterit, qui monitum Pauli, ad Titum ſcribentis, attentiùs conſiderauerit. Scribit autem in hunc modum, cap. 2. num. 14. *Vt mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum*. Vbi pro *ſectatorem* ex græcis auctoribus leges, *Zelatorem, æmulatorem*. Vt vis acuminis manifeſta fiat, comparari debent duo verba, *Mundaret* & *zelatorem*. Primum ſiquidem indicat mundiciem, ſeu candorem; mundities autem propriiſſimè dicitur de virtute caſtitatis; hanc tene-

hunt

bunt, & quidem omnibus abſolutam nu-
meris, qui erunt Zelatores. Zelus porrò
proprius ſponſi eſt, qui nimio in ſponſam
ſuam flagrat amore. Ergo, vt integrita-
tis Angelicæ candore niteas, diſce à Ze-
latore; & quot iſte officijs, quot induſtrijs,
quanto conatu ſtudet, vt ſponſam ſuam
ſibi demereatur, tantam tu adhibe dili-
gentiam, vt cor mundes, mentemque il-
libato caſtimoniæ flore redolentem, reni-
dentemque conſerues, & partes omnes
ſummæ integritatis magna cum laude ex-
pleuiſti. Præceptorem eximium, & lauda-
tiſſimum munditiei ſequeris, ſi pari cum
zelatoribus ſolicitudine erga caſtimoniā,
veluti dilectam vnicè ſponſam, & vehe-
menti affectu, & obſequioſa ſeruitute, &
ſedula officiorum viciſſitudine afficiaris.
Simile neſcio quid agnouit Theophyla-
ctus in illis Domini verbis, Geneſ. cap. 2.
num. 24. *Relinquet homo patrem ſuum, &
matrem; & adhærebit vxori ſuæ*. Et Pau-
li ad Rom. 12. num. 9. *odientes malum,
adhærentes bono. Nec ſufficit*, verba
Theophylacti, *à ſceleribus declinare, niſi
& virtutis actio præſtò fuerit; eam ob rem
dixit (Agglutinari bono) hoc eſt, affe-
ctum charitatis erga ipſum habentes; hunc
ad modum maritum vxori familiarius co-
pulans, agglutinabitur, inquit, vxori ſuæ.*
Quod Theoph. de virtute generatim pro-
nunciat, nos de virtute caſtitatis dicamus
vt eo ardore, quo vir vnū fit cum vxore, &
nos pudori, & munditiei agglutinemur, &
adhæreamus. Placet vel ab impudico ho-
mine erudiri, Charmus is eſt, à quo, ſcribit
Clemens Alexandrinus in Protrep. Athe-
nienſium Academiarum decus fuiſſe fœda-
tum. Etenim in Academiæ aditu aram
Amori dicitur excitaſſe. Fuerit Charmo
indignum honeſto viro conſilium, fuerit
furioſo homini turpiſſima mens: Eam li-
ceat mihi in bonam partem accipere.
Fortaſſe dicere voluit; liberalium faculta-
tum eam eſſe conditionem, vt niſi in ipſo
aditu eius incendantur amore adoleſcen-
tes, oleum, & operam perdant; cùm ne-
mo proficiat, inuita Minerua. Ego ſanè,
(quoniam non ſine morum iniuria, ſimu-
lacra, & pictæ tabulæ impurum referentes
amorem paſſim incurrunt in oculos) vt
ex ipſo veneno antidotum conficiam, di-
cerem ex eodem ſimulacro amoris præce-
pta caſtimoniæ haurienda. Alatum depin-
gunt, nudum, cæcum: Cæcitate quid tri-
ſtius? nuditate quid acerbius? quid prom-
ptius alarum remigio, vt eò feramur, quò
cor noſtrum ardet amore? Ergo, ſi nudi-
tatem perpeti pro tuenda pudicitia coga-
ris, contagij turpitudinem mendicitas, &

Cur in Athenienſium academiæ foribus ara amori excitata fuerit à Charmo philoſopho

A malè ſuada fames non excuſant; Si ocu-
lorum lumen amittere, hoc eſt, rei cu-
iuſlibet cariſſimæ facere iacturam compel-
leris, nihil tamen ſatis eſſe poteſt, vt re-
ſciſſis columbæ alis in ſinum integritatis
confugere queas. Itaque ne corruptela
ſit integritate valentior, vſque ad egeſta-
tem, vſque ad nuditatem; Immo pro tuen-
da caſtitate certandum vſque ad cæcita-
tem, hoc eſt, vſque ad omnium amiſſio-
nem gaudiorum, ex Tobiæ ſententia c. 5.
num. 12. *Quale gaudium poteſt eſſe mihi,
qui lumen cæli non video*. Quae ſi viden-
tur alicui ſupra vires humanae imbecilli-
tatis, reuocet is in memoriam, quod ſcri-
B bit Iſidorus Peluſiota de Ethnico Princi-
pe lib. 2. Epiſt. 62. his verbis: *Lectione
didici, Regem quendam, cum Epheſiam
Sacerdotem, cuius incredibilis, & ſingu-
laris pulchritudo erat, conſpexiſſet, ſta-
tim ex Epheſina vrbe digreſſum eſſe; illud
videlicet metuentem, ne præter volunta-
tem, nefarij aliquid admittere cogeretur.*
O miram tuendae pudicitiae diſciplinam!
Audiueram à Sancto Iob. cap. 31. num. 1.
*Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogi-
tarem quidem de virgine*. Audiueram,
inquam, & exhorrueram nouum ſtrictio-
ris obſeruantiae rigorem: At quandò ab
Ethnico Principe doceor, non fœdus cum
C oculis ineundum, ſed oculos exilio dam-
nandos, ne pudicitiae candor detrimen-
ti aliquid patiatur, fateor Chriſtianae per-
fectionis praecepta longè faciliora eſſe,
quàm crederem. Diſce interea, qua lege
debeas ſenſuum tuorum aditum cuſtodire,
docente & Principe, cui licet quodlibet;
& verae religionis ignaro, cui ſacrilegia
ſunt ſacrificia. Ergo, ſi Rex Ethnicus
pudoris magiſter eſt, quem Chriſtiano-
rum non pudeat eſſe impudentem? Con-
ſule ex 1. tomo. Parad. 12. in cap. 2. quae
in hanc ſententiam affero.
Iam ſatis, ni fallor, manifeſtum eſt,
quam veritati ſit conſonum, quod initio
D propoſui illuſtrandum, quo non ſine lepo-
re reſpexiſſe arbitror Athanaſium, ſeriò
conſiderantem precem illam boni latro-
nis, Lucae cap. 23. num 42. *Domine, me-
mento mei, dum veneris in regnum tuum.
O beatum*, exclamat ingenioſè Athana-
ſius, *O beatum latronem! rapuiſti in mun-
do latrocinando, rapuiſti item regnum
cælorum, iſta confeſſione*. Quaſi dicere
velit: dignus profectò, qui caeli donaretur
imperio, quia ab ipſis, quibus fuerat irre-
titus, vitijs, ſolertiam didicit adhibendam
in ſuae procuratione ſalutis. Ea ſagaci-
tate, ea auiditate, ea contentione, qua
furari cōſueuerat, ſupplex veniam delicto-
rum

Non exiguum pudicitiæ exemplum in Ethnico Rege.

Bonus latro in cruce ſuſpenſus ex anteactæ vitæ Latrocinijs cæleſte regnum furari nouit.

rum, immo regnum cælorum orat. Si exorat, ne mirere; quia primas obtinet in virtutis ſtudio, qui ex anteactæ vitæ flagitijs haurit præcepta benè viuendi. Nec tacere debeo Auguſtini acumen, ſer. 130. de tẽpore, hoc idem, quod de Latrone narratur ab Euangeliſtâ, examinantis, his verbis: *Vidiſti fiduciam latronis, vidiſti liberam voluntatem in cruce. Audiſti philoſophiam in tribulatione, & reuerentiam diuini timoris in ſupplicio. Subitò, in ictu oculi de cruce in cælum tranſiliuit.* Perpendit reprehenſionem, qua latronem blaſphemantem obiurgauit cit. cap. S. Lucæ. *Increpabat eum dicens: neque tu times Deum.* Nota illa verba; *Audiſti Philoſophiam in tribulatione.* Philoſophari, ait, à rebus notis, ad ignota facere gradũ. O egregium philoſophiæ genus! Notæ latroni erant artes furandi; iuxta quas & ſibi rapuit cælum; & nobis aperuit Chriſtianæ ſcholam ſapientiæ, ex ipſa vitiorum corruptela, tanquàm ex cathedra, haurienda præcepta virtutum.

Galenus medicorum princeps ex impotenti, rabidoque furore animi moderationem didicit.

Non modò dignum commemoratione, ſed imitatione digniſſimum videbitur, niſi fallor, quod de ſe ipſo ſcribit Medicorum princeps Galenus: ſe videlicet non alio magiſtro, nec ex alia ſchola, quàm ex impotenti rabidoque furore, moderationem animi didiciſſe. Sic autem ſcribit lib. de cognoſcendis curandiſque animi morbis, cap. 4. circa med. *Ego autem cùm, adhuc puer, quodam tempore hominem vidiſſem, cui nimia feſtinatione conanti aperire oſtium, res ex ſententia non ſucceſſerat, & ob eam iratus, clauem mordebat, calcibuſque fores percutiebat, atque in Deos conuicia iaciabat; oculis inſtar eorum efferatis, qui in furias euaſerunt, ac propemodum ex ore ſpumam emittebat, vt apri ſolent: tum eiuſmodi odium aduersùs iracundiam concepi, vt nunquam poſtea quiſquam me ob talem affectum triſtiorem viderit.* Haec Galenus. Et nos erudiemur profectò ipſa deformitate ſceleris, eam ſi in vnoquoque vitio atentiùs inſpexerimus, eo planè modo, quo mitius ingenium ab efferata, & effrænata Galenus hauſit iracundia. Cuius veritatis exemplum petere poſſum à Theodoreto quæſ. 49. in Exodum: vbi interpretatur ingenioſè diuinum illud mandatum Exodi 21. n. 28. *Si bos cornu percuſſerit virum, aut mulierem, & mortui fuerint; lapidibus obruetur, & non comedentur carnes eius.* Non videtur maieſtati Dei conuenire, legem ferre contra boues natiua feritate ſæuientes. Sed audi Theod. *Vt legiſlator ex animalibus irrationabilibus doceat homines rationales.* Vi-

A des è qua ſchola tanti momenti præceptũ percipere debeamus; è cornu bouis ferocientis diſcat ſibi modum ponere inſaniens humanus furor. Eodem modo de alijs virtutum generibus differere fas eſt, diſcurrendo per ſingula, quæ facilè ab oppoſitis vitijs percipi poſſunt.

Babyloniorum mos in infirmis ſine medico curandis.

Legi apud Andream Tiraquellum, virum eximia eruditionis laude percelebrem, tom. 4. de nobilitate cap. 31. Babyloniorum morem, ex quo confirmare facilè poſſum, quod proſequor. Medicis Babylonij non vtebantur, ſed languentes in foro deponebant, vt de eorum languore conſulerent, qui eos adirent: neB que enim fas erat cuiquam languentes præterire ſilentio; ſed explorare diligenter tenebatur, quonam morbi genere quiſque laboraret, eoque audito hortabatur ægrotum ad ea, quæ ipſe faciendo talem morbum effugiſſet, aut alium effugere noniſſet. Audis præclarum medendi modum? Non ab arte medica, ſed ab ipſa ægritudine; non à medicis, ſed ab infirmis petendũ, & expectandum remedium eſt. Vitia ſanè animi morbos eſſe iàm diù definiuit Ambroſius lib. 4. in Lucam, cap. 4. de ſocru Simonis ſic ſcribens: *In typo mulieris illius varijs criminum febribus caro noſtra languebat: febris noſtra* C *auaritia eſt: febris noſtra, libido eſt: febris noſtra, luxuria eſt: febris noſtra, ambitio eſt: febris noſtra, iracundia eſt.* Fortaſſe arbitratus es hactenus ad curandos animi morbos, ſcilicet deprauatas vitijs affectiones, medicæ artis præceptis, hoc eſt, virtutis Chriſtianæ inſtitutionibus opus eſſe. Sed ecce res mira, res noua. Non aliundè certius remedium, & ſalubrior medicina, quàm ab ipſa aliorum aduerſa valetudine, aut ab ipſis infirmis. Superbia laboras; auaritia corriperis; iracundia furis; luxuria tabeſcis: Conſule Luciferum; interroga Iudam; audi Cainum; adi filiũ prodigum: & ex præcipiti Luciferi caD ſu, ex ſuſpenſi ſpectaculo Iudæ, ex mortifero Caini terrore, ex ſordibus prodigi Adoleſcentis plus proficies, quàm ex ipſis ſanctioris vitæ præceptis. Etenim præſentiſſimum, & certiſſimum omnium medicamenti genus eſt, ad leuandas aegrae mentis infirmitates, quod conficitur in officina vitiorum, & quod ab ipſa paratur hominum facinoroſorum improbitate.

Vitia animæ morbi ſunt.

Sæpius ex vitijs ad curandos animæ morbos medicina ſumitur.

Videri poteſt P. Didacus de Baeza tom. 1. in Euang. hiſt. lib. 6. cap. 6. §. 13.

Videri poſſunt etiam quæ dixi 1. tomo In cap. 4. Parad. 8. pag. 284.

IN CAPVT VNDECIMVM

A Num. XX. ad XXV.

Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes eius, quia non egiſſent pœnitentiam. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida: quia, ſi in Tyro, & Sidone factæ eſsent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent. Verumtamen dico vobis: Tyro, & Sidoni remiſsius erit in die iudicii, quàm vobis. Et tu Capharnaum, numquid vſque in cælum exaltaberis? vſque in infernum deſcendes: quia, ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, fortè manſiſsent vſque in hanc diem. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remiſsius erit in die iudicii, quàm tibi.

PARA-

PARADOXVM V.

Dei beneficia impiis collata, ſupplicia ſũt.

HORRORE perfundor, quoties mente recolo quod Io. cap. 1. Apoc. n. 13. & ſeq. ſcribit in hunc modum: *Vidi ſeptem candelabra aurea, & in medio ſimilem filio* B *hominis: & habebat in dextera ſua Stellas ſeptem: & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat: & facies eius ſicut Sol lucet in virtute ſua. Et cùm vidiſſem eum, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus*. Vſque adeo deterretur dilectus Deo diſcipulus, vt concidat mortuo ſimilis. Quis ergo non perhorreſcat? Etenim ſi ex ore gladius vtraque parte acutus exeat, verbis ipſis infliget vulnera, & quidem ea facilitate, qua lingua prona eſt, & prompta ad loquendum. Sed vt verum fatear, non C eſt hac cauſa timoris, quo concutior ſtupendum hoc ſpectaculum attentè conſiderans. Non poſſum non timere animaduertens gladium vtraque parte acutum de ore exire, dum facies lucet ſicut Sol. Quid habet commune lux Solis, cum fulgore micantis gladij? Sol aſtrorum beneficentiſſimus, illuſtre præbet ſimulacrum diuinæ benignitatis, ſi S. Dionyſio Areopagitæ credimus lib. de diuinis nominibus c. 4. Gladius factus ad perimendum, diuinæ vltionis eſt ſymbolũ. Vnde Dominus apud Ezech. c. 5. n. 12. vltimum impiorum ſignificaturus exclamat: *Gladium euaginabo poſt eos*. Non alia mihi quærenda eſt D ratio, cur Ioannes ſemimortuus concidat. Videlicet quis non timeat obſeruans, tunc filium hominis gladiũ vtraque parte acutũ ore vibrare, cùm Solis inſtar facies ſplẽdet? Parum eſſet, iratum Deum fulmina contorquere; ſed eundem placatum, ridentem, beneficum vibrare vulnera, hoc enim verò ſupra quàm dici poſſit horrificum eſt, & formidabile. Igitur contendã, ad deterrendos impios, demonſtrare, tunc maximè ſceleſtis eſſe timendum Deum, cum videtur beneficus, quia ipſa Dei beneficia peccatoribus in hac vita collata, ſupplicia ſunt.

Sol ſimulacrum diuinæ benignitatis.

Præbet mihi hoc argumentum non diu- A turna conſideratio, ſed ſenſus ipſe obuius ſacri textus. Corozain, Bethſaida, & Capharnaum, Galilææ ciuitates propè lacum Geneſareth, frequenti Chriſti Domini hoſpitio celebres, ſcimus donis cæleſtibus cumulatas. Et Capharnaum, quæ compellatur nominatim, frequentiori Redemptoris commoratione, miraculis illuſtrioribus, cæleſtis communicatione doctrinæ, & mille munerum generibus, vſque adeò nobilis fuit, vt dicatur ad cælum exaltata eſſe. Illa enim verba *nunquid vſque in cælum exaltaberis*, ex græco textu leguntur, *quæ vſque ad cælum exaltata es*, quemadmodum etiam inuenies apud Lucam cap. 10. B n. 15. Sed quò euadant tot à Deo collocata beneficia, diligenter perpende. Nimirum dona mutantur in ſupplicia grauiora, & pœnæ ſuccedunt duriores muneribus tam amplis, atque præſtantibus. Diſcamus ergo quid ſentire debeamus de ijs quos videmus impios, & ſceleſtos, mille tamen à Deo muneribus affici, mille beneficijs deuinciri. Iſtorum eò miſerior calamitas eſt, quò amplior Dei erga illos miſeratio. Qui nequam eſt, & flagitioſus, caueat ſibi, pro certo habens ipſamet beneficia Dei, quibus in dies cumulatur, ſupplicia eſſe ſeueriora. S. Lucas deſcribens triumphantis Domini pompã, quando cum fauſtis popu- C li acclamationibus Ieruſalẽ ingreſſus eſt, ſic habet c. 19. n. 41. *Vt appropinquauit, videns ciuitatem, fleuit ſuper illam*. Cur profuſis madet lacrymis dum triumphat inferni debellator, & mortis? fortaſſe ea cauſa eſt, quam innuit S. Matth. hoc eod. capite idipſum narrans, ait enim n. 4. & deinceps: *Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam: Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi manſuetus*. En argumentum luctus; En cauſa lacrymarum: Quia rex tuus venit tibi manſuetus. Videlicet dum feruent in Dei filium odia, dum conſpirant in perniciem Seruatoris nefariæ ſacerdotum vo- D luntates, cum principes in vnum conueniunt aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius: Tunc venit manſuetus. O manſuetudo omni ira acerbior! Manſuetum regem experiris Dominum tot annis, quibus ſine modo, ac ſine lege per omnem vagaris impietatem: Scias hanc miſerationem ab ijs oculis lacrymas elicere, qui pariunt gaudium beatorum. Huc reuoco monitum magni Gregorij lib. 17. in Iob cap. 3 ſcribentis: *Neceſſum eſt, vt cùm nos diu expectari conſpicimus, ipſa prorogata pietatis tempora, quaſi damnationis argumenta timeamus*. Illa anima, quae peccatum peccato addens, videtur ſibi

Cur fleat Chriſtus ſuper Ieruſalem.

Prorogata pietatis tẽpora damnationis ſẽt argumenta

magna pace frui, ſimilis eſt Ieroſolymæ, quae viſio pacis interpretatur, ſupra quam Dominus meritò lacrymatur: quia quæ excitari deberet ad pænitentiam, Deo diſſimulante flagitia, inter iſta quaſi pacifica requieſcens, miſerentis Dei longanimitatem, in vlciſcentis mutat aſperitatem.

Antonini Pij emblema fulmen iacens in lecto,

De Antonino Pio ſcribunt hiſtoriae, ſculpſiſſe in numiſmatibus fulmen iacens in lecto. Crediderim hoc emblemate ſapientem imperatorem dicere voluiſſe: vt nomine, ita re ipſa Pius eſſe, & haberi cupio: Verùm non careo fulmine ad percutiendos nefarios. Dormiente fulmine, gaudeant innocentes, & timeant impij obi; quia ſicuti temere iaculari non poteſt iacens fulmen; ita ſi excitetur fragore, côcutiat, & ictu parcellat neceſſe eſt. Hoc Antonini emblemate ad viuum exprimi mihi videtur ingenium Dei: Pater quippe miſerationum, & fons pietatis, fulmen vindictæ ſuæ in lecto, vt ita dicam, ad dormiendum collocaſſe videtur, dum peccantium ſcelera non plectit: At dum diſſimulat, non parcit; & dùm tolerat, non dimittit. Si fiat vt quaſi dormiens excitetur (quod ſolet eſſe moleſtum, & ad indignationem prouocare) aeterno addicet ſupplicio, quem temporali pœna affectum ad bonã frugem reducere potuiſſet. Hinc pſ. 77. ver. 65. *Excitatus eſt tanquam dormiens Dominus; opprobrium ſempiternum dedit illis.* Dum longo tempore diſſimulat Deus hominum peccata, dormire videtur; fallitur, qui miſericordiae diuinae miraculis auditis, viuit perinde ac ſi pius Dominus ſine fulmine eſſet. Dormit; ſed cum excitatur, exardeſcit vehementiùs, & maiore impetu in hoſtem ruit. Felices illi qui minis, aduerſis caſibus, infortunijs temporalibus, quodam veluti tonitru, crebro veluti fulgore fulminis deterrentur à peccando. At qui dormiente fulmine peccant ſine modo, multò magis timere debent; tolerantur quippe ad tempus, vt aeterno damnati ſupplicio ſine fine crucientur. Dicamus enim Auguſtino ad Deum conuerſi: *Hic vre, hic ſeca, hic non parce, vt in aeternum parcas.* Nè diſſimules noſtra delicta, ſed excita nos ſupplicijs, ò miſerationum pater. Aut certè dicamus cum Dauide pſ. 43. 23. *Exurge, quare obdormis Domine? Exurge, & ne repellas in finem.* In hac vita inflictis ſupplicijs auerte aeternae damnationis extremam calamitatem. Vltio prorogata, immo conceſſa loco vltionis munera, grauiſſima ſupplicia ſunt. Eo planè modo, quo Rex victis hoſtibus, quos non trucidat, aſſeruat, vt captiuos in triũphum ducat, eoſdem poſt tam palmare

Rex victor aliquos ſeruat poſt triũphum necãdos.

A dedecus necaturus turpiſſimè: Ita iratus Deus, quos hoſtes aſſeruat in praeſenti, acerbiùs tractat; quia hilares, iucundos, diuites, laetos facit pro huius vitae curriculo, vt cruciet per aeternitatem.

Cur ficulnea maledicto Domini areſacta.

Saepius ſum admiratus quod Matt. 21. 19. ſcribitur de ficulnea, quae maledicto Chriſti Domini dicitur continuò aruiſſe. *Et videns fici arborem vnam,* verba textus, *ſecus viam, venit ad eam, & nihil inuenit in ea niſi folia tantùm, & ait illi: Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum: Et areſacta eſt continuò ficulnea. Et videntes diſcipuli mirati ſunt.* Quis ergo non admiretur? ſanè credere
B non poſſum inter omnes arbores, quas pertranſiens Dominus offendit, ſolam ficum fructu caruiſſe. Praeterquàm quòd vox illa de caelo intonuit praecipientis Angeli, ne arboribus vllum afferretur detrimentum, Sic Apoc. 7. 3. *Vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu Solis, habentem ſignum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terra, & mari dicens: nolite nocere terra, & mari, neque arboribus.* Si ſpeciali facta mentione eximuntur arbores ab exterminio Angeli vaſtatoris, quam ob cauſam dicemus Chriſtum, qui ſummi conſilij Angelus eſt, vnam ficum, inter omnes
C arbores, maledicto areſacere voluiſſe. Hæc proponenti mihi reſpondet Theophraſtus lib. 2. c. 8. de ficu loquens his verbis: *Quia dum rigatur, deteriorem fructum parit.* Qua proprietate prae oculis habita ſic diſcurro. Ficus inſtar eſſe mihi videntur, qui pluribus cumulati beneficijs à largitore Deo, non modò bonorum operum fructibus non abundant, ſed ſceleratis deprauati moribus, quaſi inſuaui aqua corrupti noxia reddunt germina. Infelices! quibus beneficiorum aquae cum noceant, areſcant neceſſe eſt; ipſis caſtigati caeli muneribus, quibus dum abutuntur, deſignantur ad interitum. Sic ſe res habet: aquis gratiarum
D diuinarum, quibus probi viri, quaſi arbores fœcundae, pingueſcunt; ſola ficus (hoc eſt, peruerſus animus) areſcit, & indè maledictum damnationis contrahit, vndè ſperare debuerat coronam beatitatis.

Ficus dum rigatur, deteriorẽ fructum ꝑnit,

Id meliùs explicari non poteſt, quàm allata reſponſione, qua S. Gaudentius facit ſatis huiuſmodi interrogationi. Quaerunt aliqui, cur Deus tot, ac tanta beneficia Iudaeis contulerit, quos ſciebat futuros adeo impios, vt morte turpiſſima condemnarent regem Ipſum, ac Dominũ Angelorum? Cur cibo ſuauiſſimo omnem ſuauitatis ſaporem habẽte pauerit eos, qui felleũ poculũ Chriſto Domino erant porrecturi?

Cur in impios, & ingratos Iudaeos tot beneficia contulerit Deus

rectauri? Cur Pharaonis ſeruitute liberauit eos, qui à rege ſuo erant defecturi, vt iugo diabolicæ tyrannidis colla ſubderent? Cur per mare rubrū ſicco deduxit veſtigio eos, qui Sacro Domini corpore mille cruciamentorum generibus lacerato, ſanguinei maris fluctibus erant fœdandi? Verùm mirari minimè debemus, quia id diuino conſilio factum eſt, quemadmodum aſſerit S. Gaudentius ſer. 9. ad Neoph. *Vt verberaret beneficijs eos, qui ingrati exiſterent*. An non beneficijs verberatum dicemus Euangelicum Epulonem, & cum eo omnes, qui corruptis moribus eiuſdem imitantur exemplum? Lucae 16. 25. in hunc modum lamentanti Diuiti reſpōdes Pater Abraham: *Fili, recordare, quia recepiſti bona in vita tua*. Res mira: non ait, recordare, quia ebrietate, commeſſationibus, impudicitijs vixiſti fœdatus: ſed quia recepiſti bona: Bona ergo recepta, tormentorum cauſa ſunt. Verè improbi beneficijs verberantur. Vnde Auguſtinus in pſal. 68. ſapienter monet, dum ait; *Ipſa quæ in rebus humanis fœlicitas appellatur, plus timenda eſt, quàm miſeria*. Calamitoſa impunitas impiorum, qui rebus vtuntur ſecundis in hac vita, vt in futura acerbiùs puniantur. Quod dilucidè Salomon pronunciauit c. 1. Prou. 32. *Proſperitas ſtultorum perdet illos*. Videatur expoſitio huius loci apud P. Salazar: multum enim cōferent, quæ ibi afferūtur, ad confirmandum quod contendo.

Epulo quia bona recepit, cruciatur.

Felicitas plus timenda quam miſeria.

A B C D

Forſitan propoſitum argumentum illuſtrabo non parùm, exponens quod ſacræ litterae de Eſther regina memoriae tradiderunt. Conſule cap. 5. Eſther, & leges Reginam ab Aſſuero ſemel atque iterum poſtulauiſſe enixè, vt parato regio luxu ab ipſa Eſther conuiuio, Rex vna cùm Aman excipi minimè grauaretur. *Si regi placet*, ſic leges cap. 5. Eſther n. 4. *obſecro, vt venias ad me hodie, & Aman tecum ad conuiuium quod paraui*. Ergòne, ò Regina, cum tanto populi Dei detrimento obliuiſceris Aman infenſiſſimum eſſe Iudaeis? Ergo ille Aman, qui te deprecante erat trucidandus, epulis accumbet regalibus? Cur potius ad vltionem gentis tuæ Aſſuerum non excitas; vt extremo damnet ſupplicio iniquum Aman tam malè meritum de populo Dei? Extendit ad te Mardochæus ſupplices manus eaſdem, quibus te nutriuit infantem: Tu tamen tuorum, tui, Dei ipſius oblita, Aman nouis exornas gratijs, inſignibus condecoras muneribus beneficiorum. Mirum ſanè, quod de Regina Eſther expoſui: ſed quod ſubijcio, nemo negabit eſſe longè mirabilius.

Aman cur ad conuiuiū vocatus ab Eſther Regina.

Etenim exceptis conuiuio Aſſuero, & Aman inter ipſas regiæ dapis delicias, vnum efflagitat regina, vna poſtridie eodem modo Aſſuerus & Aman ſimul diſcumbere minimè dedignentur. Cit. cap. num. 6. haec habentur. *Dixitque ei Rex, poſtquàm vinum biberat abundanter: Quid petis vt detur tibi? & pro qua re poſtulas? etiam ſi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. Cui reſpondit Eſther: Petitio mea, & preces ſunt iſta: Si inueni in conſpectu regis gratiam, & ſi regi placet, vt det mihi quod poſtulo, & meam impleat petitionem: veniat Rex, & Aman ad conuiuium quod paraui eis*. Vides quae ſumma ſit votorum Eſther, mille modis extollere Aman, nocentiſſimum caput, & ob infenſiſſimum odium, quo in Dei ſeruos flagrabat, diris tormentorum generibus amputandum. Verùm nullus planè ſupereſt admirationi locus, ſi Rupertum Abbatem audire velimus. Fecit ſapiens Regina quod venatores facere cōſueuerunt, qui cum feram aliquam capere, & captam adducere tutò volunt, non eam furentibus canibus, & vocis ſono per Syluarum abrupta inſectantur, hoc enim pacto venationis euentus ſatis fit dubius, cum non rarò per deuia ſaxorum, ac montium in fugam fera coniecta, euadat è manibus venatorum: at ſi contingat belluam ex improuiſo inuadi, & occupari, dum tota eſt in præda vorandà; ſecurior eſt fructus venationis. Talε fuit Eſther conſilium: *feram thimariam*, ſic loquitur Rupertus lib. 8. de victoria verbi Dei, *vt tradat ad ſupplicium, allicit ad edulium, ne priùs videat foueam, quàm incidat in eam, ad conuiuium vocauit Regem, & Aman, vnde effugere non poſſet hoſtis homicida*. En exemplum calamitoſae felicitatis eorum, qui bonorum affluentia gaudentes viuunt inimici Deo; epulantur vt pereant, & inter delicias conuiuij, ſui ſibi interitus inſtrumenta component.

David pœnitentia ductus exclamat pſ. 50. *Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam*. Magnam implorans miſericordiam; inſinuat non vnū eſſe duntaxat genus miſericordiae. Ita ſanè: Eſt ſiquidem & miſericordia magna, & miſericordia parua, ſi Sancto Bernardo credimus ſerm. de triplici miſericordia ſic decernenti: *Hanc ergo miſericordiam Domini, quæ tardat ferire paruam nominaui; quia hæc, ſiquidem ſola fuerit, nullatenus ſufficit ad ſalutem, imò verè iudicium damnationis accumulat*. Caueæ impij ne diſſimulatione, ac dilatione

Dei miſericordia magna, & parua.

vindictæ ad liberiùs licentiùſque peccandum abutamini. Viget corporis robur, & in omnem ruis licentiam; Abundant diuitiæ, & nullum flagitij genus prætermittis; Floret ingenium, & mille modis diuina, atque humana iura conculcas. An nó vides bonis hiſce temporalibus à Deo largitore cõceſſis tua crimina grauiora fieri, ac fœdiora? Heu quam metuendum ſupplicium eſt, cùm auctis huius vitæ bonis, fit homo deterior! quia quæ excitamenta debuerant eſſe virtutis, fiunt diuinæ irritamenta vindictæ. Audi Auguſtinum ſer. 37. de verbis Domini, ſic loquentem: *Vis noſſe, nulla pœna, quanta ſit pœna? Dauidem interroga, qui ait pſalmo 9. Irritauit Dominum peccator. Quare? quid vidiſti? vidi peccatorem impunè luxuriantem, & exclamaui: irritauit Dominum peccator. quare hoc dixiſti? vide quid ſequitur. Secundùm magnitudinem iræ ſuæ non quæret: ideò nempè non exquirit, quia multùm iraſcitur; parcendo cadit, ſed iuſtè cadit.* Videatur Origenes homilia octaua ſuper Exodum, in illud Ezech. 16. 42. *Auferetur zelus meus à te, & quieſcam, nec iraſcar amplius.* Vbi demonſtrat Deũ maximè iraſci, cùm miſerationes accumulat ſuper eos, cum quibus maximè deberet iraſci, ob ſcelera quibus ſe ſe continuò obſtringunt. Ego interea non tacebo allatam à Seneca ſimilitudinem epiſ. 36. vbi ait: *Vt periculoſa eſt, ſecundum Hippocratem, ſummè bona corporis valetudo; ita rebus maximè proſperis, ac iucundis metuenda aduerſa fortuna eſt.* Satis Sapienter Ethnicus philoſophus. Nos cæleſtem edocti ſapientiam dicamus: quemadmodum ſummè bona corporis valetudo periculoſa eſt, & morbum proximè conſecuturum prænunciat; ita ſummè bona cõiunctio felicitatum temporalium non rarò futuræ vitæ calamitatem præſignat æternam. Quando autem ab humano corpore petita ſimilitudo eſt, quis non animaduertit, medicum cum ægroto ita ſe habere, vt quandiu ſpes ſupereſt vitæ, tandiu durum ſe exhibeat, & inexorabilem: Quot amaris potionibus, quanta inedia, quàm diris venarum, & totius corporis ſectionibus corpus decumbentis vexat? At verò ſi ſpe cadat valetudinis recuperandæ, tunc enim verò blandus, facilis, perhumanus fit medicus, promptus ad concedendum quod paulò ante negabat acerrimè. Sic ſe res habet. Quandiù ſpes ſupereſt reſipiſcentiæ, Deus tanquam Sapiens medicus, mille modis peccatorem vexat, vt ſanet: At ſi fortè laborantibus nobis mille morborum gene-

Nulla pœna, magna pœna eſt.

Deus maximè iraſcitur cum miſeretur.

Vt ſumma corporis valetudo, ſic nimis proſpera fortuna periculoſa.

Infirmi, cui omnia con-

A ribus prauarum affectionum, quæ concupiſcimus conceduntur, quàm vereor ne ſit deſperata vita gratiae! quàm vereor, ne iacta ſit alea ſalutis! memorandum, & admirandum mihi ſemper viſum eſt, quod ſcribit Q. Curtius lib. 3. paulò ante med. de Alexandro. *Qui cum forte ægrotaret, à Parmenione litteras accepit, quibus ei denunciabat, ne ſalutem ſuam Philippo committeret* (hic erat Regis medicus) *mille talentis à Dario, & ſpe nuptiarum ſororis eius eſſe corruptum. Acceptam epiſtolam, animo diù in diuerſa verſato, puluino, cui incubabat, ſubiecit. Inter has cogitationes biduo abſumpto, illuxit à Medico*
B *deſtinatus dies; Et ille cum poculo, in quo medicamentum diluerat, intrauit. Quo viſo, Alexander leuato corpore in cubitū, epiſtolam à Parmenione miſſam ſiniſtra manu tenens, accepit poculum, & hauſit interritus, tum epiſtolam Philippum legere iubet.* Mira ſanè, ſiue animi conſtantia Magni Macedonis, ſiue opinio fidei medici ſui. Simile neſcio quid contingit nobis: cùm enim vexamur aduerſis, quaſi amari medicamenti calix porrigitur hauriendus à Deo, qui animarum noſtrarum medicus exiſtit. Hauriendum vas eſt conſtanti animo, nec audiendi mundus, Diabolus, aut caro, dum amicitiæ mentito
C praetextu deterrere conantur iniecto timore, tunc enim medicus vitae conſulit, cùm porrigit inſuauia: Ægro penitùs deſperato nullus liquor abſorbendus porrigitur medicato amarore ſalubris, ſed quidquid optauerit, vltrò datur. Deus ergo medici perſonam gerens, quandiù amaris affligit, praeclarè, & beneuolè agit nobiſcum; ſecus verò, ſi fortè nobis peccatorum febribus laborantibus, quidquid deſideramus vltrò concedit. Propterea apud Iſaiam c. 26. 10. ab ipſo Deo dicitur: *Miſereamur impio, & non diſcet iuſtitiam.* Ego ſanè haec audiens continere me non poſſum, quin dicam cum S. Bernardo ſer.
D 42. in Cant. *Super omnem iram miſeratio iſta; Procul fiat miſeratio tam crudelis.*

Facit pro me moralis illa magni Gregorij interpretatio lib. 1. Epiſ. 5. vbi exponit Dauidicum illud pſ. 36. 20. de peccatoribus pronunciatum: *deficientes quemadmodum fumus deficient.* Quo loco S. Pontifex conſiderata fumi natura ſic diſſerit. *Fumus quippe aſcendendo deficit, & ſe ſe dilatando euaneſcit. Sic videlicet fit, cùm peccatoris vitam, præſens felicitas comitatur: quia vndè oſtenditur vt altus ſit, inde agitur vt non ſit.* Quam ſententiam alibi breuiùs repetit ipſe Dauid, ſed non minùs accommodatè pſalm. 101. 11. cantans.

ceduntur, deſperata ſalus.

Medici fides in Alexandrum Macedonē.

Miſeratio crudelis.

Peccatoris felicitas cur fumo comparetur.

tans: *Eleuans alliſiſti me*. Quae enim volumus magno impetu ad terram affligere, ſolemus altè extollere; ſic pilam proijcientes manum eleuamus, vt maiori conatu allidatur, & concidat. Eodem planè modo cum impijs fit; quò enim altiùs euehitur quis, maioribus à Deo cumulatur beneficijs, ſiue naturae, ſiue fortunae, ſiue gratiae, eò grauior, moleſtior, & periculoſior eſt miſeri huius caſus. Verè quippe Marcus Tullius in partitionibus: *Nihil eſt tam miſerabile, quàm ex beato miſer*. Itaque quis neget beneficia Dei in ſupplicia mutari, ſi ſceleſto conferantur, quandoquidem eò calamitoſior futurus eſt in futura vita, & aliquando etiam in praeſenti, quò Dei liberalitas erga eum fuit profuſior.

Nihil tam miſerabile quàm ex beato, miſer.

Conferamus, ſi placet, Petrum & Iudam; vtrumque principem, illum quidem Apoſtolorum, hunc verò proditorum. De Petro Matth. 16. legimus, reiectum à Chriſto Domino pauciſſimis illis, ſed acerrimis verbis: *Vade poſt me Satana.* De Iuda è contrario Matth. 26. dicitur humaniſſimè exceptus ab optimo magiſtro, humaniſſima illa ſalutatione: *Amice ad quid veniſti?* Quid audio? Petrus tanquam malignus ſpiritus reijcitur; Iudas excipitur vt amicus? Pontificum anteſignanum carpit, honorat coryphaeum apoſtatarum? Verùm non eſt cur miremur, ſi D. Baſilium Sel. or. 31. ſic diſſerentem audiamus: *Vidiſti, ò Domine, cum militibus, & armis, & fuſtibus inuadentem, nec dixiſti: Vade poſt me Satana, nec verbis, nec*

Cur Iudas vocetur amicus, Petrus verò, Satan.

A *territaſti; quin potiùs ait: Amice ad quid veniſti? & contra Iudam talis; & Petrus amoris præmium fert contumeliam? Na, inquit, perhumanus Saluator; vbi enim vlcus eſt immedicabile, ibi pharmacum inutile; vbi autem curationis ſpes, ſectionem induco curationi.* Magnum profectò beneficium inter amicos Dei cenſeri, & ab ipſo Deo numerari: at quia Iudas impius eſt, ac parricida, dum Dei amicus dicitur, inſanabilis declaratur. Quantò optabilior eſt obiurgatio Petri, quàm ſalutatio Iudae! Ille quippe reprehenditur vt ſanctificetur, hic laudatur vt pœna omnium luctuoſiſſima, atque acerbiſſima
B condemnetur. Sic nimirum collata impijs beneficia Dei, ſupplicia ſunt. Eleganter Ambroſius lib. 3. de Virg *Vtiliora vulnera amici, quàm voluntaria oſcula inimici. Denique Petrus vulneratur, Iudas oſculatur. Illum oſcula condemnant, hunc vulnera commendant.* In hanc eandem ſententiam Minutius Felix in Octauio vt demonſtret impiorum miſeriam quos beneficijs plectit Deus, ſic habet: *Niſi fortè vos decipit, quòd Deum neſcientes, diuitijs affluant, honoribus floreant, polleant poteſtatibus. Miſeri in hoc altiùs tolluntur, vt decidant altiùs: Hi enim vt victimæ ad ſupplicium ſaginantur, vt ho-*
C *ſtiæ ad pœnam coronantur.*

Vtiliora vulnera amici, quàm oſcula inimici.

Impij cur affluant opibus, atque honoribus.

Videri poſſunt, quæ à P. Didaco de Baeza afferuntur tom. 1. in Euang. hiſt. lib. 3. cap. 7. §. 9. & lib. 4. cap. 1. §. 14. & lib. 8. cap. 3. §. 25. & lib. 12. cap. 5. §. 1.

IN CA-

IN CAPVT VNDECIMVM

A Num. XXV. ad XXVIII.

In illo tempore reſpondens Ieſus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita Pater: quoniam ſic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Et nemo nouit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis nouit, niſi Filius, & cui voluerit filius reuelare.

PARADOXVM VI.

Prærogatiuæ præſtãtiores, demiſsioris humilitatis cauſæ & incitamenta.

DOMINVS Ieſus Parentis maximi, & beneficentiſſimi largitoris beneficia, dùm commemorat ſingularia, videlicet Apoſtolis communicata myſteria regni cæleſtis, donum miraculorum, prædicationis Euangelicæ munus: vno eodemque contextu (quos tantis aſſerit cumulatos gratijs) à ſapientium, & prudentium choro ſeiungit, & paruulos dicit. Illuſtri, ni fallor, documento prærogatiuas præſtantiores Chriſti fidelibus à Deo largitore donatas, demiſſioris humilitatis cauſas eſſe, atque incitamenta.

Non ſemel miratus ſum conſilium Geraſenorum de quibus ſcribit Euangeliſta Matthæus cap. 8. Viderant Chriſti Seruatoris imperio non modo eiectos Dæmones debellatoſque, verùm etiam actos in mare præcipites, atque exterminatos. Quid hic à Geraſenis expectatis? num prouoluti in genua gratias referunt benefactori? debitum ſanè eſſet obſequium, ſed tanto muneri impar. Aut certè in tanta Chriſti imperantis potentia, venerantur diuinitatem? Is profectò dignus eſſet tanto fructus prodigio. Sed longè diuer a Geraſenis eſt mens: Votis quippè petunt conceptis, vt ſeruator optimus ex eorum finibus egrediatur. num. 34. citato cap. *Rogabant vt tranſiret à finibus eorum.* Quis non miretur homines ab humanitate alienos adeò, vt bonorum omnium fonti, perenni curſu mananti, & ſua ſponte fluenti, aditum intercludant? Immo quis non execretur hominum ingenia belluarum feritate immaniora, cum repulſam turpè eijciant hoſpitem illum, quem (vtpotè natum Deo, & reparatorem humani generis) venerari ac colere debuiſſent. Verum habent Geraſeni mentis ſuæ, ſummæ auctoritatis interpretem S. Hieronymum in hunc locum ſic ſcribentem: *Quod rogant, vt tranſeat à finibus eorum, non de ſuperbia hoc faciunt, vt nonnulli arbitrantur: ſed de humilitate, qua ſe præſentia Domini indignos iudicabant.* Nullus

Votum Geraſenorum amandandi à finibus Ieſum præſtãtiſſimæ virtutis opus.

lus reprehenſioni ſupereſt aditus, ſed campus aperitur latiſſimus imitationi. Bonarum quippe mentium eſt, de ſe eò ſentire demiſſius, quò Dei dona fuerint præſtantiora. Nouerat id D. Gregorius, vndè lib. 9. moral. cap. 11. (quod ſæpiùs etiam repetijſſe ſe profitetur, nempè lib. 17. c. 10. lib. 9. cap. 8.) ſic habet: *Omnis humana iuſtitia, iniuſtitia eſſe conuincitur, ſi diſtrictè iudicetur: ſi enim remota pietate diſcutimur, opus noſtrum pœna dignum eſt, quod remunerari præmijs, præſtolamur.* Vtinam adeſſent attenti, qui ſibi de bonis operibus blandiuntur. Vtinam diſcerent non ſe ſe efferre, aut blandiri ſibi, ſed ex ipſis bonis operibus argumentum ſumerent demiſſionis. Iob ſanè charum Deo caput non extollebatur ob benè facta cap. 9. num. 28. *Verebar omnia opera mea.* Quid dubitas tanta præditus virtute? Quid vereris ſpectandus tam ſancto genere viuendi? Nimirum quò præſtantiora ſunt bona quibus præcellit amicus Dei, eò ſe putat bonis omnibus indigniorem.

Iuſtitia humana iniuſta.

Timor ſocius ſanctitatis.

Illuſtrauit noſtræ veritatem propoſitionis non tam eloquentiæ ſuæ luce, quàm propriae fulgure virtutis S. Paulinus, qui cùm accepiſſet vnà ſe cum S. Martino ad Baptiſterium fuiſſe depictum iuſſu Seueri, data ad eundem Seuerum epiſt. quae 12. eſt, primò dolet factum, deindè verò hac ratione excuſat: *vt peccator* (loquitur de ſe) *iuſto compoſitus magis ſordeat, & peccatore collato magis iuſtus* (hoc eſt Martinus) *eluceat.* Ex collato à Seuero in ſe honore demiſſionis maioris occaſionem ſumit Paulinus elegantia ſtyli, & ſanctitate morum aequali, commendandus. Didicerat id fortè à ſponſae, ſponſique caeleſtis colloquio perâmanti. Siquidem Cant. 1. num. 10. aggreditur ſponſus, & laudes dilectae ſuae enumerare, & pretioſa deſcribere munera quae eidem, dono dare meditabatur. *Pulchra ſunt*, ait, *genæ tuæ, ſicut turturis: collum tuum ſicut monilia. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Attende quid ſponſa reſpondeat ibidem, num. 12. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* Tot inter praeconia, tot cumulatam muneribus ſponſam, putabam gratiarum actione profuſa reſponſuram dilecto ſuo. Sed ſi reſponſum perpendatur attentè, caeleſti plenum acumine inuenietur. In primis, Regem ſalutat, quem ſponſum nominare debuiſſet; & ſe tanquam ſponſae nuncupatione indignam nardo herbae humili comparat, atque ignobili. Hoc enim verò animae omni-

Paulinus ex collato honore demiſſior.

A bus ornatae virtutibus proprium eſt, vt quò pretioſior eſt, & ſpectabilior bonorum acceſſio, eò humilitas ſit demiſſior. Vidit id D. Bernardus ſerm 42. in Cant. *Audierat*, inquit, *pulchra ſunt genæ tuæ ſicut turturis, & collum tuum ſicut monilia. Acceperat & repromiſſionem ornatus aurei: murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento: & nihilominus tamen cum humilitate reſpondet, & quanto maiorem ſe audit, tantò humiliat ſe in omnibus. Non gloriatur in meritis, nec inter laudes ſuas humilitatis obliuiſcitur, quàm & humiliter confitetur ſub nardi nomine.* Felix qui cum inter cedrus Libani cenſeatur,
B tur, nardum ſe putat.

Sponſa cæleſtis non extollitur à laudibus, ſed demittitur.

Verùm quidem eſt id non mediocris, aut remiſſae, ſed eximiae praeſtantiſſimaeque eſſe virtutis. Excitant me ſiniſtrae Ægyptiorum acclamationes, quibus ad regni ſolium Imperio Pharaonis euecto Ioſepho plaudunt laetabundi. Quis tunc laetitiae ſenſus? Quae triumphantis Regiae pompa? Qui plauſus? quae vociferationes? Adoleſcens forma ſpectabilis, ſapientia admirandus, beneuolentia principis ſummo honore colendus, è vinculis euocatur ad ſceptrum, & è ſordibus carceris ad purpuram facit gradum. Immò ne quid deſit ad cumulum felicitatis, ge-
C mini Ioſeph naſcuntur filij Manaſſes, & Ephraim. Sic videlicet cum fauore principis conſpirans naturæ beneficentia in cumulando donis Ioſepho, viſa quodammodo eſt modum adhibere minimè potuiſſe. Mira ſunt hæc: ſed longè mirabiliùs erit audire qualem ſe geſſerit in iſto fortunarum culmine conſtitutus Ioſeph. Gen. cap. 41. à num. 50. & deinceps. *Nati ſunt Ioſeph filij duo, &c. Nomen ſecundi appellauit Ephraim, dicens: Creſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* Exclamat D. Iſidorus Pelnſiota lib. 4. ep. 78. *O incredibilem virtutis vim, qua & ſeruum magnanimum exhibuit, & regem*
D *humilem, atque demiſſum.* Mens humilis ſub aurea corona, cor demiſſum in ſummo dominatu, raræ virtutis eſt. Pauperem ſe & agnoſcere, & prædicare inter regalia regis decora, & ornamenta principatus, virtutis eſt incredibilis. Hoc autem non retardabuntur ab incœpto, ſed vehementiùs inflammabuntur nobiles animæ, ad tantum humilitatis honorariæ, vt ita dicam, ſtudium alacriùs capeſſendum, præſertim cum ſublime ſit adeò, atque cœleſte, vt ipſum Dominum Chriſtum auctorem illius habeamus, & profeſſorem. Iſaias tùm cap. 53. tùm cap. 63. de Chriſto loquitur, & vtrobique mentionem fa-

Ioſeph ſeruus magnanimus. & Rex humilis.

cit

cit de ſeruatoris in paſſione profuſo ſanguine, vtrobique de humanitate ſacratiſſima à Iudæorum perfidia dilacerata. Sed de eodem argumento valdè diuerſus eſt loquendi modus. Siquidem cap. 53. n. 2. dicitur: *Non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum: deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus, vnde nec reputauimus eum*. Audis ſummæ calamitatis imam, ærumnoſam, deplorandam abiectionem. Quid expectari aliud poterat in regia feritatis, inſultante furore, & in innoxium inuidia, & ſcelere debacchantibus? Non ergo mirum ſi talem nobis exhibeat Iſaias *regem dolorum deſpectum, & nouiſſimum virorum*. Sed illud certè non poſſum non admirari, quod idem Iſaias cap. 63. triumphalem eiuſdem Domini pompam deſcripturus, ponat ob oculos confoſſum vulneribus corpus, & ſanguineis fœdata maculis membra obijciat obtutibus intuentium. Sic enim num. 1 cit. cap. *Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ*. Num deerat diuinitatis paludamentum? num gloriæ immortalis chlamys aurea deſiderabatur? Procul hinc funeſta memoria mortis, vulnerum & dedecorum mentio procul. Immo verò non in prætorio Pilati modo, ſed in aula cæli; non in Caluariæ colle tantùm, ſed in cæleſti etiam Sion; non inter carnifices ſolùm, ſed inter Angelos quoque dilaceratus ſpinis, clauis confoſſus, exceptus verberibus, morte damnatus turpiſſima prædicetur Rex ſummus, immortalis imperij beatorum. Quia quò glorioſior eſt felicitas triumphantis, eò humilitas debet eſſe demiſſior. Lacerum corpus fit ſtola gloriæ, & furoris exuuiæ miſerandæ, ſpolia immortalitatis. Vnde admirantur, & venerantur cælites inauditæ miraculum humilitatis, vt Natus Deo, Patri redditus & exaltatus ad regnum, non alio ornamenti genere velit eſſe conſpicuus, quàm ex ipſa demiſſionis ſummæ memoria, & præteritæ recordatione vilitatis. *Quis eſt iſte qui venit tinctis veſtibus de Boſra?* In quem locum Auguſtinus ſerm. 178. de tempore: *Viderunt cælites cuncti ſpecioſum vulneribus Chriſtum*. Ne à Chriſti Domini inſtitutione diſſentias, diſce in ſummo honorum felicitatumque apice non modo non obliuiſci præteritæ abiectionis, ſed ab eadem ſpeciem ornatumque deſumere. Mirum enim dictu eſt, quantum ornamenti conferat inter præſtantiores prærogatiuas eſſe, & exhibere ſe demiſſiorem. Hoc non hominis, non ſancti viri, ſed ipſius Dei filij opus eſt.

Chriſtus paſſionis ſuæ ſordibus ornatior.

Chriſtus vulneribus ſpecioſus.

Sed ne terreamur gerendæ rei magnitudine: præclaræ quidem virtutis eſt, humilitatem cum ſublimitate coniungere, non tamen humanas ſupra vires eſſe, arbitrari debemus. Vnde Iob. cap. 28. n. 6. vbi de Dei operibus mentionem faciens, ait: *Gleba illius aurum*. Quaſi indicare velit, Dei opus eſſe, aurum intra terræ viſcera procreare: ſed tam facilè eſſe hominibus aurum præcellentis prærogatiuæ, cum terra humilitatis coniungere, quàm proprium eſt auro, inter terræ glebas latitare, atque inuolui. D. Paſchaſius lib. 4. in Threnos hunc locum ſic illuſtrat: *Gleba ex humore & puluere conſtringuntur. Omnes ergo qui rore gratiæ infuſi ex mortis debito, ſe puluerem eſſe veraci cognitione confitentur, dum vita virtutibus clareſcunt, quaſi aurea gleba in Eccleſia reniteſcunt*. Intelligis, vel me tacente, fieri facilè poſſe, vt aurum dignitatum tanquàm viles terræ glebæ æſtimentur, mortalitatis noſtræ conditione præ oculis habita: fulges auro, nites gemmis, ſupereminẽs cæteris, gratiæ donis, vel naturæ prærogatiuis; caue tamen ne te mentis elatione extollas, ſed ex ipſa celſitudine humilitatis argumenta deſume: deſumes autem non tibi tribuendo, ſed auctori Deo accepta referendo dona quibus præcellis. Mirum dictu, Dauid vir ſecundum cor Dei impios comparat cedris Libani Pſalm. 36. num. 35. *Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani*. Ergo arbor tam nobilis impium repræſentet? mentem Dauidis interpretabitur Procopius in illud Iſaiæ cap. 2. n. 13. *Dominus Deus exercituum ſuper omnes cedros Libani ſublimes*. *Quid iſtos*, inquit, *Libani cedros eſſe dixit? Quoniam aliena quodammodo celſitudine attolli videntur montana arbores: cuiuſmodi ſunt, qui rerum externarum gloria efferuntur*. Ergo qui ſicut cedrus exaltatur ſupra montem præeminentiſſimæ celſitudinis gratiæ, vel gloriæ, meminerit alienum illud eſſe, quo gloriatur. Nemo porrò tumeſcet inflatus ab ijs, quæ aliena ſunt, & morte imminente auferenda, hoc eſt, breuiſſimo, & incertiſſimo temporis momento duratura. Loquatur S. Bernardus verbis illis, ſerm. 13. in Cant. *Fratres, ſi hæc ſcitis, nemo veſtrum velit laudari in vita iſta, quia quicquid hic fauoris captas, quod ad Deum non retuleris*

A Propriæ præſtantia humilitatis argumenta ſumenda ſunt.

Celſitudo impiorum aliena non propria.

Cupidus gloriæ humanæ, latro.

tubris, ipſi furaris: tibi enim vnde gloria putide pulnis? Tibi vndè? De vita ſanctitate? Sed ſpiritus eſt qui ſanctificat, ſpiritus non dico tuus, ſed Dei. Sed ſi prodigijs & ſignis fulgeat, in manu tua fiunt, ſed in virtute Dei. An blanditur popularis fauor, quòd verbum bonum, & benè fortè deprompſeris? ſed Chriſtus donauit os, & ſapientiam: Nam lingua tua, quid niſi calamus Scribæ? Et hoc ipſum mutuò accepiſti. Talentum creditum eſt, repetendum cum vſura. Hæc Bernardus, & apud eundem plura. Aliena ergo celſitudine extolleris, ſi fortè tibi de communicatis Dei beneficentia muneribus glorieris.

Canticorum cap. 5. num. 8. officioſiſſima ſponſae poſtulatio eſt à filijs Hieruſalem enixè rogantis, vt amorem ſuum ſponſo teſtentur. *Adiuro vos*, ait, *filiæ Hieruſalem, ſi inueneritis dilectum, vt annuncietis ei, quia amore langueo*. Ergo tam ardens, ac tam ſyncerus amor indiget teſte? Ergo apud ſponſum oratio filiarum Hieruſalem beneuolentiae ſponſæ fidem faciet ampliorem, quàm opera ipſa dilectæ amantiſſimae. Facta ſanè verbis validiora eſſe nemo non intelligit. Cur ergo ſponſa adiutrices aduocat ad aperiendum ſponſo amorem ſuum, cùm ipſa ſibi ſit conſcia de tot tantiſque cordis charitate flagrantiſſimi argumentis? Nouerat ſponſa amorem ſuum, ſed nouerat etiam ingenium ſponſi ſui, cui placere non poteſt vel ipſe amor dilectae, niſi tanto de ſe demiſſiùs ſenſerit, quantò altiùs caeteris eleuata eſt. Superat ſponſa reliquas Hieruſalem filias praerogatiua beneuolentiae ſingularis, & ideò egenam ſe fatetur, & profitetur indigam ſuffragij ipſarum apud ſponſum. Appoſitè Gilibertus Abbas, ſerm. 46. in Cant. *Anxia vota ſuis eſſe contenta neſciunt meritis, ideò aliena precis mendicant ſuffragia. Perfecta humilitas de meritis ſemper alienis præſumit. Adiuro vos, inquit, filiæ Hieruſalem. O incredibilem virtutis vim*, exclamaret Iſidorus; quoniam ſponſam dilecti ſui fauoribus exornatam, & ſponſi donis auctam exhibet externarum mulierum opem flagitantem, vt apud ſponſum fiat gratioſa.

Sponſa teſtes quærit amoris ſui, & cur.

Quo loco ſi adeſſet Chryſoſtomus, ſine dubio exemplum Pauli proferret in medium. Examinat enim pro hac noſtra ſententia illa verba epiſt. 1. ad Corinth. cap. 15. num. 8. *Nouiſſimè autem omnium tanquàm abortiuo viſus eſt & mihi, ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei*. Quid poterat ignominioſius ſcribi? quid dici vi-

A lius, aut abiectius? ſed quod caput eſt, vt notat Chryſoſtomus, omnes ſacrae eloquentiae vires exerit Paulus, vt dicendi copia, & rationum momentis efficaciſſimis vniuerſo terrarum orbi perſuadeat, ſe indignum officio, & nomine Apoſtoli; & id quidem eo tempore, quo pro explendis Apoſtolici muneris partibus ſupra caeteros laborauerat. Paulo digna aſſertio, digna Chryſoſtomo animaduerſio, vt ſe ſe deijciat ex Apoſtolicae dignitatis culmine is, qui eſt digniſſimus Apoſtolorum. *Paulus* (verba Chryſoſtomi in cap. 1. ep. ad Galatas) *abortiuum ſe appellat, & omnium peccatorum primum, & minimum*

B *Apoſtolorum, & huius honore nominis indignum; atque hæc dicebat, cùm plus omnibus laboraſſet*.

Paulus tūc humilior, cum glorioſior.

Exodi c. 7. n. 1. & 2. demandatur Aaroni prouincia Legati, ſeu Nuncij perſonā Dei nomine ſuſtinendi apud Pharaonem. *Dixitque*, verba ſacri textus, *Dominus ad Moyſen: Ecce conſtitui te Deū Pharaonis: & Aaron frater tuus erit propheta tuus. Tu loqueris ei omnia, quæ mando tibi: & ille loquetur ad Pharaonem*. Ecce Aaron ſummi caeli Regis internuncius renūciatur. Mox, vnà ſimul Moyſes, & Aaron regem allocuturi Deo iubente, conferunt ſe ſe ad regale palatium, & circumfuſa ſti-

C pantium aulicorum corona virgam proiecit Aaron. Sic num. 10. cit. cap. *Tulit Aaron virgam coram Pharaone, & ſeruis eius, quæ verſa eſt in colubrum*. Ex hebraico textu leges: *Et abiecit Aaron virgam ſuam*. Cogor in loco ſubſiſtere, & penſiculatiùs examinare, qua de cauſa Aaron virgam ſuam dicatur abijcere. An non haec illa virga eſt faecunda miraculorum parens, & impoſiti à Deo muneris inſigne notiſſimum? Quis vnquam ſanae mentis, magiſtratus, quem gerit, ornamenta abijciat aut contemnat? Siſte Aaron, & virgam ne abijcias, ſed extollas, vt in ea tanquàm in teſſera legationis

D tuae rex inſolentia tumidus, & immanitate barbarus, Dei, cuius perſonam repraeſentas, agnoſcat, ac reuereatur maieſtatem. Sed fallor; abijce virgam. *Et abiecit Aaron virgam ſuam*. Vt fiat manifeſtum, eum eſſe honore digniſſimum, qui oblatam abijcit dignitatem. Seruorum Dei eſt, in ipſo gradus praeeminentioris culmine abiectiùs de ſe ſentire. Oblata decora deſpicit, immo abijcit cor Deo plenum. In hanc ſententiam appoſitè ſcribebat S. Bernardus ad Eugenium Pontific. Max. lib. de conſideratione: *Salubris*, inquiens, *eſt copula, vt cogitans te ſummum Pontificem, attendas pariter*

Honore digniſſimus, qui in honore ſe deijcit.

viliſ-

viliſſimum eſſe cinerem. Imitetur cogitatio naturam, & (quod dignius eſt) auctorem naturæ, ſumma, imaque conſocians. Nonne natura in perſona hominis, vili limo colligauit vitæ ſpiraculum? Nonne auctor naturæ in ſui perſona Verbum, ſummumque contemperauit? Ita tibi ſume formam, vt altus ſedens, non alta ſapiens ſis, ſed de te ſentiens humilia, & conſentiens humilibus.

Non alta ſapias in alto honorum culmine conſtitutus.

Legi illud Magni Gregorij lib. 26. mor. cap 24. *Mirum valdè eſt, cùm in cordibus ſublimium, regnat humilitas morum.* Legi illud Bernardi hom. 4. ſuper miſſus eſt: *Magna prorſus, & rara virtus eſt humilitas honorata.* Sed legi etiam quod de Eſther regina Sacræ teſtâtur paginæ, Eſther cap. 14. num. 15. & 16. his verbis cum Deo loquente: *Noſti Domine quia oderim gloriam iniquorum. Tu ſcis, quòd abominer ſignum ſuperbiæ, & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum, in diebus oſtentationis meæ.* Pretioſam regni coronam, imperij ſceptrum, & ornamenta principatus, dùm geſtat Eſther, non deſpicit modò, ſed abhorret. O ſenſum præcelſæ mentis, ſupra muliebrem leuitatem! Diſce vel à muliere inter maxima mundi decora, ſi non odium, ſaltem contemptum honorum. Mirandum ſanè, immo imitandum magnæ in maxima dignitate demiſſionis exemplum, omni ſeculorum memoria præbuit Benedictus XI. qui, cùm humili genere natus eſſet, ad ſummi Pontificatus faſtigium euectus (vt ſcribit S. Antoninus 3. part. tit. 10. cap. 9.) accedentem matrem ſericis indutam veſtibus, non modò videre noluit, ſed ſuam matrem eſſe diſertè negauit. Admonitus quippe de aduentu genitricis, interrogauit prudens æquè ac modeſtus, quibuſnam veſtibus eſſet induta? & accipiens indutam eſſe bombycinis, ad ſtuporem vſque prædicanda libertate pronunciauit; non eſt hæc mater mea; natum me ſiquidem non ignoro parente inope, & indumenta bombycina ignorante. Mater virtute filij ſpectabilior, quàm veſtibus pretioſis, hiſce ſe ſe exuens, vilibus induta veſtibus, & ſuæ paupertati accommodatis, iterum ſe contulit ad filium, cuius mores, præter morem, immutare honores non potuerant, & ſtatim excepta beneuolentiſſimè tanquàm cariſſima genitrix, quae & ſuo experimento, & noſtro documento didicit, poſſe etiã in ſublimium cordibus regnare humilitatem. Poſſe, inquam? Immo debere, iuxta ſententiam Hieronymi ep. 83. ad Ocean. illud Pauli 1. ad Timoth. cap. 3. num. 1. *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*, ſic interpretantis: *Bonum opus deſiderat, opus per quod humilitate decreſcat, non intumeſcat faſtigio.* Id nemo meliùs Dauide præſtitit, nemo explicauit elegantiùs Zenone. Pſalm. 130. n. 2. de ſe dicebat Rex Iſraël: *Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei.* In quem locum S. Zeno Veron. ſer. 1. in pſ. 130. *Vnctus, ait, in Regem, ſpiratus in Vatem, non inſoleſcit in regno; obumbrat neminem Propheta terrore, mitem humilemque retinet vbique Paſtorem.*

Humilitas honorata virtus rara.

Benedicti XI in Summo Pontificatu humilitas.

Portò in huius confirmationem axiomatis ipſa nobis natura teſtis erit, ſi oculos conuertamus in ignem, elementorum præſtantiſſimum: Ignis ſiquidem elementaris (vt rectè aduertit Ioan. de Sacroboſco cap. 1. ſphaerae, & ibi Clauius) eſt figurae rotundae ac ſphaericae: cùm enim ignis ſit corpus fluidum, repleatque totum ſpatium quod eſt inter concauum Lunæ, & conuexum aeris, rotundum verò ſit & Lunae concauum, & conuexum aëris, conſequens eſt, vt ignis ipſe figurae ſit rotundae, tum ratione ſui concaui, tum etiam ſui conuexi. Quod cùm nequeat in controuerſiam reuocari, conſideranti mihi, quod paſſim incurrit in oculos, noſtrum videlicet ignem non rotundae, ſed pyramidalis figurae eſſe, venit in mentem ſymbolum id eſſe Chriſtianae humilitatis. Ignis etenim, quaſi natiuae nobilitatis ſuae ſtimulis excitatus contendit extollere ſe ſe ad patriam ſedem, excuſſis relictiſque ſordibus, quas in noſtrae mortalitatis exilio contrahit: igitur vt ad ſplendorem redeat auitae domus, figuram induit pyramidalem. An non ignea pyramis in acuminatum deſinens faſtigium doceat, praerogatiuas praeſtantiores demiſſionis, & humilitatis cauſas eſſe, atque incitamenta? Ab ipſa nobilitate ſua fertur ignis ad locum caeteris elementis eminentiorẽ, dignioremque: fertur autem, quia attenuat ſe ſe adeò, vt prae nimia tenuitate viſum fugiat, vt ocyus euro volet in aethera. Praeclaro, mea quidem ſententia, documento, animos caeteris praecellentes, vt ignis elementa reliqua ſuperat dignitate, neceſſe eſſe, vt anguſta ſui nihili exilitate ferri contendant ad aſtra, & ad ſublimia euolare nitantur. Ergo praeſtantiorum decus, & praeſidium humilitas eſt: Ergo demiſſio non deijcit, ſed attollit. Ergo ſicut à praerogatiuis dignioribus originem ducit humilitas, ita humilitas eadem origo, & cauſa eſt excellentioris exaltationis

Ignis princeps elementorum Chriſtianæ ſymbolum humilitatis.

Videri poteſt P. Io. Ant. Velaſq. to. 1. in Ep. ad Phil. c. 1. v. 1. Ann. 1. per totã. Item in Pſ. 100. L. 5. Annot. 12. mor. per totam.

IN CA-

IN CAPVT VNDECIMVM

A Num. XXV. ad XXVIII.

In illo tempore reſpondens Ieſus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita Pater: quoniam ſic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Et nemo nouit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis nouit, niſi Filius, & cui voluerit filius reuelare.

PARADOXVM IX.

Deus noſter Deus eſt paruulorum.

MIRATVR Paulus, & meritò, ad Hebræos 11. 16. Deū non confundi, vocari Deum Abraham, Iſaac, & Iacob. Nemo namque non obſtupeſcat ab hominibus denominationem ſumere eum, cuius nomen linguis etiam cæleſtibus eſt ineffabile. Quantò porrò dignius eſt admiratione, quod in præſenti Seruator optimus inſinuat, ſe videlicet Deum dici, & eſſe Paruulorum. Quis enim non hæreat attonito ſimilis, conſiderans, eum qui *Magnus Dominus eſt, & laudabilis nimis*: eum, inquam, qui eſt *Deus Deorum in Sion*, ſe ſe hominibus communicando, iam *Paruulorum Deū* non denominari modò, ſed eſſe.

Illud porro videtur animaduertendum in primis, quòd agat Patri Maximo gratias ſapientiſſimus rerum eſtimator idem, & C reparator amantiſſimus humanæ naturæ Chriſtus Dominus: *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Confiteor tibi*: hoc eſt; gratias ago: ita Chryſoſt. hom. 39. Auguſtinus quæſt. 9. in Matth. aliique paſſim. Vt hinc intelligamus, quanto apud nos debeat in pretio eſſe beneficium illud quod tanti ſit ab ipſo bonorum omnium auctore. Igitur vt collati præſtantiam muneris percipiamus, quidue ſignificare velit iſta bonorum reuelatio, quæ ſolis fit paruulis, ſtatuo non vnam, ſed multiplicem eſſe rationem, cur haberi debeat, & prædicari: D *Deum noſtrum Deum eſſe paruulorum*. Quod à triplici promiſſum capite ſpondeo me confirmaturum, demonſtrando videlicet, *Deum noſtrum Deum eſſe paruulorum* Communicatione bonorum, Patrocinio, Contubernio.

Deus tripliciter eſt Deus paruulorum.

Age igitur à primo ducamus exordium. *Deus noſter Deus paruulorum eſt* communicatione bonorum. Cùm autem triplicis ſint ordinis bona; videlicet bona huius vitæ, bona gratiæ, & bona gloriæ; de ſingulis mihi diſſerendum eſſe intelligo, demonſtrandumque, hæc omnia à Deo Optimo Maximo paruulis; hoc eſt, humilibus liberaliter, & munificè com-

Primò, cōmunicatione bonorū.

Humilibus bona huius vitæ liberaliter communicantur.

municari. Vt incipiam à bonis huius vitæ, renoco in memoriam, quod cap. 7. lib. 2. Reg. narratur de Dauid, qui, cùm à Nathan propheta laudaretur ob res præclarè geſtas, reſpondit, vt habetur n. 18. *Quis ego ſum Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxiſti me vſque huc?* Quaſi diceret admiratione perfuſus, an non ego obſcuris natus parẽtibus à rureſtribus mapalibus ad regale ſoliũ euectus? an non ego minimus in tribu mea, à paſtore gregum princeps populorum? Audis quàm demiſsè de ſe loquatur, & qua oratione reſpondeat præconijs Dei nomine à Nathan expoſitis. Id conſiderans Chryſoſt. hom. 2. de Dauid. *Regem ſuaue eſt*, inquit, *quam dulce in auditione vera confeſſione ut diceret ſe minimum in tribu ſua: non erubuit quod erat, vt eſſet, quod non erat*. Mira humilitatis potentia, qua adiutrice ſcit Dauid ſe impetraturum ea bona, quæ exoptare poterat, ſcilicet firmitatem imperij, felicitatem principatus, filium regni hæredem, ruinam inimicorum. Vnde Nathan cit. cap. à num. 11. & deinceps ſic habet: *Requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis: prædicitque tibi Dominus: quòd domum faciat tibi Dominus. Cùmque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius, & ſtabiliam thronum regni eius vſque in ſempiternum*. Aduerte qua ratione Dauid (vt monet Chryſoſt.) *dicit ſe minimum in tribu ſua: non erubuit quod erat, vt eſſet quod non erat*. Firmam ac ſtabilem bonorum acceſſionem, diuturnam felicitatem, ac proſperitatum cumulum parit humilitas. Immo verò, quoniam Dauid incidit mentio, non prætereamus quod proximè ſuperiori cap. 6. eiuſd. lib. 2. Reg. de eodem Rege ſcribitur. Cùm derideretur ab vxore Michol, quòd luderet ſaltans ante arcam; non modò non deſtitit ab incepto, ſed deludi maluit, quàm obſequium Arcæ præſtitum prætermittere: Imò proteſtatus eſt n. 22. *Ludam, & vilior fiam plus quàm factus ſum*. Interpretatur Gregorius Magnus lib. 5. in Iob cap. 10. mentem Dauidis ſic ſcribens: *Coram Deo egit debilia, vel extrema, vt illa ex humilitate ſolidaret, quæ coram hominibus geſſerat fortia*. Nihil tam incertum, nihil tam fallax quàm regium felicitatis culmen; nihil tam inſtabile, quàm bellica vi partum imperium: id ſciens Dauid ſe ſe humilem exhibet coram Deo, *vt illa ex humilitate ſolidaret, quæ coram hominibus geſſerat fortia*. Nouum machinamentum ad firmandam inſtabilitatem humanarum rerum, humilitas eſt, cùm, ob communicanda paruulis bona huius vitae, dederit Deus hanc humilitati prærogatiuam.

David humilitate, regni ſtabilitatem obſequitur.

A

Didicerat id Dauid non ſolùm experimento, cùm (vt habetur 1. Reg. 16.) puſſus in deſerto duceret, deſpectus adeò etiam patri, vt vix Dauidis recordaretur, & tamen inter omnes filios Iſai eligimus Dauid in Regem eligitur: Non ſolùm, inquã, experientia magiſtra didicerat Dauid humili demiſſione ad imperia ampliſſima aditum aperiri, verùm etiam Moyſis exemplo id optimè percipere potuit. Moyſes enim diuitijs & honoribus Regis Pharaonis contemptis, dum per deſertum humilis paſtor duceret greges, fuit à Deo electus princeps, & dux populi. Par quippe erat, vt qui amore humilitatis recuſauerat *ſe filium eſſe filiæ Pharaonis*, eiuſdem Pharaonis Deus diceretur, & eſſet. Imperium terræ, maris, aëris communicauit Moyſi ſummus rerum princeps Deus, cui ſolenne eſt, humilibus huius vitæ bona communicare.

Humilitas via ad honores.

B

Perpulchra ſanè pro re præſenti eſt ratio, quam Iudaeus Philo affert lib. de Abrahamo. Recole quæ habentur Gen. 12. vbi deſcribitur Abraham de terra Chaldaeorum egreſſus. Quo loco notandum eſt, promiſſum à Deo Abrahae, & ſemini eius terram, ſtatim atque idem Abraham è Chaldæorum finibus extulit pedem. Cur, obijcero, terræ dominatus promittitur Abrahamo egreſſo de terra Chaldaeorum? Cur non priùs apparuit Dominus, cur non ſpopondit ſe terræ principatum daturum, cùm adhuc in Chaldaeorum terra vitam traduceret Abraham? Verba textus cit. cap. à num. 6. ſunt: *Pertranſiuit Abraham terram vſque ad locum Sichem, & vſque ad conuallem illuſtrem: Chananeus autem tunc erat in terra. Apparuit autem Dominus Abraham, & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc*. Rationẽ reddit Philo in hunc modum: *Memoratur, quamprimùm profectus eſt ille ſapiens, Deũ appar uiſſe Abrahamo, cui videlicet priùs non fuerat conſpicuus, quando more Chaldaeorum intentus erat ſiderũ curſibus, extra mundum, & ſenſibilem eſſentiam, nullam prorſus naturam intelligibilem perſpiciens. At poſtquàm ſolum vertit, neceſſariò cognouit mundũ eſſe ſubditum, non Dominum*. Ergo Abraham occupatus in obſeruatione caeleſtium orbium, & curſu ſiderum, incapax eſt imperij: at vbi primum Chaldaeorum prætermiſſa ſapientia, terram tractare cœpit, eiuſdem terræ fit Dominus. In vno Abrahamo, quid nobi-

C

Abrahamo de terra Chaldæorũ egreſſo, terræ dominatus promittitur, & non ante.

D

nobiſcum gerere ſoleat ſummus rerum Imperator Deus, perdiſcamus. Quandiù terrenæ vilitatis obliti ſidereas quærimus altitudines, non ſumus digni nec Dei alloquio, nec terreno imperio: at verò ſi terram verſare aſſueſcamus, ſedulò, ac ſeriò de noſtra vilitate cogitantes, & loquentes, tunc rerum etiam temporalium dominatum ſpondet, & tribuit largitor beneficentiſſimus Deus. *Apparuit Dominus Abraham, & dixit ei: ſemini tuo dabo terram hanc.* Nil notius eſt ea ſtatua Babylonici Regis Nabuchodonoſor, quæ deſcribitur cap. 2. Daniel. à num. 32. ad 34. quam à capite ad pedes vſque conſiderana, dum inueſtigo, quomodo conueniant cum aureo capite, & argenteo pectore, pedes fictiles? Quid lutum (quo nil vilius) habeat commune cum pretioſiſſimis metallis? Intelligo luteos pedes cum aureo capite maximè conuenire. Videlicet: hoc ſimulacro fit manifeſtum, de pedum puluere aureum caput aſſurgere, & regnum, auro licèt, argento, omnique metallorum genere ditiſſimum, ſtare diutius minime poſſe, niſi pedes, hoc eſt, affectus regnantis, ſint chriſtiana demiſſione lutei. Et fortaſſe hinc illæ Babylonici imperij ruinæ, hinc Nabuchodonoſor lacrimæ, hinc excidium florentiſſimi principatus. Dementatus etenim ſuperbia Tyrannus Nabuchodonoſor, ſic de ſtatua loquitur cap. Daniel. 3. n. 14. *Statuam auream, quam conſtitui, non adoratis.* Cur auream vocas ſtatuam illam, cuius ſolum caput aureum eſt? Inſpice pedes, & videbis Luteos. At Nabuchodonoſor, quia non intelligit luteis pedibus ſtare imperium, de imperij culmine meritò deturbatur. Huc reuocari poteſt quod dixi 1. tom. paradox. 15. in c. 2. de Ludouico Caroli Magni filio, & alia eodem loco allata.

Aureum caput cum luteis pedibus bene conuenit in ſtatua Nabuchod.

Faciamus gradum ad bona gratiae, bona vtique ordinis altioris, quæ à Deo humilibus copioſiſſimè communicantur. Mirum oraculum profert Chriſtus Dominus Matt. 25. 40. dum ait: *Amen dico vobis, quandiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis*, Miratur Chryſoſtomus audiens vocari (*minimos*) fratres Summi Dei? Quomodo enim minimi, qui rerum omnium Domini fratres ſunt? Audi Chryſoſt. *Quid ais? Si fratres tui ſunt, quomodo minimos eos appellas? Immo verò ideo fratres, quia humiles, quia abiecti*. Vide quantùm tribuat humilitati Dominus Deus. Humiles nãque non amicos modò vult habere, aut affines, ſed fratres & eſſe iubet, & prædicari. De Cananæa, de qua Marci 7. Sedulius lib. 3. Paſchal. cap. 22. ſic loquitur:

Humilibus bona gratiæ copioſè largitur Deus.

A *Vox humillima, fides excelſa, qua ſoſpite filia canem tranſtulit in ouem.* Similem ſe cani confeſſa eſt Cananaea, & ob hanc humilitatem adeò demiſſam, fidei excellentiſſimae commendationem obtinuit. *Vox humillima, fides excelſa*; quaſi donum fidei conceſſum fuerit in gratiam humilitatis. Nec ſola fide donatur humilis, ſed omnium exercitatione virtutum ad thalamum caeleſtis regis admittitur. Vnde Cant. 1. *Cùm eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* In nardo humilem agnoſcit Bernardus, docetque humilium ſolũmodo priuilegium eſſe, caeleſtis regis amplexibus excipi. S. Ber-
B nardus ſer. 42. in Cant. ſic loquitur: *Regem nominat, & in alto habitare fatetur, nec ſic tamen diffidit humilitas. Nam quid eſt aliud, nardus mea dedit odorem ſuum, quàm placuit mea humilitas? Non mea ſapientia, non mea nobilitas, non mea pulchritudo, ſed, quæ ſola inerat, humilitas dedit odorem ſuum.* O praecellens humilitatis praerogatiua, cui thalamum, amplexus, oſcula facit communia diuina bonitas. Vnde appoſitè D. Paſchaſius interpretatur illud Iob. 28. *Glebæ illius aurum.* Sic enim habet lib. 4. in Threnos. *Glebæ ex humore, & puluere conſtringuntur: Omnes ergo, qui rore gratiæ infuſi ex mor-
C tis debito ſe puluerem eſſe veraci cognitione confitentur, dum vita virtutibus clareſcunt, quaſi aureæ glebæ in Eccleſia reniteſcunt.* Agnoſce puluerem tuæ vilitatis, vt aurum fias perfectæ charitatis.

... a humilitas Dei meretur amplexus.

Perpulchrè huc deducit Io. Gerſon viſionem Ioannis de muliere amicta Sole, de qua Apoc. 12. n. 1. Totam enim accomodat humilitati, docetque, ſignum magnũ apparens in cælo intelligibili, & ſupremo rationalis animae, Sole amictum, ſignificare humilitatem. Soli iuſtitiae reſpondet humilitas, qua nil iuſtius, dicitur namque Matth. 3. implere omnem iuſtitiam. Præterea corona Stellarum duodecim mi-
D cabat in capite illius mulieris: & humilitas virtutum omnium radiat fulgore. Similiter Lunam illa calcabat pedibus: & humilitas caduca omnia generoſo contemptu calcat, ac conterit. Itaque ſi Gerſonẽ audiamus 2 par. ſermonis in caena Domini Conſiderat. prima, humilibus bona gratiae communicat omnia munificus Deus, cum eam Sole veſtit iuſtitiae, hoc eſt, omnium complexu virtutum exornat, & coronat Stellis duodecim, duodenario, hoc eſt, perfecto orbe gratiarũ. Mirus eſt ſcribẽdi modus quo vtitur S. Paulus 1. ad Cor. 2. *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præpa-*

Humil... per mulierẽ Sole amictã ſignificatur.

A *rauit Deus diligentibus ſe*. Vt vides, futurorum bonorum ſpes aſcendere non poteſt. Si cor tuum altum fuerit, ſpe vacuum erit, cùm hæc aſcendere nequeat ad cor altum; in corda demiſſa bonorum futurorum ſpes ſponte ſua labitur, ac deſcendit, nil enim non communicatur humilibus. Hinc Auguſtinus ſer. 74. de tempore ait: *Quantò humilior, tantò capacior, tantò plenior: colles enim aquam repellunt, valles implentur*. Exemplum de ſe ipſo affert Ezechiel cap. 2. numer. 1. ad 4. Vbi inuenies, Ezechielem aſpectu Magni Dei perterritũ corruiſſe: tum vero eiuſdem Domini voce excitatum ſtetiſſe firmis pedibus, & caeleſti plenum ſpiritu. Aduerte verba Dei illa B fuiſſe: *Fili hominis, ſta ſuper pedes tuos*. Filius hominis nuncupatur, quod perinde eſt, ac ſi diceretur, reuoca tibi in mentem miſeram mortalitatis conditionem, & calamitoſam humanae infirmitatis ſortem. *Fili hominis*; Terra es, & lutum. Quid tu? ipſa dicit: *Et ingreſſus eſt in me Spiritus*. Sic ſe res habet, *Quantò humilior, tantò capacior, tantò plenior. Colles aquam repellunt, valles implentur*. Vt Deus gratiae dona per ſpiritum è caelo delapſum tibi largiatur, eſto humilis; *nec enim in cor hominis aſcendit*, ſed deſcenſum, & demiſſionem humillimae vallis exigit bonorum C largitor Deus. *Emittit fontes in conuallibus*, canebat Dauid pſalm. 103. non per abrupta montium, ſed per vallium declinia decurrunt fontes caeleſtium gratiarum. Excipe Auguſtinum in illud Iſaiæ 66. *Audi prophetam, ſuper quem requieſcit Spiritus meus? Super humilem, & quietum. Quis habebit fontem meum? Conuallis*. Haec Auguſtinus. Teſtem appello filiam Caleb, nomine Aza, quae fuit Vxor Othoniel. Hæc, cùm à Patre ſuo poſtulaſſet terram aquis irriguam, ſtatim non ſolùm quod petebat, ſed maiora optatis obtinuit. Vt legitur Ioſ. 15. n. 19. & Iud. 1. n. 15. Quaeris cauſam tantæ liberalitatis? D Humilitas fuit. *Cum ſuſpiraſſet*, verba textus, *ſedens in Aſino*, ſeu vt transfert Chaldæus, *delapſa de Aſino, dixit ei Caleb: Quid habes? At illa reſpondit: Da mihi benedictionem*. Sedet in Aſino: Quid humilius? Sed id ſatis non eſt. Delabitur prona in terram, & ſubmiſſa corporis inclinatione parentis animum flectit. Vnde Lyranus in hunc locum Ioſue ait: *Voluntariè deſcendit, vt poneret ſe ad pedes patris ſui, vt ſic faciliùs impetraret*. Sic, ſic fontem gratiarum à Patre Deo fluentem vberrimè, oratrice humilitate, certo certiùs obtinebimus.

Alta humilitas benedictionẽ patris meretur.

Quid plura? ad declarandum quantùm A valeat ad conciliandam Dei gratiam humilitas, ſatis eſt dicere nullam peccati ſordicatem eſſe, à qua iacentem hominem humilitas non ſubleuet, & ornatum gratumque Deo non reddat. Lucæ cap. 13. Sapit diligens agricola, obnixè rogans, vt fodere liceret, & ſtercore fouere ficum infructuoſam, ne incendio conſumenda cæderetur. *Fodiam circa illam, & mittam ſtercora*. De quo Sanctus Ambroſius lib. 1. de Virg. initio ſic ſcribit. *Vtinam me ſub illa fructuoſa adhuc ficu iacẽtem ex aliqua Ieſus parte reſpiceret, ferret quoque poſt triennium fructus & noſtra ficus. Sed vnde tantum peccatoribus* B *ſpes? Vtinam ſaltem ille Euangelicus cultor vineæ dominicæ, ficum noſtram fortaſſe iam iuſſus excidere, dimittat illam & hoc anno, vſque dum fodiat, & mittat cophinum ſtercoris; nam fortè de terra ſuſcitet inopem, & de ſtercore erigat pauperem*. E miſera peccatorum infœcunditate ad bonam frugem, ab incendio ad ſalutem reuocant defoſſa terra, & iniecta ſtercora. Eximia vis humilitatis ad conciliandam Dei gratiam. Sit mihi inſtar omnium Saulus, de quo Act. 9. à n. 4. & deinceps ſic ſcribitur. *Cadens in terram, audiuit vocem dicentem ſibi. Saule Saule, quid me perſequeris? qui dixit: quis es* C *Domine? Et ille, ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris: durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Et tremens, ac ſtupens dixit: Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad eum: Surge, & ingredere Ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. Viri autem illi qui comitabantur eum, ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes*. Ecce tibi Saulus ſe ſtatim tradit diuinæ voluntati, non niſi, quia proſtratus iacuit in terra, nec ſurrexit niſi iubente Domino. O quàm efficax eſt terra propriæ humiliationis ad iuſtificationem peccatoris! Illud hoc loco dignum cenſeo animaduerſione, D cur videlicet ſolus Paulus tanto miraculo fuerit excitatus ad amplectendam veram religionem? Cur non deſtiterunt omnes ab impio facinore? Cur non omnes & voce conterriti, & luce perfuſi, immo & caſu conſternati, deflexerunt à via iniquitatis? Cap. 26. n. 13. & 14. ait Paulus. *Cùm irem Damaſcum cum poteſtate, & permiſſu principum Sacerdotũ, die media in via, vidi, rex, de calo ſupra ſplendorem ſolis circumfulſiſſe me lumen, & eos qui mecum ſimul erant, omneſque nos cum decidiſſemus in terram, audiui vocem loquentem mihi Hebraica lingua: Saule, Saule quid me perſequeris?* Cur tot miraculis illu-

Humilitas à peccati labe mũdat ornatque.

Pauli conuerſio humilitati tribuenda.

illuſtre portentum frangere non potuit corda militum, qui cum Saulo gradiebantur? Illud obſeruo diſcrimen: turbam reliquam concidiſſe quidem in terram, ſed vocem Domini minimè expectauiſſe, vt ſurgeret; Saulus autem in terram proſtratus, in terra permanſit, nec auſus eſt ſe humo attollere, niſi iubente Deo. Hæc germana humilitas eſt, non curſim, & quaſi obiter de ſua vilitate cogitare, ſed permanenter perſiſtere, vt permota Dei bonitas iubeat nos aſcendere, ſicut contigit Saulo, qui non tam corpore ſe extulit è terra, quàm animo à peccatorum vilitate, ad gratiæ ſe ſe portauit ſublimitatem.

Vt autem fiat manifeſtius quanta ſit, ac quàm ampla bonorum communicatio, cuius à Deo fiunt participes, qui excellunt humilitate: Videamus tam donum fidei, quàm Dei, & rerum cæleſtium cognitionem peculiari modo humilibus tribui. De fide ſanè, quæ donorum omnium eſt fundamentum, notum eſt oraculum Chriſti Domini Matt. 8. vbi audito Centurione liberè profitente: *Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum:* ſtatim ſubdidit. *Non inueni tantam fidem in Iſraël.* Id conſiderans Auguſtin. ſer. 74. de temp. ait: *In populo ad quem venit Ieſus, non inuenit tantam fidem. Tantam, quid, eſt? tam magnam. Vnde magnam? de minimo, ideſt, de humilitate grandem.* Fides vix nata creſcit in giganteam celſitatem, ſi nutricem nanciſcatur humilitatem. Confirmat id Magdalenæ exemplum, cuius fidei adſcribit Chriſtus Dominus, quidquid obtinuit. Vnde Lucæ 7.n.50. *Fides tua te ſaluam fecit; vade in pace.* Vna præ cæteris virtutibus fides eſt, quæ impetrat gratiæ dona; non charitas, non lacrymæ, non pœnitentia. Fides autem, quæ tam fuit eximia (Si Chryſoſtomum legamus) patebit manifeſtè ab humilitate promanaſſe. Sic enim habet orat. 2. de Prec. *Mulier, quæ intemperantia, & meritricio quæſtu, omnem anteacta vita curſum confecerat, ſimul atque ſe ad Chriſti pedes abiecit, ſalutem conſecuta eſt.* Expende illud: *ſimul atque ſe ad Chriſti pedes abiecit.* Nimirum vna abiectio ad pedes incrementum præbuit fidei, & quidem tantum, ac tale, vt reliquis virtutibus omnibus ſuperatis, obtinuerit & laudem Domini, & ſanctificationem Magdalenæ.

Inſignis fidei donum ab humilitate promanat.

Mirum verò dictu eſt quantum conſerat ad percipienda, ac perſpicienda arcana Dei, humilitas. Audi Rupertum explanantem monitum illud Angeli dicentis Apoc. 3. 18. *Collyrio inunge oculos tuos.*

Humilitas arcanorum Dei cognitionem parit.

A
Humilitatem per collyrium intelligit Rupertus his verbis: *Collyrio inunge oculos tuos, vt videas: ideſt cor tuum vera humilitate purifica, vt per paupertatem tuam videas, veraſque diuitias bonitatis Dei cognoſcas.* Ergo humilitate mentis acuitur oculus ad perſpicienda, quæ Dei ſunt. Sit mihi inſtar omnium cæcus ille à natiuitate, de quo Io. 9. cui lucis opifex Chriſtus non verbo, vt olim naſcente mundo, ſed luto videndi facultatem inſtaurauit. Fortaſſe vt intelligamus, fore vt facilè videamus quae in Deum ſunt referenda, ſi collyrio noſtrae mortalitatis mentis oculos inungamus. Pulchrè Se-
B
dulius de hoc Chriſti Domini miraculo verba faciens, ait: *Lutum genarum clauſtris illiniens, quod in homine minus eſſe conſpexerat, de veteri bonus opifex camento ſuppleuit.* Deeſt nobis acies mentis ad intelligenda caeleſtia, ad videnda diuina; adhibito luto ſupplebimus facilè defectum: Nullum enim ſecretum eſt, quod Deus humilibus non communicet. Obſeruo veſtigium aliquod, ac veluti ſimulacrum à natura in oculis corporis fuiſſe efformatum: Sicuti enim oculi, ſi turgidi fuerint, & prominentes, parum vident; & è contrario perſpicaciores ſunt, ſi non promineant, quaſi in abdi-
C
to quodam frontis receſſu abſconditi: ita planè contingit in oculo mentis, qui ſi turgidus ſit ſuperbia, & elatione inflatus, parum, aut nihil videt; at humilitate demiſſus, diuinorum arcana ſecretorum luſtrat omnia, & perſpicit ſingula. In hunc ſenſum dicebat Chriſtus Matt. 11.n.25. *Confiteor tibi pater Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* Qui nil ſuperbis aperit, omnia humilibus facit manifeſta. Nec mirum eſt, quoniam Deus ipſe auctor eſſe voluit, & magiſter humilitatis. Reliquae virtutes ſingulæ ſuum habent auctorem; Inoccentiae primus au-
D
ctor fuit Abel, puritatis Enoch, longanimitatis & ſpei Noë, obedientiae Abraham, coniugalis caſtitatis Iſaac, laborum tolerantiae Iacob, manſuetudinis Moyſes, patientiae Iob, confidentiae in aduerſis Ioſue, dilectionis inimicorum Dauid, zeli Dei Elias: Sed Deus ipſe humilitatis Magiſter ſit. Vt propterea peculiari, vt ita dicam, propenſione animi humilibus faciat omnia communia, & nihil omninò ſit, quod humiles lateat.

Deus humilitatis Magiſter.

Offert ſe mihi Elias cariſſimus Deo, qui lib. 3. Reg. cap. 19. num. 10. Sic Deum alloquitur: *Domine prophetas tuos occiderunt, & ego relictus ſum ſolus.* Quid au-

dio? ergo propheta Dei mentitur? Nonne Deus *reliquerat ſeptem milli. virorum, qui non curuauerant genua ante Baal?* Quo pacto igitur ait Elias, ſolum ſe relictu n, omnibus alijs Dei amicis è medio ſublatis, cùm reuera ex amicis Dei ſeptē millia ſuperſint. B. Petrus Damianus hinc deducit ſuperborum cæcitatem, & humilium perſpicaciam, quibus datur, vt omnia videant, atque diſtinguant. Sic autem habet ſerm. 2. de S. Vitali. *Propheta erat Elias, & ſæpe myſteria ſuperna cognouerat, quid ergo difficile fuit agnoſcere, in mundo fideles Deo famulos remanſiſſe? Sed hinc ſolerter intuendum eſt, oculum cordis elatio quàm nequiter claudat: quia qui humilis, & occulta Dei nouerat; elatus, & aperta neſciebat.* Acuit mentis oculum ad videnda quæ Dei ſunt humilitas, ſicuti è contrario ſuperbia excæcat. Teſtem appello gentium Doctorem Sanctum Paulum, qui Act. Apoſt. 9. à num. 4. & deinceps dicitur cæleſti voce conſternatus, ita vt, poſt caſum in terram, lucem receperit, vt notum eſt. Exemplo Pauli diſcere poſſumus, vnicum eſſe remedium ad videndum diuina, proſternere ſeſe, & in terram cadere. Do Petrum Cellenſem cap. 13. de panibus ſic loquentem. *Viſum non recipit, qui non cadit: humilitas in caſu, in viſu intelligentia. Eius verò, qui ita cadit, aperiuntur oculi, non quomodo primis hominibus per præuaricationem, ſed quomodo cæco nato per Chriſti illuminationem. Serpens oculos aperit ad concupiſcendum; Chriſtus ad cognoſcendum, & glorificandum Deum: Serpens aperit, vt rapiat; Chriſtus vt eripiat. Procedens itaque ad virtutum veſtigia, recipit lumen oculorum.* Conſidera illud; *Viſum non recipit, qui non cadit.* Ergo vt lumen recipias oculorum, deijcias te in terram propriæ cognitionis; Hoc enim pacto fies aptus ad videnda ea, quæ Deus ſolis communicat charioribus ſuis.

Diuina non videt niſi cadens in terram.

Venio ad tertium bonorum genus, nēpe ad bona gloriæ, quæ mirum in modum à Deo cōmunicantur humilibus. Propono non Bethſabee tantùm, ſed & Nathan artificium, interprete Athanaſio, vt faciamus nobis aditum ad regnum cælorum. Sic enim ait Athanaſius: *Bethſabee, tametſi mater, filium ſuum, ſeruum nominat, dum patri dicit, ſeruum tuum. Deinde Nathan loquitur, & inter loquendum, Salomonem ſerui nomine appellat. Dauid autem talia audiens, æquè filium ſuum agnoſcebat: Illi verò ita loquendo, non ignorabant eum genuinum filium eſſe, quin imò, vt hæres patri inſtitueretur, ſollicitabant, cùm illum, vt ſeruum nominarent.* Nos itaque, vt faciliùs à Patre Optimo Deo regnum cælorum obtineamus, ſequamur Bethſabee, & Nathan documētum, ſeruos nos eſſe profiteamur, vt tanquam filij coronemur, hæredes eius regni, quod finem non habet. Sanè quotquot viuimus, viatores ſumus, tendentes ad ſummam beatitatis ſedem, cum Domino regnaturi. Quis neſciat, iter habenti nil carius contingere poſſe, quàm longioribus itineribus relictis, per compendiariam viam ad locum, quò pergit, quàm citiſſimè peruenire; præſertim cùm itineris terminus ſit iuxta votum, & maximè optabilis? Id nobis cælum petentibus præſtat humilitas, ſi Auguſtinum audiamus lib. 9. de Ciuit. cap. 15. ſic dicentem: *Beatus ac beatificus Deus, particeps humilitatis noſtræ, compendium præbuit participandæ diuinitatis ſuæ.* Itineris tam moleſti, quod, dum viuimus, conficimus, captemus opportuna compendia, humilitatem, vt ſummae ſimus participes diuinitatis, quod vtique ſolùm conceditur degentibus in regione viuorum.

Bona gloriæ abundātiùs cōferuntur humilibus.

Humilitas compendiaria ad cælum via.

Nihil tam notum eſt, quàm anguſtam eſſe portam caeleſtis Ieruſalem. Vnde Matt. 7. 13. *Intrate per anguſtam portam.* Et ſeq. n. 14. *Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam.* Satis apertè docemur, humilibus patere aditum caeli, anguſta enim porta turgidos, & elatos non capit. Hinc B. Petrus Damianus epiſt. 114. monebat ſapienter, ſic ſcribens. *Nonnulli à pueris in religionis ordine conſtituti, ſola inobedientia ſuperbiæ mixta depereunt, cùm in ſæculo plurimi, poſt immanium criminum perpetrata flagitia, per humilitatis ſinuaum indulgentiam promereantur.* Illuſtrat id exemplo Dauidis & Saülis, quae apud eundem Damianum videri poſſunt. Maneat interea, ab humilitate crimina dilui, & conſequenter omne tolli impedimentum, quod à beatitudine conſequenda retardare poſſet.

Praeſtantiſſimae ſanctitatis, qua ſupra mortales omnes excelluit Ioannes Baptiſta, teſtis eſt locupletiſſimus ipſemet veritatis auctor Chriſtus Dominus Matt. 11. n. 11. *Non ſurrexit inter natos mulierum maior Io: Baptiſta.* Obſeruo hominem tam ſanctum, tot elatum laudibus ab ipſo Deo, capite damnatum, ac diminutum occubuiſſe. Fortaſſe vt intelligamus, Ioannem ideo praeſciſſione capitis ad ſuperos euolaſſe, quia regnum caelorum demiſſionis, non præeminentiæ præmium eſt. Sequor Iſidorum Pelufiotam lib. 1. epiſt. 68. ſcribentem in hunc modum.

Cur Io. Baptiſtæ caput fuerit abſciſſum.

Quo-

Quoniam igitur maior quidem omnibus, qui ex mulieribus nati fuerant, erat Ioannes, caput ipſi ante donatum cælorum regnum præſciſſum fuit. Pendo particulam, *quoniam*, quæ cauſalem indicat. Quaſi dicat, ratio, cur neceſſe fuit minni capite Ioannem, ea eſt, quia praecellebat, & praeeminebat omnibus. Vna demiſſio virtutibus reliquis eſt praeferenda, cui ſoli patet aditus ad imperium aternitatia. Duco argumentum à ſimili, allato eo quod ſcribit S. Ambroſius ſer. 14. in pſalm. 118. his verbis: *Quid fuiſſet Ioſeph, ſi humilis non fuiſſet? Sciuit ſibi obfuiſſe, quòd prælatus erat fratribus. Prælatio armauit fratres, humilitas conciliauit extraneos.* B *Prælatio concitauit germanos, humilitas regem ſubditum fecit; vt verè quaſi ex perſona Ioſeph dictum putemus, humiliatus ſum, & ſaluum me fecit.* Igitur, Ambroſio auctore, vna humilitas ſaluum facit, & ſicut Ioſeph ſalutem, & terrenum imperium humilitate adeptus ſuit, ita nos cum immortali ſalute æternae beatitatis imperium conſequemur.

Huius, quam confirmo, veritatis ſymbolum haud obſcurum reperio cap. 48. Gen. à num. 13. & deinceps, vbi Iacob benedicturus filijs, efformatis in crucem manibus, dexteràm ſupra natu minorem poſuit, qui à ſiniſtris Sancti Patriar- C chae à Ioſeph fuerat collocatus, ita vt Ephraim natu minor in ſiniſtra Iacob cōſiſtens, dextera Patris tactus, praelatus fuerit filio natu maiori, nempe Manaſſi, qui dexteram tenebat. Ita planè caeleſtis pater, qui adoptionem filiorum regeneratis per Chriſtum in ſuo regno donaturus, minores, & in ſiniſtra parte conſiſtentes, hoc eſt, humiles, dextera miſericordiae ſuae praeueniet, & mutatis vicibus praeferet ijs, qui magnates, & inclyti habebantur in terra. Lege datam à Paulo Epiſt. ad Philipp. cap. 3. ſic ſcribente: *Saluatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum* D *corpori claritatis ſuæ.* O egregiam diſpoſitionem ad claritatem glorificatae humanitatis Chriſti Domini! Quæris, quænam iſta ſit? Humilitaa. Perpende illud, *corpus humilitatis noſtræ.* Vnde S. Bernardus ſerm. 2. in cap. 6. Iſaiæ hiſce nos verbis alloquitur: *Te, ſi fueris corpus humilitatis, reformabit idem artifex, qui formauit. Illam, ſi non deſipis, præſtolaberis manum, vt quod fecit, ipſa reficiat.* Ergo humilitas ad ſolium regni caeleſtis euocat; humilitas participes facit æternae felicitatis; humilitas donat beatitatem. Quàm bellè pro re praeſenti cecinit Da- A uid Pſalm. 100. num. 6. Vbi Deum introducit ſic loquentem: *Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecum.* Pendo illud, *fideles terræ.* Quia nimirum habet Deus & fideles cæli, beatos vtique ſpiritus, qui nunquam Deo ſuo fregerunt fidem, ſed creati in gratia, ſe ſe creatori ſuo, vt par erat, ſubijcientes, meritò fideles caeli nominabis. An nō fideles caeli dici debeant, quos vidiſſe ſe teſtatur Iſaias cap. 6. à n. 1. & deinceps: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum: Seraphim ſtabant ſuper illud.* Vide, quàm ſedulò, quàm fideliter famulentur. Iſti tamen oculos Dei non rapiunt ad ſe, ſed B fideles terrae voluptate perfundunt ſpectatorem Deum. *Oculi mei ad fideles terræ;* ſcilicet, qui lutea obſcuri origine, terram propriae vilitatis, & Chriſtianae humilitatis praeſeferunt: Vt propterea admiratione perfuſus exclamet Chryſoſtomus: *O ingens miraculum! lutei ſedent, & corporis expertes adſtant.* Sedere ſanè regnantis, ſtare verò ſcruientis eſt; ſedere imperantis, ſtare verò famulantis; ſedere iubentis, ſtare verò iuſſa facientis eſt, vt neminem fugit. Ergo ſedentibus humilibus, & tetream demiſſionem ſapientibus, ſtant Beati Spiritus, vt eō clariùs pateat nihil aequè extollere ad regnum immorta- C litatis, ac humilitatem. Huc videtur idem Dauid reſpexiſſe, cùm enim dixiſſet: *Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecum.* Verſu immediatè ſequenti ſubdit: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam.* Quaſi ſuam confirmet ſententiam à contrario. Quemadmodum enim nil tam inuiſum eſt Deo, quàm cor ſuperbum, quod primo loco à Dei domo repellitur; ita nil tam carum eſt, quàm cor humile, cui ſedes, ſolium, thronus conceditur in regia Paradiſi.

Confero Euangelicum Vatem Iſaiam, cum Regio Propheta Dauid: illum allatum Matth. 2. ſic vaticinantem. *Et tu* D *Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet Dux, qui regat Populum meum Iſraël.* Dauid verò Pſalm. 47. ſic concinit: *Fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas regis magni.* Attende quo pacto idem Chriſtus Dominus, de quo vtrobique ſit ſermo, Dux dicitur ab Iſaia, Rex magnus à Dauid. Denominationem Ducis accipit à Bethlehem, at verò Regis magni cognomen ſumit à Sion. Vnde obſecro tantum diſcrimen? Crediderim hinc deduci poſſe efficaciam, immo gloriam humilitatis, quae donat celſitudinem in terra, & regnum

Humiles à Deo præferuntur terræ magnatibus.

Imò etiam Angelis.

Chriſti Domini humilitati quanta correſpōdeat gloria.

gnum in cęlo. Naſcens Dominus demittit ſe vſque ad paſtorales ruſticitates, vſque ad praeſepe, vſque ad ſtabulum, dignus propterea qui Dux ſit populi Iſraëlis, quin & principatus Orientis; Magi enim ab Oriente venerunt, & procidentes adorauerunt eum. En humilitatis Bethlehemiticae praemium, quod ſatis magnum, ſatis honorificum eſt. At longè maius, & honorificentius eſt regnum caeleſtis Sion. *Fundatur exultatione vniuerſa terrae mons Sion*. Vides, qui Dux erat Iſraëlis, & ad ſummum etiam Orientis; Iam vniuerſae terrae exultatione, & gaudio Rex acclamatur. *Fundatur exultatione vniuerſa terra mons Sion, latera Aquilonis* B *ciuitas regis magni*. Meritò ad regis magni ſolium euehitur, qui in monte Sion vltimam, vt ita dicam, attigerat lineam humilitatis. Quis enim neſciat Chriſtum Dominum in Sionis caenaculo deieciſſe ſe ſe ad pauperum piſcatorum pedes, eorumdē abluiſſe ſordes, & linteo deterſiſſe. Obſtupuere beatae mentes, cum praepotentem vnigenitum Patris, Regem regum, ac Dominum Dominantium prouolutum in genua proſpexerunt, ante pedes Iudae viliſſimi proditoris. Quid excogitari poteſt humilius? aut quid abiectius? Nihil ſanè, vt propterea mirari minimè debeamus, ſi à Sion regni ſui decora auſpicetur A ſummus Empyrei Rex Ieſus. *Fundatur exultatione vniuerſa terra mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas regis magni*. Solium huius magni regis delineatum graphicè Can. 3. num. 10. agnoſcit Gilibertus; cùm enim inter caetera Salomonici throni ornamenta dicatur aſcenſus purpureus, ſic loquitur cit. Gilibertus ſerm. 18. *Quid tu illic dices, qui humiliationem, ſeruitutem putas? ſeruilis non eſt, quam regalis nobilitat purpura: ornamentum eſt enim purpura regium. Hos, ſi tu vel dedignaris, vel horres gradus, reſpice quòd purpurei ſint. Humilitas* B *ſuſcepta pro Chriſto regiam praefert dignitatem.*

Quis ergo humiliari refugiat, quis dedignetur deſpici pro Dei amore, niſi is, qui ignoret, ad magni ſoliū regis extollere humilitatē?

IN CAPVT VNDECIMVM

A Num. XXV. ad XXVIII.

In illo tempore reſpondens Ieſus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita Pater: quoniam ſic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Et nemo nouit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis nouit, niſi Filius, & cui voluerit filius reuelare.

PARADOXVM VIII.

Deus noſter Deus eſt paruulorum.

GRATIVS fortaſſe futurũ eſt lectori meo, vt quæ propoſita initio fuerant, reliqua duo capita huc pertractanda reijciam. Demonſtrandum igitur nobis eſt, iure *Deum noſtrum* dici, & *eſſe paruulorum Deum*, tum Patrocinio, tum etiam contubernio.

Patrocinium igitur Magni Dei, in ſuſcipiendis paruulorum partibus, ſatis superque vnus Dauid declarat pſal. 114. verſ. 6. ſic concinens: *Cuſtodiens paruulos Dominus: humiliatus ſum, & liberauit me.* Quaſi verò is, qui Deus Deorum eſt, glorietur dici, & eſſe cuſtos paruulorum; quod quia probè tenebat Dauid, ideò ſubdit: *humiliatus ſum, & liberauit me.* Sciebãt, nulli adeò præſtò eſſe opem Dei, ſicuti humili, Ideò *humiliatus ſum.* Quod & experimento didicit Sanctus Rex: Etenim humilitatis argumentum præbens, ſui
C confeſſione peccati, auertebat à populo flagellum Dei, vt habetur 2. Reg. 24. 10. Similiter ſe ſe humiliando ante Ionatham, euaſit mortis ſibi comminatæ, ac intentatæ à Saule periculum, vt legitur 1. Reg. 18. & 19. Quemadmodum etiam, coram propheta Nathan humili confeſſione, violatæ reus Bethſabee, veniam impetrauit, & præſentiſſimum diſcrimen tutus euaſit, quod narratur 2. Reg. 12. 13. Meritò itaque cantat Dauid: *Cuſtodiens paruulos Dominus: humiliatus ſum, & liberauit me.* In quem locum Gregorius homil. 28. in Euang. ſic ſcribit: *Qui*, Pſalmiſta videli-
D cet, *qui paruulos humiles appellat, poſtquàm ſententiam protulit, (Nempe cuſtodiens paruulos Dominus) conſilium ſubiungit: Nam quaſi quæreremus, quid ipſe ad hæc faceret, adiunxit: humiliatus ſum & liberauit me.* Quis non ſequatur tanti conſilium Principis, præſertim cùm tot confirmetur exemplis.

Dauid humilitate euaſit mortem, & veniam impetrauit.

Notandum pro præſenti argumento quod legimus tum Ionæ cap. 4. tum Gen. 21. Pulcherrima ſunt ea miſerentis Domini verba, quibus caput citatum, & prophetia Ionæ concluditur in hunc modum. *Et ego non parcam Niniue ciuitati magnæ; in qua ſunt pluſquàm centum viginti millia*

Deus parcit ciuitati Niniue quia in ea ſunt multi infantes.

lia hominum, qui neſciunt quid ſit inter dexteram, & ſiniſtram ſuam. Audis cur Deus continere ſe non poſſit quin miſe-
reatur. Vnica ratio eſt; ſed ad mouen-
dum rerum Dominum efficaciſſima; vi-
delicet, Niniue viuunt centum viginti
millia innocentium populorum, qui ob
infantiam diſcernere non poſſunt inter
dexteram, & ſiniſtram. Verè *cuſtodiens
paruulos Dominus*: Paruulos quidem æta-
te protegit, ſed multò magis paruulos hu-
militate. Conſule cap. 21. Geneſ. Vbi di-
citur Agar ab Abrahæ domo eiecta filium
ſuum Iſmaëlem abieciſſe, ne immaturæ
occumbentem morte perſpiceret, quem
tantò proſequebatur amore. Verba text.
citato capite num. 15. *Abiecit puerum,
ſubter vnam arborem, quæ ibi erat. Et
abyt, ſeditque è regione procul quantum
poteſt arcus iacere, dixit enim: Non vi-
debo morientem puerum. & ſedens contra
leuauit vocem ſuam, & fleuit*. Adeſt in
tanta calamitate è cælo præſidium. Vn-
de ſtatim ſeq. num. 17. ſubditur: *Vocauit
Angelus Dei Agar de cælo dicens: Quid
agis Agar? noli timere: exaudiuit enim
Deus vocem pueri de loco in quo eſt*. Per-
cipio Angeli ſenſum, admirabili ſapientia
plenum: non enim dicit Deum audiuiſſe
fletum matris, aut commotum eſſe cala-
mitate matris Agar ad opem ferendam,
ſed audiuiſſe vocem gementis filij. *Exau-
diuit Deus vocem pueri*. Scilicet paruu-
lorum Deus eſt, qui promptè adeò accur-
rit ad ſubleuandam paruulorum calamita-
tem. Immo non ſine myſterio addit illa
verba: *de loco in quo eſt*. Quaſi dicat:
nunc audio de loco in quo eſt, cùm enim
ſolus eſt, & deſtitutus etiam matris præſi-
dio, meum eſt tueri illum, qui cùm ſit
paruulus, præſidio Dei gaudet, & patroci-
nio. Ænigmata ſunt hæc, & figuræ verita-
tis, quibus diuina ſapientia adumbrare
voluiſſe videtur quod dico: Paruulos
enim ætate protegit miſericordiarum pa-
ter, ſed multò magis demiſſione, atque
humilitate paruulos audit, & exaudit ge-
mentes inter pericula Deus.

Puero Iſmaëli à matre abiecto adeſt præſidium diuinum.

Vis noſſe quàm verum ſit Deum eſſe
humilium patrocinatorem? Audi ſponſam
Cant. 1. num. 12. ſic concinentem. *Dum
eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea de-
dit odorem ſuum*. Nardus humilitatem
exprimit Bernardo auctore his verbis:
*Bonus humilitatis odor, qui de hac valle
plorationis aſcendens, perfuſis circunqua-
que vicinis regionibus, ipſum quoque re-
gium accubitum grata ſuauitate reſpergat*.
Animaduertis, quale ſit humilitatis meri-
tum? Quæris forſan de eiuſdem humilita-
tis præmio? Ecce tibi, & illud quidem
maximum, ac præſtantiſſimum, explicatum
ab eadem ſponſa verbis ſequentibus n. 13.
*Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, in-
ter vbera mea commorabitur*. Obſerua
diuerſum loquendi modum. Initio Spon-
ſus appellatur Rex, *Dum eſſet Rex in ac-
cubitu ſuo*. Paulò poſt nũcupatur dilectus:
*Dilectus meus mihi inter vbera mea cõmo-
rabitur*. Huius diſcriminis rationem reddit
Bernardus, aſſerens id humilitati tribuen-
dum, quæ Deum fecit è rege amicum; Rex
autem timeri debet, vt princeps; dilectus
amari debet, vt beneuolus; & quemad-
modum regis eſt propria maieſtas, ita di-
lectus omnia facit communia, & ærumna-
rum tempore cognoſcitur, qui amicus eſt.
Vt ergo Deum agnoſcamus protectorem
humilium, & ab humilitate flecti ad le-
uandos miſeria inopes, dicamus cum
ſponſa, ab humilitate Nardi fieri è rege di-
lectum. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo,
Nardus mea dedit odorem ſuum? Faſcicu-
lus Myrrhæ dilectus meus*. Audiamus
Sanctum Bernardum ſer. 43. in Cant. ſic
dicentem: *Ante Rex, modò dilectus; ante
in accubitu regio, modò inter ſponſæ vbe-
ra. Magna humilitatis virtus, cui etiam
Maieſtas Deitatis tam facilè ſe inclinat.
Citò reuerentiæ nomen in vocabulum ami-
citiæ mutatum eſt: Et qui longè erat, in
breui factus eſt propè*. Vnde iſta mutatio?
ab humilitate. *Magna humilitatis virtus*.
Ergo vt Deus tanquam amicus opituletur
tibi in periculis, teque inter diſcrimina
ſeruet incolumem, Nardi inſtar bonum
effundas humilitatis odorem.

Humilitas Nardo exprimitur.

Humilitas facit Deum è Rege amicum.

Id quia vidit cæleſti plenus lumine Da-
uid, canebat pſalm. 37. 18. *Ego in flagella
paratus ſum*. Diſcruciabatur Dauidis ani-
mus diris afflictionibus, ac multiplici do-
lorum genere, tum propter peccatum,
tum etiam ob moleſtiſſimam Abſalonis
perſecutionem. Quid ergo conſilij ca-
piat? Audi. *Ego in flagella paratus ſum*.
Flagella inflicta non recuſat, immo lu-
benti animo excipit, aitque, ſe eſſe para-
tum, quaſi verò ſit non minùs ad ſuppli-
cia promptus, quàm alij ſint ad beneficia
alacres. Ille ſanè, qui licèt diademate co-
ronatus, licèt ſceptro potens, & rerum
geſtarum præſtantia glorioſus, putat ſe fla-
gellis dignum, ſentit de ſeipſo humiliter.
Dicat ergo Dauid ad ſignificandam de-
miſſionem mentis ſuæ: *Ego in flagella pa-
ratus ſum*. En dignum verberibus caput,
en corpus excipiendum fuſtibus, en pec-
cati mancipium flagellis cædendum: *Ego
in flagella paratus ſum*. Quid autem in-
tendat tam humili proteſtatione, declara-
bit

Humilians ſe, & flagella non recuſans Dauid iram Diuinam auertit

bit. Ambroſius, qui conſiderans hanc ſancti Regis orationem, ab humana commiſeratione, ad diuinam pietatem argumentatur his verbis: *Si Seruulum tuum videas peccata propria confitentem, vltrò offerre ſe pœnæ, ſi inflexeris, ignoſcis: & de Domini miſericordia diffidis?* Eſtne homo Deo promptior ad commiſerandum? Abſit. Sicut ergo nemo adeo ferus eſt, vt videns ſontem ſeruum nudantem ad verbera tergum, accuſantem ſe ſe, dignumque mille ſupplicijs conclamantem, immo deoſculantem humiliter ſui inſtrumenta ſupplicij, nemo, inquam, eſt, qui feritate depoſita, non miteſcat; ita multò magis flectitur Deus, & ignoſcit peccatori, ſi ſe ſe humilem exhibeat, dignumque exiſtimet quocunque flagello. O ſtupendum, ſi fas eſt dicere, artificium humiliantis ſe ſe Regis Iſraël: pronus & prouolutus in genua fatetur, nullum eſſe flagelli genus quod tanquam graue nimis refugiat: *Ego in flagella paratus ſum.* Vt hoc pacto iratum Deum reddat ſibi propitium, nobiſque inſinuet modum quo eripi facilè poſſimus ab omni calamitate: quod vtique fiet ſi demiſſo animo dignos nos eſſe ſupplicijs cenſuerimus. Dicamus ergo, cùm vexamur: *Ego in flagella paratus ſum.*

Seruus nudans ſe ipſũ ad verbera, flectit Dominum.

Quandoquidem autem id nemo clariùs probare poteſt, quàm ipſemet Dauid, ne recedamus hinc, niſi priùs examinemus, cur è tribus propoſitis pœnis maiorem elegerit Rex Iſraël? Notum quippe eſt, datam Dauidi optionem, vt habetur 24. lib. 2. Reg. num. 12. his verbis: *Trium tibi datur optio, elige vnum quod volueris ex his, vt faciam tibi. Cumque veniſſet Gad ad Dauid, nuntiauit ei dicens: Aut ſeptem annis veniet tibi fames in terra tua: aut tribus menſibus fugies aduerſarios tuos, & illi te perſequentur: aut certè tribus diebus erit peſtilentia in terra tua.* De electione à Dauide facta, ſic ſcribit Ambroſius citatus in Gloſſa hic, his verbis: *Contulit ſe ad maiorem pœnam, vt poſſet prouocare clementiam.* Prouocat clementiam Dei, qui tam humiliter de ſe ſentit, vt quoties optionem habet eligendi, ſumat pro ſe ſemper quod peius eſt. Id qui præſtat, euadit diſcrimen, & ſe ſe ſupplicijs eximit. Sic in re præſenti contigit Dauid, cui trium dierum prænunciata peſtis, vix dimidiæ ſpatio diei durauit. Videlicet vix duodecimam ſupplicij electi partem irrogauit Deus. Lege Theodoretum in hunc locum quæſt. 37. in hæc verba: *Trium dierum Deus mortem minabatur, ſex autem horas ſolùm mortem intulit. Si dies autem numerentur cum noctibus, inuenitur pars ſolùm duodecima diminutam illatis eſſe populo.* Vnde, obſecro, iſta ſupplicij contractio? Meo quidem iudicio, ab humilitate. Nimirùm Rex mentis adeò demiſſæ, vt dignum ſe iudicaret ſupplicio atrociſſimo, facilè impetrauit eiuſdem condonationem ſupplicij à Domino, qui conſueuit humiles ab omni aduerſitatis diſcrimine vendicare.

Supplicium atrociſſimũ, ſi voluntariè pro Deo eligatur, prouocat clementiam ipſius Dei.

A

Adeſte, obſecro, & veſtro id experimento firmate Roboam, Ezechias, & Iob. Sanè Iobi cap. 33. Eliu introducit virum iuſtum ſic loquentem num. 27. *Peccaui, & verè deliqui, & vt eram dignus, non recepi.* Attende quia non conqueritur de

B

grauitate plagarum, nec dolet quòd maiora meritis receperit ſupplicia, ſed profitetur ſe grauioribus dignum pœnis, aitque ſe multò minora, quàm meruerat, toleraſſe. Hinc fit vt ſtatim ſubdat: *Liberauit animam ſuam ne pergeret in interitum, ſed viuens lucem videret.* Ibid. ſeq. num. 28. Humilis tolerantia malorum, mala ipſa fugat, & ſuperat. Ezechiam Regem mille morbi angoribus fatigatum, & morti proximum deſcribit ſacra pagina lib. 4. Reg. cap. 20. num. 1. Immo pronunciata Dei nomine mortis hora, eò magis deterritus, quid agat tot obrutus calamitatibus Rex infelix: *Ægrotauit Ezechias*

C

vſque ad mortem: & venit ad eum Iſaias filius Amos propheta, dixitque ei: Hæc dicit Dominus Deus. Præcipe domui tuæ, morieris enim tu, & non viues. Quis vindex tot ærumnis miſerum liberet Regem? Quem tutorem inueniet is, cui poteſtas regia opitulari non poteſt? Sola animi demiſſione patrocinante, atque protegente humilitate, præſens mortis à Deo illatæ periculum euadit Ezechias. Plus poteſt efficere ad liberandum à periculis impij humilitas Regis, quàm dicere valeat os propheticum Iſaiæ. Propheta minatur mortem, reddit humilitas ſanitatem; ille pronunciat pericula, hæc facit incolumem.

Animi demiſſio hominem à morte liberat.

D

Mauult quippe Deus patrocinium præſtare humilibus, quàm prophetis ſuis veracitatem. Ecce tibi obortis Ezechiæ lacrymis, audita humili ægri Regis deprecatione, mandatur Iſaiæ, qui nondum pedem regia domo extulerat, vt nunciet Ezechiæ ſanitatem. Num. 4. & ſeq. *Reuertere, & dic Ezechiæ: Ecce ſanaui te, die tertio aſcendes templum Dei.* Fies incolumis Ezechias, ne timeas. At hoc parum eſt; Iam factus es incolumis: *Ecce ſanaui te;* Quia calamitas, aut periculum ægritudinis nullum habere poſſunt cum humilitate commercium. Regnum Iſraël Roboam regnante, vaſtatum fuiſſe, debel-

Calamitas & humilitas non poſſunt vnà cõſiſtere.

latumque

lanamque, à fortiſſimo exercitu Seſac Regis Ægypti, legimus 2. Paralipom. cap. 12. à num. 1. & deinceps. Regiæ vrbi Ieruſalem extrema clades imminebat, quò ſe receperant regni totius optimates, ac proceres fugientes triumphantis Seſac impetum. Adeſt in ſumma omnium conſternatione Propheta Dei Semeias, nunciatque fore, vt Rex Roboam cum proceribus ſuis debellatus redigatur in ſeruitutem à Seſac Rege Ægyptio. His auditis, humilitate animorum ſedatrice, quotquot aderant, corde, & voce vnanimi quid dixerint, leges citato capite num. 6. in hæc verba: *Conſternatique principes Iſraël, & rex, dixerunt, Iuſtus eſt Dominus.* Hæc duo verba, (quis crederet?) ſupplicia reuocarunt. Numero enim 7. immediatè ſequenti ſubditur: *Quia humiliati ſunt, non diſperdam eos.* Non poterat clariùs dici ad aperiendam, certam à periculis immunitatem tribui ab humilitate. *Quia humiliati ſunt, non diſperdam eos.* Faciemur fortaſſe in re præſenti nos cautiores quàm hactenus fuerimus, aliena pericula: Richardo Victorino Magiſtro, Tyranni Babylonici factum examinemus. Accepit Rex ex Daniele ſupplicium imminens, quod iratus Deus erat illaturus in ſceleſtum principem; de quo ſacer textus Daniel. cap. 2. num. 46. ſic habet: *Tunc cecidit Rex in faciem ſuam, & Danielem adorauit.* Quærit Richardus, cur regia humilitas Dei opem non impetrauit? An non ſolet Deus humilibus præſtò eſſe, eosque ab omni diſcrimine vendicare? Ita ſanè. Verùm ecce Regem humilitate proſtratum, non tamen ſupplicijs liberatum irati Dei. Audi Richardum lib. 1. de erudit. interioris hominis part. 1. cap. 63. in hæc verba: *Tunc cecidit Rex in faciem ſuam, cum Daniele prædicante periculum ſuum agnouit. Sed illa humiliatio, quæ ſine perſeuerantia eſt, imminenti periculo repugnare non poteſt.* Quaſi dicat, ne mirere audiens Regem Babylonis periculum minimè euaſiſſe, licèt humiliatum; humilitatis enim priuilegium eſt, tutum reddere inter diſcrimina: quod & Rex impius fuiſſet expertus, niſi illi humilitatis perſeuerantia defuiſſet. Quandiu humilis es, aduerſa pericula ridebis, quos enim propugnaculum humilitatis defendit, calamitas, aut periculum lædere nequit.

Humilitas tribuit immunitatem à periculis.

Comparat D. Gregorius Saül cum Samuele, hunc inter belli pericula non tutum modò, ſed glorioſum; illum verò fortem licèt atque robuſtum, trepidantem, mentique perculſum ſolo hoſtis aſpectu, immo profligatum confoſſumque hoſtili

Superbus homo ſemper eſt trepidus.

A manu. De Saüle ſanè dici poteſt, quod lib. de corona militis ſcribit Tertullianus cap. 1. *In pace leones, in prælio cerui.* Sic à Goliat prouocatus *ſtupebat, & metuebat nimis*, vt ſcribitur 1. Reg. cap. 17. 11. Iterum infeſto Philiſtæorum agmine, à ſagittarijs confoditur, vt habetur 1. Reg. 31. num. 3. Audi Gregorium in hunc locum: *Cùm tantus, ac talis vir* (de Saüle loquitur) *cur tali fortitudini relinquitur, bella perdidit, quæ pugnaturus acceperat, & vitam pariter amiſit. Samuel autem, qui ſeculi potentia ſublimis non extitit, qui humiliter non ſolùm Deo, ſed etiam hominibus miniſtrauit, de exterioribus quoque*

B *bellis trophæa potenter exhibuit.* Ratio diſcriminis clara eſt: hoſtes debellat Samuel, quia humilis; debellatur ab hoſtibus Saül, quia ſuperbus. Belli alea nil incertius, aut periculoſius; omni tamen periculo liber, ac ſecurus eſt, is qui Samuelis imitatur humilitatem: *Samuel, qui ſeculi potentia ſublimis non extitit, qui humiliter non ſolùm Deo, ſed etiam hominibus miniſtrauit, de exterioribus quoque bellis trophæa potenter exhibuit.*

Humilitas dat fortitudinem.

Sarephtanæ viduæ humilitatem admiratione dignam prædicat Theodoretus. Cùm enim poſt Heliæ ingreſſum in domum ſuam, Viduæ filius obijſſet, hæc ſu-

C pra muliebre ingenium ſapiens, illud acerbæ mortis infortunium non Prophetæ domum intranti, ſed ſibi Prophetam indignè recipienti tribuit: verba mulieris digna quæ commemorentur, & conſiderentur, ſunt hæc: *Quid mihi, & tibi vir Dei? Ingreſſus es ad me vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum.* 3. Reg. 17. num. 18. Mortem ergo tam cari filij, ſuarum ſupplicium iniquitatum aſſerit bona mulier. Sunt, loquitur in hunc modum Theodoretus quæſt. 12. *admiratione digna verba viduæ: Tuo, inquit, lumine aperta ſunt mea peccata, quæ occulta erant. Non dixit: fui-*

Humilitas Viduæ Sarephtanæ ſibi tribuit cauſam mortis filij.

D *ſti mihi malum auſpicium, mala conciliaſti mihi tuos aduentus: ſed potiùs ſuis peccatis tribuit, quod acciderat. Tantum enim, ei profuit Prophetæ doctrina.* Benè eſt, Sarephtanæ viduæ ad admirationem vſque prædicari debet humilitas: ſed tantæ demiſſionis ecquid erit præmij? Illud quod humilitatis eſt proprium, nempè patrocinium Dei, præſens adeò, atque ſenſibile, vt tam dira, tamque luctuoſa domeſticæ orbitatis calamitate illicò liberetur. Vitæ redditus, redditur matri mœſtiſſimæ puer, acerbo funere, niſi potiùs furto ſublatus. Quod periculi genus timeat humilis, ſi morti ipſe timendus eſt,

Mi-

Liæ humilitas & afflictio habet patrocinatorem Deum.

Miſereor tui mæſtiſſima Lia, quoniam deſpiceris à Iacob non merito tuo; cui cùm ſit in amoribus Rebecca Soror natu minor, quis, non dicã oratione, ſed vel ipſo quidem animo complecti queat, quas inter anguſtias gemat Liæ afflictum cor. Verùm bono animo eſto Lia: Sic enim Gen 29.31. *Videns autem Dominus quod deſpiceret Liã, aperuit vuluam eius, ſorore ſterili permanente.* Nota obiter Dei bonitatem permotã fuiſſe ab humiliatione Liæ; *Videns quod deſpiceret Liam*. Videlicet qui nihili ſunt, & deſpiciuntur ab hominibus, Deum habent patrocinatorem. Veriſſimum quippè eſt quod canebat Dauid pſ. 30. *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ*. Humiles quærunt latibula; ſpatiantur in ſuperbientis animi amplitudine elatæ mentes: & propterea humilibus promittit Dei numine Dauid: *abſcõdes eos in abſcõdito faciei tuæ*.

Latebræ humilium ſunt illuſtriores luce ipſa.

Gratulor vobis piè, & humiliter Deũ timẽtes, quandoquidẽ ipſa Dei facies vos abſcõdit: ò latebras luce clariores, ò illuſtres, ò beatos humiliũ angulos! & quid mirùm eſt ſi nullus vos tangat metus, nullum concutiat periculum, cum vos Dei facies abſcondat. Verùm à Liae conſideratione non recedamus, cuius verba, quod proſequimur diſertè docebunt. Dicitur enim cit. cap. ſeq. n. 32. *Quæ conceptum genuit filiũ, vocauitque nomen eius Ruben, dicens: Vidit Dominus humilitatem meã*. Nunc primùm loquitur Lia cum primo partu; fœcũda prole, fœcundior oraculo. *Vidit Dominus humilitatem meam*. Non oratio, non morum integritas, non mactatae victimae non oblatæ hoſtiae, ſed ſola humilitas Dei animũ flexit, vt Liam à domeſticis calamitatum angoribus liberaret. Diſce inter afflictiones gemitum comprimere, diſce ponere querelis modũ inter aduerſa, quando quidem his humiliter toleratis, excitatur, vt ita dicam, Deus ad opem ferendam aerũnoſo. Richardus Victorinus de praeparatione ad contempl. c 8. ſic ſcribit conſiderans Liae partum. *Rectè eo nato, mater eius exclamat. Vidit Deus humilitatẽ meã, eo quod nunc veraciter incipiat videre, & videri; Deum cognoſcere, & à Deo cognoſci; videre Deum per intuitum formidinis, videri à Deo per reſpectum pietatis*. Pendo haec vltima verba. Tribuit humilitas, vt Deum videamus per intuitum formidinis: timet enim Deum, qui humilis eſt, & nullum eſt malum pœnae, quo ſe non reputet dignum verè humilis, quo fit, vt Deus illum videat per reſpectum pietatis. Reſpicit Deus humiles, protegit, tuetur, diuque aſpectu tam benefico tutos reddit.

Humilitas facit videre Deum, & videri à Deo

Nulla ergo nocere poteſt aduerſitas eis,

A quibus Dei oculus vigilat ad cuſtodiam. Feſtinemus ad Montem Nebo, montem vtique celeberrimũ è quo tanquam è ſpecula Promiſſionis terram Moyſi licuit intueri, vt habetur Deuter. 34. n. 1 & ſeq. huius ego praecelſam non tam molem, quàm dignitatem montis ex animo veneror: in hoc quippè non ſolùm video Moyſis tumulum, ſed intrà eundem tumulum Ieremiae manu Arcam fœderis abſconditam ſcio. Legi enim Machab. 2. c. 2. à n. 4. & deinceps: *Exiuit in montem, in quo Moyſes aſcendit, & vidit Dei hæreditatem, & veniens ibi Ieremias inuenit locum ſpeluncæ, & tabernaculum, & arcam, & altare incenſi intulit illuc, & oſtium obſtruxit*. Hiſtoria hæc eſt, in qua tanquàm in emblemate, quid humilibus accidat in hunc modum agnoſce: Arca, & Altare incenſi ſymbolum ſunt animae iuſtae; Arca & Altare in tumulo Moyſis includuntur, vt triplicem euadant captiuitatem, hoc eſt, omnium aduerſitatum congeriem, quàm hoſtilis inſolentia ſolet inferre. Ita etiam anima Deo plena includatur neceſſe eſt intrà ſepulcrale latibulum propriæ cognitionis, vt ſecura viuat ab inuaſione, à rabie, à laniena trium inimicorum, Mundi, Diaboli, & Carnis. Latuit Arca, & hoc pacto tres Tyrannos in populum Dei ſae-

Humilis cõparatur tumulo Moyſis in quo abſconditur Arca Dei.

Cognitio ſui reddit hominem ab inimicis ſecurum.

C uientes Nabuchodonoſorem, Antiochum, Veſpaſianum non ſenſit; nec aliter fugit mala omnia calamitateſque hoſtium ſuorum vir probus, quàm abdendo ſe ſe intra ſepulcrum. Sepulcro quid demiſſius? vt fiat manifeſtum ſolam humilitatem ſeruorum Dei vnicam eſſe liberatricem. Id, niſi fallor, praemonuit vaticinium Iſaiae cap. 26. num. 20. *Vade populus meus, intra in cubicula tua*. ſeu, vt legit. S. Hieronymus. *In ſepulcra tua: claude oſtia tua ſuper te, abſcondere modicum ad momentum donec pertranſeat indignatio*. Quaſi dicat: Indignatio Dei, cum flagella infligit, & brachium furoris extendit omni ca-

Humilis quaſi in ſepulcro abſconditus auertit iram Dei.

D lamitatum genere homines affligens, tanquàm ſubita, & vehementiſſima tempeſtas altiſſimos montium vertices percutit, ſeque confringit, humilia vallium abdita, ſepulcrorumque latibula praeterlabitur. Intra haec abdat ſe ſe quicunque illud Dauidicum verè vſurpare deſiderat: *Humiliatus ſum, & liberauit me.*

IN CAPVT VNDECIMVM.

A Num. XXV. ad XXVIII.

In illo tempore reſpondens Ieſus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita Pater: quoniam ſic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Et nemo nouit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis nouit, niſi Filius, & cui voluerit filius reuelare.

PARADOXVM IX.

Deus noſter Deus eſt paruulorum.

FVSIVS quàm credideram producta oratio facilè ſuadet mihi, vt ſeorſim illuſtrem tertiã hanc partem argumenti propoſiti. Age, ſtatuamus *Deum noſtrum Deum eſſe paruulorum etiam contubernio*; humiles quippè tam in terris degentes, quam in cælis regnantes Deus habet contubernales.

Sapientem illum patrem familias diuino
C ore reſonantem ex animo veneror, & admiror Lucæ 11. dicentem: *Oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili*. Magni Dei repræſentat perſonam, & propterea accommodatius loqui non poterat. Recognoſce qui ſint contubernales Cæleſtis Patrisfamilias: *Pueri mei mecum ſunt in cubili*. An non hic ille idem princeps eſt de quo Ca. 3. Caſtiſſima cecinit ſponſa: *En lectulũ Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi*. Si pueri dicuntur illi qui intra
D tecta tanti Principis excipiuntur, qua ratione fortiſſimi prædicantur? An quia qui præſtat humilitate, fortiſſimus ſit neceſſe eſt ad monſtrum ſuperbiæ profligandum? Id videtur innuiſſe Nyſſenus hom. 6. in Cant. dum ait: *Idem eſt ergo dicere: armatos eſſe circa lectulum, & infantes*. Hiſce non contradico dummodò exponere mihi liceat quod ſentio. Fortiſſimos bellatores, & ad bella doctiſſimos nuncupauit Sponſa eos, qui lectulum ambiunt Salomonis; at cordatus Paterfamilias pueros appellauit quos ſecum eſſe docuit in cubili. Videlicet qui cõmendantur

Contubernales Dei pueri dicũtur, & fortiſſimi. Cur?

dantur à fortitudine, & à tractandorum armorum dexteritate admittuntur intra myſtici Salomonis cubiculum, non ad cubile; admittuntur ad cuſtodiam, non ad contubernium; admittuntur vt milites, non vt contubernales. Haec tantae familiaritatis praerogatiua ſolis conceditur ijs, qui humilitate ſunt pueri. *Pueri mei mecum ſunt in cubili*. Verſatur mihi ob oculos teterrimum illud ſuperbientium animorum monſtrum quod deſcribitur S. Matt. cap. 9. vbi tumefacti Phariſaeorũ animi humilitatis diſcipulos non ſine riſu alloquuntur his verbis: *Quare Magiſter veſter cum publicanis, & peccatoribus manducat?* Audi Innocentem: Phariſæi quaſi iuſti detrectant peccatoribus adnumerari. Quid tumes Phariſæe, quid tibi de mentita integritate blandiris? An non intelligis inſolenti iſta tuæ mentis elatione aditum tibi intercludi ad Dominum Ieſum, qui ſolo humilium contubernio delectatur? Verùm ſatiùs erit excipere Diuum Chryſologum Serm. 30. vaniſſimum hoc hominum genus ſic alloquentem: *Phariſae confitere peccatum, vt Chriſti venire poſſis ad menſam: vt ſit tibi panis Chriſtus, & panis ipſe frangatur in tuorum veniam peccatorum; vt fiat tibi Chriſtus poculum, qui in tuorum delictorum remiſſionem funditur. Phariſae prande cum peccatoribus, vt poſſis prandere cum Chriſto; agnoſce te peccatorem vt tecum prandeat Chriſtus: intra cum peccatoribus conuiuium Domini tui, vt poſſis non eſſe peccator.* Quiſquis Phariſæum conſiderat, alieno diſcit periculo propter ſuperbiam excludi hominem à contubernio Dei: Ergo ſi humilitas, & Dei cubile, & conuiuium facit commune, quis ambigat humilem corde Dei eſſe contubernalem?

Humiles. Dei familiares.

Humiles peccatores conuiuio excipiuntur; ſuperbi Phariſæi excluduntur à Chriſto.

Vt autem rei, quæ præ manibus eſt, veritatem plenius teneamus, liceat à contrario argumentum ducere. Etenim ſi nullum eſt vitium, quod tantam vim habeat ad ſeiungendum à contubernio Dei, quantam habet ſuperbia, ſit profectò manifeſtum præ cæteris humiles corde, Dei eſſe contubernales. Vocat me Rupertus Abbas ad audiendam expoſitionem vtilem æquè, atque ingenioſam in cap. 10. Lucæ numer. 30. vbi dicitur: *Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho, & incidit in latrones*. Ieruſalem cæleſtem eſſe regiam, & Imperatoris maximi ſedem auguſtam nemo eſt qui neget. Quis ergo adeò mente captus inuenitur, qui pedem referat ab Ieruſalem. Siſte ô homo parumper, & quò te proripis? Inter Aulicos magni Dei numeraris; ſub eodem tecto vitam degis, & domicilium tam nobile (ah nimium inconſultò!) deſeris. *Aperiam vobis*, inquit Rupertus, *Cauſam cur homo iſte deſerat contubernium Dei* (Sic enim habet lib. 3. in Geneſ. cap. 1.) *Deſcendebat, quia mente tumebat*. Et mirum non eſt tumore mentis ſeiungi humana corda ab eo, qui ſola humilium conſuetudine delectatur. *Sinite paruulos venire ad me*. Marc. cap. 10. numer. 14. Paruulis patet aditus, quia humilium ſermocinatione, conſuetudine, beneuolentia, contubernio detinetur vſque ad delicias. *Deſcendebat ab Ieruſalem* hoc eſt à Domo Dei, *quia mente tumebat*. Immo quia dicitur in latrones incidiſſe, tantò firmiùs credo à ſuperbia originem ducere tantam ſpreti contubernij Dei calamitatem. Euagrius quippè apud Damaſcenum lib. 3. Parallel. cap. 69. *Superba anima latronum hoſpitium eſt*.

Superbi à Deo, eiuſque Domo recedunt.

Superba anima latronũ hoſpitium.

Accidit mihi iucundus ad aures, iucundior ad cor, Dauidicae cantilenae ſonus amabilis, pſalm. 35. num. 10. Vbi Deo ſuo de more delectatus miro quodam loquendi modo precatur, vt apud eum vitam traducere liceat à quo bonorum omnium eſt origo. Verba Dauid. *Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te: & iuſtitiam tuam his, qui recto ſunt corde. Non veniat mihi pes ſuperbiæ*. Conſidero cauſalem expreſſam per illud *Quoniam*. En ratio cur pedem ſuperbiæ deteſtatur. *Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen; Non veniat mihi pes ſuperbiæ*. Vita nil carius, lumine nil amabilius: Ergo ne lumen, & vitam amittam, *non veniat mihi pes ſuperbiæ*. fons vitæ & lucis Deus eſt, apud quem commorari tam optabile eſt, quam cara lux, vita amabilis. Liceat, exorat Dauid, Dei contubernio frui, ne vita deficiat, ne lux occidat. At, quod remedium? Ecce: *Non veniat mihi pes ſuperbiæ*. Superbia capiti potius iuxta communē ſenſum, quam pedi tribuenda eſſe videbatur. Longè tamen aliter ſentit Rex Iſrael: nimirum, quia ſicuti nulla pars corporis ad ambulandum æquè neceſſaria eſt, ac pes, ita nil ad auocandum ſeparandumque à Deo hominem inueniri poteſt æquè accomodatum, ac ſuperbia. *Quoniam apud te eſt fons vitæ*: Quaſi diceret Dauid: gratulor eò quòd vitam traducam cum eo, & apud eum, vno verbo, eius ſim contubernalis qui fons eſt vitae. Et quoniam ſic ſe res habet, abſit ſuperbia. *Non veniat mihi pes ſuperbiæ*, & omnia

A Deo vitæ fonte, & lumine, pes ſuperbiæ recedit, & ſeparat.

videntur mihi tuta, lux, vita, & quidquid amabile, aut carum habeo. Excipite Auguſtinum tract. 25 in Ioannem ad hæc eadem pſal. verba. *Quia ergo apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen, intus bibamus, intus videamus. Quare enim inde exierunt eſt? Audi; quare. Non veniat mihi pes ſuperbiæ: ergo ille exyt, cui venit pes ſuperbiæ.* Recedit à domo, à conſuetudine, famulatu, à præſentia, à contubernio Dei, qui pede graditur ſuperbiæ.

Huius quod præ manibus eſt capitis Euangeliſtæ Matthæi verba, *Quicumque humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in regno cælorum,* illuſtrat egregiè Diuus Ambroſius, ſiuè Maximus ſer. de Sancto Michaële in hunc modum. *Vnde intelligimus, quòd humilitate peruenitur ad regnum, ſimplicitate penetratur ad cælum. Quiſquis ergo cupit diuinitatis tenere faſtigia, humilitatis ima ſectetur.* Magni Dei domicilium cælum eſt, non quia vbiquè non ſit, ſed quia in cælo tanquàm in ſua ſede dominetur. *Cælum mihi ſedes eſt.* Act. cap. 7. num. 49. Ergo qui intra cæli tecta ſtationem figere cupit, & domicilium ſtabilire, *humilitatis ima ſectetur.*

Per humilitatis ima penetratur ad Cælum:

Deflexiſti, ò Lucifer, à cæleſti regione, hoc eſt, à domicilio Dei in ima ſpecus tartarei abrupta deturbatus. *In cælum conſcendam.* Sic loquitur Iſaiæ cap. 14. nu. 13. Audi quid ſit in votis: ſedem in cælo figere, cum Deo viuere, & ſuperna beatitatis aura frui. Quid ſanctius? Quid rectius, aut optabilius? Dicamus & nos, *In cælum conſcendam:* nullis nempè terrenae vilitatis ſordibus detinebor quin cælum petam. At quæ via eſt, quae ad patriam ducit immortalitatis? Sequitur Lucifer: *Super aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo.* Hanc dum terit viam, non cælum occupat, ſed in infernum praeceps ruit; non intra Dei tecta admittitur, ſed in inferni profundum captiuus detruditur: Ergo propoſitus votorum terminus felix, ſed via fallax. Vnde eodem cap. Iſaiae numer. 15. *Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Optatus exitus quàm diſſimilis? Id quidem ſuo didicit periculo Simon ille Magica famoſus infamia, de quo Sanctus Ambroſius ſerm. 66. ſic ſcribit: *Cum Simon ſe Chriſtum diceret; & tanquàm filium ad Patrem aſſereret volando ſe poſſe conſcendere, atque elatus ſubitò magicis artibus volare cœpiſſet.* Et paulò poſt: *Tunc Petrus velut victum aërem de ſublimi aëre depoſuit, & quodam præcipitio in ſaxum illidens, eius crura confregit, & hoc in opprobrium facti illius, vt qui paulò ante volare tentauerat, ſubitò ambulare non poſſet, & qui pennas aſſumpſerat, plantas amitteret.* Itaque pennis ſuperbiæ elatus non fertur ad ſuperos, ſed deturbatur ad ima, neque Dei domo excipitur qui volat inaniter ſuper ſe.

Per elatæ ſuperbiæ ad infima deſcenditur.

Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles, Luc. 1. dicebat Magiſtra humilitatis. De cæleſti ſede, in qua domicilio Dei æternùm frui licuiſſet Lucifero, fuit deturbatus, & ad eandem exaltati humiles, quibus cum Deo eodem, vt ita dicam, tecto vti datum eſt. Habemus integrum oraculi Dominici ſenſum, *Quicunque humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in regno cælorum.* Humilitas enim non ſolùm ad cælum ducit hominem tanquàm extraneum, ſed tanquàm magnatem, ac principem, vt in cælis Dei ſit contubernalis.

Euoluamus lib. Geneſis cap. 23. n. 6. vbi Hebronitæ magnificentiſſimo titulo Abrahamum conſalutant dicentes: *Audi nos Domine, Princeps Dei es apud nos.* Non appellatur proprio nomine, ſed antonomaſticè, aut encomiaſticè dicitur *Princeps Dei.* Qui nobilior, aut glorioſior excogitari poterat titulus? Sanè nullus. Quis eſt ille Abrahami principatus? num filij Heth Abrahamo adulantur? nequaquàm, ſed iure meritò eum Principem Dei conſalutant. Abraham quippe cum Hebronitis loquens ſingularem præſeferebat humilitatem, eodem cap. numer. 4. dicens: *Aduena ſum, & peregrinus apud vos.* Sic qui humilitate fulget, Principatus Dei & titulò gaudet, & dignitate. Vt hinc intelligamus non tanquàm ſeruos à Deo recognoſci humiles, ſed tanquàm Principes: Principes vtique quibus eadem ferè maieſtas, amplitudo, munificentia communis eſt cum Deo ſuo. Porrò nil aliud eſt contubernium, quàm & domicilium, & bona habere communia.

Humiles, Principes Dei.

Apertam vocor ad pugnam, quà inter ſe ſe diſcrepare videntur Matthaeus, & Lucas, quorum vterque narrat miraculum Centurionis, ſed non eodem modo; Etenim Matth. cap. 8. n. 5. & deinceps ait: *Cum introiſſet,* nempe Chriſtus Dominus, *Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio rogans eum.* Lucas verò cap. 7. n. 6. ſic habet: *Cum iam non longè eſſet à domo, miſit ad eum Centurio amicos dicens &c.* Pugnantia ſunt haec. Acceſſit Centurio, ſi Matthaeum audiamus: Nequaquàm

Fideliſſima humilitas ad Deum ducit

quam Centurio, ſed Centurionis amici acceſſerunt, ſi vera narrat Lucas. Perbellè tantorum Scriptorum cōciliat auctoritatem Auguſtinus lib. de Virginitate cap. 32. *Fideliſſima humilitate magis ipſe acceſſit, quàm illi, quos miſit. Vnde & illud Propheticum eſt: Excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit.* Acceſſerunt Centurionis amici, vt ait Lucas, ſed acceſſerunt pedibus corporis. Acceſſit Centurio, vt ſcribit Mattheus, ſed fideliſſima humilitate. Humilitas quippe non modò ad Deum ducit, ſed tribuit ſtabilem cum Deo manſionem. *Fideliſſima humilitate magis ipſe acceſſit.* Non immeritò humilitas in re præſenti appellatur fideliſſima, B vt intelligamus non vagari incerto pede, qui, vt Deum inueniat, ſequitur humilitatem ducem. Fideliſſima eſt, & certo certiùs introducit ad Deum humilitas. Ideoque repetit, *Sinite paruulos venire ad me* Ducuntur ad Deum; vt per gratiæ communicationem hanc vitam cum Deo traducant, futuram cum Patre, ac Magiſtro humilitatis beatiùs traducturi. Quod idem, Auguſtinus inſinuat conſiderans reſponſum Chriſti Domini, petente matre filiorum Zebedæi, vt filiorū vnus ad dexteram, & alius ad ſiniſtram in regno Chriſti ſederet. Matth. c. 20. n. 22. *Dic vt ſedeant hi*

Humilitas, via ad regnum Cæleſte.

C *duo filij mei, vnus ad dexteram, & alius ad ſiniſtram in regno tuo.* Mirum eſt Chriſti reſponſum. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Calicem quidem meum bibetis.* Regnum poſtulant, calicem porrigit paſſionis. Id præ oculis habens Auguſtinus ſic monet: *Quid oſtendit, niſi eſſe ſe futurum altitudinis largitorem, qui eum Doctorem humilitatis antea ſequerentur.* Commune cum Deo domicilium poſtulant Iacobus, & Ioãnes: id vt obtineant, doctorem ſequantur, humilitatis neceſſe eſt; humilitatis quoque præmium erit cōtubernium Dei. Tanti porrò priuilegij quæ ratio ſit, declarat Baſilius in exhortat. ad fil. ſpirit. his verbis: *Vir humilis Deo* D *eſt ſimilis, & in templo pectoris ſui geſtat eum.* Mirum non eſt ſi Deus humilium gaudeat contubernio, quandoquidem impetrat id ſimilitudo: *Humilis Deo ſimilis eſt*, & hinc fit, vt *in templo pectoris ſui geſtet eum.* Semper coniuncti, ſemper ſimul viuentes; vno verbo, contubernales. Quod cùm ita ſe habeat, ſequemur Platonis conſilium ſanè cordatum, inprimiſque viro ſapiente digniſſimum. Sic autem habet in Theæteto: *Mortalem hanc naturam, & hunc inferum locum, malum neceſſariò circumſtat, & adhæret. Quare conandum, quàm celerrimè hinc illuc fu-*

Humilis Deo ſimilis, eiuſque templum.

A *gere: fuga autem eſt aſſimilatio Dei in quantum poteſt.* Si vir humilis Deo ſimilis, ſi Dei aſſimilatio eripit ab ærumnis humanæ mortalitatis, & nos ad ſuperna transfert, ab exilio ærumnarum ad felicitatis domicilium; vt cum Deo ſimus, vt Deo adhæreamus, ſectemur humilitatem.

Euehit nos ad ſumma beatitatis culmina in cæleſti Ieruſalem, vt Deo conuiuamus, ſi Bernardo credimus. Sic enim ſer. 68. in Can ſcribit: *Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti. Hoc genus lætitiæ cæli neſciuerunt, niſi per Eccleſiæ filios: hoc nemo vnquam lætatur, qui nunquam non lætatur. Audeo dicere, expertem huius beatitudinis ipſam beatam vitã, niſi ſi dignetur fateri, quòd per charitatem ea in me fruitur, & per me. Aliquid ſanè videtur perfectioni illi acceſſiſſe ex me.* Bene eſt. Itaque boni neſcio quid ipſi beatitudini tribuit humilitas, peculiare quoddam lætitiæ genus addit gaudijs beatæ patriae humilitas; immò audeo dicere, paradiſum quendam ſibi proprium, & peculiarem facit humilitas, vt dubitare nemo poſſit de contubernio Dei, præcipuò quodam modo humilibus conceſſo. Quo fortaſſe reſpexit Nicephorus lib. 1. c. 28. vbi conſiderans Chriſtum Dominum ad pedes diſcipulorū abiectum, vt ablueret in vltima cæna, ſic C habet, eius rei rationem reddens: *vt ſimul nouam ſubmiſſionis, atque humanitatis oſtenderet ſublimationem.* Quænam ſublimatio iſta eſt? Sanè non alia, quàm præmium futuræ beatitudinis. *Propterea enim contradicenti Petro minatus eſt: ſi non lauero te, non habebis partem mecū*, vtique in cæleſti regno. Videlicet nouum ſublimationis genus oſtendere volens, rarum humilitatis ſpecimen præbet. Humiles ſunt participes, humiles ſunt collegæ, humiles ſunt conſortes imperij ſempiterni. *Vt ſimul nouam ſubmiſſionis, atque humanitatis oſtenderet ſublimationem.* Sublimata ſanè humanitas Reparatoris Chriſti ab D humilitate, & ſublimata ad ſolium perēnis in cælo imperij, quod cum humilibus vult habere commmune. Vnde Paulus ad Philippenſ. 2. n. 8. *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortē: mortem autē crucis. Propter quod & Deus exaltauit illū &c.* Hunc locū afferens S. Ambroſ. ſer. 20. in Pſ. 118. *Laborauit Apoſtolus*, inquit, *demonſtrare quanta ſit humilitatis gratia, quantus eius profectus. Accipe ergo argutis auribus: Si putas, quòd Chriſto profuit humilitas ſua, cui ergo non proderit? Si illum exaltauit, quem non augebit?* Exaltatum vtique in regno Patris audis Chriſtum Dominum ab humilitate: gaude cr-

Humilitas, beata lætitia.

Humilitas, noua ſublimatio ad gloriam.

Chriſtum exaltauit.

gò quia tu quoque eiuſdem beneficio humilitatis poteris exaltari. Dicamus cum Paulo; *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum: & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris*. Hæc vltima verba pendenda ſunt, declarantia quod potiſſimum exaltationis genus ab humilitate habeatur, nimirum cum regnante in cælis Deo contuberniū. Probè teneo, quod de M. Terentio Romano equite ſcribit Tacitus lib. 6. annal. Hic cùm Tiberium ira percitum, atque excandeſcentem animaduerteret, vt furentem mitigaret, ait. *Tibi ſummū rerum iudicium dij dedere, nobis obſequij gloria relicta eſt*. Obſequium Imperatori ſuo exhibitum gloriam putat callidus aulicus: & nos magiſtra veritate, multò æquiùs arbitrabimur, nil nobis optabilius, aut nobilius poſſe contingere, quàm poſſe nos eius amore demittere, qui & merces, & ſocius humilium Deus eſt. *Tibi ſummum rerum iudicium imperiumque, nobis obſequij, demiſſioniſque gloria relicta eſt*.

Gloria planè, & quidem præſtantiſſima. Vnde à Sancto Dorotheo humilitas, corona dicitur: Sicut enim inter dignitatis inſignia præcipuum corona obtinet locum, ita reliquas inter virtutes humilitas nos coronat, facitque dignos, qui Regis regum & ſocij, & contubernales habeamur, & ſimus. Verba Dorothei lib. de virtutibus animae, doctrina 14. ſunt. *Corona humilitas eſt. Ea enim coronat & ſeruat virtutes omnes, & omnis virtutis perfectio eget humilitate*. Mirum ergo nemini ſit, ſi dixerimus, homines humilitate fieri contubernales Dei. Cùm enim pares cum paribus, veteri prouerbio, facillimè congregentur, conſentaneum eſt rationi, vt is, qui regum eſt Rex, pro aulicorum caterua, capitum coronatorum circumſeptus multitudine ſemper incedat. *Corona* porrò *humilitas eſt*. Quaſi verò

Humilitas, corona.

virtutibus reliquis præcellentes viri longè ſequantur, & veſtigia ſemper adorent Domini dominantium; at qui corona nitent humilitatis, circumſteterit ac circumſepiant, quemadmodum vidiſſe ſe teſtatur Io. Apoc. 4. num. 4. Immo eodem cap. num. 10. dicuntur deponere coronas ad pedes ſedentis in throno. *Procidebant ante ſedentem in throno, & adorabant viuentem in ſecula ſeculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum*. Ea profectò corona, quæ non circumambit tempora, ſed ad pedes deiicitur, humilitatis vtique corona eſt, cuius beneficio fit, vt throno Dei aſſideant humiles, adlecti ad ſecretum ac familiare conſortium ſummi Imperatoris.

Petrus Apoſtolorum princeps, inter pōtifices optimis melior, maximis maior, apud Lucam cap. 5. numer. 8. prouolutus in genua, ſic Dominum alloquitur: *Exi à me, quia peccator ſum, Domine*. Praeclarum ſanè exemplum animi inter proſpera non elati, adeò vt meritò dicat Ambroſius declarans Petri mentem: *Admirabatur dona diuina, & quò plus meruerat, hòc præſumebat minus*. Verùm falleris Petre ignare adhuc Dominum nunc maximè tecum eſſe debere, cùm te putas indignum; humilium quippe eſt contubernalis. Interoga Abrahamum, qui cùm Dei dignus habitus eſt alloquio, puluerem ſeſe ac cinerem profeſſus eſt, probè tenens, familiari Dei conſuetudine, mutuoque colloquio frui non poſſe, niſi qui de ſe humiliter ſentiat. Id Gregorius animaduertit lib. 18 moral. cap. 33. *Sancti quantò magis diuinitatis interna proſpiciunt, tantò magis ſe nihil eſſe conſpiciunt. Nuſquàm legitur Abraham ſe puluerem, & cinerem profeſſum eſſe, niſi cùm meruit Dei locutionem habere*.

Humilior quiſque Deo gratior.

Alloquio, familiaritate, contubernio Dei humiles corde donantur.

✝✝✝✝

IN CA-

IN CAPVT VNDECIMVM

A Num. XXVIII. ad vltimum.

Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.

PARADOXVM X.

Nil peccato laborioſius.

PECCATORVM labore fatigatos, & ſcelerum onere degrauatos compellat hoc loco Chriſtus Dominus; ſi Chryſoſt. Hieronymum, & Auguſtinum ſerm. 1.1. de verbis Domini audiamus. Ergo ad auocandas à peccandi licentia hominum mentes, nil eſſe peccato laborioſius, in praeſentia proſequamur.

Sophonias, dum ſacri partes oratoris agit, vt Iudaeis pœnitentiam ſuadeat, explicat grauiſſimè diſertiſſimèque deuaſtandos à Chaldaeis Philiſtaeos, Ammonitas, Moabitas, Æthiopes, ac prae omnibus Aſſyrios, eo tempore rerum dominos; vt enumeratione tam ferali timere diſcerent Iſraëlitae, & imminentis metu vaſtitatis, facti alieno malo cautiores, reciperent ſe ſe ad bonam frugem. Verùm quia hac inductione parùm ſe ſe proficere animaduertebat; addit argumentum efficacius, petitum à labore, & dolore, quo peccatores peccando afficiuntur. Sic autem habet, poſt enarratam Philiſtaeorum diſperſionem, poſt commemoratum Ammonitarum excidium, Moabitarum funus, Æthiopum exterminium, ſtragemque horribilem Aſſyriorum, c. 2. n. 14. *Et accubabunt in medio eius greges, omnes beſtiæ gentium: & Onocrotalus, & Ericius in liminibus eius morabuntur.* C Attende quid maximè timere debeat peccator, tanquàm grauiſſimum malum, & pernicioſiſſimũ: videlicèt ne Onocrotalus, & Ericius in liminibus cõmorentur. Onocrotalus incõdita, & abſona voce aſinum refert; animal eſt voraciſſimum, teſte Plinio lib. 10. cap. 47. recenſetur inter animalia immunda Leuitici cap. 11. num. 18. En ſymbolum peccatoris, ſatis quidem accommodatum, ſed longè accommodatius, & conuenientius ſine dubio futurum, ſi Onocrotalo Ericius iungatur, animal ſcilicèt, quod onere prolis grauatur; & quia proles aculeis, quibus circumtegitur, matris viſcera D pungit, partum in lucem non emittit, ſed dùm differt in dies, dureſcunt aculei prolis innixae, & pungunt acriùs, adeò vt poſt lacerata matris viſcera (cùm parere ſit moleſtius, & laborioſius) dirumpatur mater miſerandũ in modum. Ericius itaque Onocrotalo iunctus, peccatoris ſymbolum exhibet affabrè concinnatum, cùm peccati ſui aculeis laceretur primò, tũ diſcindatur. O quàm laborioſum portat onus, qui peccatum fouet in corde. Onus ſanè laborioſum adeò, atque intolerabile, vt conſideratum attentè maximam habeat vim ad hominum animos auocandos

Peccator Onocrotalo ſimilis.

Peccator Ericij inſtar ſuis laceratur aculeis.

dos, coërcendoſque à peccandi conſuetudine. Abnuis? At Sophoniae Dei nomine peroranti contradicis; cum Sophoniæ iudicio, non tantam habeant vim, ad reuocandos Iudæorum animos ad pœnitentiam, illatæ, cælo vindice, à Nabuchodonoſore Ægyptijs Æthiopiæ adiacentibus clades; non tanti facienda ſint inflicta à Deo puniente omnia ſuppliciorum genera per Cyrum, & Cambyſem populis ac regnis à vera religione alienis; quanto concuti debent metu Iudæi habentes præ oculis, quàm graue, quàm atrox, quàm dirum ſit genus oneris, quo comprimuntur, cùm immundi in morem anſmantis vitam ſtuduerint, grauari, lacerari, defatigari neceſſe ſit illis iiſdem iniquæ turpitudinis affectibus, quos ſinu complectuntur, & fouent tanquam filios. Verè Chryſoſtomus in pſalm. 13. interrogat, & reſpondet in hunc modum: *Putas quòd peccatores huius mundi non laborent? benè enim maiores labores, & ſolicitudines habent, quàm ſerui Dei.*

Peccatorũ labores.

Exemplo ſuo planè execrando confirmat, quod propoſui, Rex Achaz: maluit enim miſerrimam ſeruire ſeruitutem, tolerando Dæmones, & Tyrannos, quàm diuinis auſpicijs Iſraëli feliciter imperare. Scimus omnes templum Domini proprijs ornamentis denudatum ab impio Achaz, vt ijs palatium regis Aſſyriorum locupletaret. Scimus eundem Achaz prophanum cultum, auſu ſacrilego, antepoſuiſſe veræ religioni. Quid tum? num opem & auxilium à Dæmonibus impetrauit? num Rex Aſſyriae praeſtò fuit, & Regem Achaz vi, conſilio, opibus ſubleuauit? Nequaquam: Immo deſertus à Rege Aſſyriae, percuſſus à Daemone, omni deſtitutus ſolatio, confectus angoribus, oppreſſus moleſtijs, ſuo didicit experimento, quàm calamitoſum ſit, & arduum, quàm durum, & difficile, quàm laborioſum & intolerabile, laxato ſceleribus fræno, ſubire iniquitatis onus, & premi pondere peccatorum. Maluiſti, perditiſſime Achaz, verberari à daemone, quàm à Deo coronari. Satius duxiſti daemones percuſſores tuos in honore habere, quàm Deum colere benefactorem. Ita planè peccatoribus contingit, qui dona Dei faſtidiunt, vt inimici adorent flagella; tunduntur diabolo percutiente, qui poſſent diuino in ſinu placidè, ac molliter requieſcere. Leges 2. Paralip. cap. 28. num. 21. *Achaz ſpoliata domo Domini, & domo Regum, & Principum, dedit Regi Aſſyriorum munera: & tamen nihil ei profuit.* Vtinam non multi inuenirentur, qui ad leuandam vel

Achas experitur quã dura ſit ſeruitus peccati.

A inopiae moleſtiam, vel cuiuſuis imminentis periculum infortunij, rapinis, ac ſacrilegijs quaerant remedium. Sed nihil eis prodeſt, Immo laborem ſubeunt duriorem; & longè grauius portant onus; onus, inquam, iniquitatis, & laborem peccati. Subditur eodem c. ſequentibus n. 22. & 23. *Tempore anguſtiæ ſuæ auxit contemptum in Dominum. Immolauit Dijs Damaſci victimas percuſſoribus ſuis, & dixit: Dij Regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hoſtijs, & aderunt mihi: cum è contrario ipſi fuerint ruina ei, & vniuerſo Iſraël.* Falsò iactitant impij, mentiuntur ſplendidè ſceleſti, cùm aiunt, Chriſtianae legis abiecto iugo, vitam ſe viuere omni curarum anxietate liberam, quouis leuatam onere, omni laboris duritie immunem. Miſeri victimas immolant percuſſoribus ſuis; ſuorum amittant beneuolentiam, vt externorum vexentur tyrannide. Miſeriores, quia vndè praeſidium ſperant, illorum inde ruina, pernicies, atque exterminium. *Cùm è contrario ipſi fuerint ruina ei, & vniuerſo Iſraël.* O egregia peccantium leuamenta! O ſcelestis digna ſubſidia ad mitigandam laborum acerbitatem, & ad duritiem ponderis minuendam!

Miſera peccantium conditio.

Perluſtrare libet exercitum Nabuchodonoſor, & numero militum innumerabilem, & Ducum praeſtantiâ formidandum, & potentiſſima maieſtate Regis ad admirationem vſque conſpicuum. Accedamus ad Tyriorum campos, in quibus Babylonicus monarcha caſtrametatus eſt. Quid cum tàm multo, tàm lecto, tàm forti milite agatur, Ezechiel paucis monebit, cap. 29. num. 18. *Nabuchodonoſor Rex Babylonis ſeruire fecit exercitum ſuum ſeruitute magna aduerſus Tyrum: omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus eſt; & merces non eſt reddita ei, neque exercitui eius.* Seruitus heù quàm magna! Tredecim ſcilicet annorum ſpatio omne caput militum decaluatum eſt, ex continua galearum, & onerum geſtatione; & omnis humerus depilatus eſt, attritus tot ſaxis, tàm ingentibus trabibus humero aduectis, vt molis immenſae excitato ponte Tyrum adiungerent continenti. Et, quod peius eſt, poſt tot labores perpeſſos, poſt tolerata tam dura, poſt tot ſudores, poſt onera tanta, nulla fuit ſeruitutis tàm durae merces, nullum omninò operae pretium. *Et merces non eſt reddita ei.* Quae tàm luctuoſa calamitatum ſcena, quàm miſeriae militum, poſt praeliorum diſcrimina, poſt famem, nuditatem, inclementiam temporum, tot annorum

Milites Nabuchodonoſor confecti laboribus.

norum ſpatio toleratam, exiguae etiam mercedis fructu carentium? O durum militiæ nomen, ô fruſtrà ſuſceptos labores! *Et merces non eſt reddita ei.* Tyrij nimirum tam longa obſidione conſternati, deſperata iam euadendi ſpe, quicquid pretioſi ſupererat ſupellectilis, partim abſumpſerunt incendio, partim terræ mandarunt, partim demerſerunt in mare, partim Carthaginem, & ad alias Ionij inſulas, atque Ægæi Pelagi deuexerunt; quemadmodum ex antiquiſſimis Aſſyriorum hiſtorijs teſtatur Hieronymus. Itaque Babylonij milites, cùm tanto periculo dimicaſſent, cùm tanto labore ſeruiuiſſent, cùm tot difficilia toleraſſent, cùm tot, tantaque portaſſent onera, vrbe iam expugnata, & in ſeruitutem redacta, non modò nihil vtilitatis, ſed ne mercedis quidem receperunt. Tyrij nempè victori Nabuchodonoſori limpidam petram, vt loquitur Hieronymus in Ezech. 23. & 26. n. 4. pro ſpolio reliquerunt. Durum id ſine dubio; ſed longè iniquius, afflictos milites tanto cum periculo ſeruientes, tanto cum labore, onera tàm immania ærumnarum, calamitatumque tolerantes, ab ipſo rege, pro cuius honore certauerant, non modò præmium, ſed ne ſtipendium quidem recepiſſe. Quod ſemel Babylonici regis militibus contigiſſe miramur, ſæpiùs peccatoribus accidere non animaduertimus. Appoſitè Salomon de peccatoris laborioſa ſeruitute verba faciens Eccleſiaſt. 5. num. 15. *Quid ergo prodeſt ei, quòd laborauit in ventum?* Durus labor peccantium, ſed irritus, in ventum; Immo non irritus tantùm, ſed damnoſus: quia, vt Oſeæ cap. 8. num. 6. *Qui ventum ſeminabunt, turbinem metent.* Attende quàm moleſta, quàm grauis ſit ſeruitus peccatorum, qui malo ſuo experiuntur, quàm malè perduntur opes, quàm miſerè atterantur corpora, quàm indignè amittatur libertas, & captiuus animus criminum repetitorum verberibus flagelletur. Iniquiùs ergo, & acerbiùs agitur cum peccatoribus, quàm cum milite Babylonico, de quo ad exaggerandam calamitatem dicitur, *Et merces non eſt reddita ei.* Peccatori reddita quidem merces, & quidem locupletiſſima, laborum, onerum, incommodorum. Audi Chryſoſtomum hom. 34. *Quid hoc Domino acerbius; quandò & opes veſtras, & libertatem, & honorem auferentes, neque ſic ſunt manſueti, neque in ſeruorum ordine vos numerare ſinunt; ſed quouis vernaculo mancipio contemptius vobis abutuntur.* Et tamen, quàm multi ſunt, qui patiuntur, immo expetunt flagrantiſſimè

Militum magna calamitas.

tàm turpe, tàm probroſum, tàm indignum, oneroſumque genus ſeruitutis. Quæris adhuc quale ſit, & quàm durum hoc, de quo loquimur, ſeruitutis genus? Dabo ex B. Theodoro Studita in Biblioth. PP. tom. 9. part. 1. cap. 26. ſerm. Catechet. in fine: *Enimuerò quendam audiui dicentem vitio poſſeſſum, optabilius eſſe ſuſpendio mortem quærere, quàm vitio ſeruire.* Quod explicat paulò poſt in hunc modum; *Geiuere, ac trepidare Caini inſtar videtur, mari deuectus naufragium veretur, per deſerta profectus latrocinium timet: tonat, ac tonitru propter ſe accidiſſe credit; fulgurat, ac ne amburatur pauet; videns non videt; audiens non audit. Quid hac triſtius vita?* Aut certè accipe ex Euſebio Gallicano, hom. 3. de Paſcha ante medium: *Iſte obtemperat iniuſtitia, ille ira: iſte ſuperbia, ille ſæuitia: iſte malitia, ille iracundia: iſte auaritia, ille luxuria. Quid prodeſt, quòd liber eſt in natura, qui ſeruus eſt in conſcientia? videmus nos extrinſecus generis claritate ſublimes, intrinſecus mentis infirmitate degeneres: innocentium dominos, & criminum ſeruos. Iam melior eſt vernaculorum ratio, quos originis videtur inclinaſſe conditio. Habetis boni famuli veſtram conſolationem: pro libertate complectimini honeſtam ſeruitutem. Intolerabile verò peccati iugum, & fœda damnatio, & erubeſcenda ſubiectio.* Ecquis vnquam tolerare queat onus tàm immane, quis portare iugum tàm graue turpiſſimæ ſeruitutis? Seruire ſine mercede, durum; magno cum detrimento, angores inter, pauoreſque, durius; duriſſimum verò oneri intolerabili tantundem dedecoris addere, adeò vt gementis ſub pondere turpitudo par ſit labori duriſſimo. Atque hæc planè eſt ſeruitus peccatorum.

Quàm infelix peccantium ſeruitus.

Peccatoris ſeruitus & dura, & ſine mercede

Et ſanè grauiſſimi inſtar ponderis peccatum comprimere, ſua doctus experientia manifeſtum facit Princeps Apoſtolorum Petrus, qui ſicuti antequam ancipiti dubitatione à vera fide retraheretur, leuis ſuper aquas ferebatur; ità ſtatim atque dubitare cœpit, admiſſi ſceleris pondere degrauatus, parùm abfuit à naufragio, vt legitur Matth. cap. 14. num. 30. Quem textum illuſtrans Hieronymus ad cap. 2. Nahum, ſic ait: *Petrus, qui ante leuis pendulo greſſu calcabat undas, poſtquam infidelitate aggrauatus verabatur, à fluctibus, manu Domini ſubleuatur.* Tantum, ac tàm immane peccati pondus eſt, vt ſola omnipotenti manu ſuſtineri queat. Per mare magnum mortalis vitæ, leuis graditur, qui peccati ſarcina non grauatur

Petrus peccato deprimente demergitur.

tur. Hinc lamentabili voce canebat Rex Dauid, pſalm. 37. num. 5. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue, grauatæ ſunt ſuper me*. Oneri porrò tantundem addit laboris improbitas ex Ieremia cap. 4. num. 14. *Laua à malitia cor tuum Ieruſalem, vt ſalua fias: vſquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Legunt ſeptuaginta: *Vſquequò ſubſiſtunt in te cogitationes laborum tuorum?* O ſemper cognatos ſceleri labores! ò angores ſocio fœdere nexos iniquitati! Magno Gregorio viſi ſunt labores tàm duri Regi Dauid fuiſſe explorati, cùm pſal. 11. num. 9. caneret: *In circuitu impij ambulant*. Ait enim Gregorius lib. 2. moral. cap. 3. *Solet per gyrum circuitus, laboris anxietas deſignari. Hinc per pſalmiſtam dicitur: In circuitu impij ambulant: quia dùm interiora non appetunt, in exteriorum labore fatigantur*. Ergo culpa, & fatigatio; iniquitas, & afflictio, laborioſa anxietas, & criminoſa vitæ ratio ità cohærent, vt ſociæ, vt coniunctæ, vt germanæ, ac gemellæ, iure quidem optimo, prædicentur. Propterea Chryſoſtomus in pſalm. 139. decernit: *Improbitas dicta eſt poneria, ab eo quod ponon, hoc eſt, laborem, & ærumnam poſſeſſori afferat*. Quis igitur non audiat humanæ vindicem libertatis amantiſſimè compellantem: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis*.

Semper ſceleri cognati labores.

Laborioſum porrò æquè, atque oneroſum peccatum eſſe demonſtrat Origenes ex libro Ioſue, cap. 9. ex ſententia à Ioſue in Gabaonitas lata his verbis num. 23. cit. capitis: *Sub maledicto eritis, & non deficiet de ſtirpe veſtra ligna cædens, aquaſque comportans in domum Dei mei*. Par Gabaonitarum fraudi ſupplicium. Audi Origenem hom. 10. in hunc locum ſic monentem: *Vides, quomodò ligni cæſores, vel aquæ geſtatores fieri condemnantur ad obſequium populi, & altaris Dei miniſterium, quoniam quidem cum dolo, & calliditate acceſſerunt ad filios Iſraël, pannis, calceamentiſque veteribus induti, & cibum vetuſti panis ferentes*. Mentiti ſunt Gabaonitæ Ioſue, dicentes, ſe itineris longitudine fatigatos, excuſantes propterea ſiccos ſe attuliſſe panes, & indumenta detriuiſſe; cùm tamen iter illud trium dierum ſpacio confici facilè poſſet. Hinc iure quidem ad cædenda ligna & aquam ferendam damnati. Heu quàm laborioſum ſeruitutis genus. Iam in hunc modum philoſophatur Origenes circa finem cit. hom. *Requiro abs te, ſi libenter velis ex patreſfamilias, & nobili viro in hoc mini-*do *ſeruus effici? Abnuis ſine dubio. Si ergo in hac vita nemo eſſe vult ſeruus; tolerabimus ſeruitutem* (ſcilicet peccati de qua loquitur) *& parùm nobis videtur ſi in ligni cæſoribus, & aquæ geſtatoribus deputemur?* O peccantium labores non fruſtrà modò, quod parum eſſet; ſed indignè, ſed turpiter, ſed nefariè ſuſceptos! Et quidem non ignominioſum tantùm, ſed durum inſuper eſſe laborem peccatorum, idem euincit Origenes hom. 6. in Iſaiam, paulò ante finem: *Peccatum, inquiens, ſecundùm ſcripturas graue eſt. Propter quod ſentiens quis peccata ſua dicit: quaſi onus graue, grauatæ ſunt ſuper me. Et quia grauis eſt iniquitas, propter hoc ſuper talentum plumbi ſedet: vt in Zacharia ſcriptum eſt. Ægyptij autem, non quoniam grauia habebant corpora, ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aqua vehementi, ſed quia anima eorum ad talentum plumbi ſuper quod ſedebat iniquitas, aggrauata erant: propter quod ſubmerſi ſunt, tanquàm plumbum in aqua vehementi*. Nemo hæc audiens, non intelligit quale ſecum pondus ferat peccatum. Euidentiùs tamen, & luce meridiana patebit id clariùs conſideranti, quod aduertit Hieronymus, videlicet Ægyptios viros fuiſſe demerſos aquis, & eoſdem mortuos aquis ſupernataſſe. Vnde de Iſraëlitis leges Exodi 14. num. 31. *Viderunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris*. Miramur, quoties apud Plinium lib. 2. cap. 103. Legimus, in Cantinenſi Hiſpaniæ agro duos fontes iuxta fluere, quorum alter omnia reſpuit, alter omnia abſorbet. At verò quis neget, mirabilius eſſe eiſdem aquis Ægyptios reſpui & eiſdem abſorberi? an grauiora erant viua corpora, quàm cadauera Ægyptiorum? Ita ſanè. Scilicet Ægyptiorum cadauera, licèt onuſta ferro, leuiora tamen erant Ægyptijs viuis; vt notat Hieronymus, quia immani peccatorum pondere grauabantur. Non me latet, quod ſcribit Seneca lib. 3. nat. quæſt. cap. 26. mare ſcilicet cadauera, ſtramentaque, & naufragiorum reliqua ſimilia ex intimo trahere, nec tantùm tempeſtate, fluctuque, ſed tranquillum quoque placidumque purgari. Hoc, inquam, me non latet. Sed malo ab indagatoribus naturæ, quàm ab Hieronymo diſſentire. Heu, quàm oneroſo gemunt ſub pondere qui peccato grauantur! Exod. 15. num. 5. & 10. *Deſcenderunt in profundum quaſi lapis: ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus*. Hic Paulinus compellaret nos verbis iiſdem, quæ ad Amandum olim ſcripſit, Epiſt. 20. in hunc modum: *Peccati pon-*

Non ferenda peccati ſeruitus.

Seruitus peccati non ſola.

Ægyptij viui demerguntur, mortui ſupernatant.

dera

Onus peccati quale.

dere deprimunt, & in inferna deducunt? quàm grauia ſint onera, Propheta teſtatur cùm gemens clamat: ſuperpoſuerunt iniquitates meæ caput meum: & ſicut onus graue grauata ſunt ſuper me. Eia, (verbis vtor Beati Laurentij Iuſtiniani, lib. de obedientia, cap. 5. paulò poſt initium) *nunc expergiſcere, ò homo, excute iugum delictorum tuorum deprimens te.* Quale iugum, Deus immortalis, quàm oneroſum, quàm indecorum, quàm laborioſum! Verùm labor quàm aſper, & onus quàm intolerabile peccatorum ſit, nulla neque grauior auctoritas, neque ſimilitudo expreſſior, aut accommodatior noſtris inſinuare mentibus poteſt, quàm exclamatio illa Chriſti Domini, plena terroris, & minarum, Matt. 24. num. 19. *Væ prægnantibus.* Id eſt, væ animabus grauidis peccatis. Conſidera onus & laborem prægnantium, & ante partum, & in ipſo enixu moleſtijs angoribuſque pleniſſimum. Diuo Hilarium hom. 25. in Matth. ſic diſſerentem: *Non de fœtarum onere Dominum admonuiſſe credendum eſt, cùm dixit: Væ prægnantibus, ſed animarum peccatis repletarum, & oſtendiſſe grauitatem: quòd neque in tecto poſitæ, neque in agro manentes, repoſitæ iræ poteſtatem vitare poſſunt: Dolor enim prægnantes ex natura conſequitur, & partus fine totius corporis relaxatione non ſundatur.* Prægnanti nulla ſpes eſt euadendi labores ærumnoſiſſimos: non medicamentorum varia genera, non blanditiarum inuenta, non locorum mutatio mutare poteſt immutabilem parientis anxietatem. *Quemadmodum mulieres parturientes,* ait Chryſoſtomus in pſalm. 7. *à doloribus diſcerpuntur: ita etiam qui facit dolum diſcerpitur; & non leui aliquo, ſed vehementiſſimo dolore afficitur.* Inſpice tanquàm in exemplari, quid peccatori contingat, & prome quid ſentias de oneroſo labore, & laborioſo onere peccatorum. Aduerte tamen diligenter, antequàm feras ſententiam, onus peccantium longè laborioſius eſſe onere prægnantium; mulieres quippe partu feliciter in lucem edito, quaſi onere depoſito importabili, reſpirant, & quaſi ab anguſtiarum ereptæ naufragio, in tuto veluti, diuque ſuſpirato portu conquieſcunt. Non ſic peccantes, qui partum edunt, ſed onere non leuantur. Quod præ oculis habens eruditus cæleſti ſapientia David, & quidem cum admiratione dicebat: *Ecce parturijt iniuſtitiam, concepit dolorem,* Pſalm. 7. num. 15. Meritò tanquam rei nouæ ſpectaculo raptus in admirationem exclamat Dauid, Ecce! concepit poſt partum, qui parturit iniuſtitiam; & quidem tanto cum dolore portat onus nouæ prolis, vt dolorem ipſum concipere videatur. Me ſanè aliqua tangit commiſeratio, cùm apud Plinium lib. 8. cap. 16. Lego, quod de Leone memoriæ prodidit. Leonem ſcilicet matris lædere aluum in enixu. Sed proh! quantò lacrymabilius ſpectaculum exhibet mens infelici peccati prole onuſta! ſæuius leone peccatum eſt. *Peccatum* nimirum non onerat modò, ac defatigat, non ſolùm dilaniat, laceratque auctorem ſuum in partu, ſed poſt partum inſuper pondere deprimit laborioſiſſimo. Arrigite ergo aures oranti ſalutis humanæ vindici; & væ nobis, ſi non exoranti, ſummæ, hoc eſt, ſuæ charitatis oratione flexanima: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis.*

Quantus peccatis labor.

Peccator ſimilis prægnanti, & parturienti, [illegible]

Leo dum editur in lucem lædit matrem.

Huc reuoca quæ dicta ſunt ſupra in cap 9. à num. 14. ad 18. Parad. 6. Opus Chriſtianæ perfectionis, quò perfectius, eò facilius. Poſt medium. pag. 191.

IN CAPVT VNDECIMVM

A Num. XXVIII. ad vltimum.

Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.

PARADOXVM XI.

Dignitatum cupiditas, vilium animorum affectus. Humilitas generoſæ mentis effectus.

VT à labore hominum animos auocet Princeps clementiſſimus bonitatis Dominus Ieſus, quietem proponit; & non aliam niſi quam parit humilitas. *Qui laboratis & onerati eſtis, inuenietis requiem*, ſi didiceritis ab humili corde, colla iugo ſubmittere. Nec mirum; quia generoſitas humanae mentis in ſola humilitate quieſcit: ſicuti è contrà labores ſubit duriſſimos cupidus dignitatum; quia hę re vera non tàm honores inueniuntur eſſe, quàm onera. Vndè conſequitur viliũ eſſe animorum affectum; qualis eſſe ſolet eorũ qui duris delectari conſueuerunt, ſoliſque occupari vilibus, ac laborioſis.

Age ab hoc ſecundo ducamus exordium. Pro re praeſenti vaticinatum crediderim Oſeam cap. 12. num. 1. *Ephraim paſcit ventum, ſequitur aſtum; tota die mendacium, & vaſtitatem multiplicat.* Loquitur de Samaritis, quorum regnum erat Ephraim. *Paſcere ventum* dicitur, ad inanitatem mentis ſignificandam, quæ (Premium superbiæ, genus vitæ durissimum)

C ventum ambitionis, tanquàm gratiſſimum cibum quærit. Adiungit ſtatim: *Sequitur aſtum.* O viles animas, qui pro vento portant pondus diei, & aſtus; videlicet, vt ſuae ſibi ruinae ſint fabri, duriſſimis laboribus conteruntur. In hunc locum Rufinus: *Samaritæ ſicut falſos Deos, relicta veritate, coluerunt; ita ventis paſti ſecuti aſtum, id eſt, vanitates & perniciem.* Haec penſiculatiùs examinans Bernardus ſerm. 2. de Aſcenſione exclamat: *O peruerſitas filiorum Adam, quia cùm aſcendere difficillimum ſit, deſcendere autem facillimum, ipſi & leuiter aſcendunt, & difficiliùs deſcendunt, parati ad honores, & celſitudines graduum*

D *Eccleſiaſticorum ipſis etiam Angelicis humeris formidandos.* Onera potiùs quàm honores, poſt aſcenſum arduum, ac perdifficilem, ſuperbae mentes inueniunt; & dum ſe natos ad dura, & perpeſſu aſpera produnt, probant demiſſionis ſuae conditionem factam ad aeſtus tolerandos, & ad onera deferenda. (Superbi viles animæ.)

Videtur primo aſpectu ſibi contrarius Rex Dauid pſalm. 130. num. 1. & 2. *Domine (ſic Deum alloquitur) non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei. Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me. Si non humiliter*

ſen-

A *ſentiebam, ſed exaltaui animam meam.* Quid audio? Profitetur cor non exaltari; oculos non extolli, non ambulare ſe in magnis, humiliter ſentire; & ſimul etiam aſſeris diſertiſſime, exaltare ſe animam ſuam. Animam exaltare, non exaltari cor, non videntur cohærere. Soluit dubitationem Zeno Veronen. Antiſtes ſer. 1. in hunc pſalm. his verbis: *Videamus, ne fortè Propheta ipſe ſe impugnet, exaltando animam ſuam, qui cor ſuum ſe non exaltaſſe gloriatur. Non ſibi repugnat, ſed oſtendit animæ eſſe ſublimitatem, ſuperiora viciſſe; animæ enim depreſſio cor elatum eſt.* Addo Paulinum hunc eundem pſalm.

Dauid humilis ſimul & ſuperbus, quomodo.

B explicantem, pro re præſenti, his verbis: *Nonne videbitur diſcordare ſibi Prophetæ ſententia, niſi ita hæc diſcernamus intellectu, ſicut in ipſius ſpiritu, & corde fuere diſtincta?* Et paulò poſt ſubiungit: *Salua humilitate cordis, idem exaltabat animam ſuam, non humiliter ſentiens: quia non terrena ſapiens, Deo mentem habebat affixam, vnicum bonum ducens, Deo adhærere, & ponere in Deo ſpem ſuam.* Hæc Paulinus ep. 21. quæ eſt ſecunda ad Amandum epiſ. circa med. Non pugnant; immò conſequuntur neceſſariò. Cor humile: ergo anima ſublimis. Vilium quippè cordium affectus, ſuperbia eſt: Vilium ſanè, quia pro re viliſſima laborant.

C Vndè Geneſ. 23. num. 8. dicuntur Hethæi elegiſſe ſibi Principem, cui nomen Ephron, ideſt, puluis; quod non animaduerſum modò, ſed reprehenſum etiam fuit à Philone, qui lib. de confuſione linguarum his verbis compellat Hethæos: *Qui cinerem, & puluerem pluris facitis, quàm animam, dum vobis præfeciſtis Ephron; quod nomen ſignificat puluerem.* Sanè multò æquiùs, quod Philo de Hethæis, nos de ambitioſis dicere poſſumus: *Qui cinerem, & puluerem pluris facitis, quàm animam.* Honores enim, quos hi affectant non ſine iactura animæ; dignitates, ad quas anhelant, viliſſimi inſtar pulueris contemnendæ ſine

Dignitates præcelſæ nil aliud ſūt quàm puluis.

D dubio eſſent. *Quid ſunt,* (inquit Gregorius Magnus in poſteriore comment. in cap. 2. Reg. num. 8) *Quid ſunt aliud labentium dignitatum inſulæ niſi puluis: nam eam, quam blandiendo ſordidant, à veris ſplendoribus mentem cæcant.* Quid potuit clariùs dici, ad pateſaciendam eorum cordium vilitatem, qui labores ſubeunt duriſſimos, pro viliſſimo puluere dignitatum. Dicat Dauid: *Exaltaui animam meam, quia non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei; non ambulaui in magnis.* Is quippe, qui humilitate fugiens magna & excelſa, honores deſpicit; animam exaltat. Exaltare animam

A nequit, qui vilibus capitur, & occupatur.

Do plenum cæleſti ſapientia monitum, quod à D. Antiocho accepi, qui Salomonis mentem inueſtigans, in illud Prouer. 6. iuxta lectionem ſeptuaginta Interp. *Vade ad apem, ò piger.* Sic habet hom. 43. *Vir intelligens ingenioſam, & ſolertem imitatur apiculam. Quos externè ſelegerit flores, defert in aluearium, internè mellificium fauumque operoſius conficit. Ne labores tuos humana iſti glorioIæ exponas.* Conſiderata Apis ſecreta ſolertia, aureum promit apophtegma: *Ne labores tuos humanæ gloriolæ exponas.* Mel à Virgilio, Poëtarum Principe, lib. 4. Georg. cæleſte donum nun-

Apes docēt inanis contemptum gloriolæ.

B cupatur. Diſce ab apicula, laborandū eſſe pro cæleſti dono, pro melle diuinæ gratiæ, non pro inani gloriola. Abiectiſſimi, procul dubio, animi eſt, facere ſibi ſatis exigui, viliſſimique pulueris lucro. Pro conficiendo melle, hoc eſt, pro donis cæleſtibus augendis, generoſæ mentes allaborant, quæ exaltant animam, quia extollunt ſeſe ſupra abiectam ſortem cordium ſuperborum.

Verùm id in nullo meliùs, aut expreſsiùs poterit à nobis agnoſci, quàm in Lucifero ſuperborū Principe, atque anteſignano. Audiamus quale meditetur iter, vt aſcendendi cupiditati faciat ſatis. Sic ipſe loqui-

Iouis ſuperborum via.

C tur apud Iſaiam c. 14. n. 13. *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis.* O viam planè inuiam! per nubes, & nebulas, per obſtantia frigora, per ventorū turbines, tempeſtatumque conflictus. Sed quò tantus itineris euadat labor attende: *Super aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti.* Sedebit ergo Lucifer, coram Summo Monarcha, quo ſpectāte cæleſtis imperij principes maxima cum reuerentia ſtare dicuntur? Sed nō mirum; ſuperbiæ cognata ſemper, & coniuncta impudentia eſt. Impudētia porrò, atque audacia ignobiliū homi-

D num, & vilium animorum vitium eſt. Vtinam non multi, dum per obſtātes difficultates extollunt ſeſe, dum audent primas occupare ſedes, non deriderentur, vna cum Lucifero, tanquàm impudentes, atque immorigerati. *Aſcendam, & ſedebo,* quantum laboris, vt indebiti ſedem honoris vſurpet. Vndè contrahit dedecoris turpiorem notam quò plus appetit honorari. *O impudens,* exclamat Deo plenus Bernardus ſer. de S. Benedicto, *ò imprudens! millia millium miniſtrant ei; & decies centena millia aſſiſtunt; & tu ſedebis? Cherubim, ait Propheta, ſtabant, & non ſedebant: Omnes adminiſtratorij ſunt ſpiritus, miſſi in miniſterium, propter eos,*

Superbia cognata impudentia.

Ee qui

qui hæreditatẽ accipient ſalutis:& tu ſedebis. Audiendus eſt S. Petrus Damianus ſer. 52. *Virgo ſingularis*, inquiens, *ſtat à dextris, in veſtitu deaurato: Moyſes, vt videat tranſeuntem Dominum, ſtat in petra: Elias ſtat in conſpectu Domini: Solus ille transfuga ſpiritus, diſſenſionis principium, princeps malitiæ, malorum ſumma, voluit conſidere*, *Sedebo*, inquit, *in monte teſtamenti. Omnes ſtant, & tu ſedere præſumis? Ipſe filius, idem quod Pater, ſedere neſcit, donec dicat ei Pater, ſede à dextris meis*. O fruſtrà, imò malè ſuſceptos ſuperborũ labores. Quid non tentant? quid non moliuntur? quid non audent? Vt tandem impudentiſſima temeritate dignatum apicem ſuffurantes, tanquàm temerarij, & ſuorum prodant animorum ruſticitatẽ, inurbanitatemque, & ab omnibus exibilẽtur. Conſidera ex vna parte cœleſtis curiæ Magnates, ac Senatores, quos vidiſſe ſe teſtatur Io. Apocalyp. c. 7. n. 9. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus &c. Stantes ante thronum, & in conſpectu Agni. Et omnes Angeli ſtabant*. Ex alia parte conſidera ſedẽtem Luciferum: *Sedebo in monte*. Putabis ne ſedentem, ſtantibus honoratiorem? Sanè Chryſoſtomus vnico verbo litem dirimit in cap. 1. Io: *Angelica*, inquiens, *vrbanitas, Angelicam naturam venuſtat, & inurbanitatem Dæmonum condemnat*. Inurbanitatis ignominia, ſuperbæ mentis præmium eſt. *Sic animæ depreſſio, cor elatum eſt*, ex Zenone. *Hic ignobilitatis eſt pulvis*, ex Gregorio. *Ergo ne labores tuos humanæ gloriolæ exponas*, Antiocho admonente. Imò potiùs caue, nedum gloriolam affectas, veluti inurbanus, ac ruſticus notam contrahas dedecoris, ac vilitatis. Vides quàm meritò reprehendat Bernardus filiorum Adam peruerſitatem, *quia cùm aſcendere difficillimum ſit, deſcendere autem facillimum; ipſi & leuiter aſcendunt, & difficiliùs deſcendunt, parati ad honores, & celſitudines*. Eleganter id, & dilucidè proſequitur S. Ambroſius ſer. 20. in pſal. 118. his verbis: *quamuis infirmus aliquis ſit, pauper, ignobilis; tamen, ſi non ſe extollat, & præferat, ipſa ſe humilitate commendat. Sit aliquis prædiues, & nobilis; idem, ſi nobilitatem generis, & diuitias ſuas iactet, inſolentia ſibi vilis eſt*. veriſſimè, & ſanctiſſimè dicitur inſolens ſuperbia, iactantia ſua eſſe propriæ artifex vilitatis.

Vrbanitas Angelorum inurbanitati dæmonũ comparata.

Ignobilis humilitate ſpectandus. Nobilis ſuperbia vilis.

Liceat mihi vti ſimilitudine eadem, qua vſus eſt S. Auguſtinus, quamuis in re non admodum ſimili: ducit autem ſimilitudinem ſuam ab ea ceruorum proprietate, quàm Plinius ſcribit lib. 8. natur. hiſt. c. 32. his verbis: *Maria tranant gregatim nantes porrecto ordine, & capita imponentes præcedentiũ clunibus, vicibuſque ad terga redeuntes. Hoc maximè notatur à Ciliciã Cyprum traÿcientibus*. Vt vides, inter ceruos mare tranantes, qui omnibus præcedit, fatigetur neceſſe eſt, & deprimatur onere, cùm cornua caput premant. Pulchra ſanè ſuperborum imago, quibus ſolenne eſt, præire velle, & anteſtare omnibus; quo fit, vt non tam honore fulgeant, quàm onere fatigentur. Vnum laboris tanti remedium eſt, vt, qui primus eſt, mutatis vicibus fiat poſtremus. Quieſcet humili loco, qui in ſuperbo principatu fatigabatur. Audi Auguſtinum lib. 83. quæſtionum, quæſt. 71. paulò poſt initium: *De ceruis nonnulli talium cognitionum ſtudioſi ſcripſerunt, cùm fretum ad inſulam tranſeunt, paſcuarum gratia, ſic ſe ordinant, vt onera capitum ſuorum, quæ geſtant in cornibus, ſuper inuicem portent, ita vt poſterior ſuper anteriorem ceruice porrecta caput collocet. Et quia neceſſe eſt vnum eſſe, qui cæteros præcedens, non ante ſe habeat cui caput inclinet, vicibus id agere dicuntur: vt laſſatus ſui capitis onere, ille qui præcedit, poſt omnes recedat, & ei ſuccedat, cuius ferebat caput, cùm ipſe præcederet*. Inſiſto in illis verbis: *Neceſſe eſt vnum eſſe, qui cæteros præcedens*. Ergo non voluntate, ſed neceſſitate præcedere quis alijs debet; & ita quidem, vt paulò poſt, ſua electione cedat omnibus, qui neceſſitate coactus præcedebat. Denique ceruos mare traijcientes contemplare, quorum qui ante alios caput attollit, cornua exhibet ſpectatoribus. Fallor, niſi ſæpe contingat ſuperbis mentibus caput attollentibus, vt dum ſibi quaſi de corona blandiuntur, à ſapientibus, veluti de porrectis in altum cornibus, derideantur. Sic dum gemunt ſub onere indecoro, abiectionem ſuam produnt nolentes. Credes ambitioſos appetitu gloriæ non raro fieri ingloriosꝰ? Et tamen id poſſe contingere perbellè innuit Tertullianus lib. de ſpect. cap. 10. inquiens: *Pompeius magnus, ſolo theatro ſuo minor*. Celeberrimum extructum fuiſſe Romæ theatrum à Pompeio, nemo eſt qui neſciat: ſine dubio ad augendam nominis magnitudinem, & ad famæ ſuæ gloriam amplificandam. Et tamen oppoſitum omninò contigit: is enim, qui Magnus dicebatur, theatri excitati amplitudine non Maximus, ſed Minor peracutè dicitur à Tertulliano.

Ceruorum proprietas.

Superborũ defatigatio.

Superbi ſe circumſpicientes cornua detegunt.

Pompeius ſuo minor theatro.

Nemo negabit certum viliſſimi animi indicium eſſe, quærere maximis laboribus rem omninò exiguam, & ſuapte natura maxi-

maximè contemnendam. Id porrò elatorum hominum ſtudium eſt; hæc votorum ſumma cordium ſuperborum. Vndè exclamat Seneca lib. 1. quæſt. natural. in præfat. *O quàm ridiculi ſunt mortalium termini! punctum eſt in quo nauigatis, in quo bellatis, in quo regna quæritis.* Arrigite aures elati dignitatum amatores: Non modò honores, & magiſtratus, non modò faſces, & principatus, ſed regna ipſa, vnius puncti circumſcriptione breuiſſima concluduntur. Clariùs id profeſſus eſt Plinius lib. 2. cap. 68. *Hæ,* inquiens, *tot portiones terræ, immo verò, vt multi tradiderunt, mundi punctus (neque enim eſt aliud terra in vniuerſo) hæc eſt materia gloriæ noſtræ, hæc ſedes; hic honores gerimus, hic inſtauramus bella, etiam ciuilia, mutuiſque cædibus laxiorem facimus terram.* Pende illa verba: *Hæc eſt materia gloriæ noſtræ; hic honores gerimus.* Egregia enimuerò materia gloriæ, & qua inflemur digniſſima. Ad excitandum in noſtris cordibus labentium dignitatum odium, eas pulueri comparauerat Gregorius, vt paulò ante dicebam; adde iam, non modò pulueri conferendos eſſe honores, ſed tam exiguo, tam exili, vt puncti magnitudinem non excedat; *Et hæc eſt materia gloriæ noſtræ: hic honores gerimus: punctum eſt in quo nauigatis, in quo bellatis, in quo regna quæritis.*

Animi honorũ cupidi viles abiectique.

Orbis vniuerſus, punctus.

Lib. 1. Reg. c. 4. n. 10. victi dicuntur profligatique Hebræi viribus Philiſthæorum. Verba text. *Pugnauerũt, ergo Philiſthijm, & cæſus eſt Iſraël, & fugit vnuſquiſque in tabernaculum ſuum: & facta eſt plaga magna nimis: & ceciderunt de Iſraël triginta millia peditum: & Arca Dei capta eſt.* O miſerrimam cladem! Parum ergo fuit debellatos Iſraëlitas fuga ſibi indecora conſulere debuiſſe; parum, laniena tam horrida, cæſa fuiſſe tot hominum millia; niſi etiam à barbaris Arca Dei capta, & captiua duceretur? Verùm vnicum eſt, & quidem ingens in tanta calamitate ſolatium: inter Hebræos tanto pauore conſternatos, vnum inuentum fuiſſe, qui corde imperterrito, ex ipſis barbarorum manibus, tabulas abſtulit teſtimonij, ne mandata legis, Deo dictante conſcripta, retinerentur, magno cum dedecore religionis, cuius amore non dubitauit tam certum ſe ſe in diſcrimen adducere. Id non explicat ſacri textus hiſtoria, ex qua num. 12. habemus tantummodò hæc verba: *Currens autem vir de Beniamin ex acie, venit in Silo in die illa, ſciſſa veſte, & conſperſus puluere caput.* Lyranus in hunc locum aſſerit, Hebræum

A illum fuiſſe Saul, qui neque Ophni, & Phinees morte, neque fuga exercitus, neque inſolentia aduerſariorum deterreri potuit, aut cohiberi, quin perrumperet in hoſtiũ turmas, & teſtimonij ablatas tabulas reportaret; immo verò notat, tabulas haſce ablatas fuiſſe à Saule de manibus Goliath. Verba Lyrani ſunt: *Dicunt Hebræi, quòd fuit Saul, qui capta Arca, videns tabulas teſtimonij in manibus Goliæ, quas ex Arca acceperat, abſtulit de manibus eius, & fugiens reportauit eas in Silo.* Illuſtre ſanè facinus, omnique commendatione digniſſimum. Sed confeias, obſecro, cùm Saule Saulem, re-

B uocans tibi in memoriam quod de eodem ſcribitur lib. 1. Reg. cap. 17. num. 11. in hæc verba: *Audiens autem Saul, & omnes Iſraëlitæ ſermones Philiſthæi huiuſcemodi, ſtupebant, & metuebant nimis.* Mirum ſanè. Saul timore concutitur minacibus verbis Goliæ; & tamen hic ille eſt Saul, qui Goliam non ſolùm aggredi eſt auſus, ſed ex eius manibus teſtimonij tabulas extrahere, & extorquere; non modò cùm inſolentia tumidus iactaret triumphos ſuos, verùm etiam cùm fuſo Hebræorum ſanguine ferox, victore circumſeptus exercitu tripudiaret. Saul quid hæres? cur palles? Quid dubitas? Reuoca

C mentem te dignam. Redde te ipſum tibi, tuæ memor fortitudinis, & generoſitatis. Cur Saul modò tam audax, modò tam meticuloſus? ni fallor, niſi ea ratio ſit diſcriminis, quòd Saul in humili fortuna (erat enim priuatus miles quando Goliam aggreſſus eſt) magnanimus timere neſcit, ſublimis enim animi humilitas eſt: At verò idem Saul ſceptro potens, corona redimitus, dominatu, & regia dignitate ſuperbus (iam enim Rex erat, cùm inſultante Philiſthæo timore concidit) ingenti metu corripitur. Nimirum ſuperbia vilem animum, aut inuenit, aut facit. Sic ſe res habet: ſuperbus animus labore an-

D xius ſemper concutitur, & vileſcit. Mirabatur Bernardus, & meritò, elatos homines, tantas ſubire difficultates. Vndè ſerm. 4. de Aſcenſione dicebat: *Quid vobis, & montibus iſtis, in quorum aſcenſu tanta difficultas eſt, & tam grande periculum? aut cur eum deſeritis montem, cuius facilis eſt aſcenſus?* &c. poſt nonnulla ſubdit: *Quis docebit nos aſcenſum ſalubrem? Quis, niſi de quo legimus; quoniam, qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit? Ab ipſo demonſtranda nobis erat aſcenſionis via; ne ductoris, immo ſeductoris iniqui aut veſtigium, aut conſilium ſequeremur. Quia ergo non erat, quò aſcen-*

Saul inuicta magnanimitate de manibus Goliath aufert tabulas teſtimonij.

Idem Saul eundem Philiſthæum timet, quia Rex factus.

Deus magiſter humilitatis.

Rr 2 deret,

deret, deſcendit altiſſimus, & ſuo nobis deſcenſu ſuauem, at ſalubrem dedicauit aſcenſum. Ergo magna cum difficultate aſcendunt ſuperbi; & quò tandem euadunt tot incommoda, quò perducunt tam ardua, tam difficilia? Nempè in gratiam vilisſimi, abiectisſimique pulueris, & puncti minimi, ac planè deſpiciendi. Vt ventum ſtringant, vt fumum teneant, tot animi angoribus; tanto curarum æſtu iactantur; laboribus adeò immanibus mentis corporisque cõteruntur, & diuexantur.

Quoniam verò vilem animum nil prodit aperſius, ac mores ſeruiles, rem noſtram illuſtrat peropportunè Philo, conſiderans venditum non modò Iſmaelitis, ſed Ægyptijs Ioſephum, Ioſephum, inquam, illum qui ſe prædicauerat adorãdum illuſtri Solis Lunæque hieroglyphico. Geneſ. cap. 37. n. 28. *prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de ciſterna, vendiderunt eum Iſmaëlitis.* In hunc locum Philo: *Rectè autem dicitur, vendi hunc hominem. Nam qui auram populi captans, concionaturus locum ſuperiorem aſcendit, ſicut venalitij, ſeruus fit ex ingenuo; propter honores, quos videtur accipere, addicens ſe innumeris dominis. At emptores eum reuendunt, quoniam non vnus eſt dominus tractantium rempublicam, ſed vulgus, alijs poſt alios dominis ſuccedentibus.* O viles animas, ô ſeruilia ſuperborum ingenia! velint, nolint, dum honores affectant, ſuam produnt viliſſimam abiectionem. Superbus venale mancipium gloriæ.

Videri poſſunt quæ dixi tomo 1. in cap. 6. Parad. 2. pag. 391.

Videatur P. Didacus de Celada de Bened. Patriarch. in Geneſ. cap. 12. ver. 2. §. 155. pag. 194.

IN CA-

IN CAPVT VNDECIMVM

A Num. XXVIII. ad vltimum.

Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me; quia mitis ſum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.

PARADOXVM XII.

Humilitas generoſæ mentis effectus.

ADVRIS ſuperbiæ laboribus facio gradum, ad quietam Chriſtianae humilitatis tranquillitatem, hoc eſt, ad alteram partem noſtrae poſitionis. Mentis humanæ nobilitas, tanquàm in propria ſede, in humilitate quieſcit. Generoſae quippè mentis humilitas eſt.

Iudicum cap. 14. dicitur Sampſon inaudita magnanimitate Leonem aggreſſus, & irruentem feram vi mira dilaceraſſe. Sic à num 5. cit. cap. *Cumque veniſſet ad vineas oppidi, apparuit catulus Leonis ſæuus, & rugiens, & occurrit ei. Irruit autem ſpiritus Domini in Sampſon, & dilacerauit Leonem, quaſi hædum in fruſta diſcerperet, nihil omninò habens in manu*. Bene eſt: in inermi iuuene ferarum Principem dilacerante viuum, inuicti roboris ſimulacrum venerari par eſt. Id equidem mirarer, niſi maius prodigium omnem huiuſmodi ademeret admirationem. Ibidem quippè Sacer textus vnum notat maxima dignum animaduerſione: ſubdit enim: *& hoc patri, & matri noluit indicare*. Cur, obſecro, iuuenum fortiſſimè, parentibus tale negas ſolatium? Impietatis genus eſt, eos, à quibus ſpiritum ducis, recreare nolle, cùm poſſis. Ecquod theatrum dignius tanto facinore excogitari poteſt,

C quod cùm patris amore, aut cùm beneuolentia matris conferendum eſſe videatur? Sed fallor; generoſior fuit Sampſon in contemnenda gloriola, quàm in profligando Leone. Hinc apud Iſid. Clar. leges: *Magnæ indolis indicium, ac generoſi animi, atque parati ad maiora aggredienda, cùm tàm præclarum facinus non curauerit parentibus indicare*. Et quia generoſitatem animi ſolent filij à parentibus haurire: placet recitare ſententiam Hieronymi, Parentes, & quaſi Maiores humilitatis (commentario in cap. 1. Sophoniae) agnoſcentis; & ex interpretatione nominum à Propheta recitatorum declarantis, humili-

Sampſon contempta gloria glorioſior, quàm profligato Leone.

D tatem à fortitudine, à praeſtantia, à magnitudine animi oriri. Sic enim habet Soph cap. 1. n. 1. *Verbum Domini quod factum eſt ad Sophoniam filium Chuſi, filij Godoliæ, filij Amariæ, filij Ezechiæ*. In quem locum ſic Hieronymus: *Iſte ergo Propheta, qui erat in ſpecula, & in ſublimibus conſtitutus, & nouerat myſteria Domini, filius erat Chuſi, qui interpretatur humilitas; habebat quoque auum Godoliam, qui dicitur magnitudo Domini; & proauum Amariam, qui & ipſe vertitur in ſermonem Domini; & atauum Ezechiam, qui ſonat fortitudinem Domini. De fortitudine itaque Domini natus eſt ſermo*

Humilitas à præſtantia animi oritur.

Domini,& de ſermone Domini nata eſt magnitudo Domini, & de magnitudine Domini nata eſt humilitas. Hæc Hieronymus. Ex quo habes, de magnitudine Domini, de fortitudine Domini, tanquàm ex parentibus natam, ducere originem humilitatem. Quid ergo mirum, ſi generoſæ mentis propria dicatur humilitas, quæ tàm generoſis parentibus gloriatur?

Notiſſima ſunt vaticinia Patriarchæ Iacob, vt veriſſima, ſic etiam myſterijs pleniſſima. Nemo enim eſt, qui neſciat Iacob morti iam proximum, filiorum coacta turba, cæleſti afflatu prænunciaſſe ſingulis, quid conſecuturæ poſteritati aduerſi, vel proſperi eſſet euenturum. Gen. 49. cùm ventum eſſet ad Iudam, Tribus præcellentiſſimæ, & à Deo electæ parentem, hoc diuinitùs accepto oraculo protulit num. 9. *Catulus Leonis Iuda: requieſcens accubuiſti vt Leo*. Agnoſco in Leonis emblemate poſteritatis Iudæ prærogatiuam. Regia tribus, & inter reliquas ſceptro ſpectanda, & ſacerdotio, non niſi Rege ferarum potuit adumbrari. Illud debet animaduerti. hæc verba à Caietano legi ex hebræis interpretibus in hunc modum: *Genu flexit ſicut Leo*. Quorſum iſta genu flexio, aut qua de cauſa Leo genu flectere dicitur? Niſi fallor, ad indicandam huius tribus generoſitatē, quæ tanquàm Leo flectere genua dicitur; quia ſicut nullum animal Leone nobilius, ita nihil nobiliſſimo dignius eſt, quàm flectendo genua ſubmittere ſe ſe. Non vilis animi abiectique humilitas eſt, ſed magnanimi, atque præſtantis; ita vt qui, tanquàm Leo, regia præ cæteris gaudet præeminentia, par eſt etiam, vt præſtet demiſſione. *Catulus Leonis Iuda, requieſcens accubuiſti vt Leo; genu flexit ſicut Leo*. Et fortaſsè Patriarcha ſanctiſſimus reſpexit ad demiſſionem ſummam Chriſti Domini, qui morte turpiſſima, & paſſione abiectiſſima ſupra quàm dici, aut excogitari poſſit abiecit ſe ſe. Dicitur tamen Apocal. c. 5. n. 5. *Vicit Leo de tribu Iuda*. Tunc maximè & Leo, & victor, cùm deiecit ſe ſe. Nempè Leoni genuflectere idem eſt, ac requieſcere, ſeù accumbere: *Requieſcens accubuiſti vt Leo, genuflexit ſicut Leo; vicit Leo*. Generoſæ mentis, & cordis magnanimi effectus, humilitas eſt, in eaque tanquàm in propria ſede conquieſcit. Qui tanquàm Leo extollitur ſuprà cæteros maieſtate, & dignitate, nequaquam ſe indignam exiſtimet humilitatem: immò Leo maximè ſpectandus, cùm genua flectit. Ipſe Plinius Traianum Principem ſuum commendaturus dicebat: *Cui nihil ad augendum faſtigium ſupereſt, hic vno modo creſcere poteſt, ſi ſe ſubmittat, ſecurus magnitudinis ſuæ*. Facit ſatis magnanimitati ſuae, qui ſe ſubmittit; tantùm abeſt, vt magnitudo animi, humilitate minuatur.

Humilitas nobilium virtus.

Nobilis demiſſione creſcit.

A

Verùm cur per figurarum ambages id declarare conemur, cùm habeamus expreſſum in Chriſto Domino, quem omnia figurarum emblemata adumbrabant. Matthaeus cap. 1. num. 1. & 2. progenitores Chriſti enumerans ait. *Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Iacob; Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius*. Quærit hoc loco Chryſoſtomus, qua de cauſa Abrahami, Iſaac, & Iacob mentionem faciens Euangeliſta, ſolius Iacob memoret fratres? Profectò, ſi fratres ante natorum pertinent ad genealogiam, cur Iſaac frater ſilentio inuoluatur? *Cuius rei gratia*, verba Chryſoſtomi, *cùm meminiſſet Abraha, atque dixiſſet, quia genuit Iſaac, & Iſaac Iacob, nec fratris eius mentionem facere curaſſet; ad Iacob veniens, non ſolùm Iudam, ſed & fratres eius annumerat*. Idem Chryſoſtomus dubitationi facit ſatis, hom. 3. in Matth. his verbis: *Hic ex contrarijs effulget dignitas Chriſti non quia magnos progenitores habeat, ac parentes, ſed quia exiguos, ac viles. Sublimium quippè illa maxima gloria eſt, ſi poſſunt quàm maximè ſe ſubmittere*. Chriſtiana humilitas facit proſapiam illuſtriorem. Inclitae familiae eſt humilitate gloriari; neque enim tàm decorum eſt Chriſto Domino ducere genus alto à ſanguine regū, quàm exiguos, ac viles homines inter proauos numerare. *Sublimium illa maxima gloria eſt, ſi poſſunt quàm maximè ſe ſubmittere*.

B

Sublimium gloria maxima, ſe ſe ſubmittere

C

Antequàm ad alia gradum faciam, prætermittere hoc loco nec poſſum, nec debeo, quod obſeruaui conſiderans attentiùs catalogum hunc antenatorum Chriſti Domini. Liceat itaque percunctari, quam ob cauſam, ſoli Iudæ filij ex Thamar geniti, nempè Phares, & Zaram, fuerint nominati? An non erat ſatis primogenitum nominare, ſicuti hoc eodem loco fit cum alijs ab Euangeliſta, & fieri ſolet paſſim ab ijs, qui retexunt originem familiarum? Neque dixeris, Phares, & Zaram, ambos recēſendos, quia gemelli nati ſunt; nam Iacob, & Eſau gemellos fuiſſe nemo ignorat, & tamen ſolius Iacob fit mentio. Alia ergo quærenda eſt ratio, quæ quidem accommodata ſatis peti poteſt, ni fallor, à notiſſima hiſtoria, quæ narratur Geneſis cap. 38. num. 27. vbi ſic de gemellis infantulis. *Inſtante autem partu, apparuerunt gemini in vtero: Atque in ipſa*

D

effu-

effuſione infantium vnus protulit manum, in qua obſtetrix ligauit coccinum dicens: Hic egredietur prior. Illo verò retrahente manum, egreſſus eſt alter; dixitque mulier, quare diuiſa eſt propter te maceria? Et ob hanc cauſam vocauit nomen eius Phares. Poſtea egreſſus eſt frater eius, in cuius manu erat coccinum, quem appellauit Zara. Miratur Tertullianus ſic ſcribens lib. de anima, c. 23. *Ecce duplex fœtus in locis matris tumultuatur, & longè adhuc partus. Portentoſa forſitan petulantia infantia, ante certantis, quàm viuentis, ante animoſa, quàm animata.* Sed miretur quicunque conſiderat gemellos, in matris vtero prælian tes; nos interea obſeruemus, Zaram ante fratrem ſuum manum ex vtero matris protuliſſe, quam poſtes retraxit; quaſi is, qui victoriam reportauerat ſponte ſua locum cedat digniorem aduerſario ſuo; & quem vicerat pugnantem, facit ſibi ſuperiorem, iura eidem cedendo primogenituræ. Par itaque fuit, vt tàm Phares, quàm Zara recenſerentur, inter proauos Chriſti; Phares quidem naturæ beneficio; Zara verò prærogatiua humilitatis. Illuſtrem facit Chriſti proſapiam inſignis humilitas, & dignior eſt, qui cenſeatur inter proauos Chriſti Zara, qui humilitate ceſſit, quàm Phares, qui præceſſit primogenitura. Do Chryſoſtomum hom. 3. in Matth. dicentem: *Manum Zara protulit, qui ſecundo egreſſus eſt. Quid igitur hoc ænigmate deſignatur?* Reſpondet ſibi ipſemet his verbis: *Præmiſſa quidem Zara manu, alterum prius egredi, naturale fortaſſe ſit, retrahere verò iſtam, & tranſitum alteri cedere, non iam fiebat lege naſcentium, ſed Dei gratia pueris aderat, ita diſpenſans.* Tam rarum humilitatis exemplum obtinuit, vt non ſolùm Zara reponatur tanquàm æqualis fratri maiori natu, inter auos Chriſti, ſed etiam confert plurimum ad augendum decus familiæ tàm illuſtris. Chriſti nempe proſapia clareſcit humilitate; Etenim, qui potiora defert alijs, ſibi eligens locum humiliorem, non modò non fit conditionis deterioris, verùm etiam fit ſpectabilior, ea virtute, quæ ipſam Chriſti proſapiam, licèt cæteroqui inclytam, nobiliorem tamen faciat, & generoſiorem.

Infantes portentoſi ante certantes, quàm vinentes.

Quantum ſit humilitatis decus.

Neque ſolùm humanae Chriſti genealogiæ, ſed etiam diuinæ decus, & ornamentum humilitas eſt. Quis credat Chriſti Domini à ſummo Patre originem, non gloria miraculorum, non cælesti doctrina, non eximia commendatione ſanctitatis, ſed ſola humilitate comprobari. O humilitatem generoſæ mentis effectum, immo ornamentum! Diſertiſſimè id, & apertiſſimè docet Hilarius, explicans illud pſalm. 138. *Domine probaſti me, & cognouiſti me*; quod ait, dictum fuiſſe de Chriſto Domino, quem cæleſtis Pater non priùs agnouit filium ſuum, quàm auitæ ingenuitatis ſuæ generoſitatem probet, tàm certò, vt nequeat in controuerſiam reuocari. Aſſerit itaque Chriſtus Dominus, ſe probatum ſatis: *Domine probaſti me.* Vbi autem, quando, & quo modo probatus fuerit, audi ab Hilario in hunc pſalmum ſic ſcribente: *Demonſtrandum autem in Euangelio eſt, vbi & probatus, & cognitus eſt. Humilitas itaque eius probatio eſt. Vnigenitus namque Deus peccatorum remiſſor, æterni regni Dominus, baptizari ſe tanquàm peccator expoſuit &c. & peccati noſtri, ipſe peccati neſcius, particeps fieri nõ recuſat, & omnem in ſe humilitatē caduca carnis aſſumens, Iordanem turmis peccatorū mixtus ingreditur. Probatur in iſtis omnibus dum geruntur: ſed videamus, an probatus agnoſcitur: Ait enim Euãgeliſta: Et baptizato Ieſu confeſtim aſcendit de aqua &c. & ecce vox de cælo dicens ad eum: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Probationem mox conſecuta cognitio eſt, & quem humilitas probabilem fecerat, hunc paterna vox filium complacitum ſibi, poſtquàm probauit, oſtendit.* Excelſum ergo, inclytum, diuinum genus probat humilitas, ſine qua vel ipſe natus Deo diuinitatem ſuam probare non poſſet.

Humilitas probatio diuinitatis.

Id ipſum etiam nobis, qui ſumus adoptionis filij, præſtat humilitas. Quemadmodùm enim Chriſtum Dominum de Cælo originem trahere, & Dei filium comprobauit, ita & nos fratres Chriſti minimè degeneres probat, immo facit, iuxta Chriſti Domini mentem, ex S. Chryſoſtomi interpretatione. Expendens enim oraculum illud ſeruatoris Matth. cap. 25. num. 40. *Quod feciſtis vni ex minimis fratribus meis, mihi feciſtis.* Ait: *ſi fratres tui ſunt, quomodo minimos eos appellas? Immo verò ideò fratres, quia humiles, quia abiecti.* Quis neſciat eam eſſe cordis humani generoſitatem, vt accenſis ab ipſa natura igniculis gloriæ, deſiderio ardeat diuinitatis? Sic tanta cum pernicie humani generis, experimento olim compertum eſt, quando ſpe mentitæ diuinitatis, Parens Adam de paradiſi cecidit felicitate. *Eritis ſicut Dij*, (Gen. 3. num. 5.) vaferrimus ſerpens inſinuauit auribus humanis, quia probè tenebat, hominem natiua nobilitate ferri, & vehementiùs

excitari

Humilitas ex hominibus facit Deos.

excitari tantæ dignitatis cupiditate. Felices nos, quos & Chriſti fratres, & Dei filios facit humilitas. *Ideò fratres, quia humiles, & abiecti*. Auſim dicere huc reſpexiſſe S. Baſilium in exhortat. ad filium ſpirit. ſcribentem: *Vir humilis Deo eſt ſimilis, & in templo pectoris ſui geſtat eum; ſuperbus autem, cùm ſit Deo odibilis Diabolo ſimilis eſt*. Pende prima verba: *Vir humilis Deo ſimilis eſt*. Et cùm ſoleant vt plurimùm ſimiles eſſe aſpectu, qui ab iiſdem parentibus duxerunt originem; etiam ex hoc capite ſatis patet, Chriſti fieri fratres, & filios Dei, qui virtute praecellunt humilitatis. Satis equidem demirari non poſſum animaduertens, id etiam Senecæ Philoſopho fuiſſe aliquo modo perſpectum, quemadmodùm viſus eſt indicare verbis illis Epiſt. 42. *Aſſueſcamus à nobis remouere pompam, & diſcamus ſpes effrenatas, & animum in futura enitentem, velut ſub vinculis habere*. Audis? pompas à nobis remouere debemus; hoc eſt, ambitioni, & ſuperbiæ nuncius nobis eſt remittendus. Benè eſt, ſed quorsùm, aut cuius rei gratia? *Vt diſcamus ſpes effrenatas, & animum in futura enitentem ſub vinculis habere*. Nitentis animi conatum in futura, ſpes appellat effraenatas, neque enim intelligit deſtitutus fidei lumine, fieri poſſe, vt cordis humani deſiderijs fiat ſatis, etiamſi nitatur, vt ita dicam, ſupra ſeipſum, cum anhelat, & contendit ad diuinitatem. Hanc conſequemur, ſi didicerimus à nobis remouere pompam. Et ſanè veriſſimè dictum. Vt inter Dei filios cenſeamur, quemadmodùm cupit animus noſter, cùm nititur in futura; Aſſueſcamus à nobis remouere pompas; neque enim poteſt occupatus animus pompis huius vitae, accendi deſiderio illius triumphi caeleſtis, cuius beneficio *filij Dei nominamur, & ſumus*. Nil mente generoſa dignius, quàm ſe Dei filium probare, immo comparare ſibi diuinitatem. *Ideò fratres, quia humiles, quia abiecti. Aſſueſcamus à nobis remouere pompam, & diſcamus ſpes effranatas, & animum in futura nitentem, velut ſub vinculis habere*. Animus ſua natura generoſus, vt acriori deſiderio exardeſcat optatae diuinitatis, omni penitùs peritura careat dignitate, ne gloriola huius vitae detineatur, & decipiatur.

Rem exemplo confirmo, & auctoritate. Auctoritas quidem eiuſdem eſt mox laudati Chryſoſtomi, hom. 70. in Ioan. dilucidè pronunciantis: *Si veram elationem concupiſcis, hic ego te viam docebo; non enim noſti. Qui praeſentibus rebus tanquàm magnis inhiat, is vilis eſt, & abiecti animi. Itaque nunquam humilitas eſt ſine magnitudine animi, neque ſuperbia ſine puſillanimitate*. Honores, dignitates, ſceptra, purpuras, & quidquid humanum vulgus tanquàm praeſtans veneratur, ac praecellens, generoſo faſtidio reſpuit humilis animus, aequa iudicij lance decernens, humanae ſuperbiae decora omnia indigna prorſus eſſe, quae aſpiciantur ab homine ad maiora nato. Huc reuocari poſſunt nonnulla ex dictis à me 1. tom. in c. 6. Par. 2. Do interea promiſſum exemplum deſumptum ex Dione lib. 58. de Seiano Tiberij Imp. gratioſo; ſcribente in hunc modum: *Is homo ſuperbiſſimus, ſtudioſè ab omnibus colebatur, ſalutabatur, deducebatur: omnia enim acriter, & maximè Procerum obſeruabat & verba, & nutus: nā qui propria potentia nituntur, neque ſalutationes, aut hæc obſequia valdè requirunt; et ſi omiſſa fuerint, vitio non vertunt, ipſi nempe ſibi conſcij contemptu ſui hoc non factum. Qui verò fuco, & adſcititio ſplendore vtuntur, ij omnia talia magnopere, & tanquàm ad dignitatis ſuæ culmen pertinentia requirunt, &, niſi conſequantur, grauiter ferunt vt abiecti, & iraſcuntur quaſi iniuria affecti*. Agnoſcat ſeipſum in Seiano, tanquàm in ſpeculo, ſuperbus animus; & fateatur magni animi eſſe oblatos deſpicere honores: ſicuti abiecti eſt, quaerere. Imperatoriam gerunt mentem, qui obſequia negligunt; ſeruilem qui quaerunt. An non ergo iure dicere poſſum generoſæ mentis indicium, immo effectum, humilitatem?

Humilitas ſemper cum magnitudine animi; Superbia cum puſillanimitate.

Seianum abiectum demonſtrat ſuperbia.

A B C D

Accommodatam noſtro inſtituto rationem affert Eucherius lib. 2. in Geneſim examinans praeceptum illud Abrahami vetantis ſeruis ſuis, ne progrederentur vlterius, cùm pergeret ipſe ad montem vnà cum Iſaac immolando cap. 22. num. 5. *Dixitque ad pueros ſuos: Expectate hic cum aſino; ego & puer illuc vſque properantes &c.* An non ſatiùs fuiſſet ſeruos ligna portare vſque ad locum ſacrificij, ne tenellus Iſaac deſatigaretur? Immo verò conſultiùs imperatum eſt à S. Patriarcha, vt cum aſino remanerent. Audi Eucher. *Duo autem ſerui illi dimiſſi, & non perducti ad locum ſacrificij. Iudaeos figurabant, qui, cùm ſeruiliter viuerent, non intelligebant humilitatem Chriſti, ideò non peruenerunt ad locum ſacrificij*. Qui putant abiectae mentis eſſe humilitatem, videant in illis verbis; *Cùm ſeruiliter viuerent, non intelligebant humilitatem Chriſti*; Videant, inquam, quantopere à veritate

Non ſeruilium ſed nobilium animorum humilitas eſt.

ritate aberrent. Cum aſinis ſunt numerandi; qui Chriſti deſpiciunt humilitatem; qua nil excelſius, nil dignius mente generoſa. Agnouit id perbellè in Dauid, & eleganter proſecutus eſt Saluianus lib. 2. de Gubern. inquiens: *Gemmas regias abijcit Dauid, crepantia auro textili indumenta deponit, purpura exuitur, diademate exhonoratur, cultu, & corde mutatur, vſitum regem cum ornamentis ſuis abijcit, prouidum pœnitentem, cum patrocinio ambitioſi ſqualoris aſſumit.* Cùm vides Dauid exuentem purpuram; abijcientem coronam, deponentem ſceptrũ; immo inter ſqualidas pannoſaſque pœnitentiæ veſtes ſordeſcentem, caue, ne animi vilitatem accuſes: nil quippe regia generoſaque mente dignius dici poteſt, aut cogitari, quàm conculcato faſtu, & ambitione abiecta, Chriſti humilitate gloriari. Patrocinio ambitioſi ſqualoris, nil timet Dauid; ſqualore ſiquidem ambitioſo patrocinante, reprehendi non poterit, quaſi regia dignitate indignus; licèt enim ornamenta regia contemnere videatur, fulget tamen, & ſplendet magis pompa ſpectabiliore ſqualoris ambitioſi. Quæ apparet abiectio, pompa eſt; & ſplendor in ſqualore nitеſcit.

Dauid regia reſpuit ornamenta.

B

Et id quidem intellexiſſe quoque viſi ſunt præclariſſimi illi viri, atque ad omnia ſumma nati, qui, cùm præſtantiſſimis reipublicæ honoribus eminerent, cùm regerent imperio populos, cùm ſceptro niterent, & purpura; terram tamen & tractare, & fodere, & vertere non grauabantur. An non Atilius Seranus ad faſces conſulares ab aratro accerſitus? An non Quintius Cincinnatus à paruo, quem colebat, quinque iugerum agro, ad dictaturam euectus? An non Africæ Domitor Scipio Linterni exulans agrum ſuis manibus coluit? An non Marcus Curius acto de Samnitibus triumpho, & Pyrrho debellato, rei ruſticae vacauit? An non Maſſiniſſa Rex Numidiae terram amplitudine vaſtam, ſterilitate infelicem, aſſiduo culturae ſtudio frugiferam reddidit? An non Marcus Valerius Coruinus; ſexies Conſul, ſenectutis honeſtiſſimae, annos in ſerendis arboribus, & ſpargendis ſegetibus, colligendiſque tranſegit? An non Antoninus Pius, Clodius Albinus, Diocletianus, & Theodoſius Imperatores diligenti agrorum cultura celebres, quorum opera terrenas ſupra ſordes euecta terra, gauiſa olim eſt triumphali raſtro, laureato vomere, & caeſareo aratore? Quid, obſecro, ſceptra cum ligonibus habent commune? Quid ruſticorum mapale cum ſella curuli?

C

Seranus

Cincinnatus.

Scipio.

Curius.

Maſſiniſſa.

D

Coruinus.

Antoninus.
Albinus.
Diocletianus.
Theodoſius
Sceptra ligonibus poſthabere.

A

Quid tuguriola viminea villicorum, cum aureis laquearibus Imperatorũ? Quid aratra cum faſcibus? Quid cuſtodia pecorum, cũ dominatu hominum? Quid ruſticani labores, cum delicijs Principum? Nimirùm generoſae mentis effectus, & affectus humilitas eſt: Quò quis generoſâ animâ, & cordis praeſtãtia extollitur altiùs, eò abijcere ſe debet demiſſiùs; vt terram tractet frequentiùs, & colat impenſiùs Chriſtianae ſtudio demiſſionis, qui ſublimiori meritorum praecellentia euehitur ſupra caeteros. Fallor, niſi id eruditorum animis inſinuare voluit Poëtarum maximus Homerus Iliad. 18. vbi in Achillis clypeo apparet caelatus à Vulcano ager ter aratus, ſparſique videntur aratores, meſſoreſque permulti, quibus vxores caenam parant, alijque vina miniſtrant. Quis non iudicet, Achillis inuictiſſimi ducis clypeo longè conuenientiùs repraeſentari vel victrices palmas, vel lauros triumphales, vel de profligatis hoſtibus relata trophæa? Et tamen Homeri, hominis perſpicaciſſimi iudicio, nil tale; ſed vomeres, ligones, aratra, falces. Pro captiuis aratores, pro caeſis hoſtibus coloni, pro bellatoribus videntur agricolae. Nimirùm non vilium animorum, vt vulgi opinio fert, ſed generoſae mentis effectus, humilitas eſt.

Humilitas teſſera mentis inuictæ.

Eleganti dicendi genere exponet Paulinus, quo modo generoſae mentis humilitas ſit; abiectae verò ſuperbia: euocabit nobis in mentem verba, quae ſcripſit ep. 21. quae eſt ſecunda ad Amandũ Epiſc. in hunc modum: *Non niſi timore diuino humiliemur vni Domino; Dominum enim tuum adorabis, & ipſi ſoli ſeruies, cui ſeruire libertas eſt. Nemini enim ſubiectus eſt, qui ſe ſoli Deo ſubiecit. At contra omnibus infimis, vel ſpiritibus, vel alijs creaturis; vel ſuis vitijs, & cupiditatibus ſeruit, qui vult liber eſſe iuſtitiæ. Eſt autem & ſancta ſuperbia, & humilitas iniqua: nam & iuſtificatur ſuperbia, quæ huic mundo ſuperbit, & contemnit hoc ſeculum; Contra autem illa humilitas condemnatur, quæ non ex fide, ſed ex ignauia mentis hominibus adducitur, & humanam gratiam magis quàm ſuam ſalutem curat; mendacij famula, veritatis inimica, libertatis expers iniquitati obnoxia.*

Sancta ſuperbia, & iniqua humilitas.

Videri poſſunt, quæ dixi 1. tom. in c. 1. Parad. 4. & 5. pag. 19. & 26. & cap. 2. Parad. 15. pag. 140.

EVAN-

EVANGELIVM
Secundum Matthæum.

CAPVT DVODECIMVM

1 IN illo tempore abiit Ieſus
per ſata ſabbato: diſci-
puli autem eius eſurien-
tes cœperunt vellere ſpi-
2 cas, & manducare. Pha-
riſæi autem videntes, di-
xerunt ei: Ecce diſcipuli tui faciunt quod
3 non licet facere ſabbatis: At ille dixit eis:
Non legiſtis quid fecerit Dauid, quando
4 eſuriit, & qui cum eo erant: quomodo in-
trauit in domum Dei, & panes propoſitio-
nis comedit, quos non licebat ei edere, ne-
que his, qui cum eo erant, niſi ſolis ſacerdo-
5 tibus? Aut non legiſtis in lege quia ſabbatis
ſacerdotes in templo ſabbatum violant, &
6 ſine crimine ſunt? Dico autem vobis, quia

templo

7 templo maior eſt hic. Si autem ſciretis, quid
eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium:
8 nunquam condemnaſsetis innocentes: Do-
minus enim eſt filius hominis etiam ſabbati.
9 Et cum inde tranſiiſset, venit in ſynagogam
10 eorum. Et ecce homo manum habens ari-
dam, & interrogabant eum, dicentes: Si li-
11 cet ſabbatis curare? vt accuſarent eum. Ipſe
autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo,
qui habeat ouem vnam, & ſi ceciderit hæc
ſabbatis in foueam, nonne tenebit, & leuabit
12 eam? Quanto magis melior eſt homo oue?
13 Itaque licet ſabbatis benefacere. Tunc ait
homini: Extende manum tuam. Et exten-
14 dit, & reſtituta eſt ſanitati ſicut altera. Exeun-
tes autem Phariſæi, conſilium faciebant ad-
15 uerſus eum, quomodo perderent eum. Ie-
ſus autem ſciens receſsit inde: & ſecuti ſunt
16 eum multi, & curauit eos omnes: & præce-
17 pit eis, ne manifeſtum eum facerent. Vt
adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam
18 prophetam, dicentem: Ecce puer meus,
quem elegi, dilectus meus, in quo bene com-
placuit animæ meæ. Ponam ſpiritum
meum ſuper eum, & iudicium gentibus
nunciabit. Non contendet, neque clama-

bit, neque audiet aliquis in plateis vocem
20 eius : arundinem quaſſatam non confrin-
get, & linum fumigans non extinguet, do-
21 nec eiiciat ad victoriam iudicium: & in no-
22 mine eius Gentes ſperabunt. Tunc oblatus
eſt ei dæmonium habens, cæcus, & mutus,
& curauit eum ita vt loqueretur, & videret.
23 Et ſtupebant omnes turbæ, & dicebant:
24 Nunquid hic eſt filius Dauid? Phariſæi au-
tem audientes, dixerunt: Hic non eiicit dæ-
mones niſi in Beelzebub principe dæmonio-
25 rum. Ieſus autem ſciens cogitationes eo-
rum, dixit eis: Omne regnum diuiſum con-
tra ſe, deſolabitur: & omnis ciuitas, vel do-
26 mus diuiſa contra ſe, non ſtabit. Et ſi ſata-
nas ſatanam eiicit, aduerſus ſe diuiſus eſt:
27 quomodo ergo ſtabit regnum eius? Et ſi
ego in Beelzebub eiicio dæmones; filii ve-
ſtri in quo eiiciunt? Ideo ipſi iudices veſtri
28 erunt. Si autem ego in ſpiritu Dei eiicio
dæmones; igitur peruenit in vos regnum
29 Dei. Aut quomodo poteſt quiſquam in-
trare in domum fortis, & vaſa eius diri-
pere, niſi prius alligauerit fortem? & tunc
30 domum illius diripiet. Qui non eſt me-
cum, contra me eſt: & qui non congre-
gat

31 gat mecum , ſpargit . Ideo dico vobis:
Omne peccatum , & blaſphemia remitte-
tur hominibus , Spiritus autem blaſphe-
32 mia non remittetur . Et quicumque di-
xerit verbum contra filium hominis , re-
mittetur ei : qui autem dixerit contra Spi-
ritum ſanctum , non remittetur ei neque in
33 hoc ſæculo , neque in futuro . Aut facite
arborem bonam , & fructum eius bonum :
aut facite arborem malam , & fructum
eius malum : ſiquidem ex fructu arbor
34 agnoſcitur . Progenies viperarum , quo-
modo poteſtis bona loqui , cùm ſitis ma-
li ? ex abundantia enim cordis os loqui-
35 tur . Bonus homo de bono theſauro pro-
fert bona : & malus homo de malo the-
36 ſauro profert mala. Dico autem vobis, quo-
niam omne verbum otioſum , quod locuti
fuerint homines , reddent rationem de eo
37 in die iudicii. Ex verbis enim tuis iuſtifica-
38 beris,& ex verbis tuis condemnaberis. Tunc
reſponderunt ei quidam de Scribis & Phari-
ſæis , dicentes: Magiſter volumus à te ſi-
39 gnum videre. Qui reſpondens ait illis: Ge-
neratio mala , & adultera ſignum quærit :
& ſignum non dabitur ei , niſi ſignum

Ff Ionæ

40 Ionæ prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in
ventre ceti tribus diebus, & tribus noõi-
bus; ſic erit Filius hominis in corde ter-
41 ræ tribus diebus, & tribus noctibus. Viri Ni-
niuitæ ſurgent in iudicio cum generatione
iſta, & condemnabunt eam: quia pœni-
tentiam egerunt in prædicatione Ionæ: Et
42 ecce plus quàm Ionas hic. Regina auſtri
ſurget in iudicio cum generatione iſta, &
condemnabit eam: quia venit à finibus ter-
ræ audire ſapientiam Salomonis, & ecce plus
43 quàm Salomon hic. Cùm autem immun-
dus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per
loca arida, quærens requiem, & non inue-
44 nit. Tunc dicit: Reuertar in domum meam,
vnde exiui. Et veniens inuenit eam va-
cantem, ſcopis mundatam, & ornatam.
45 Tunc vadit, & aſsumit ſeptem alios ſpiritus
ſecum nequiores ſe, & intrantes habitant
ibi: & fiunt nouiſsima hominis illius peiora
prioribus. Sic erit & generationi huic peſsi-
46 mæ. Adhuc eo loquente ad turbas, ecce
mater eius, & fratres ſtabant foris quæren-
47 tes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce
mater tua, & fratres tui foris ſtant quærentes
te. At ipſe reſpondens dicenti ſibi, ait:
Quæ

Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?
49 Et extendens manum in diſcipulos ſuos,
dixit: Ecce mater mea, & fratres mei.
50 Quicunque enim fecerit voluntatem Pa-
tris mei, qui in cælis eſt: ipſe meus fra-
ter, & ſoror, & mater eſt.

I. N. R. I.

IN CAPVT DVODECIMVM

A Num. I. ad IX.

In illo tempore abiit Ieſus per ſata ſabbato: diſcipuli autem eius eſurientes cœperunt vellere ſpicas, & manducare. Phariſæi autem videntes, dixerunt ei: Ecce diſcipuli tui faciunt quod non licet facere ſabbatis. At ille dixit eis: Non legiſtis quid fecerit Dauid quando eſuriit, & qui cum eo erant: quomodo intrauit in domum Dei, & panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, niſi ſolis ſacerdotibus? Aut non legiſtis in lege, quia ſabbatis ſacerdotes in templo ſabbatum violant, & ſine crimine ſunt? Dico autem vobis, quia templo maior eſt hic. Si autem ſciretis quid eſt, Miſericordiam volo, & non ſacrificium: nunquam condemnaſsetis innocentes: Dominus enim eſt filius hominis etiam ſabbati.

PARADOXVM I.

In ſeruis Dei quæ apparent imperfectiones, præclara ſunt opera virtutis.

VELLICANT Phariſæi tàm nudacter, quàm immeritò ſpicas vellentes die ſabbati Apoſtolos, quaſi diuina iura, execranda temeritate violantes. Nimirùm tàm longè à recto tramite, obloquendi libidine abducuntur, vt vituperare, & damnare non dubitent, quæ maximis eſſent laudibus efferenda. Etenim paupertatem euangelicam ſumma laborantem inopia quis non commendet? Apoſtòlicam in duris ferendis patientiam quis non celebret? Præterquam quòd nil ſanctius, aut diuinius perfici poteſt ab homine, quàm Chriſtum humanæ aſſertorem libertatis, & Dauide digniorem, & maiorem templo, & ſabbati Dominum pleniſſimè, diſertiſſimèque profiteri. Hæc porrò in præſentia diſcipulorum eſt mens, ex Chriſti eiuſdem ad Phariſæos reſponſo, iuxta Enthymij & Theophylacti interpretationem. Hic ego reor opportunum, partes ſuſcipere ſeruorum Dei: Adſum itaque ad coërcendam obloquentium temeritatem, demonſtraturus præclara eſſe virtutis opera, quæ primo aſpectu videntur in hominibus iuſtis imperfectiones.

Meridiana, quod aiunt, luce clariùs patet, inter ea, quibus magna hæc rerum corporatarum vniuerſitas coaleſcit, inſignes pietate viros montibus adumbrari. Scilicet chriſtianæ perfectionis profeſſores non magnitudine molis, ſed præſtantia virtutis conſpicui ab ima terrenarum cupiditatum profunditate aſſurgunt, & ſe ſe ſideribus inferunt. Hinc Regius Vates tot, tantiſque, quibus viſibilis componitur mundus, præ oculis habitis, inter omnia montes ſeligit ad ſanctorum typum conficiendum. Sic pſalm 86. num. 1. *Fundamenta eius in Montibus ſanctis*. De

Viri perfecti môribus conferuntur

A noua Hieruſalem, hoc eſt, Eccleſia loquitur excitanda ſuper Apoſtolos, montes vtique altiſſima ſanctitate ſublimes, vt docet fusè Gregorius lib. 28 moral. cap. 6. Imò Hieronymus in c. 14. Iſaiæ montium nomine non ſolos Apoſtolos, ſed eos quoque intelligit, qui in Dei ſeruitute virtutibus profecerunt. Placet porrò ad exornationem iuſtorum ducta à montibus comparatio. Conſulamus naturæ indagatores, & ab eo, quod montes inter, diſcrimen intercedere comperiemus, quid nobis de praeſtantibus ſanctitate viris in eo, de quo agimus, ſit ſentiendum, facilè decernemus. Finge tibi ex vna parte montem,
B qui ita ſenſim cliuo ſallente conſurgat, vt cùm minimè putes, ſentias te conſcendiſſe, quà virentium oliuarum baccis conſitum, quà gemmante vitium multitudine diuitem, quà pompa frondium nitidum, quà florum varietate diſtinctum, vbique Veris honore perpetuo reuirentem. Ex alia verò parte ſtatuamus montem praeruptis lapidibus horridum, denudatum arboribus, dumetis vndique infelici feracitate luxuriantibus ſterilem, nullis aptum frugibus, nulla non ſolùm fructuum vbertate, ſed ne ipſo quidem ſpectabilem proſpectu amœnitatis. Vter illorum montium arridet magis? Vter vi-
C detur alteri praeferendus? Quid mihi in hac re cenſeam ſentiendum, ſic accipito ex Cardano lib. 6. de ſubtilitate, tum ſub initium, tum etiam à pag. 148. ad 158. *Montes ſteriles, aſperi, ſaxoſi metalla condunt, gignuntque pretioſiſſima. Splendidiores gemmæ plerumque duriſſima inter, & maxima montium ſaxa producuntur. Cùm enim montium vis nequaquam arboribus, herbiſque exinaniatur, aptior eſt ad metallorum, gemmarumque generationem. Montes ècontra arboribus conſitos, vitiumque feraces vix metallicis abundare videas; quòd eorum vires exhauriantur ligonibus, minuantur raſtris, con-*
D *terantur aratro, humana denique cupiditate perſpirare cogantur*. Vides quò mea collimet oratio. In Montibus ſanctorum hominum praeſtantem cole virtutem: ea tamen lege, vt ipſa quae videtur ſterilitas fructuum non defectui tribuatur, ſed venerationem pariat præcellentiæ præſtantioris. Scio metallorum diuitias recondi montibus, quibuſdam veluti naturae aeratijs, quemadmodum docent Conimbricenſes tract. 13. Meteorolog. cap. 3. quae ratio eſt ob quam Montes Dalmatiæ ſint auri fertiles, & in Hiſpania Pyrenæi, in Germania Carpatus, in Gallia Cenmenus, in Thracia Rhodope, & Pangæus in Lydia,

Homines ſancti ſterilium inſtar montium ſurum in ſinu condunt.

Ff 3 Imo-

Montes metallis diuites quinam.

Imolus in India montes, qui Capitalia vocantur, ſunt metallorum feraces. Id quidem ijs, de quibus loquimur, cõgruit montibus, qui viuido charitatis pallore cò ditiores ſunt, quò in oculis hominum minùs nitent. At hoc commune omnibus; illud peculiare pro re præſenti: montes ſaxis obſitos duriſſimis, vt ad eruendum difficiliores, ita ad largiendum liberaliores eſſe. Nimirum non aurum ſolum aut metalla, ſed gemmas nobiles, ſed perfectiora recondunt foſſilia, aliaſque generis humani diuitias, & delicias montes illi, qui honore arborum deſtituti vileſcunt, ſed iudicio imperitorum. Interrogas iam, (B) qua ratione ij qui videntur defectus in perfectioribus viris, virtutes ſint habendæ præſtantiores? eſt in promptu reſponſum; & illud quidem facile atque obuium. Eo planè modo quo ex fructuum, frugumque defectu in ſaxoſis montibus, auri, gemmarum, diuitiarum omnium debemus facere coniecturam; Summo Dei conſilio ita factum eſt, vt viri ſanctiſſimi leuiuſculis quibuſdam labeculis maculati videantur: primo aſpectu iudicabis rudem, ſeuerum, modò æquo triſtiorem, modò ſolito hilariorem cenſebis hominem Chriſtianæ ſanctitatis ſtudioſum. Si ſapis, caue damnes quem obſequio religioſiore venerari par eſt, (C) ex hoc ipſo capite, quo videtur non nemini redarguendus.

Vt rei veritas fiat exemplo manifeſtior, adducamus in mediũ par nobile Heroinarum Iudith, & Eſther, quæ prima facie videntur inter ſe diſſentire, cùm pietate ſint ac religione ſimillimæ. Vtramque contemplor pretioſiſſimis indutam veſtibus, ditiſſimis ornatam monilibus, vno verbo regio cultu, maieſtateque ſpectabilem. Quid vtraque de ſe ſentiat audiamus. Et Eſther quidem veſtium nitore fulget, & intimo cordis angore conficitur. Diſplicet ipſa ſibi, cùm pompa gemmarum mentis demiſſioni repugnet. (D) Micat auro, & queſtubus diſrumpitur, auerſatur quippe Erythreos vniones, quæ ſolis pœnitẽtiæ lacrymis, vbertim gemino oculorum fonte manantibus cuperet exornari. Vnde ſe continere non poteſt, quin Deum compellet cap. 14. num. 16. *Tu ſcis Domine neceſſitatem meam, quòd abominer ſignum ſuperbiæ, & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ, & deteſter illud, quaſi pannum menſtruatæ, & non portem in diebus ſilentij mei.* Vtinam in Eſther, tanquàm in ſpeculo perſpicerent mulieres, quàm abominabilis eſſe debeat mundus muliebris, & fœmineus ornatus, mentis fœmineæ deliciæ exe-

Eſther regalem veſtiũ ornatum faſtidit.

(A) crandæ. In eadem omninò re, quàm diuerſè ſentiat Iudith, nemo poteſt ſine admiratione animaduertere: ſic enim loquitur cap. 10. num. 3. *Abſtulit Iudith à ſe cilicium. Vnxit ſe myro optimo, & diſcriminauit crinem capitis ſui, & impoſuit mitram ſuper caput ſuum, & induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ, induitque ſandalia pedibus ſuis.* Quod Eſther deplorat, adornat Iudith; & quod illa abominatur, hæc quærit. Iudith paulò ante malè compta, cilicio horrida, funebri viduitatis veſte pullata; mox abiecto ſqualore, tota ad vnguem nitida, benèque depexa, natiuæ oris pulcherrimi elegantiæ mille pigmentorum (B) vnguentorumque lenocinijs ablanditur. Siſte parumper, & vtraque hac muliere conſiderata diligentiùs, prome quid ſentias. Nunquid minùs innocens Iudith, quia magis ornata? At corporis ornatus non rarò index eſt animæ ornatioris. Nunquid fluxarum amore vanitatum capitur Iudith pompa muliebri tam varia, tam concinna, tam venuſta ſpectabilis? At perituris blanditijs capi non poteſt ea, cui ſolus Deus eſt in delicijs. Nunquid pretioſæ veſtes inopis animi indices ſunt? At animatum Dei templum etiam in externa facie ornari par eſt. Nunquid malè olet Iudith, quia vnguentis delibuta (C) benè ſemper olet? At incorruptus is odor eſt, quem ſuis precibus halat Iudith: innoxius eſt vapor ille aromatum Angelicis manibus, orante Iudith, in conſpectum Altiſſimi deportatus. Ne erres; ſuauis odor non raro morum indigitat ſuauitatem; cultus corporis, animi perſæpe nitorem annunciat, & nunquam torques aurea facit captiuum, quem ligat catena caritatis. Mihi, vt verum fatear, Eſther non eſt ſanctior Iudith; Illa ne pereat mãcipium vanitatis, ſigna ſuperbiæ ſuæ, quando abijcere non poteſt, deplorat; Iſta quærit, & induit, vt perimat ſuperbiae monſtrum Holofernem. Illa abominatur hu(D)manae inanitatem gloriae; haec vt hominum oculos trahat ad ſe ſe, vt plauſum excitet, ſedulam impendit operam. Sed Eſther vt ſecreto ſilentio vacet ſibi; Iudith vt dimicet Deo. Salue ò Iudith mihi ſemper religioſo obſequio veneranda; Cilicium exuis, ſed vt induas armaturam Dei; domo egrederis, ſed vt hoſtem aggrediaris. Et negabis praeſtantiora eſſe monumenta virtutum, quae inſipientium oculis, quae imperitorum iudicio tanquam reprehenſione digna, ſed immeritò, condemnantur. Ego ſanè Auguſtinum praetermittere non debeo Iudith veriſſimè, & accommodatiſſimè his verbis exornantem

Iudith mũdo muliebri ſe ſe concinnat.

Eſther veſtimentorum luxum deteſtans haud ſanctior Iudith ſe pigmẽtis ac veſtibus exornante.

nantem ſerm. de Iudith: *Licuit mulieri exarmare iuuenes, debellare victores, & barbarum ſubuertere bellatorem cum palmifera caſtitate Iudith ad ciues ſolicita feſtinat.* Videlicet non raró, quae tanquam proſtituta vituperatur, palmifera caſtitate triumphat.

Probè teneo quod tradit Braſauolus in examine terrarum, de ea terrae herba, quam nonnulli terrae ſtellam vocant, vulgò lunaria dicitur. Habet haec rotundam foſſiculam: paruulum quidem, ſed pretioſum lucis ſeminarium dicere minimè dubitauerim: Ea etenim conduntur ſemina, quae, cùm folijs dilatatis noctu hiaſcat, lunares radios tam audè recipit, vt lucentes ſtellas æmulari quodammodò videatur: Hinc ſtella terrae nuncupatur. Illud de ea recolere ſine admiratione non poſſum, quòd lunariam aſpicientes incolae imperiti, monſtroſum vti prodigium, & quaſi praeſtigijs veneficijſque compactum, pauidi fugiant, & perterriti auerſentur: Miſeri planè quos lux ea, quae è caelo delapſa recreare deberet, deterret miſerandum in modum, atque perturbat. Simile quid contingere mihi videtur probis hominibus, qui caeleſti perfuſi luce, quaſi terrenae ſtellae colendi eſſent; tamen, neſcio quo pacto, vituperantur ſaepe ſaepius ex eo etiam capite, quo commendandi ſummoperè viderentur. Nimirum imperitorum hominum iudicium eſt, & tetra errorum caligine laborantium, illud tribuere vitio, quod verecundam potiùs conciliare deberet venerationem. Iidem qui ſupernae ſunt lucis radij amabiles, tanquam labentia fulmina concutiunt & percellunt, ſed imperitos, ſed rudes, ſed nocturnis tenebris obuolutos: Naturae, imò gratiae miraculum eſt, quod tanquam è tartaro monſtrum erumpens, perhorreſcis: lunaria eſt camporum ſtella, & viridantium decus herbarum, quam humana facit imperitia portentoſam.

Inſueta lunaris herbæ proprietas opus veneficio confectum, ab inſcijs exiſtimatur.

Vellicant aures, Mariæ cum Aarone fratre de Moyſe obloquentis, importunæ obtrectationes, eaſque excipere cogimur vel inuiti. Maria, & diuinas leges parui faciens, & fraterni iura amoris auſu temerario conculcans, Moyſen & probitate inſignem, & populi imperio illuſtrem, & Dei alloquio venerandum muliebri lacerat dicacitate: Querimoniarum materiam vxor Moyſis Æthiopiſſa ſuppeditauit: ſic enim Numer. cap. 12. n. 1. *Locutaque eſt Maria & Aaron contra Moyſen propter vxorem eius Æthiopiſſam.* Hæc Æthiopiſſa eſt illa Sephora Madianitis, filia Iethro, cum qua tanquam

Mariæ & Aaronis in fratrem Moyſen obtrectationes

A cum æmula, & maximè exoſa, ſimultates exercuiſſe grauiſſimas. Mariam ſororem Moyſis vt certiſſimum eſt, ita controuerſum & omninò incertum, vndè diſſidia huiuſmodi originem duxerint. Placuit mihi ſemper eorum opinio, qui docent Mariæ & Aaroni Sephoram fuiſſe inuiſam, quòd, cùm deformis eſſet, alienigena, obſcuris nata parentibus, indignam cenſuerint conſortio Moyſis; proptereaque omnem mouerunt lapidem vt eam Moyſes dimitteret; Moyſes autem dictis Mariæ & Aaronis minimè obediens, hæc, & ſimilia illis vrgentibus, forſan etiam acriùs exprobrantibus, mira prorſus

B manſuetudine reſpondit, licèt vltrò, atque immeritò laceſſitus: Pudeat te, ò Maria, fratri amãtiſſimo, & præſtãtiſſimo Duci ignominiæ notam inurere; Pudeat eum verbis violare, quem verecunda veneratione non proſequi, piaculum eſt: ſi te fraternus non mouet amor, coërceat reuerentia principis, teque in officio contineat Dei in terris vices gerentis auctoritas veneranda. Errani. Pudeat te potiùs, ò Maria, de eo Moyſen reprehendere, ob quod ſummis eſſet laudibus efferendus. Didicerat Moyſes, Deo reuelante, nequaquam licere ſine grauiore cauſa vxorem dimittere, ideòque ſatius ducit

C Deo obtemperare; quàm Mariæ, quàm Aaroni ſuadentibus ſatisfacere: imò maluit Deo iubenti placere, quàm ſibi. Non parùm mariti dignitatem mulier alienigena minuebat, conquerebantur hac de re conſanguinei paſſim, nobiliorem, elegantioremque ſponſam Moyſi proferebant: non tamen vir propoſiti tenax à recto virtutis tramite potuit auocari. Abnuit Moyſes, & reprehenditur: reprehendendus profectò ſi annuiſſet. Heu quoties ſanctis viris contingit, vt de eis detrahentes tribuant vitio, quod laudi dandum eſſet. Sanctior eſt Moyſes alienigenæ Æthiopiſſae coniugio, quàm vxo-

Moyſes orantibus Aaroni, & Mariæ, vt Sephoram vxorem dimittat, minimè paret.

D re alia quacunque ducta ex populo Dei, claris licet orta parentibus, & inſigni morum probitate ſpectanda. Quòd ſi nobis fortè contingeret quod Moyſi contigiſſe memoramus, Paulini ad Seuerum epiſt. 6. paulò poſt initium monitum verè aureum menti non excidat. *Non moueantur, frater dilectiſſime, pedes noſtri à vys Domini, & tramite itineris anguſti, ſi nos interdum profana, vel ſtulta quorundam ſecularium verba circumlatrent: inſtructi enim ſatis per ſacras litteras, & de ipſis, & de nobis ſumus. De his enim beatus Apoſtolus nobis ait. Quia in hoc laboramus, & maledicimur, quoniam ſperamus*

in

in Deum viuum, qui iſtorum etiam ſuo in Euangelÿs ore, & venena in colloquÿs, & merita predixit in pœnis. Hoc ſeruorum Dei decus eſt, fatigari glorioſiſſima laborum tolerantia, & maledici obtrectatorum audacia. Hoc dedecus obloquentium, vt infectis veneno colloquijs aggerent ſibi pœnarum cumulos, dum alienam exiſtimationem carpunt tàm faciſè, quàm impudenter. Errant, & quidem toto caelo, qui prima decepti ſpecie improbant mordaciùs, quae amplioribus eſſent laudibus extollenda, ſi rem totam aequa iudicij lance librarent. Atque hic ego è ſacrarum litterarum monumentis teſtes appello ſacrorum Coriphaeos, & ſanctitatis anteſignanos. Epulatur Abraham; ſtertit ſomno ſepultus arrepti oblitus itineris Iacob; Serpentinam vibrans in aëre virgam Moyſes ſuis euulſam ſedibus naturam ciet, ac concutit; Choreas ducit cum cantoribus Dauid; Conuiuio in Cana Gallilææ Chriſtus excipitur; Maria grauida deprehenditur à marito Sed nunquid adultera, virginitatis norma Maria, quae plena eſt Deo? Nunquid vini potator Chriſtus, qui nuptialibus accumbit lautitijs, vt mortalitatis noſtrae inſtabiles aquas in vinum permutet ſanctitatis minimè deficientis? Nunquid ſaltator Dauid, qui animo exultante, religioſo coram arca geſtire tripudio cogebatur? Nunquid faeuus, ac truculentus Moyſes, qui virorum mitiſſimus caeleſti oraculo praedicatur? Nunquid rhonchiſſat inerti victus deſidia Iacob, dum vigili mente cælum petit? Nunquid helluo Abrabam, qui hoſpes eſt Angelorum, & commenſalis Dei? Caecutit enimuerò in ſole, qui ſanctos viros audet redarguere in ijs etiam, quae videntur primo aſpectu reprehendenda. Hebraei Ephaebi in aula Babylonici Tyranni praecellunt caeteris, cute benè curata pinguiores, nitidioreſque ſocijs: & tamen non modò vetitis menſae regiae cibis abſtinent, ſed affligant ſe ieiunio ſolito aſperiore. Abel in offerendo praepotenti rerum opifici ſacrificio poſterior Caino; & tamen non modò accuſari non poteſt negligentiae, ſed coli debet tanquam pietatis magiſter, & auctor religionis. Milites Gedeonis nullo armorum ſtrepitu gradiuntur bellaces, ſed reſono tubarum ſono laetabundi, quaſi non ad praelium, ſed ad haſtiludium procedant imbelles, & tamen non modò profligatum inuadunt hoſtem, ſed mœnia diruunt munitiſſima, aequatiſque ſolo turribus, eò altiora fortitudinis ſuae erigunt monumenta, quò deijciunt profundiùs ſuis ſepulta ruinis munimenta inimicorum? Vique adeò conſonat veritati, in iuſtis viris non rarò ne latum quidem vnguem à regula exorbitare veritatis illa, quae digna videntur reprehenſione. Verbis hoc loco vtar ijſdem, quibus vſus eſt olim D. Paſchaſius lib. 2. in Matth. *Nos fallit rerum ſpecies, facit ſuperficies cauſarum interdum interiora veritatis neſcire, declinemus ad praeſens iudicium, ſubtrahamus ſententiam, fugiamus diſcrimen, dicamus totum Deo, ne dum temere geſtimus definire ſententiam, nobis paremus ex diſcrimine alieno ruinam.*

Sancti viri minimè redarguendi in ijs quæ videtur primo aſpectu reprehendenda.

Erit, vt arbitror, opportunum aetatis noſtrae exempla proferre recentiora. Placet vnum proponere Philippum Nerium illuſtriſſimae Congregationis Oratorij parentem optimum, qui ſpectanda aequè, atque amanda ſanctitate in dies frequentiùs omnium ora oculoſque conuertit ad ſe ſe. Illum dico Philippum, qui vel ſeculares religione donauit, vel ſeculum fecit religioni par. Siquidem nullis licet filios ſuos votis adſtrinxit, nodis tamen ligauit arctiſſimae ſanctitatis. Ea ſcilicet, quae ſeruorum Dei libertas eſt, ligari non poteſt, ſed quò ſolutior ſeruiendi lege, eò amandi fortiore vi arctior, atque obligatior. Philippus itaque ſicuti noui viuendi inſtituti auctor probatiſſimus, ita inauditis poſt hominũ memoriam inuentis, illuſtrioribus veluti radijs ſanctitatis eluxit. Eluxit, inquam, eo planè modo, quo ſeipſo clarior quodammodo videri vult Sol, cum ſe ſe paululùm inter nubes abſcondit, ipſoque interpoſitu nubiũ fit ſpectabilior. Ita profectò Philippus ſuae nitorẽ virtutis tegere non rarò conatus eſt communibus quibuſdã geſtis, & quae in ſpeciem laxioris vitae genus redolerent, cum reuera perfectionis eſſent ſublimioris. Illud mihi ſit inſtar omnium, quod omnium linguis oratorum, ſcriptorum omnium monumentis celebrabitur, quandiu vigebit proborum hominum commendatio. In ea Vrbis parte, in qua negotiorum conficiendorum cauſa concurrunt omnium ordinum homines multitudine numeroſiore, offendit fortè Philippus, vt moribus ſimilem, ita charitatis religioſae nexu coniunctiſſimum caput B. Felicem Cappuccinorum familiae decus eximium; quem peramanter de more ſalutatum, vbi primùm vino ex piorum eleemoſynis corrogato onuſtum animaduertit Philippus, rogat obnixè vt ſitienti ſibi ſaciat bibendi facultatem. Eo quo erat morum candore Felix dolium porrigit ſine mora, eoque ambabus manibus arrepto in nobiliſſi-

S. Philippi Nerij præclaræ laudes.

ſ Philippus publica in via vini doliolo os appoſuit.

liſſima frequentia hominum bibit Philippus; Quaſi verò ſitis vſque adeò impatiens, vt neque frequentiſſimi celebritate loci, neque circunſtantium hominum grauitate, neque prætereuntium multitudine, neque ſacerdotis quam gerebat perſona, neque præſtantiſſimorum virorum familiæ, cui præerat, honeſtate coërceri poſſet, ne tàm publicè, tàm auidè, tàm inconſideratè; &, ſi fas eſt dicere, tàm petulanter, atque procaciter ſe ſe vino ingurgitaret. Ardebas tu quidem, Philippe, ſiti inextinguibili, ſed eius vini, quod germinat Virgines; aut certè æſtuabas ſiti, notis ſemper inuentis exiſtimationis tuæ, quam veneratione omnium videbas, & dolebas ſublimem, proterendæ, conculcandæque. Non me latet, Dauid olim ſiti laborantem, oblatam à militibus aquam de ciſterna Bethlehem, generoſo adeò faſtidio reſpuiſſe, vt illibatam omninò obtulerit Deo, quemadmodùm legimus 2. Reg. c. 23. nu. 15. de quo eleganter Ambroſ. in Apologia Dauid c. 7. in hunc modum. *Non bibit oblatam aquam, ſed Domino profundit, ſignificans ſitire ſe fontem æternum.* Sitiebas tu quidem, Philippe, ſed vinum illud, quo in Cellam vinariam introducta Chriſti ſponſa ſobriam ſpiritus ebibit ebritatem. Mirentur alij Regem Iſraël ardentiſſima ſiti exhauſtum, penèque exanimem; Mirentur, inquam, alij Dauid in ſumma faucium ſiccitate, magno quæſitam periculo, & majore oblatam obſequio aquã proieciſſe: Ego verò ſatis demirari non poſſum Philippum vini potu non ſeruientem gulæ, ſed clementi in ſuam exiſtimationem ſeueritati ſeriò abblandientem. Caue ne reprehendere audeas tanquam præpoſtera indulgentia, neceſſitatis ſpecie, obedientem voluptati eum, qui ſui ipſius, procul dubio, fuit hoſtis implacabilior liberaliter bibens, quàm alij fuerint pia crudelitate ſitientes. Simile omninò

Dauid ſitiens non bibens non laude dignior Philippo palã bibente.

A mihi videtur quod de S. Dominico Loricato memoriæ proditum eſt: qui cùm frequentiùs exciperetur conuiuijs amicorum, quàm conuenire videbatur aſperiori, quod profitebatur, vitae inſtituto; multorum linguis malè vapulabat, cùm tamen eò fuerit dignior Chriſtianis præconijs (ſi æquos rerum æſtimatores habuiſſet) quò minùs indulgebat ventri, ipſas inter opiparæ menſæ lautitias, quibus accumbere compellebatur. Adeſdum quiſquis Dominicum arguis Monachum veluti ventri natum, & ingluuiei. Arrige aures, & audi Petri Damiani iudicium ſanè incorruptum Epiſt. 19. ad Alexandrum II. Papam his verbis expoſitum. B *In ijs quæ apponebantur edulijs, continens eum frugalitas cruciabat; vt diſcumbens non tàm ſe reficeret, quàm certaret; & inteſtinum potius eſſet gulæ bellum, quod extrinſecùs videbatur eſſe conuiuium.*

ſ Dominicus Loricatus à frequentibus conuiuijs non voluptatem, ſed cruciatum capit.

Quandoquidem autem vt frequenter, ita etiam immeritò obtrectatorum dente lacerantur facta Sanctorum, quæ amplioribus eſſent præconijs exornanda & extollenda, non erit abs re in memoriam reuocare quod S. Paulinus epiſt. ad Seuerum ſcripſit in hunc modum: *Memento granum ſinapis (de quo ſemine ſumus) ſi conteratur accendi magis, & tum demum* C *in vim ſuam excitari: Quamobrem debemus quaſi naturæ noſtræ in hoc reſpondere, vt aduerſis ſermonibus contriti inardeſcamus ad fidem: & eos ipſos, qui nos vt minimos hominum, quaſi granum ſinapis (quod minimum eſt ſeminum) frangere conantur; vramus.* Vtinam oblóquentium de nobis canina rabies vim in nobis accenderet caritatis, qua ſolito ardentiùs inflammati, obtrectatores ipſos vreremus, vt eorum felix fieret error, quorum fuerat temeritas audacior.

Granum ſinapis contritum magis accenditur.

Videri poteſt P. Didacus de Baeza comment. in Euang. hiſt. lib. 15. cap. 10. ſ. 4.

IN CA-

IN CAPVT DVODECIMVM

A Num. X. ad XIII.

Et ecce homo manum habens aridam, & interrogabant eum, dicentes: Si licet ſabbatis curare? vt accuſarent eum. Ipſe autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ouem vnam, & ſi ceciderit hæc ſabbatis in foueam, nonne tenebit, & leuabit eam? Quantó magis melior eſt homo oue? Itaque licet ſabbatis benefacere.

PARADOXVM II.

Hypocrita ſtultiſſimus mortalium.

VIDEN ſimulatam Phariſæorum iniquitatem recti ſpeciem præſeferentem, ſed fruſtra. Quò nanque D cõſultiùs ſibi proſpicere videtur, eò manifeſtiorem facit ſtultitiam ſuam. Sabbati quippè religionem mentiri dum ſatagunt, ſtultitiæ conuincuntur. Ecquis enim hebes adeò, ac rudis, vt non intelligat dementiſſimum eſſe homini negare eam operam, quam naturæ inſtinctu non poſſimus pecori ratione carenti, ſine pietatis iniuria, denegare? Occaſione ſumpta à verſura hac fictione Phariſæorum, quibus aliud in corde eſt, aliud in ore, probitatis religioſæ commendationem affectantibus, vt euincam Hypocritam ſtultiſſimum mortalium, impugno commune illud politicæ vitæ axioma: *Neſcit regnare, qui neſcit diſſimulare.*
C Quod cùm in ore omnium ſit, quaſi per ampliſſimos fines dilatatum, varijſque rerum generibus applicatum, inſinuat egregio (vt putant ſapientes huius ſeculi) calliditatis documento, ad prudentiam ſpectare, mille modis tegere, quod turpe & indecorum, vel corde tenemus, vel aggredimur vt aſſequamur. *Huius mundi ſapientia eſt, cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare; hæc prudentia vſu à iuuenibus ſcitur, hæc à pueris pretio diſcitur*, ſcribebat Gregorius lib. 10. moral. cap. 16. in cap. 12. Iob. Hoc ego, quod vulgò maximæ creditur prudentiæ, extremæ dementiæ eſſe demonſtrabo.

D Oraculum illud Iob 39. num. 16. *Penna Struthionis ſimilis eſt pennis erodij, & accipitris*, ſic interpretatur S. Antonius de Padua, vt velit de hypocritis ſermonem fieri. Sic enim habet ſer. de Dom. 4. Quadrag. *Penna, inquit Iob, Struthionis, id eſt hypocrita, ſimilis eſt pennis erodij, & accipitris, qui ſuperbè, & leuiter volant.* Siſto in ſimilitudine accepta à Struthione. Struthio iure quidem dicitur hypocritam referre, cùm appareat quod non eſt: alas præſefert, quibus videri poteſt primo aſpectu tollere ſe humo, ſed reuera volare non poteſt; auem credes, ſed inter volucres non niſi à rudibus numeratur, Struthio hypocritæ ſymbolum.

cùm

cùm ſe ſe aëri nequeat committere. Huc reuoco Magni Gregorij expoſitionem lib. 31. moral. cap. 5. initio, his verbis in hunc textum differentis. *Quis credium, & accipitrem neſciat aues reliquas quanta volatus ſui velocitate transcendant? Struthio verò pennæ eorum ſimilitudinem habet, ſed volatus eorum celeritatem non habet. A terra quippè eleuari non valet, & alas quaſi ad volatum ſpecie tenus erigit, ſed tamen nunquam ſe à terra volando ſuſpendit. Ita ſunt nimirùm omnes hypocritæ, qui dum bonorum vitam ſimulant, imitationem ſanctæ conuerſationis habent, ſed veritatem ſanctæ actionis non habent.* Verùm hæc, licèt copioſè dicantur & dilucidè, parùm tamen viderentur ad rem, niſi ſubiungerem quod de Struthione ſcribit Plinius lib. 10. cap. 1. Videlicet animal eſſe miræ ſtoliditatis, etenim in tanta corporis altitudine, ſi colla frutice occultauerit, latere ſe putat. Videtis hypocritæ, veſtræ, quam iactatis tantopere, ſapientiæ, prudentiæque ſimulacrum: an non percipitis ſummam eſſe ſtoliditatem, quam ſagacitatem creditis, atque calliditatem? Id ego vt explicem Ambroſij auctoritate, interrogo, num inter dementes reponẽdus foret is, qui, dum excipitur verberibus, dum contunditur fuſtibus, dum cæditur, & laceratur; ſoluatur in cachinnos, & riſu diſrumpatur, adeò vt eò vehementiùs in riſum erumpat, quò altius eius corpori vulnus infligitur? Hunc equidem ſine controuerſia dementem crederem: Et putabimus ſapientes eos, qui cùm dilanientur, ac lacerentur intus, meliore ſui parte in fruſta diſciſſi; hilarem explicent frontem, & riſum oſtentent? Tales procul dubio hypocritæ ſunt; quos mille flagitiorum genera diſcerpunt, ac torquent; rident tamen vultu benè compoſito, quaſi iugi mentis conuiuio perfruantur. De huiuſmodi hominibus vt feras iudicium, recole monitum S. Ambroſij lib. 1. offic. cap. 12. *Intueris lætitiam eius, opes, abundantiam; introſpice vulnera, & vibices animæ eius, cordiſque mæſtitudinem.* Compone cordis mœrorem cum gaudio faciei, iunge hilaritati frontis tormenta pectoris, cruciatus animi confer cum tripudijs oris; & cogeris credere dementatum, quem tanta mala non conficiunt modò angoribus, vt par eſſet, ſed recreant, refouentque mira alacritate. Stulti profectò, quos videri delectat, quales negligunt eſſe, cùm poſſint.

Struthio animal ſtolidum.

Hypocritæ ſtulti, quia videri volunt, quod negligunt eſſe.

Refert Cardanus lib. 2. de ſubtilitate pag. 100. intra primum à Culma lapidem, aquam reperiri, quam nuncupant inſa-

A nam, quæ cùm appareat feruere, & cùm ebullire videatur, re ipſa tamen frigidiſſima eſt. Sapiunt profectò, qui inſanam aquam huiuſmodi nuncupandam eſſe putauerunt, quia alia videtur eſſe, ac ſit. Nulla equidem inſania tàm ridenda, quàm ſibi ipſi contrarium eſſe; talis præ omnibus is eſt, qui apparere ſatagit, quod non eſt, cùm negligat eſſe quod apparet. Ad rem noſtram: Feruere videntur extrinſecùs calore charitatis accenſi hypocritae, & tamen frigidiùs glacie eorum pectus rigeſcit. Sunt planè inſtar aquæ à Cardano memoratae, eodem igitur nuncupari nomine, eandem meritò ſubeant non tàm

Inſana aqua quæ dicatur, & quare.

B appellationem, quàm notam inſaniae. Imò verò multò magis inſani habendi ſunt hypocritae, quia non modò aliud ſunt, & aliud exhibent; verùm etiam quod maximè conantur abſcondere, inuiti coguntur detegere. Quò circa Matth. 24. num. 19 dicitur. *Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.* Audis horriſonum diuinae eloquentiae tonitru? Verùm ne arbitreris ſummi Regis iuſto furore fulmen accendi in ſolas praegnantes, nutrientesque. Latet myſterium quod venerari debeas, & vereri. Excipe Euſebij Emiſſeni explanationem hom. 27. poſt Pent. his verbis: *Prægnan-*

C *tes ſunt illæ animæ, quæ per hypocriſim peccata ſua abſcondere volunt.* Ecce quæ ſecum fert culpa præiudicium: Prægnantis in morem, quod maximè optaret abſcondere, omnium exponit oculis, importuno ſibi ingratoque tumore. Heu miſeranda dementia! prodit ſe maximè hypocrita dum conatum adhibet ne deprehendatur. Iſtiuſmodi homines, vt certa veluti deſignet nota Gregorius Nazianzenus, ſapientiæ commendatione cognomento Theologus, inſanis comparat mulierculis: Sic autem habet orat. funebri in laudem patris circa med. *Plerique ex*

Hypocritæ maximè ſe detegunt, cùm ſatagunt abſcõdere.

D *his, qui nunc ſapientiæ ſtudium præſeferunt, atque in ſpeciem belli ſunt & elegantes, ſtultiſſimis vtique mulierculis haud diſſimiles; quæ natiua pulchritudine carentes ad colores confugiunt, theatricèque, vt ſic loquar, comptæ atque ornatæ, ſunt ob venuſtatem inuenuſtæ.* Pende illa verba, *ſtultiſſimis mulierculis haud diſſimiles.* & facilè percipies quid de hypocritis ſit ſentiendum, qui cùm theatricè viuant, compti & ornati ſolùm in extima cute, ſunt ob ipſam venuſtatem inuenuſti. Subdo quæ elegantiſſimè, & eloquẽtiſſimè pro hac re ſcribit B. Laurentius Iuſtinianus lib. de humilitate cap. 15. paulò ante med. in hunc modum. *Hominum genus, qui ſub imagine*

Mulieres ob venuſtatem inuenuſtæ.

gine ſanctitatem fingunt: Inſipientes prorſus huiuſmodi ſunt, qui abſque fructu carnem affligunt, & ſine ſpe venia gratiam ſe percepiſſe inſinuant. Iſtud, de quo loquimur, hypocritarum genus: Sepulchris deauratis, dealbatis parietibus, nubibus ſine aqua, infructuoſis arboribus, caecis errantibus, excluſis à regno, & à proprio conditore ignotis aſſimilati ſunt iſti; Nam aliud oſtentant in facie, aliudque gerunt in corde; fingunt quod non ſunt, atque à ſemetipſis deluſi caeteros fallere arbitrantur. Quàm accommodatè eorum explicat dementiam, quos meritò nuncupauerat *inſipientes*. Inſipientes profectò, cùm fingant quod non ſunt. Arrideret, meo iudicio, hic loquendi modus magno Baſilio, qui de hoc eodem argumento ſic locutus eſt ſerm. 2. de ieiunio ſub initium: *Hypocrita, hoc eſt, hiſtrio vocatur is, qui in theatro alienam perſonam ſumit, vt ſeruus exiſtens, ſaepenumerò Domini, & priuatus, Regis. Sic & in hac vita ad ſuos mores orcheſtras, atque theatrum exercent ij, qui alia corde gerentes, alia extrinſecus hominibus praeſeferunt. Ne obſcura faciem: qualis es, talis appareas: ne te in ſqualidam, triſtiſque formam conuertas.* Vide num hoc ſit, quod dicebat Nazianzenus, *theatricè viuere*: Vide num conſentiat Iuſtinianus, cui *inſipientes* prorſus videntur hypocritae, cùm *fingant quod non ſunt, atque à ſemetipſis deluſi caeteros fallere arbitrantur.*

Hypocritae histriones.

Quoties mecum ipſe perpendo hypocritarum mores, toties deridere ſoleo eorum ſtultitiam: quid enim tàm ſtultum eſt, aut quid à recta ratione alienum adeò cenſeri debet, quàm humanae cupiditate gloriolae capi adeò, vt quis aeternae obliuiſcatur? Quid tàm demens quàm Dei improbari iudicio, vt ab hominibus lauderis? An non delirantis animi conſilium eſt, incerta mortalium ſuffragia, futiles hominum commendationes, errantis vulgi exiſtimationem praeferre aeternùm duraturis honoribus, & gloriae immortali? Sed ſatius erit Chryſoſtomo praebere aures: inanis vmbra, ventus volans, aura inconſtans, & habetur, & creditur meritò fallax hominum opinio; huic operum ſuorum mactant victimas inſani hypocritae. *Dic obſecro* (verba Chryſoſtomi hom. 29. in 2. ad Corinth. in fine) *ſi quis ventum ſectaretur, vel cohibere attentaret, nonne diceremus illum inſanire? Quid autem eſt tenere vmbram, neglecta veritate? ſi quis mulierem ſuam odio habeat, vmbram autem eius amplectatur: vel filium auerſetur, & vmbram interim illius diligat: quaereſne aliud inſania certius indicium?* Conſiſte parumper, & examina, ſintne huiuſmodi hypocritarum negotiationes; cum magnifieri appetant ab hominibus, cùm auidiſſimè quaerant famam nominis, cùm exiſtimationem ſectentur, ac gloriam: ſectantur quidem, ſed in oculis hominum. Hoc enimuerò eſt, ſtringere ventos, & vmbras amplecti. Vmbram, fumum, imaginem, inane ſimulacrum, florem graminis, quis neſciat habenda eſſe, quae expectari poſſunt ab hominibus, aut dari? *Quaereſne aliud inſaniae certius indicium?*

Ventum ſtringunt & vmbras amplectuntur Hypocritae

Nec minus certum, aut minus euidens argumentum inſaniae mihi quidem videtur illud, quod à S. Petro Chryſologo affertur. *Quis, oro, niſi omninò ſtultus, planèque de mentis potestate deiectus, hoſtiles in ſeipſum inferat manus, ſe dilaniet, diſcerpat, atque dilaceret, efferâ, ſupra omnem hoſtilitatem, barbarie? ſi neſcis, hypocritae id faciunt:* Deducit id perbellè Chryſologus ſerm. 9. circa medium ex illo Matth. cap. 6. num. 2. *Cùm facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te: ſicut hypocritae faciunt. Benè tuba,* verba Chryſologi, *quia talis eleemoſyna hoſtilis eſt.* Claſſicum canit contra ſeipſum, hoſtili percitus rabie, hypocrita. Quis tantus furor, aut quae tàm deploranda dementia humani ingenij, vt hoſtilem in morem ſe ſe proſequatur ac perimat? Dicam cum Chryſoſtomo: *quaereſne aliud inſaniae certius indicium?* Tantum malum deplorabat iure Bern. de ordine vitae, paulò ante finem, dùm diceret: *Dupliciter damnantur hypocritae; ſiue pro occulta iniquitate, ſiue pro aperta ſimulatione.* Quaſi verò non vna contentus calamitate hypocrita, vt reliqui Dei inimici, ſed duplicis damnationis reus: & quidem eò iuſtiùs damnandus, quò ſui ipſius hoſtis infenſior, non iniquitate ſolùm, ſed ſimulatione etiam ſe ſe cruciat, atque diſcindit. Propterea vtar in loco, Origenis admonitione hom. 4. in Matth. paulò poſt initium ſic ſcribentis: *Attendite, ò chariſſimi Eccleſiae filij, vt nullus quod non eſt ſe eſſe fingat, ſed in veritate Deo ſeruiat.*

Hypocritae ſeipſos dilacerant, ac diſcerpunt.

Exemplo res fiet clarior: nullus poſt hominum memoriam fuit vnquam, aut conſecuturis temporibus eſt futurus tàm ſtultus, tàm impotens, tàm demens mentis humanae furor, qualem fuiſſe ſcimus illum, quo extra fines humanitatis abrepti Gigantes, audacia caelum petere, & aggeſtis montibus bellum mouere ſunt auſi, contra inexpugnabilem arcem ſupernae Ieruſalem, cuius ipſemet Dominus

exerci-

exercituum propugnator eſt. Credes? Et tamen nequit in controuerſiam reuocari. Hic quoque mentium omninò dementatarum inconſultiſſimus furor, non niſi ab hypocriſi duxit originem. Vt hinc pateat, quàm meritò ſtultus à nobis dicatur hypocrita, cum nullum dementiæ genus ſit, quod hypocriſis infelici fœcunditate non generet. Geneſis cap. 10. n. 8. Filiorum Noë generationes recenſens Moyſes ait: *Chus genuit Nemrod: ipſe cæpit eſſe potens in terra, & erat robuſtus venator coram Domino.* Magna ſine dubio laus eſt, qua Nemrod exornatur, & ſi Caietano credimus, plena myſterio: Cur enim dicatur *robuſtus venator coram Domino?* Nunquid poteſt aliquis ſe ſe ſubtrahere Dei cōſpectibus, cuius oculis aperta ſunt omnia? Reſpondet Caietanus, addita illa verba à Moyſe; *coram Domino; ad ſignificandum, quod Nemrod, hinc ſimulabat ſe eſſe Deicolam, indè autem exercebat tyrannidem: oportet autem, ſecundum Philoſophorum documenta, Principem eſſe Deicolam, vt populus minùs putet ſe eſſe iniuſtum.* Nemrod tyrannidis Babulonicæ auctor, ſimulata pietatis ſpecie, fictoque religionis habitu, eò procedit, vt conculcato iure, ac violata omni lege humanitatis efferat ſe ſe, ad extruendos aggeres, turreſque excitandas, quibus per vim cæleſtis regni potiatur. Nemo eſt qui dementiam non deluſerit, nemo qui inſaniam non vituperauerit. Sed fortaſſe non multi ſunt, qui animaduerterint, quo fonte ſit nata tàm ridenda ſtultitia: Nimirùm ab affectata religionis opinione, à ſimulata pietate, à ſcelere virtutis habitu perſonato, vno verbo ab hypocriſi. *Quid eſt hypocriſis* (dicebat Chryſologus ſerm. 127. circa finem) *niſi ſpecies arte compoſita, quæ aliud in re agit, aliud promit in vultum.* Attende quo euadat hypocriſis, nempè in extremam dementiam, furoremque ridendum penitus, irridendumque. Leges apud Cardanum lib. 2. de ſubtilitate pag. 101. Aquas quaſdam eſſe, quæ vinum referant, cum tamen præter apparentiam vini nihil habeant. Aquas huiuſmodi olim in Naxo Inſula, vna ex Cycladibus Ægæi maris fluxiſſe accepimus. Quo reſpexit ſine dubio Propertius lib. Eleg. 3. elegia 12.

Gigantea audacia infecta ab hypocriſi.

Aquas referentes vinum.

Et tibi per mediam benè olenti flumine Naxon,

Vnde tuum potant Naxia turba merum.

In hac aqua tanquam in ſpeculo eos video, quos grauiſſimè reprehendit S. Dorotheus Abbas ſerm. 9. de mendacio, in fine his verbis: *Mendax* (loquitur de virtutibus) *& eas admiratur, & laudat tanquàm in his habitum ſummum, & longam conſuetudinem fecerit. Hic propriè eſt, qui in vitam ſuam mentitur: alius interius, alius exterius atque ita ridiculam, & inconſtantem agit vitam ſuam.* Ridiculi ridendique, quaſi ſtulti, qui cum affectent videri, quod non ſunt, iure exibilantur cum idem omninò, & velle, & nolle videantur. Igitur hypocrita, is ſcilicet, vt cum Rabano loquar, *qui ſimulat quod non eſt, repræſentator alterius perſonæ*, inſiſtere mihi videtur veſtigijs, & imitari mores vxoris Ieroboam, quæ vt ſcribitur lib. 3. Reg. cap. 14. mutato habitu, & perſonam referens à ſe diuerſam, iuit in Silo, petijtque domum Ahiæ prophetæ, qui ingredienti mulieri ait: num. 6. cit. cap. *Ingredere uxor Ieroboam, quarè aliam te eſſe ſimulas?* Conſilia mulierum, ab inſania non multum diſtare, ſi dixero, fortaſſe non abnuent, qui probè tenent quanta fœminæ mentes, ſeù mobilitate, ſeù debilitate laborant. Quæ fingi mens poteſt, mulieris mente dementior; aut quod conſilium æque inconſultum eſt, atque fœmineum? Inſanitis non ſecus ac vxor Ieroboam, quotquot arbitramini veſtris technis, alienis oculis fucum facere, vt alij quam re vera ſitis eſſe credamini. Summæ imprudentiæ eſt, ſanoque homine prorsùs indignum, perſuadere ſibi poſſe ſe alium efformare, nouo habitu ſuper induto. Audite attenti Hugonem de S. Victore eruditionis Theologicæ ex 2. Miſcellaneorum lib. 4. Tit. 18. *Opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus. Miſer talis homuncio, qui tanto labore, & induſtria ſtudet non eſſe, immò potiùs non videri ſicut cæteri hominum. Siccine non inuenitur hypocritis via, vt ita dicam, vtcunque tolerabiliór ad Infernum? Cur ſaltem illam, qua multi incedunt, viam latam, quæ ducit ad mortem non eligunt, vt velut de gaudio, & non de luctu ad luctum tranſirent? O quàm feliciùs eſt illis quorum non eſt reſpectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum, qui in labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Qui etſi peccatores, & pro temporalibus gaudijs, perpetuis cruciatibus addicti, ſaltem abundantes in ſæculo obtinuerunt diuitias. Væ portantibus crucem, non ſicut Saluator ſuam, ſed ſicut Cyrenæus alienam. Væ citharœdis citharizantibus non velut illi de Apocalypſi in citharis ſuis, ſed verè, vt Hypocritæ, in alienis. Duplici contritione conterentur,* qui

Hypocritæ vita ridicula.

qui huiuſmodi ſunt. Quia hic pro temporali gloria ſe affligunt, & in futuro pro interna ſuperbia ad æterna ſupplicia protrahentur. Hæc tecum ipſe penſiculatiùs examina, dùm ego illud Chryſoſtomi iterum ſuggero: *Quæres ne aliud inſaniæ certius indicium?* Indicium inquam? immò certiorem, atque euidentiorem demonſtrationem?

Subijcio fide incorrupta, quod ſcribit Plinius lib. 31. cap. 2. *In Troglodytis,* inquiens, *eſt lacus inſanus, malefica vi appellatus, qui ter die fit amarus, ſalſuſque, ac deinde dulcis, totieſque etiam noctu, ſcatens albis ſerpentibus vicenum cubitorum.* Hic equidem non poſſum non aperire, quid pro re præſenti, ex laci huius conſideratione deducam; Videtur mihi hypocrita, & re, & nomine repræſentari. Quid enim adeò demens, quàm tàm varia, tàm frequens, tàm contraria ſubitaque mutatio, vt idem, modò auſterus, modò iucũdus, modò leuis, modò acerbus, ſemper autem à ſe diſſonans agnoſcatur, ſemperque diſſentiens? Huiuſmodi eſt hypocrita, vt me etiam tacente, notiſſimum eſt. Enimuerò non ſecus ac lacus iſte, vi vſque adeò malefica mutandi formas, aſpectuſque variandi, dicatur inſanus. Sed multò verius hypocrita dicatur inſanus; quia cum re vera ſcateat venenatis animantibus, maxima tamen cum veritatis iniuria, præter omnem ordinem, mutata pelle, non depoſito relictoque veneno, albos exhibet ſerpentes, quibus abundat.

Lacus inſaniens qui, & cur.

Hypocrita abijce colorem innocentiæ, quo mentiris tàm ſplendidè. Inſaniæ genus eſt ſpecie tàm amica & tàm candida, tàm maleficum virus abſcondere. Vide quæ dixi 1. tom. in c. 2. Paradoxo 11. pag. 122.

IN CA-

IN CAPVT DVODECIMVM

A Num. XVII. ad XXII.

Vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam, dicentem: Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam ſpiritum meum ſuper eum, & iudicium gentibus nunciabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius: arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eiiciat ad victoriam iudicium: & in nomine eius Gentes ſperabunt.

PARADOXVM III.

Spiritus Sanctus implet ſolummodò, quod inuenit plenum.

QVONIAM hoc loco Euangeliſta, allato Iſaiæ teſtimonio, exponit & plenitudinē Sancti Spiritus, qua Chriſtus Dominus fuit perfuſus, & opera ab eadem plenitudine promanantia, non erit abs re ad ſolatium Chriſtianorum de ea Sancti Spiritus largitione liberaliſſima diſſerere, qua Chriſti fideles tàm munificè donantur, vt quæ Dei ſunt, percipiant, Deum ament, viuant Deo. Quæ tria ſigillatim confirmaturus in ſequentibus, prius demonſtrabo Spiritui Sancto ſolenne eſſe, ſolùm quod plenum eſt, implere. Differo autem in hunc modum. Si tanquàm res perantiqua, & communiter non ignorata, proponitur, diciturque Sap. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum*: bene habet, cum ſemper diuini ſpiritus vitalis aura mundum imbuerit, impleueritque non tàm maieſtate, quàm habitu perbeato, ac ſingulari etiam infuſis Quomodo Spiritus Sãctus repleuerit Orbē Terrarum,
D cumulauerit beneficentia: At ſi tanquàm aliquid inſolens, aut inuſitatum, ac planè nouum, inauditumque aſtruitur terrarum orbem vniuerſum, ſuperueniente è cælo ſpiritu vegetante, completum die Pentecoſtes, qua tandèm id ratione cum veritate conſentiat? An verò Deus cum Spiritu vehementi totam impleuit domum, vbi ſedentes erant Apoſtoli, capit primum cælum, terrarumque tractus ſuæ radijs infinitatis inuoluere? At Spiritus Sanctus nonne Deus? nonne eſt eiuſdem cum Patre filioque ſubſtantiæ, eiuſdē magnitudinis, atque potentiae? immo,

nonne idem ille, quidquid id eſt, quod
oculis, aut mente complectimur, huius
vniuerſitatis, cum Patre ſimul ac filio mi-
rum in modum implet, atque animat?
vt meritò, cum de aliqua auguſtiſſimæ
Trinitatis perſona agendum eſt, dixerit
S. Leo ſerm. 3. de Pentecoſte, *diſcedat à
corde, quod ſpatio extenditur, quod fine
concluditur, & quidquid nec ſemper vbi-
que, nec totum eſt. &c*, Et verò ſi amor
qui procedit ab infinita perſona, & perſo-
nam ſimul reſpecit infinitam, Deus eſt, vt
egregiè Doctor Angelicus argumentatur;
Deus erit ſine vlla dubitatione Spiritus
Sanctus; Si autem Deus eſt, & nunquam
non fuit Deus, quid mirum ab ipſo totum
impleri mundum, & immenſa ſcilicet be-
nignitate perfundi, & extra citraque in-
tuſque beari?

An non veriſſimè dixit ille ex Platonis
officina ſublimiter informatus Poëtarum (Dei immenſitas.)
omnium Princeps, ac decus; *Iouis om-
nia plena?* ante illum autem Triſmegiſtus
idem prorsùs, quanquam alijs verbis pro-
nunciauerat; *natura*, inquit, *eſt veluti
liber diuinitate plenus, ac ſpeculum diui-
norum*. Quid Sanctus Auguſtinus? non-
ne ſimilem ſpongiae Deum eſſe conten-
dit, in qua ſit, inſtar guttae, mundus hic
vniuerſus? & alibi: *Deus*, inquit, *eſt ſu-
per omnia, infra omnia, intra omnia, extra
omnia*. Et quae verba homil. 17. in Ezech.
explicat S. Gregorius: *ſic*, inquit, *eſt intus,
vt extra ſit; ſic circundat vt penetret; ſic
præſidet vt portet; ſic portat, vt præſideat*.
Cyprianus verò cum de Idolorum vani-
tate diſputat; *Deus*, inquit, *vnus eſt, & vbi-
què totus diffuſus eſt*. Cypriano Minu-
tius Felix ſuo more ſubſcribit in Octauio;
cum Deo, inquit, *cognita plena ſint Deo;
vbique non tantùm nobis proximus, ſed in-
fuſus eſt, &c*. & exemplo ſolis allato, ſta-
tim ſubdit; *cælo affixus, ſed terris omni-
bus ſparſus eſt: pariter præſens, vbiquè
intereſt, & miſcetur omnibus, &c*. nec
minus de ſe ipſo Deus: *cælum & terram
ego impleo*. Vt iure in veteri teſtamento,
cum id probè cognoſceret Propheta co-
ronatus exclamauerit: *quo ibo à ſpiritu
tuo, & quo à facie tua fugiam? ſi aſcen-
dero in cælum, tu illic es; ſi deſcendero in
infernum ades: ſi ſumpſero pennas meas
diluculo, & habitauero in extremis maris,
&c*. In nouo autem S. Paulus ex Graeco-
rum penu vatum, licet ad ornandam di-
uinitatem auaro, extulerit illa: *non longè
eſt ab vnoquoque noſtrum, in ipſo enim
viuimus, mouemur, & ſumus*. Denique
ſi Spiritus vbi vult ſpirat; ſi, quod habet
Seneca de conſolatione ad Heluiam c. 8.

A *Spiritus diuinus per omnia, maxima, mini-
ma, æquali intentione diffuſus eſt, &c.* vt
transferre in illum poſſimus latini Vatis
platonicũ carmen, ſi de mundo nuſquàm,
ac planè nullibi eius virtute, ac praeſentia
viduato ſit ſermo,

*Spiritus intus alit, totamque infuſa per
artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore
miſcet.*

qui fieri poſſit, vt totus nunc tandem
mundus, & nuſquàm antea diuino adiu-
dicetur ſpiritui penitùs informandus? no-
lebant idcirco Veteres Germaniae populi
B templa, vel aras Dijs vllas conſtituere,
cum crederent nullis parietum ſeptis de-
bere eos includi, qui omnia concluderent,
implerentque, vt de moribus Germano-
rũ locupletiſſimus auctor eſt Tacitus; No-
lebant Perſae, qui lege lata proindè ſan- (Perexigua Deo quæcunque Tépla, cui Templũ totus eſt Mundus.)
xerunt ſtatueruntque ne quis templum,
imaginemne vllam Soli Deo ſuo conſe-
craret, quod capi continerique non poſ-
ſet; Nolebant Perſarum Magi, quorũ hor-
tatu, vt legimus apud M. Tullium, & Pe-
trum Crinitum de honeſta diſciplina l. 14.
cap. 12. Xerxea omnia traditur Graeciae
templa combuſſiſſe, quod impium, ac ne-
farium foret, deos ipſos parietibus tan-
C quàm honeſto carcere circumſcriptos te-
nere. Nolebant alij, & iure: *quod enim*,
inquit Cyprianus de Idolorum vanitate,
*templum habere poſſit Deus, cuius tem-
plum totus eſt mundus? & cum homo la-
tiùs maneat, intra vnam ædiculam vim
tantæ maieſtatis includam? in noſtra dedi-
candus eſt mente, in noſtro conſecrandus (Deo in noſtra mente, corde erigendum Templum.)
eſt pectore &c*. Eadem planè verba repe-
tit, deſcribitque Minutius Felix in Octa-
uio. Et quod totus hic mundus ſit Dei
templum Diogenis etiam effatum eſt apud
Plutarchum de Tranquillitate animi, An-
ſelmi in Elucidario, Lactantij de ira Dei
c. 4. & Philonis Iudaei initio lib 2. de Mo-
D narchia, *Dei templum*, inquit, *mundus hic
vniuerſus, cuius ſacrarium cælum, do-
naria ſidera; Sacerdotes & æditui, po-
teſtates Angelicæ, &c.* vt non ſit niſi men-
tis ingratae nolle cognoſcere, quod om-
nes profitentur, & videre vel cœcus po-
teſt; eſt enim ita ſemper & vbiquè felici-
ter nobis obuia ſua maieſtate, beneficijſ-
que diuinitas, vt verè dixerit Minutius
Felix in Octauio. *Nobis ignorare nec fas;
nec licet, ingerentem ſe ſe oculis, & ſen-
ſibus noſtris cæleſtem claritatem &c.*

Verùm enim verò licet hæc omnia di-
cantur ad veritatem appoſitè; veriſſimum
nihilominus eſt, proprium eſſe, atque
præ-

A præcipuum labente ad nos è cælo Paracleto, *Spiritu Domini terras vndiquè compleri* adeò, vt dicere nunc primum poſſimus, *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum*. Quod non ita tamen verùm eſt, quaſi nuſquàm antea mundum impleuerit, ſed quia certis quibuſdam in præſentia muneribus beneficijſque complectitur, imbuitque quem replet, ſemperque compleuit terrarum orbem vniuerſum. *Cum in die Pentecoſtes* (ſunt verba Sancti Leonis ſer. 2. de Pentec.) *diſcipulos Domini Spiritus Sanctus impleuit, non fuit inchoatio muneris, ſed adiectio largitatis, &c.* & clariùs etiam ſer 3. *non vt tunc primum eſſe Sanctorum habitator inciperet, ſed vt* B *ſacrata ſibi pectora, & feruentius accenderet, & copioſius inundaret, cumulans ſua dona, non inchoans, nec ideò nouus opere, quia ditior largitate, &c.* quo pertinent etiam illa ex ſer 2. *ſed illi*, inquit, *perfectioni, quæ erat à Chriſto diſcipulis conferenda maior gratia, & abundantior inſpiratio ſeruabatur, per quam, & quæ nondum acceperant, ſumerent, & excellentius poſſent habere, quæ ſumpſerant, &c.* id autem, qua ratione contigerit docet Auguſt. ſer. 185. de tempore, *affuit*, inquit, *in hac die Spiritus Sanctus fidelibus ſuis non iam per gratiam viſitationis, & operationis, ſed* C *ipſam præſentiam maieſtatis, atque in vaſa non iam odor balſami, ſed ipſa ſubſtantia ſacri deſfluxit vnguenti, &c.* vt mirum non ſit, quod habet Theodoretus in c. 1. Cant. *Apoſtolos ſuauitate illa repletos terram percurrentes, maria traijcientes, mundi vniuerſi odoris ſuauitate repleuiſſe, &c.*

Quo loco in gratiam tantæ veritatis iam non teſtes adducam, ſed oracula proferam. Sponſa amantiſſima ſimul, & ſapientiſſima, quod paucorum eſt, *amare*, quippè, *& ſapere vix Deo conceditur*, dicebat ille; Sponſa, inquam, prædicat: inter vbera dilectum commorari debere. Cur non potiùs in corde, vbi ſedes amoris eſt, ſedes D tàm caro capiti præparetur? Cur non in anima, quæ præcipua, & nobilior eſt pars ſponſus tàm nobilis collocetur? Cur non pectus, cur non voluntas, cur non mens eligatur, pro tanto hoſpite excipiendo? Cant. 1. n. 12. *Dilectus meus inter vbera mea commorabitur.* Vbera fortaſsè præ omnibus non modò corporis partibus, ſed etiam anima ipſa, aptiora ſunt, & digniora ſponſo; quia cum vberum ſponſæ ea prima ſit laus, quod lacte ſint plenae quis non intelligat ſpiritum illum, qui ſponſus animae eſt, nullibi libentiùs quieſcere, quàm vbi lacteam inuenit plenitudinem. Is ergo, qui ſupernis ſupremi Spi-

Cur cæleſtis Sponſus inter vbera ſponſæ potiùs, quàm alibi, dicatur commorari.

A ritus optat impleri donis, plenus inueniatur neceſſe eſt eo morum virtutumque candore, qui planè lacteus habeatur, & ſit. Exemplum habemus quo nullum ſacratius aut diuinius, in Chriſto parente maximo ſanctitatis Matth. c. 3. Vbi dicitur in humilitatis certamine palmam retuliſſe de Praecurſore, qui cum non auderet Dominum ſuum baptiſmo abluere, tandem coactus eſt illum baptizare. Tunc, vt legitur cit. cap. à n. 26. *Aperti ſunt ei cæli: & vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe. Et ecce vox de cælis dicens. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Nunquid non an- B tea filius Dei? Nunquid poſt baptiſſimum primò Spiritu Sancto repletus fuit? Abſit. Sed vt nobis ſignificetur Spiritum Sanctum donum illud eſſe, quod datur habenti: ideò viſibili ſpecie innoteſcit tunc Spiritum Sanctum ſedem ſibi figere in anima, cum eam nouis virtutum praeſtantiſſimarum actibus, quaſi redundantem videt.

Cur Baptizato Domino aperiantur cæli.

Id ipſum iam pridèm contigerat ſanctiſſimæ Ieſu matri Mariae: par quippè erat, vt Natus & Genitrix quemadmodum in reliquis compares, ita etiam in hac parte non abſimiles inuenirentur. Propterea Lucae c. 1. num. 28. *Ingreſſus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena Dominus te-* C *cum.* Audis plenam gratia Virginem? mox excipies superuenturum Spiritum Sanctũ, quorſum? niſi vt ait S Bernardus ſer. 7. de Aſſumptione. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te: Superueniſſe dicitur ad ſignificandam gratiæ plenitudinem, quam diffuſurus erat ſuper eam.* Mira prorſus gratiæ plenitudo, vel quia, vt docuit S. Antoninus 4. par. ſum. tit. 15. cap. 20. §. 5. *Sola inter puras creaturas Maria fuit impeccabilis.* Vel quia, vt aſſerit Anſelmus lib. de excell. Virg. cap. 7. *Virgini reuelata fuit prædeſtinatio ad gloriam.* Vel quia, vt monet S. Bernardinus: *Virgo beata in* D *conceptionis Filij Dei cõſenſu plus meruit, quàm omnes creaturæ tàm Angeli, quàm homines in cunctis actibus, motibus, & cogitationibus ſuis.* Itaque quacunque tandem ex cauſa, ſtupenda omuinò plenitudo, ea de qua loquimur, cum ſolenne ſit Spiritui Sancto implere quod plenum inuenit. Sicuti Mariæ accidit, quae plena gratia ſalutatur ab Angelo, mox Spiritus Sancti plenitudine perfundenda. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*, cit. cap. num. 35. Cuius veritatis initio temporum rudimentum aliquod exhibere voluiſſe viſus eſt ipſemet S. Spiritus de quo Gen. 1. num. 2. legimus: *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.*

Deipara Virgo cur priùs gratia plena dicatur, & poſtea Spiritus Sancti plenitudine perfundenda.

Cur Spiritus Sanctus dicatus ſit ferri ſuper aquas.

A *aquas*. Cur ſuper aquas potiùs, quàm ſuper terram? Fortaſsè quia cùm *Terra*, vt ibidem dicitur, *inanis eſſet, & vacua*; indigna planè erat eo ſpiritu, qui à vacuitate, atque inanitate abhorret vſquè adeò, vt nequeat conſiſtere, niſi plenum inueniat. *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas*. Ex Chaldæo; *Spiritus Domini inſufflabat ſuper aquas* Halitu fortaſsè innuitur vitæ communicatio, quam aquis tribuebat, producens reptilia, volatilia, & omne animantium genus. *Viuificat omnia Spiritus Dei, cum & ipſe vita ſit*, ſcripſit Ambroſius; & Sanctus Baſilius hom. 2 (*Spiritus Domini fouebat aquas*) *per illum Patris, & Filij ardorem, qui eſt Spiritus ſan-* B *ctus, caleſieri, & foueri aquas, ad concipiendam vitam, & fœcunditatem*. A rerum procreatione corporatarum facilè intelligo, ſpiritus viuificantis halitu multiplices bonorum operum fœtus procreandos in ea anima, quæ non ſit inanis & vacua, ſicuti terra. Felix cor illud quod frequenti virtutum exercitatione plenum, pro meritis expectare iure poteſt ſuperuenientis Spiritus ſancti plenitudinem.

Aquarum encomia.

Neque verò ieiunè adeò prætereunda videtur huiuſmodi ratio, cur ſuper aquas ferretur Spiritus Domini, cum poſſim adhuc meliùs declarare quid dicere velim. Par profectò fuit, vt præ cæteris elementis, C elementum aquæ ſeligeret ſibi Domini Spiritus, non ſolùm quia aqua, vtpotè viuentium ſeminarium, cùm omni genere animantium plena inueniretur, opportuna ſedes erat eius, qui plenum inueniat neceſſe eſt, vt fœcunditatis ſuæ plenitudinem ſupereffundat: Verùm etiam multò æquius fuit, vt ſuper aquas ferretur, quia & metallis, & margaritis, & vnionibus, vno verbo, pretioſiſſimis quibuſque diuitijs plena eſt aqua. Quis non legit apud Plinium lib. 9. c. 35 Vnionum, ſiue patriam, ſiue parentem, non modo Oceanum Indicum eſſe, ſed Perſicum rubri maris ſinum circa Arabiam, Boſphorum Thracium? Quis D non legit ex Solino cap. 66. Polyhiſtoris præter Indicum, Britannicum quoque mare ditiſſimum eſſe & pretio, & multitudine margaritarum. Aldrouandus lib. 3. de teſtaceis cap. 42 obſeruat Cubagnam in mari occidentali ſitam, ob copioſam vnionum piſcationem, ſpecioſo nuncupari nomine, margaritarum inſulam. De amnibus, fontibus, puteis nihil attinet dicere ad aquarum copioſiſſimam plenitudinem oſtendendam, vel etiam oſtentandam. Nulla quippè regio eſt, prouincia nulla, ſterilis licèt, atque infelix, qua vel amnes non fluant aurei, vel non ſcatu-

Fontes auriferi vbique.

A riāt auriferi fontes. Vindicant me à mendacij ſuſpicione Tagus Hiſpaniæ, Padus Italiæ, Thraciæ Hebrus, Aſiæ Pactolus, Ganges Indiæ, Albis Germaniæ, Lydiæ Hermus, aurifero vndarum lapſu percelebres. Adſunt etiam aureis inclyti arenis apud Gangaridas Nypanis & Magarſus, in Bactris Oxus, Thermodoon in Cappadocia, in Carnania Hyramnis: Vt ex Plinio diſces lib 33. cap. 4. ex Ariſtotele de admirandis auditionibus num. 44. ſicuti etiam ex Agricola lib. 1. de veteribus & nouis metallis percipies in Aquitania Tarbellos, qui in ſinu Gallico habitant, è puteis auri puras effodere conſueuiſſe maſ- B ſas tantas, quantæ cùm in manu tenerentur, eam complerent. Vides aquas priuilegio naturæ non viuentibus modò refertas, ſed margaritis metalliſque nobilioribus plenas; vt vel me tacente intelligere queas, qua de cauſa ſuper aquas potiſſimū ferretur, aquas foueret, in aquis conſiſteret ille ſpiritus, qui implet fœcūditate ſua, quod plenum inuenerit. Diſce ab aquis ſedem cordis Spiritui Dei parare benè diſpoſitā: diſpones autem, ſi caritatis auro, ſi virtutum gemmis, margaritiſque bonorum operum abundaueris: ſolet etenim non tam orbē implere terrarum Spiritus Domini, quàm orbem explere, atque perfi- C cere gratiarum.

Similitudinem à naturæ miraculo peto non illibenter. Hanc autem, quoniam gemmarum incidit mentio, modò ſuggerit nobilis gemma, dicta Selenites, quæ in Perſide gignitur, ſi credimus Auguſtino lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 5. Sed ſi Plinium audiamus lib. 37. natural. hiſt. cap. 10. naſcitur in Arabia. Dicitur autem Selenites miro decora lumine, lunæ referre imaginem, cuius candor iuxta eiuſdem lunæ incrementa augetur, & creſcit. Simile neſcio quid contingere nobis, ſi dixero, non omninò aberrauero. Ea quippè mens, quæ Dei refert imaginem innocentiæ co- D loribus efformatam, augetur affulgente è cælo lumine, & ſupernæ lucis acceſſione fit pulchrior. Felix qui præfert imaginem cæleſtem: hanc enim cæleſtia Sancti Spiritus dona, largitione prædiuite beneficiorum faciunt ditiorem. Sicut ergo Selenites, omnes inter gemmas, augetur cæleſti lumine, quia præ cæteris micāti ſplendore ſuo lunæ format imaginem; Ità planè inter animas Deo caras, ea potiſſimùm ſuperno perfunditur cumulo gratiarum, quæ inuenitur tanquàm ſplendens micanti fulgore ſimulacrum Dei. Quia ſolemne eſt Spiritui Dei, ſe ipſo implere eum, quem ſe ipſo inuenit plenum.

Selenites gemma nobiliſſima, Lunæ referens imaginem & iuxta Lunæ incrementa augetur ipſius candor.

Sic Animæ Deo ſimiles, Sanctæ, per Dei præſentiam ſanctificabuntur ampliùs.

IN CA-

IN CAPVT DVODECIMVM

A Num. XVII. ad XXII.

Vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam, dicentem: Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam ſpiritum meum ſuper eum, & iudicium gentibus nunciabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius: arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eiiciat ad victoriam iudicium: & in nomine eius Gentes ſperabunt.

PARADOXVM IV.

Mundus eò inſipientior, quò ſe putat ſapientiorem.

QVANDOQVIDEM rei grauiſſimæ incidit mentio, non videtur obiter pertractanda, ſed examinanda diligentiùs; ità tamen, vt omnes præcidamus ambages: in quam gratiam multa ſimul aſſero; ſanctum nempe Spiritum Doctrina mundum, Amore, Vitaque compleuiſſe, cùm verticem diſcipulorum omnium inſedit, mentes inuaſit, & corda calefecit. Vt iure dici à me, compellarique poſſit ille, Doctrina, Amor, ac Vita terrarum. Doctrina ſignificatur in linguis, Amor in igne, in vento denique Vita.

Terrarum orbis vniuerſus, vt à primo incipiam, ægyptia veluti caligine conſepultus iacebat, cùm diuinus ille magiſter è cælo tot linguarum fultus præſidio, ac fulgore deſcendit. *Erat quippè*, vt loquitur S. Ephræm de pœnitentia, *humanum genus quaſi tenebris concluſum propter ignorantiam Diuinitatis*. Quam ſententiam identidem repetit Alexandrinus Clemens adhortatoria ad gentes oratione. Nemo prorſus erat, qui verum agnoſce-

D ret, cultuque profiteretur Deum, &, quod prodigio portentoque ſimile ſit, cùm omnia, quæcunque ſunt in hoc orbe terrarum, homini ſubiecta, inferiora ſint homine, hominem hac ſuper re non mediocriter ſuperabant, prodebantque motibus ſuis Numen, & tacitis quibuſdam fatebantur rationibus Diuinitatem, quam negando mortalium plerique infandum in modum etiam peierabant. Non hic ego præcipuos quoſdam caſus afferam, quorum ſinguli plurimum, ſimul omnes omnia poſſunt. Qualis ſit ille fortaſſe, quem narrat VVibertus in vita S. Leonis IX. Pont. Max. *Sicut à veridicis*, inquit, *fertur relatoribus, apud Beneuentum Gal-*

lus

Gallus cantare ſolitus hæc verba: Papa Leo.

Canis latratu exprimens: Deus meus.

A *hus frequenti voce eius nomen repetebat, & naturalem emiſſurus vocem, cunctis mirantibus, Papa Leo, inſonabat; dicitur etiam illis temporibus in finibus Apuliæ canis extitiſſe, qui latrando ſolitus erat humanis verbis, Deus meus inclamare.* Non autem eſt incredibile brutum animal in ea regione Dei miſericordiam quocunque modo inuocaſſe, dum certum eſt Chriſti religionem ibidem penè omninò deperijſſe; propterea què par fuit, vt accolæ illius patriæ, alienæ poteſtati ſubditæ, ad inuocationem ſuperni auxilij ſaltem irrationabilis pecudis excitarentur voce. Solùm quæ vel Santi Patres, vel ipſi B gentilium libri conteſtatiſſimum poſteris reliquere, nunc afferam; ſic etiam, vt potiùs delibare videar, quàm omnia importunè congerere. Athanaſius lib. de Incarnatione, ſic habet: *Nihil in rebus creatis errabat in numine intelligendo, præter ſolum hominem, non Sol, non Luna, non cælum, non aſtra, nõ aqua, non æther immutat ſuum ordinem, ſed agnoſcentes ſuum opificem ac Principem rationem, Verbumque Dei, eo tenore permanent, quo condita ſunt: Soli autem homines auerſi ab illa bona ſtatione veritatis: ijſque, quæ non erant, effictis, Dei honorem, ac eius cognitionem, dæmonibus, & hominibus in lapide effigiatis dedicauerunt.*

Solus homo errabat in colendo Deo.

C Quis eſt, oro vos, in totius antiquitatis memoria paulò viſus illuſtrior, quem non ſua ipſius virtus, aut iuſta propemodùm ſuffragia populorum in Cœlum euexerint? euoluite, ſi placet, hiſtorias, annalium memoriam replicate, veterum etiam, vt ita loquar, vocalia monumenta producite: neminem vnum fuiſſe reperietis, qui cùm aliqua de cauſa inter mortales haberetur eximius, non cœlo tandem fuerit aliqua ratione redonatus, & vel ſuperos inter deos omniũ contentione tranſcriptus; vel inter ſidera, minorum ſcilicet gentium deos, aut (vt D loquitur apud Tertull. lib. 1. contra Marcionem cap. 13. Plato) *Genus deorum igneum*, felici planè deſignatione collocatus. *Suſcepit vita hominum*, ait Lactantius, lib. 1. diuin. inſtitut. cap. 15. *conſuetudoque communis, vt beneficijs excellentes viros in cœlum fama, ac voluntate tollerent*. Ite per ſingulos antiquorum deos, & ipſas ſiderum imagines diligentiùs conſiderate, ſine vllo ſcilicet labore feliciter inuenietis plenum Semideis, plenum heroibus, plenum fuiſſe hominibus cœlum; hominibus inquam? imò etiam feris, quæ mortales impoſterum non tàm ſplendidis ſuis furoribus allicerent, quàm

Error humanus impleuit cælos ſemideis, heroibus, & feris.

A ab honeſtiſſimo illo acceſſu ferinis latratibus, ac terroribus prohiberent. Atque, vt miſſos faciamus eorum quampiurimos, qui in deorum concilium non tàm iuſta propriæ ſuffragatione virtutis, quàm obſtinata veterum impietate tranſlati ſunt, &, vt notiſſima quæque nomina veriùs, quàm numina prætereamus; quis neſciat magnum illum, qui ſideralis diſciplinæ omnium teſtificatione peritiſſimus habebatur, cum fulminis afflatus ignibus penitùs conflagraſſet, Zoroaſtrum, hoc eſt, viuens aſtrum, omnium fuiſſe gentium oraculo ſic appellatum, propterea quòd eum inter deos adſcriptum iam crederet, B qui cœli tanta felicitate partes, munera, conuerſiones complexus propè modùm omnes videretur. Romulum verò quanquam mendacij ſcalis in cœlum conſcendiſſe iure cùm Auguſtino contenderit Tertullianus; eos tamen ipſos gradus nunquam veterum deliramenta, feſtinanti præſertim bellatori, tàm citò fabrefeciſſent, niſi bellicæ claritudinis gloria, & militaris animi, virtutiſque ferocia, omnium iam ante animos ingenti quadam admiratione defixos occupaſſet. Nam de Cæſare quid dicam? an quiſquam eſt ex omnibus illis portentoſis deorum imaginibus, qui minus iniquè diuinos honores, C quàm ille bellicoſiſſimus Imperator mereretur? vt profectò non immeritò Cæſar Auguſtus, dum parentales illi ludos honeſtiſſimè concelebraret, & per ſeptem continenter dies comato ſtella vertice, viſu mirabile, radiaret (quæ à peritiſſimis quibuſque naſcenti Chriſto Domino proluſiſſe creditur, ac præluxiſſe) iuſſerit, vt illius deinceps ſimulacrum addito in frontis apice ſidere fingeretur.

Taceo reliquos, quos infiniti eſſet propemodùm operis ſingulos recenſere: id vnum omnium penè gentium confeſſione, populorumque ſententia profitebor, nullam fuiſſe virtutem clariùs aliquantò D ſe ſe aliorum oculis inſinuantem, quam non illi diuino vocabulo exiſtimarent, diuinis honoribus, diuina prorſus appellatione digniſſimam. Imò verò, non ij ſolùm homines, quos ſpectata vbique virtus tacito illo ſuffragio commendaret, aſſerebantur in cœlum; ipſa etiam perilluſtrium virorum inſtrumenta, vt Argo nauis, vt Orphei lyra, vt Ariadnæ corona, vt Pegaſus equus, vt alia quàmplurima, quæ in hac nocturna cœli rutilantis imagine conſpiciuntur, ſidereis impoſita orbibus tranſcribebantur. Ipſæ etiam, vt initio docebam, feræ, Aquilæ, Cygni, Leones, Vrſi, aliaque perſimiles inter

Feræ in cælo collocantur.

aſtra

aſtra collocatæ partim miteſcere, partim etiam furorem magnificentiùs promere didicerunt. Lamentatur adeò non iniuria forſitan Hercules apud Senecam in Oetæo, quòd ferociſſimas quaſque ferarum à ſe feliciter edomitas Iuno tranſtulerit in cœlum, eo conſilio, vt quando illi paulò ante, ac cœteris mortalibus terram portentorum immanitate reddiderat inhabitabilem, nunc iiſdem cœlo ſcintillantibus, nocturnaſque vigilias agentibus, cœlum ſibi vel inacceſſum redderet, vel certè maximè pertimeſcendum, quò nimirùm non ſine nouo labore contenderet, ac lacertoſa virium firmitudine perhorreſceret. Sic enim conqueritur act. 1. ſcena 1.

O quanta fudi monſtra, quæ nullus mihi
Rex imperauit! inſtitit Virtus mihi,
Iunone peior. Sed quid impauidum genus
Feciſſe prodeſt? non habent pacem dei.
Purgata tellus omnis, in cælo videt
Quodcunque timuit: tranſtulit Iuno feras.

Herculi inacceſſum cœlum propter feras.

Ambit peremptus Cancer ardentem plagam,
Lybiæque ſidus fertur, & meſſes alit;
Annum fugata tradit Aſtræa Leo,
At ille iactans feruidam collo iubam
Auſtrum madentem ſiccat, & nimbos trahit.
Inuaſit omnis, ecce, iam cœlum fera,
Meque anteceſſit; victor è terris meos
Specto labores; aſtra portentis prius
Feriſque Iuno tribuit, vt cœlum mihi
Faciat timendum.

Vt mirùm non ſit, Solem quoque apud Ouidium 2. metam. ad terrendum Phaëtontem, auocandamque eius mentem à praua illa cupidine aurigandi eius curſus, cui moderando vix Sol ipſe par eſſet, hoc quoque afferat argumentum:

Sol Phaëtontem deterret ab aurigatione, cœleſtium ferarum obiectu.

— per inſidias iter eſt formaſque ferarum;
Vtque viam teneas, nulloque errore traharis,
Per tamen aduerſi gradieris cornua Tauri,
Æmonioſque arcus, violentique ora Leonis,
Sæuaque circuitu curuantem brachia longo
Scorpion, atque aliter curuantem brachia Cancrum.

Et verò malo deindè ſuo didicit Phaëton, quàm verè paterna ſolis pietas loqueretur, nam multis quidem de cauſis territus, mentiſque excuſſus de cardine, perniciem denique molitus eſt ſuam, ſed præſertim quia

Sparſa quoque in vario paſſim miracula cœlo,
Vaſtarumque videt trepidus ſimulacra ferarum;

Quæ ſcilicet natura vſque adeo ſunt efferata, vt rabiem, iramque deponere, nec in mitiſſima cœli regione, tantiſper queãt. Experimur id nos per ea tempora, quibus Leonis ignes ardentiſſimos, & præferuidam illam inſaniam inuiti cogimur ſuſtinere, quæ profectò, niſi opportuno Virginis obiectu temperaretur, eorum furente latiùs, ac debacchante vehementer incendio, totus pariter cum terris exhauriretur Oceanus. Adeo magnam planè, quamuis fucatam virtutem capere tellus, veterum iudicio, omnino non poterat, cui locus omnis, quamuis ampliſſimus, anguſti carceris inſtar eſt; vt ne feras quidem cæteris generoſiores cælo cenſuerint excludendas, ſed quaſi etiam diuinitate donauerint. Verùm enim verò, quo plures admittebat antiquitas Deos, eo luculentiùs verum perdita Deum abiurabat. Verè enim Tertullianus carm. ad Senat.

Nihilque colit, dum cuncta colit:

Et verè Chryſoſtomus in pſalm. 13. *Multorum deorum admiſſio, eſt vnius aperta negatio.* Cuius etiam alibi ſunt illa verba: *qui plures*, inquit, *deos dicit, nullum Deum dicit; qui plures Patres vocat, nullum patrem agnoſcit; adulterinus eſt, & meretricem matrem habet.*

Quid hic ego Ægyptios, ac Perſas, Græcos, & Romanos, Scythas, cæteraſque barbaras nationes accurata fuſiùs oratione commemorem? cùm ſatis conſtet tam omnes fuiſſe inter ſe diſcrepantes in eligendis, adorandiſque numinibus, quàm fuere conſentientes in verò Numine repudiando, ac reſcllendo?

Ægyptios certè, quos vt maximè ſuperſtitioſos admiratur, & damnat antiquitas, mortalium fuiſſe, deorumque complurium, & animalium cultores, fama doceret, ſi negarent locupletiſſimi auctores, qui ſcilicet in deridendis potiùs, quàm in numerandis illorum monogrammis, abſurdiſque diuinitatibus tàm multi ſunt, vt pigeat ſingulorum hoc loco verba, ſententiaſque deſcribere. Et quidem facilè hic ego, libenterque putarem ignoſcendum Ægyptijs, ſi, quem tradit Euſebius lib. 3. de præparatione Euangelica cap. 3. creatorem adoraſſent; *Creatorem* inquit, *Eneph, Ægyptij appellant, cuius*

imaginem

Creatorem Ægyptij quomodò depingant?

A

imaginem in forma hominis faciunt colore cæruleo, zonam tenentem, & ſceptrum, cuius in capite pennam ponunt, ſignificantes, difficilem inuentu eſſe creatorem, & nemini conſpicuum. Si Saturnum coluiſſent, ea prorſus ratione, quâ Phœnices: nam cùm ſingulis dijs Ægyptij pariter Phœniceſque ſingulas alas imponerent; *Saturno*, vt habet Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 12. *quatuor dabant, duas protenſas, duas remiſſas; & oculos quatuor, quibus teſtatum eſſe credebant, ipſum dormientem vigilare, & vigilantem dormire.* Si Moyſen diuinis honoribus affeciſſent, etenim qualẽ qualem errori ſuo nubem prætẽdere potuiſſent vt ex

B

Cyrillo Alexandrino licet vnicuique colligere; *quia*, inquit, *omni virtute præditum videbant Moyſen, etiam Deum nominauerunt illum*; Honoris gratia illum Ægyptij ſic appellarunt, vel fortaſſis didicerant; quod vniuerſorum Deus dixerat illi: *ecce poſui te Deum Pharaonis*. Imò quod Moyſis etiam virgam adorauerint, ferendum fortaſſe non iniquius eſſet, cùm ille illius virgæ ope operaque, tot miracula, prodigiaque patrauerit, quæ non niſi in Deum ipſum referri poſſe videbantur. *Tunc à Moyſe*, inquit Euſebius lib 9. præparat. Euang. cap. 4. *terram baculo per-*

Moyſes ab Ægyptijs Deus habitus.

C

cuſſam, muſcas venenoſas; deinde rurſus percuſſam, ranas, locuſtas, aliaque huiuſmodi monſtra produxiſſe; vnde apud Ægyptios vndique in Templo Iſidis baculus deponitur, atque colitur: terram enim Iſidem eſſe, quæ baculo percuſſa monſtra producebat. Si homines tantummodo in deorum collegium cooptaſſent: quanquam enim eorum idcirco perſtringit ſiue miſeriam, ſiue inſaniam Minutius Felix in Octauio, & acerba oratione humanorum vnumquemque deorum exagitat; hoc tamen malum maioris comparatione vileſceret, & alicuius fortaſſe boni poſſet rationem induere. *Næ ille miſerabilis*, in-

D

quit Minutius, *cuius in homine mortali ſpes omnis innititur; totum enim eius auxilium cum extincto homine finitur. Ægyptij ſanè ſibi hominem, quem colunt, eligunt, illum vnum propitiant, illum de omnibus conſulunt, illi victimas cædunt. At ille qui cæteris Deus, ſibi certè homo eſt velit nolit; nec enim conſcientiam ſuam decipit, ſi fallit alienam.* Quid? quòd diuino cultu animalia, & inaniſſima quæque ſunt proſecuti? Diodorus certè ſiculus lib. 1. rerum antiquarum toto capite 4. percenſet animalia viua, mortuaque, quæ præter modum ſi-

A

demque humanam, vt ipſe loquitur, honore proſequebantur Ægyptij. Idem præſtat Herodotus lib. 2. & vterque cum Ouidio 5. Metamorphoſ. & Tertulliano cap. 14. Apolog. rationem vtcunque reddit, cur tot deos, deaſque inani veneratione coluerint, vt nihil ſit tam fœdum, tamque abominationi obnoxium, quod illi non adorarint. Vide eundem Diodorum lib. 2. Biblioth. Strabonem lib. 18. Apuleium lib. 11. Plinium lib. 30. cap. 11. Virgilium 8. Æneidos. Iuuenalem Satyra 15. Porphyrium, Horum, Plutarchum de Iſide, & Oſiride; & ex recentioribus Rhodiginum lib. 2. cap. 17. & lib 16. c. 5. ex Patribus autem, & ſacrarum litterarum

B

interpretibus, vide Euſebium de præparatione Euangelica lib. 2. cap. 1. lib. 3. cap. 2. (quo teſte lib. 6. de præparat. c. 20. lib. 8. cap. vlt. & lib. 9. cap 2. Idololatria cœpit apud Ægyptios) Lactantium lib. 1. cap. 20. lib. 2. cap. 13. & lib. 5. cap. 20. Tertulianum in Apolog & lib. 2 contra Marcionem. Cyprianum ad Demetrianum. Athenagoram Apologia pro Chriſtianis. Auguſtinum lib. 3. de Ciuit. c. 22. & lib. 8. cap. 23. & 24. Epiphanium in Ancorato. Theodoretum lib. 1. de cultu Dei, cap. 20. Theophilum Antiochenum lib. 1. ad Autolycum. Guilielmum Pariſienſem de leg. cap. 7. Prudentium in Ro-

C

mano martyre, & lib. 2. contra Symmachum. Gantacuzenum, & Lyranum, cæteroſque ad Sapientiæ c. 11. 16. Hi enim omnes qualia demens Ægyptus porteuta colat, vt cum Iuuenale loquar, ſiue in genere, ſiue in ſpecie, luculenter monſtrant. Quo loco ſeptimæ ſynodi, atque Prudentij præterire verba non debeo. Illa ſ. Palam dicendum eſt; *Nouerunt*, inquit, *hiſtoricorum librorum peritiſſimi, quia Ægyptij olim boues colebant; & alia quadrupedia, & volatilia diuerſa, & muſcas, & crabronum habitacula, & viliora iſtis animantia*. Prudentij verò contra Symmachum lib. 2. illa ſunt:

D

Vilia Niliacis venerantur oluſcula in hortis;
Porrum, ac cæpe Deos imponere nubibus auſi,
Alliaque, & Serapin cæli ſuper aſtra locarunt.

At Minutius Felix, quod turpiſſimum auditu, dictuque ſit, etiam crepitum ventris ab illis pro Deo habitum refert, ac deteſtatur in Octauio.

Hinc idolorum patria dicitur à Chryſologo Ægyptus ſerm. 151. & S. Hieronymus, dum explicat illud Iſaiæ, *in illa die ſibilabit Dominus muſcæ &c. Muſcas*, inquit, *Ægyptios vocat, propter ſordes*

Idolorum patria Ægyptus.

Idolatriæ

A *Idololatria*. S. verò Auguſtinus in quodã fragmento; *Non eſt maior*, inquit, *& ſuperſtitioſior Idololatria, quàm Ægyptiorum; nam Ægyptus perſuaſit mundum figmentis talibus, qualia deinceps dicit Apoſtolus; cùm enim dixiſſet in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis; addit, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. Nunquid enim, fratres, in alijs templis vidiſtis ſimulacrum capite canino, vel taurino, cæterorumque animalium irrationabilium figmenta? Hæc enim Idola Ægyptiorum ſunt.* Et ne putes perfunctorio quodam tantummodò cultu ſuos ab Ægyptijs deos fuiſſe celebratos, non ſolùm leges templa ijs, araſque dicaſſe, B ſed ciuitates etiam, & oppida animalium diuinorum nominibus prænotata: quod habet lib. 13. in Iſaiam cap. 46. S. Hieronymus. *Pleraque*, inquit, *oppida eorum à beſtijs, & iumentis habent nomina: Kynon, à cane; Leon, à Leone; Lycon, à lupo*. Imò, ſi quis fortè aliquod animal occidiſſet, piaculum erat ſola morte piandum. *Felem*, inquit Euſebius, lib. 2. de præparatione Euangelica cap. 1. *aut Ibidem, ſiue ſponte, ſiue inuitus quiſquam necauerit, morte punitur. Et lege*, inquit, Plutarchus, de Iſide & Oſiride, *ſanxerunt exilium in eum, qui ciconiam occidiſſet*. Et quanquam Hebræis ab Ægypto C recedentibus Idola omnia corruerunt, quod notauit Petrus Bleſenſis, ſerm. 5. de aduentu Domini; Ruina illa nihilominùs numeroſiore deinceps ſobole reparata feliciter eſt; & vt tritici granis, dijs illis caſus profuit ad multiplicationem, & incrementum.

Occidere animalia apud Ægyptios piaculum.

Dicam ampliùs; etiamſi eiuſmodi ſtatuas dijs ſuis Ægyptij concinnarent, quæ loquerentur, & irent; quod ſcriptum reliquit Marſilius Ficinus in Plat. Theol. lib. 13. cap. 3. nunquam tamen alis, vt auolarent, vſi ſunt, ſed potiùs ad miraculum, & portentum, quod ipſa conſuetudine non vileſceret, ſed admirabilius D redderetur; vt tacere planè debeat vel Architæ lignea, ſed volans columba; vel aureæ Leonis Græcorũ Imperatoris auiculæ; vel grues, & angues æneæ, auctore Boëtio ſibilantes, de quibus omnibus Gellius lib. 10. cap. 12. & Caſſiodor. lib. 1. variarum Epiſt. 45. vel Aquila illa, quæ lapſis paulò ante temporibus in Germania Carolo V. occurriſſe dicitur, fremituque ſecundo plauſum dediſſe.

Architæ lignea columba volans. Aureæ auiculæ & angues ſibilantes.

Cur autem tot Ægyptus animalia veneraretur, Euſebius docet lib. 2. de præparat. Euang. cap. 1. *Cultus animalium alias alij cauſas afferunt; multitudine enim aiunt crebrò in Reges inſurgente, magno conſenſu, diuerſorum animalium cultum diuerſis Ciuitatibus à quodam Rege ſtatutum fuiſſe, vt dum ſinguli religionem reuererentur ſuam, & cæterorum contemnunt, non poſſent vniuerſi in vnum Ægyptij conſpirare; hæc animalia linteamine poſt mortem tegentes, & pectora cum gemitu cadentes in ſacris ſepeliunt loculis.* Quare mirum non eſt ſi toties ſint irriſi à mortalium quamplurimis, & omni ſcommatum genere hac de cauſa turpiter accepti. *Tu maximum Anguillam Deum putas; ego obſoniorum credidi ſuauiſſimum*, dicebat optimè Rhodius Anaxandrides, B Ægyptium quendam ſua ſcilicet oratione perſtringens. Mirum non eſt, ſi toties Romani Ægyptiorum Deos & ſacra proſcripſerint, teſte Dione hiſtor. Roman. lib. 40. 42. 47. 53. & 54. Tacito lib. 2. annalium. Suetonio in Tyberio, cap. 36. Ioſepho lib. 18. Antiquitat. cap. 4. & quidem licet Piſone, & Sabinio Conſulibus vetita ſint inferri Capitolio, poſtea tamen admiſſa reſtitutaque ſunt, vt ex Tertulliani Apologetico colliges (vbi etiam cap. 10. habes innumeratos deos omnes, qui à Capitolio excludebantur) & indicat etiam ad Demetrianum Cyprianus. Vt mirum non ſit inter cæteras rationes, C quas afferunt Patres, cur eſum carnium permiſerit Deus, eam quoque inter præcipuas numerandam, quam Theodoretus optimè explicat in rem noſtram Geneſ. 9. *conceſſit*, inquit, *eſum carnium Deus, vt morbo morbum expelleret; præuidens enim Deus, in deorum numero habenda quandoque animalia, vt impietatem è medio tollat, eorum eſum concedit; extrema namque dementia eſt adorare quod comedas*. Plura etiam, quàm Theodoretus, in eandem ſententiam congerit Baſilius Seleuciæ Epiſcopus orat. 6.

Cur eſum carnium permiſerit Deus?

Ex tanta & tam iniqua inanium colluuione Deorum, non magnopere mirandum eſt tot ſacrificiorum diuerſa quaſi ge- D nera prodigioſè impudenterque manaſſe, quæ cùm ſexcenta & ſexaginta ſex numerarentur, vt aliquibus placet, poſtea miſeratione deorum redacta ſunt ad viginti quinque præcipua. Sed vt tamen conijcere liceat etiam ex ſacrificijs, & oblationibus, quàm nihili habendi eſſent, nulliuſque planè pretij Deunculi eiuſmodi, offerebant eorum aliquibus pro thure ſtercus. Salomon certè Tarthi ad Num. 25. com. 3. de Beelphegor loquens, *ſtercus*, inquit, *offerebant, & hic erat cultus eius*. Non longè abit Abraham Benlattum antiquus inter Hebræos auctor, *non ſines*, inquiens, *apud*

apud te habitare, qui colunt deos peregrinos, vel ſtercoreos. Quanquam enim hæc ille pronunciauit in opprobrium, & contemptum, potuit tamen etiam vir acutus alludere ad rem præſentem, eamque tacitè ſimul, atque ingenioſè perſtringere.

De Græcis nihil attinet dicere, quos conſtat Ægyptiorum ſuperſtitionem per manus veluti traditam excepiſſe, & ad propagationem fouiſſe magnificentiùs. Nam cùm Ægyptiorum ſapientes, iniquiſſimi ſcilicet religionis aeſtimatores, omnium primi, ſi Herodoto credimus, duodecim deorum nomina commenti eſſent; ea Graeci deinde diuinitatis veluti ſemina B receperunt, & infinita propemodùm amplificatione propagarunt. Et quamuis Graecia diſciplinarum haberetur omnium perititiſſima, ex quo veri indagatrix numinis, atque inuentrix eſſe debuiſſet; tantum tamen deorum numerum mundo inuexit, vt magnam eorum deinde coloniam (quod ille habet) ad caeteras quoque nationes, impiè fœcunda, liberaliſque, transmiſerit. Triginta certè deorum millia in hoc orbe terrarum haberi, contineriqueaſſerere non dubitauit Heſiodus, Graecorum ſi non vetuſtiſſimus, certè eruditiſſimus Poëtarum, vt teſtes ſunt Euſebius de praeparatione Euangelica C lib. 5. cap. 15. & Lactantius lib. 1. cap. 1. & 16. Quin & infami cultu meretricea, ueroſque adoratos à Graecis refert Arnobius 6. contra gentes, vbi à Pygmalione Cypri Rege ſimulacrum Veneris adoratum, recenſet pariter, ac deteſtatur; facinus infandum planè, ſed non illi abſimile, quod de Fortunae ſtatua à Rhodigino, de Veneris ſimulacro narratur à Plinio lib 36. cap. 5. qui fortaſſe Plinius eundem meliùs attigit ſcopum, cùm lib. 2. cap. 7. *gentes quadam*, inquit, *animalia etiam, & aliqua obſcœna pro dijs habent, ac multa dictu magis pudenda*. Nam quod D tonitrua vocarunt deos, vt loquitur Cyrillus Hieroſolymit. Cathech. 6. portentum illud fuit, ſed mortalium fortaſſe timori non condonandum illud quidem, ſed adſcribendum eſt, cum veriſſimè cecinerit ille,

Primus in orbe deos fecit timor.

Qua de cauſa refert etiam S. Bernardinus Senenſis ſerm. 10. Dom. 1. Quadr. à num. 2. etiam hodie extare in barbaria de gentibus Aquilonis, qui tonitruum pro Deo adorant.

Triginta millia Deorum Græci numerarunt.

Sed Romanos videamus rerum Dominos, terrarumque, quos exercitum planè deorum veneratos, & omnium ſacra gen- A tium ſuſcepiſſe ſi elinguis taceret antiquitas, vel Pantheon doceret, clamaretque tot linguis, quot hoſpitatur deos, cum infinitos penè idolorum vultus coluiſſe ex Auguſtino lib. 3. de Ciuitate cap. duodecimo colligi poſſit. Nam Graecia, caeteriſque nationibus ſubactis, quaſi captiuam eorum omnium religionem in patriã tranſtulerunt; nec deſiderantur qui trecentos Ioues, ſiue Iupiteres à Marco Varrone ennumeratos, cum Tertulliano in Apologetico apertè tradiderunt; qui ſanè Tertullianus de ſpectac. cap. 7. *Roma*, inquit, *Vrbs eſt, in qua dæmoniorum conuentus conſedit*. Seruius autem in 8. Æneid. B *Porticum*, inquit, *Auguſtus fecerat, in qua ſimulacra omnium gentium collocauerat, quæ porticus appellabatur, Ad nationes*. Et apud S. Leonem. *Roma magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem*. Quare idem S. Leo ſerm. 1. de ſanctis Petro, & Paulo, cum de Vrbe Roma loqueretur; *hic*, inquit, *confutandi dæmonum cultus, hic omnium ſacrilegiorum impietas deſtruenda, vbi diligentiſſima ſuperſtitione habebatur collectum, quidquid vſquam fuerat vanis erroribus inſtitutum*. Eandem priùs ſententiam expreſſerat eleganter in Octauio Minutius Felix. *Per Gallorum* C inquit, *acies, mirantium ſuperſtitionis audaciam, Romani pergunt telis inermes, ſed cultu religionis armati; dum capta in hoſtilibus mœnibus, adhuc ferociente victoria, numina victa venerantur; dum vndique hoſpites deos quærunt, & ſuos faciunt; dum aras extruunt etiam ignotis numinibus, & manibus. Sic dum vniuerſarum gentium ſacra ſuſcipiunt, etiam regna meruerunt. Hic perpetuus venerationis terror manſit, qui longa ætate non infringitur, ſed augetur*. Quanquam Minutius, cùm paulò poſt id, quod ex aliena potiùs, quàm ſua opinione praemiſerat, retractat, diluitque ſubtiliter, hac ra- D tione concludit. *Igitur Romani*, inquit, *non ideò tanti, quia religioſi, ſed quòd impunè ſacrilegi. Neque enim potuerunt in ipſis bellis deos adiutores habere, aduerſus quos arma rapuerunt. Quid autem iſti dij pro Romanis poſſunt, qui nihil pro ſuis aduerſus eorum arma valuerunt*. Vt planè ſi quis percenſere numerando vellet deorum omniũ nomina, quos in Vrbe Romani veteres obſeruabãt, huic eſſet ex omniũ gentium multitudine nomenclator accerſendus: Nam quos ſuo Marte deos fecerunt, ſatis declarãt, Romanos, vt in omnibus alijs nationes omnes ſua magnitudine ſuperarunt, ita etiam hac ſuper re deſipere

Romani Deos infinitos, coluerunt.

ſipere cæteris luculentiùs voluiſſe. Aras febri erexiſſe, auctor eſt Cicero 2. de legibus, & Plinius lib. 2. & Cyprianus de Idolorum vanitate. Deum Stercutium imploraſſe affirmat Auguſtinus epiſt. 44. Pauorem Palloremque à Tullo Hoſtilio figuratos, & cultos, Lactantius lib. 1. cap. 11. Tertullianus lib. 1. aduerſus Marcionem, Cyprianus de Idolorum vanitate, & Auguſtinus lib. 4. de Ciuitate c. 23. docent. Accam, & Floram meretrices diuinis honoribus, ludiſque celebratas notius eſt, quàm vt probari debeat, authoritate Tertulliani, Cypriani loc. cit. & Lactantij, qui Accam; Varronis de re ruſtica lib 1. cap. 13. Lactantij, Cypriani, Ambroſij lib. 3. Auguſtini lib. 4. de Ciuit. cap. 8. qui Floram, tanquam florum deam dictam fuiſſe commemorant, vt rei pudendæ aliqua dignitas adderetur. Nam quòd ſtatis quibuſdam diebus Romani non Iouem, ſed Anſeres ſacrificijs, diuiniſque planè muneribus exciperent, excuſandi fortaſſe ſunt; ſi non deridet potiùs Iouem, Romanoſque Iouis cultores Ambroſ. lib. 3. Exameron, cap. 13. *Denique ei etiam*, inquit, *Romana Capitolia à Gallo forte ſeruantur. Meritò illis debes Roma, quod regnas: dij tui dormiebant, & vigilabant anſeres; ideò illis diebus Anſeri ſacrificas, non Ioui*. Nec diſſimilia ſunt illa, quæ affert Auguſtinus de Ciuit. expendens illud Virgilij.

Anſeres olim dij.

Sacra, ſuoſque tibi commendat Troia penates.

Mitto reliquos deos, deaſque, vt Romæ triplex veluti genus populi fuiſſe comperias; Hominum primum, auctorum omnium conſenſione maximum; Statuarum alterum, quem miratur in formulis Caſſiodorus; tertium, & quidem fortaſſe numeroſiorem Deorum, vt ex Plinio lib. 2. cap. 7. huc transferas dictum illud non importunè: *maior*, inquit, *cælitum populus, quàm hominum*. Cælitum enim nomine, deos ſignat, neque ad amplificationem, quàm ad veritatem vberiùs pronunciauerit illa c. 8. de ſpectaculis Tertullian. *Cæterum*, inquit, *& platea, & forum, & balnea, & ſtabula, & ipſa domus noſtra ſine Idolis omninò non ſunt: totum ſeculum Satanas, & Angeli eius repleuerunt*. Id quod antea modeſtiſſimè extulerat Liuius decad. 1. lib. 5. *Nullus*, inquit, *locus in Vrbe non religionum, deorumque eſt plenus*. Et eiuſdē decadis lib. 6. *Roma*, inquit, *ciuitas plena religionum*. Mitto inquam hæc aliaque ſimilia.

Illud vrgeo, tàm Romanos, quàm Græcos, cum ſibi plurimum viderentur ſapere,

A & de ſua ſibi ſapientia blandirentur, vberiùs numina nullis nota beneficijs coluiſſe. Quare hos *ignoto* aram *Deo* ſtatuiſſe, ex Apoſtolicis habemus actis; illos autem Cloacinam quandam deam idcircò appellaſſe, ac veneratos eſſe Tertullianus, Cyprianus, Auguſtinus, & Lactantius aſſerunt locis paulò ante laudatis, & Auguſtinus epiſt. præterea 44. quia cuius eſſet ſimulacrum in cloaca inuentum, nemo erat, qui docere poſſet. *Cloacina*, inquit Lactantius, *ſimulacrum in cloaca maxima repertū Tatius conſecrauit; & quia, cuius eſſet effigies, ignorabat; ex loco illi nomen impoſuit*. Quarè tàm Athenienſibus, quàm

Ara ignoto Deo. Cloacinæ deæ origo.

B Romanis Chriſti Domini in Samaritanos prolata non immeritò verba quilibet illudendo potuiſſet obijcere: *Vos adoratis, quod neſcitis*.

Denique otioſum eſt, vt Patrum neſcio quis diſſerit, per omnia deorum nomina velle decurrere, qui colerētur à veteribus, cùm tot tamquè varij, noui, veteres, ſerui, barbari, Græci, Romani, peregrini, captiui, adoptiui, proprij, communes, maſculi, fœminæ, ruſtici, vrbani, nautici, militares, enumerentur, de quibus conſulendus eſt apud Tertulliani Apologeticum cap. 10. Pamelius à n. 153. Hinc nimirum factum eſt, vt infinitis propemo-

C dum deis cœlum onerauerint veriùs, quàm ornarint, neque populum illum deorum ipſa omninò antiquitas obſeruare pro dignitate potuerit, neque additis ſubinde mortalibus locupletare. Etenim ne fortè rueret cœlum, cum generoſiores paſſim viri ſuccreſcerent, qui priores longo interuallo ſuperabant, eorum tamen numero tanquàm appendicem addere veteres recuſarunt; cùm illam numinis gloriam, quaſi eam ſatis attenuatam, & tot pene in partes exinanitam, cum reliquis communicari poſſe non ducerent. Quarè licèt huiuſmodi deorum fictores, & velut arbitros diuinitatis damnarit ante natura, quàm

Cælū innumeris dijs onerarunt, non ornarunt, Romani.

D exertus patrum ſtylus exagitauerit; non defuerunt tamen illi ſibi ipſis, &, cùm veræ cauſam religionis tuerentur; hunc etiā locum, vt veteribus illuderent, ſibi non eſſe prætermittendum exiſtimarunt. Hinc Tertullianus, & Minutius Felix, quanquam diuerſa ratione, ac via, idem tamen aſſequuntur: quorum premit in Libris de ciuitate veſtigia, vt videbimus, Auguſtinus. Tertulliani ſunt illa in Apologetico cap. 11. *Sugillatio eſt in cælo veſtra iuſtitia; deos facitis crimino ſiſſimos quoſque, vt placeatis dijs veſtris; illorum eſt honor conſecratio coæqualium. Sed vt omittam huius indignitatis retractatum;*

Hh *probi,*

Viros dijs potiores, atqui apud inferos reliquerunt.

probi, & integri, & boni fuerint: quot tamen potiores viros apud inferos reliquiſtis? aliquem de ſapientia Socratem, de iuſtitia Ariſtidē, de militia Themiſtoclem, de ſublimitate Alexandrum, de felicitate Polycratem, de copia Crœſum, de eloquentia Demoſthenem? quis ex illis dijs veſtris ſapientior Catone, quis iuſtior aut militarior Scipione, quis ſublimior Pompeio, felicior Sylla, copioſior Craſſo, eloquentior Tullio? Quantò dignius iſtos deos aſſumendos expectaſſet Deus ille, ad quem reliquorum adoptionem deorum pertinere veteres ſomniabant, præſcius vtique potiorum? Properauit opinor, & cælum ſemel clauſit; & nunc vtique melioribus apud inferos muſſitantibus erubeſcit. Idem admiratur Auguſtinus lib. 2. de Ciuit. cap. 7. qui libro 1. cap 32. Scipionis cauſa patrocinatus, *tolerabilius*, inquit, *diuinos honores deferretis illi Scipioni, quàm deos huiuſmodi coleretis.* Quod etiam aſſerit lib. 2. cap. 14 de Platone. Sed in Octauio Minutius Felix aliter irridet deos iſtos ex hominibus, aut etiam ex argilla, lignoque, aut ære, vel argento ductos. *Cur enim*, inquit, *ſi nati ſunt dij, non hodieque naſcuntur? niſi fortè iam Iuppiter ſenuit, & partus in Iunone defecit, & Minerua canuit antequam peperit? an ideò ceſſauit iſta generatio, quoniam nulla huiuſmodi fabulis præbetur aſſenſio?* Scilicet plures eſſent, quàm homines, dij, & acerba irriſione dicere cum Arbitro quis poſſet: *Noſtra regio tàm præſentibus plena eſt numinibus, vt facilius ſit Deum, quàm hominem inuenire.* Et paulò poſt idem Minutius: *Tormentis ſimulacra formantur, Deus enim ligneus, rogi fortaſſe, vel infelicis ſtipitis portio ſuſpenditur, caditur, dolatur, runcinatur: & Deus æreus, vel argenteus de immundo vaſculo, vt ſæpius factum Ægyptio Regi (qui ſcilicet ex concha in qua pedum ſordes paulò ante deterſerat, idolum ſibi finxit) conflatur, tunditur malleis, & incudibus figuratur. Nec ſentit ſuæ natiuitatis iniuriam; ita nec poſtea de veſtra veneratione culturam.* Plura qui vult, ipſum adeat, qui plurima congerit in eandem ſententiam non pœnitenda, & hoc loco audiat Auguſtini verba ex 6. de ciuitate cap 7. opportunè deprompta. *Epulones deos*, inquit, *paraſitos Iouis ad eius menſam, qui conſtituerunt, quid aliud quàm mimica ſacra eſſe voluerunt? nam paraſitos Iouis ad eius Conuiuium adhibitos ſi Mimus dixiſſet, riſum vtique quæſiſſe videretur.*

Et rurſus Romani, ne abdicare tot ſi-

A mul deos cogerentur, Chriſtum Dominum cooptare in concilium illud omnigenum deorum recuſarunt. Scio equidem eius rei optimam eſſe rationem Sancti Chryſoſtomi, ſed noſtra potior, communior quidem certè, Auguſtino tradente, ſententia eſt, ne tamen lectorem hac eruditione priuemus, Chryſoſtomi verba dabimus ex homil. 66. ad populum. *Tertiumdecimum deum eſſe putauit Alexandrum Romanorum Senatus. Hic enim hanc habebat poteſtatem deos creandi, & decernendi. Cum igitur ei omnia Chriſti opera renunciata fuiſſent, miſit gentis princeps interrogatum, an eis videre-* B *tur, & ipſe deus decernendus. Illi verò non annuerunt, indignantes, & ægrè ferentes, quòd ante decretum & ſententiam ſuam effulgens Crucifixi virtus omnem terrarum Orbem in ſui traxiſſet venerationem. Hoc autem & ipſis nolentibus diſpenſatum eſt, ne mortali decreto Chriſti prædicaretur diuinitas, nec vnus de multis eſſe putaretur, qui ab eis fuerant inſtituti: Nam & pugiles deos eſſe putauerunt, & exoletum Adriani, &c.* Hæc ille. Sed audiendus eſt Auguſtinus hac ſuper re de conſenſu Euangeliſtarum lib. 1. cap. 17. & 18. non minùs verè, quàm eleganter diſſerens. *Ab iſtis*, in- C quit, *quærendum eſt, quemnam putent eſſe Deum Iſraël, cur eum colendum non receperint, ſicut aliarum gentium deos, quas Romanum ſubegit imperium, præſertim cùm eorum ſententia ſit, omnes deos colendos eſſe ſapienti? Cur ergo à numero cæterorum iſte reiectus eſt? Nihil ergo reſtat, vt dicant, cur huius Dei ſacra recipere noluerint, niſi quia ſolum ſe coli voluerit; illos autem deos gentium, quos iſti iam colebant, coli prohibuerit. Socratis enim ſententia eſt, vnumquemque Deum ſic coli oportere, quomodo ſe ipſe colendum eſſe præceperit. Proindè iſtis ſumma neceſſitas facta eſt non colendi Dei* D *Hebræorum, quia ſi alio modo eum colere vellent, quàm ſe colendum ipſe dixiſſet, non vtique illum colerent, ſed quod ipſi finxiſſent. Si autem illo modo vellent, quo ipſe diceret, alios ſibi colendos non eſſe cernebant, quos ille coli prohibebat. Ac per hoc reſpuerunt vnius veri Dei cultum, ne multos falſos offenderent.*

Chriſtum à cōcilio deorum, cur excluſerint Romani?

Quid enim hic ego memorem barbaras nationes, ac gentes, cum in ſupina quadam veri numinis ignoratione verſarentur, in vanas quaſdam erupiſſe ſuperſtitiones, quas recenſere ridiculum eſſet, niſi lacrymas excuteret ingens, quæ Deo inferebatur iniuria? nō nulli enim quod prodidit

Dij apud barbaras gentes qui

Lu-

Lucianus in Pſeudom. rudem lapidem vnctum, & coronatum inſtar Dei ſibi eſſe voluerunt. Alij ſtipitem impolitum, nec vllo opere affabre elaboratum, vt Clem. Alexandr. refert, in Protrep. alij haſtam ſi Varoni credimus; vt Scythæ gladium ſiue Acinacem adorabāt, iiſque eductis iurabant ſe permanſuros in fide ex Luciano de Amicitia, Rhodigino lib. 18. cap. 24. Ammiano lib. 31. Arnobio lib. 6. & Clemente Alexādrino in Paræneſi; ſicut Arabes tetragonum lapidem, & Celtæ arborem; & Cappadoces montem; & ligneas columnas alij ſine lapideas, quæ græco vocabulo Zoana dicuntur; & maximus Tyrius ſerm. 38. docuit *Pyramidem Deum fuiſſe creditum quem multi venerarentur*. Adeò vt, cùm Tito Liuio loquar Decade 3. lib. 7. *minimis etiam rebus praua religio inſerit Deos*. Quid quod etiam nationes penè omnes, Deos quos colebant, ſibi omninò ſimiles, & humanis laborantes affectibus effingebant? refert id ex Xenophonte Alexandrinus Clemens 7. ſtromat. Itaque apud Æthiopes viſebantur dij nigro capite, depreſſoque naſo; apud Thraces rufi, ac rubicundi; apud Arabes immanes, ac vultu feroces; apud alios aliter.

Erant igitur antiquorum dij tàm abſurdi, vt ſatis conſtaret voluntario errore trahi mortales ad eorum non veram quidem, ſed fictam adorationem, vt veriſſimè dixerit Tertullianus: ipſos gentiles honoribus, quos in illos conferebant, oſtendiſſe non agi cum verò Deo, ſed cum mutis, ac planè mortuis imaginibus, ac ſimulacris. Videri poteſt ex Tertulliani apologetico cap. tertiumdecimum à numero Pamelij 101. & caput ſecundum ſupra quadrageſimum n. 554. vbi: *ſi Arabia queruntur*, inquit, *ſciant Sabai pluris, & carioris ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari, quàm dijs fumigandis*. Quod ſi honores quibus mortui excipi ſolent conferuntur in Deos, tacito quodam ſuffragio, dij quoque mortui pronunciantur, ac proinde ex hoc etiam capite quis euincet turpiter erraſſe veteres in electione, & adoratione deorum: Nam de ſacrificijs quid dicam tàm impijs, tamque ſacrilegis, & ab humanitate prorſus alienis, vt eorū aliqua hominum cæde peragi, vel cruore debuerint? *Qui ſanguine ſuo libat*, inquit Minutius in Octauio, *& vulneribus ſuis ſupplicat, non prophanus melius eſſet, quàm ſit religioſus?* Quomodo Deum violat, qui hoc modo placat? *Hæc ſcilicet ſacra ſacrilegijs ſunt omnibus tetriora*, vt egregiè idem ille definit Minutius. Et tamen in ijs ipſis ſacris obeundis vſque adeò ſedulos, ac ſuae tenaces diſciplinae Romanos fuiſſe veterum monumenta teſtantur, vt ſaepe per media hoſtium tela viam ſibi conſtanter aperuerint, non ſine prodigio, ad ea feliciter peragenda, ne dùm Roma, aut Capitolium obſideretur, religio iam videretur eſſe captiua. Quarè minus mirabile eſt, quod in ſuorum Iudaeorum laudem celebrat Ioſephus lib. 1. de bello Iudaico cap. 5. cum falſi numinis adoratores id egerint ſine exemplo, quod Hebraeorum natio verae diuinitatis cultrix, & adminiſtra Romanis praeeuntibus perpetrauit. *Pompeius*, inquit Ioſephus loco laudato, *cum templum obſideret, Iudaeorum tolerantiam, & in alijs admiratus eſt, & praecipuè quod nihil carimoniarum inter media tela verſantes intermiſerunt; ſed, ac ſi in alta pace ciuitas ageret, quotidie ſacrificia, & victimas, omnemque Dei cultum diligentiſſimè celebrarunt; nec vel in ipſo excidio cum ad aram in dies ſingulos trucidarentur legitimis religionis ſua muneribus abſtinuerunt*.

Quæ omnia tanto turpiora videbantur, ac indigniora quàm quae Deus Optimus Maximus ferre poſſet, quo erant ab hominū mente, & cogitatione magis aliena, qui verum agnoſcere Deum poterant ſi conari voluiſſent. *Faciliùs enim*, vt loquitur S. Bonauentura apud Lorinum Sap. 13. 8. *cognoſci poteſt, quis ſit Deus verus, quàm ijs, qua colebant Idololatra diuinitatem conuenire*. Quod probat S. Athanaſius, cum ex Phidia ſtatuario ducit ſimilitudinem, *quem ſua*, inquit, *referunt opera*, ſubitque illa: *Phidiam auctorem ſuum ex commenſione, & proportione partium inter ſe, etiam abſentem, extraque contuitum poſitum repraeſentauiſſe*. Nam multò meliùs, & luculentius totus hic terrarum Orbis veri opus Dei, Deum loquitur, ac depraedicat ſuum, vt nemo ſit adeò mentis inops, aut rationis egenus, qui audita tanti operis velut concione, non credat vltrò fateaturque numinis imaginem illud eſſe, ex qua ipſum facili negotio veneturt, & aſſequatur numen. Quare concludit egregiè Tertullianus lib 4. contra Marcionem cap. 25. Deum noſtrum ſuo iure in ſapientes praeſertim potuiſſe animaduertere, qui ex opere ad auctorem inueſtigādum philoſophari recuſarunt; *Reos*, inquit, *habuit Deus ſapientes, atque prudentes, ex ipſis operibus tot, ac tantis intelligibilem Deum non requirentes, vel perperā in illum philoſophantes, & ingenia Hæreticis ſubminiſtrantes*. Et S. Auguſt. lib. de ciuit. 8. cap. 9. & 23. nominatim

Hominum cæde ſacrificia dijs fiebant.

A deſert Hermetem, atque Platonem, quos hac ſuper re eſſe inexcuſabiles aſſerit. Nec deſunt ex Patribus, qui alios philoſophorum vehementer accuſent.

Cultores Deorum ſcelerum eorundem imitatores.

Accedit ad infamem cultum Idolorum, improbitas inaudita, quæ cum abſurda Deorum pluralitate regnabat. Nam quid expectari poterat ab eo, qui Iouem coleret, niſi vt Iouis adulteria imitaretur? Dij criminũ, non numinum turba à Tertulliano aduerſus Valentin. cap. 7. non immeritò ſalutantur. Quare eius rei non planè inſcius, Deus mihi impulſor fuit, ait ille perfidus adoleſcens ſuo flagitio notior, quam aliena ſcribentis virtute. Sed alius conceptiſſimis verbis aſſerit pulchrũ B eſſe, & honeſtiſſimum eum imitari Deum, qui cæteros inter Deos Principem locum tenet, ac fulmen tractat. Quod etiam penè omnes aſſerere ſolitos docet Auguſtinus 2. confeſſion. cap. 16. Chæreæ ſunt illa profectò apud Terentium in Eunucho cum Antiphone loquentis.

Dum apparatur Virgo in conclaui ſedet
ſuſpectans tabulam
Quandam pictam, vbi inerat pictura hac: Iouem quo
Pacto Danae miſiſſe aiunt quondam in gremium imbrem
Aureum, egomet quoque id ſpectare capi, & quia
C *Conſimilem luſerat iam olim ille ludum, impendio magis*
Animus gaudebat mihi Deum ſe ſe in hominem
Conuertiſſe, atque in alienas tegulas veniſſe,
Clanculum per impluuium fucum factũ mulieri.
At quem Deum? qui templa cæli ſummo ſonitu concutit.
Ego homuncio hac non facerem, ego verò ita feci
Ac libens &c.

Et S. Auguſtinus nonne in hoc ipſo argumento diligentiſſimè verſatur cum reiecta fuiſſe in Deos ſcelera docet enarratione in pſalm. 61. *Iſte dicebat*, inquit, *quia adulterium non faciebat voluntas propria, ſed Venus; & homicidium non faciebat voluntas propria, ſed Mars; & iuſtum non* B *faciebat Deus, ſed Iouis (Iuppiter dicitur communiter) & alia multa ſacrilegia non parua.*

Non eſt itaque mirandum peſſimis moribus, atque flagitijs totum terrarum orbem redundaſſe, cum plurimis abuteretur imaginibus, quas inſtar Dei diuinis exciperet, ac veneraretur honoribus; *Infandorum enim idolorum cultura*, vt habemus Sapientiæ 14. 27. *omnis mali cauſa eſt, & initium & finis.*

Tanta ergo, tam pernicioſa, tam turpi, & Deorum, & flagitiorum multitudine fœdatum orbem terrarum eò ſe, vel nobis C tacentibus, inſipientiorem eſſe demonſtrat, quò omnium religione, imò potius ſuperſtitione, haberi religioſior voluit, ac ſapientior. Infelix, quem ipſa fecit ſapientia inſipientem.

IN CAPVT DVODECIMVM

A Num. XVII. ad XXII.

Vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam, dicentem: Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam ſpiritum meum ſuper eum, & iudicium gentibus nunciabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius: arundinem quaſſatam non confringet; & linum fumigans non extinguet, donec eiiciat ad victoriam iudicium: & in nomine eius Gentes ſperabunt.

PARADOXVM V.

Dedocendus eſt mũdus vt ſapiat, ſolo elinguium linguarũ magiſterio erudiendus.

VIDIMVS cum veri ſupina quodã ignoratione numinis, improbitatem etiam ſceptro, vt ita dicã, ornatam perfidiae regnauiſſe. Numinibus ſcilicet vel inſtituta fuit præceptoribus, vel diis quaſi prætoribus præſidibus laureata. Non alius propterea requirebatur magiſter, quàm Deus Deorum, qui errores tam ſuauiter menti inſitos extirparet; qui dedoceret voluntatem alia omnia præter veritatem, veritatiſque bona; qui denique mortalium animos rectè imbueret, diuinoque largus imbre perfunderet, & ad verum, diuinitatem ſcilicet agnoſcendam complectendamque penitùs informaret. Præceptor ille, veterum iudicio ſapientiſſimus, duplicem ab iis diſcipulis mercedem depoſcebat, qui alio prius doctore vſi, ad ſe tandem longo poſtliminio diuertebant: intelligebat nimirum laborem in iis inſtituendis adoleſcentibus geminari, ex quorum mente veteres primùm præceptiones erant non ſine doctoris moleſtia eradendæ, vt nouam

D deindè poſſent excipere nouo docentis labore diſciplinam. Incredibilis adeò difficultatis erat, eo potiſſimùm tempore, Orbem terrarum ad veritatis lumen reuocare, quo *totus iam erat poſitus in maligno*; & ad Deum cognoſcendum præceptore vtebatur illo, qui (quod habet Baſilius, & nos infra videbimus) *oſor eſt Dei*. Adfuit igitur in tempore Spiritus Sanctus, diuinus ſcilicet Magiſter, qui poſſet hæc ſimul omnia præſtare feliciter, noſque ſua pariter conſuetudine præſentiaque bearet: Fuerat quidem in terris Chriſtus, *noſter*, vt ipſe ſe appellat, *& Dominus, & magiſter*: Spiritus ſanctus optimus terrarũ Magiſter.

ſter: ſed ea videlicet inſcitia generis erat humani, & ingenij vix pauca ſubindè capientis anguſtia; ea altioris doctrinæ ratio & verè latè patens conditio diuinitatis, vt poſt primum, alium exinde magiſtrum ſuo quaſi iure repoſcerent, qui quæ ab *ipſo* Verbo fuerant enarrata, numeroſo linguarum vbique ſcintillantium, atque docentium emblemate deprædicaret, & noſtris tandē non euellenda mentibus prorſùs insereret. *Cum propterea*, inquit Tertullianus de veland. Virg. cap. 1. *Paracletum miſerit Dominus, vt quoniam humana mediocritas omnia ſemel capere non poterat, paulatim dirigeretur (alias digereretur) & ordinaretur; & ad perfectum perduceretur diſciplina, ab illo Vicario Domini Spiritu Sancto. Adhuc*, inquit Io. 16. num. 12. *multa habeo loqui vobis; ſed nondum poteſtis ea bajulare, cum venerit ille Spiritus veritatis deducet vos in omnē veritatem, & ſuperuenientia renuntiabit vobis*. Sed & ſupra de hoc eius opere pronunciauit. *Quæ eſt ergo Paracleti adminiſtratio, niſi hæc, quòd diſciplina dirigitur, quòd ſcripturæ reuelantur, quòd intellectus reformatur, quòd ad meliora proficitur? nihil ſine ætate eſt, omnia tempus expectant. Denique Eccleſiaſtes 3. Tempus, inquit, omni rei. Aſpice ipſam creaturam paulatim ad fructum promoueri: granum eſt primò, & de grano frutex oritur, & de frutice arbuſcula enititur, deinde rami & frondes inualeſcunt, & totum arboris nomen expanditur; indè germinis tumor, & flos de germine ſoluitur, & de flore fructus aperitur: is quoque rudis aliquandiu, & informis, paulatim ætatem ſuam dirigens eruditur in manſuetudinem ſaporis. Sic & iuſtitia (nam idem Deus iuſtitiæ, & creaturæ) primò fuit in rudimentis natura Deum metuens: de hinc per legem, & prophetas promouit in infantiam; de hinc per Euangelium efferbuit in iuuentutem; nunc per Paracletum componitur in maturitatem; hic erit ſolus à Chriſto Magiſter & dicendus & verendus, &c.*

Dæmon primus falſorū numinum præco.

Quoniam verò diabolus primus multitudinis Deorum præco fuerat, vt habet Chryſoſt. in pſal. 13, tunc nimirum quando Geneſ. 3. num. 5. perperam illa pronunciauit. *Eritis ſicut dy*, pœna ſtatim ſua ſupplicioque mulctatus ad terram comedendam, ſiue ſerpens, ſiue diabolus, Deo adiudicante, compulſus eſt: quod Romanus Clemens lib. 2. recogn. animaduertit: *Decebat enim vt impurum illud os terram potiùs, qua tegi obruique poſſet, ſortiretur, quàm vllis frueretur epulis, quibus impudenter exertum in profana illa*

A *verba emaculandus erumperet.* Pulcherrimo ſanè inuento vnicum tantummodò docturus Deum pluribus, & vibrantibus per aerem linguis adfuit Spiritus Sanctus, vbi ex terra neque illis, neque ſibi timere tumulum poſſet; & ſicut multiplicium ille teterrimus Deorū præco vnica lingua perorauit, ita oppoſita prorsùs ratione veræ atque adeò vnius diuinitatis aſſertor Spiritus Sanctus innumerabilibus linguis, iiſque igneſcentibus deſcendere ad concionem debuit, vt ſi minus cauſa poſſet, (qua tamen omnia poterat) tonitru ageret, & diſertiſſimis tot linguarum vociferationibus euinceret, quod fortaſſe in aura re-

Cur Spiritus Sanctus pluribus igneis linguis aduenerit.

B quies lapſus vel non impetraret amabiliter, vel etiam ſuauiter non extorqueret. Nam cur Chriſtum Dominum veriſſima ingerentē identidem dogmata illaudabili peruicaces conſtantia reiecerunt, niſi quia idem ipſe, & præco, & Iudex, & teſtis erat? Nunc tot teſtibus quot linguis emicat, & ſuam probat, ac perorat cauſam Spiritus Sanctus exitu tàm felici, vt in omnem terram ſonus eius exierit, admiſſuſque ab omnibus, & agnitus Deus linguarum multitudinem comprobauerit dignam tantummodò fuiſſe, quæ veræ diuinitati non infacunda ſcilicet oratione nauiter ancillata ſubſcriberet. Dicat igitur

C Euſebius Emeſenus *doctorem eſſe ſapientiſſimum Spiritum Sanctum*: addo etiam, *ingenioſiſſimum*; nam quia vox vnica inter tot abſonas, ac ſtrepentes mundanæ ſapientiæ voces (quæ ex vnico dæmonis verbo tanquàm infelici ſemine germinauerat; dæmone potiùs ipſo, quàm tempore obſtetricante) vix audiri, percipique poterat, non immeritò linguarum veluti exercitum adornauit; quarum inaudito clamore non aues quidem volantes (quod olim accidit) in terras deuocaret, ſed in Cælum mortalium animos duceret ad cognoſcendam, contemplandamque Diuini Numinis maieſtatem.

D In quo illud etiam, vt ingenioſè excogitatum eſt, ita feliciter accidit, quod igneis linguis auditorum ſuorum omnium capita Deo ſcilicet, *qui ignis conſumens eſt*, oppigneraturus inſedit; nempè vt ex illis aliquando capitibus non Pallas excuſſi potiùs cerebri Iouialis rea, quàm Sapientiae dea capitalis erumperet, ſed veri Dei partus linguis lambentibus expolitus, communi populorum ac gentium bono admirabilibus miraculorum prodigijs, atque oſtenſis velut obſtetricibus allaborantibus eductus proponeretur. Poterat quidem ſe ipſo Spiritus Sanctus vniuerſum terrarum Orbē inuiſere, & amico

Cur igneæ linguæ ſupra capita diſcipulorū inſederint.

lumi-

lumine conueſtire, aut etiam, ſicut olim aquas, obnubere, & ad multiplices numeroſoſque partus mirabiliter confouere: ſed homines maluit erudire per homines; & licèt ſit *lingua*, vt loquitur Auguſtinus de eſſentia diuinitatis: ita numeroſè loqui cum Apoſtolis voluit, vt ij poſtmodùm diſpertitas mortalium bono linguas communicarent; & licet *ſcriba* ſit ex Baſilio in hexamer: Scriberet in Apoſtolorum cordibus, velut in membranis, quæ totus exinde legeret terrarum orbis. Hinc illa ſunt Tertulliani de præſcriptione cap. 8. *Nationibus deſtinati doctores Apoſtoli, ipſi quoque doctorem conſecuturi erant Paracletum*. Et Auguſtinus ſerm. 185. de tempore multò etiam luculentius, & aptius in rem noſtram: *ipſe*, inquit, *Spiritus Sanctus, Apoſtolos ſuos viua lucis fonte perfudit, vt ipſi poſtmodum vniuerſum mundum tanquam duodecim Solis radij, ac totidem lampades veritatis illuminent, & inebriati nouo vino repleant, atque irrigent ſitientia corda populorum &c.*

Apoſtoli mundum doctori à Spiritu Sancto docentur

Id autem qua ratione contigerit, vt vnicus magiſter Spiritus Sanctus per diſcipulos erudire omnium corda, menteſque potuerit, ſic mihi videor poſſe etiam imperitis, per ſymbolum ſcilicet Pſaphonis oſtendere. Pſaphon quod refert Maximus Tyrius ſerm. 39. cum in occupanda diuinitatis opinione totus eſſet, conſilium capit illud quidem ab ingenio inſolens, ſed longè impudentiſſimum. Colligit innumerabiles ex eo genere volucres quòd ad humanas voces efformandas facilè dedolatur Cornices, Pſittacos, Picas, Coruos: ijs aulam implet, quam illis pro nemore regiam aſſignat, vt meliùs habitent, futuri ſcilicet Dei non ignobiles, ſiue aulici, ſiue parentes. Exinde ſingulis diebus, ac penè ſingulis horis ipſe volucrum præceptor ingrediebatur, eaſque vt dicerent: *Pſaphon magnus eſt Deus*, inſtituebat. Quid plura? tam longa, ac planè putida lectione factum eſt, vt omnes illæ aues laureatæ prodirent, nedum doctæ os inter anguſtum, Pſaphonis magnum ſcilicet, quia diuinum nomen inuoluere. Quod dum per nemora ſyluaſque, dum per fora, plateaſque certatim omnes immurmurant vbique creditus Pſaphon Deus eſt, qui ne hominis quidem nomine, quod abdicarat, dignus erat: ſic liberatæ dimiſſæque per Vrbem indiſcriminatim, & compita aues dum incredibili vocum conſenſione Pſaphonem concinunt Deum, aſtruunt ei pariter diuinitatem, diuinoſque honores, ac templa conſtituunt. Id quod Hannoni Carthaginienſi inſania ſimili percito contingere non potuit, nam exitu longè diuerſo, vtenti licèt inuento porſus eodem, vt habemus ex Æliano lib. 14. cap. 40. qui ſuo planè præſidio deſtitutus, mortalis vt antea, & Hanno ſemper audiuit. Verùm quod Pſaphoni ad inſaniam contigit aſſerendam peropportunè, longè vberius cadit in rem noſtram, cum eodem præceptore Spiritu Sancto inſtillatam ſibi in illo cænaculo de vera diuinitate doctrinam ſparſi per orbem terrarum Apoſtoli diuerſa voce, eadem ſententia vbique ſonuerint. Neque verò nouum, aut inſolens videri debet in cœnatione docentem audiri, cùm tot veterum erudita ſympoſia celebrentur: Agathonis certè conuiuia Plato Calliæ, Xenophon Ariſtaeneti, Lucianus ſeptem Sapientum, Plutarchus Gymnoſophiſtarum, aliorum alij, quibus auditorum non tàm venter, quàm mens opiparis excipiebatur epulis, & ad immortalitatem pulcherrimis, opportuniſque potionibus efferebatur, & vt Socrates mirabilia planè, inauditaque de Amore protulerit in Agathonis illo cœnaculo. Longè prorſus diuiniora diuinus ipſe amor Doctor, & amor hominum Apoſtolis aperuit, eodem pariter tempore aures ſono permulcens, flammis radiantibus vegetans oculos, linguiſque ſitientia iam pridem ora canoris imbuens, dum interim totus ipſe, per tot ſcilicet aurium, oculorum, oriumque curriculos totus in corda recipiendus erumperet, doctrinamque ibi ſuam blanditim totam effunderet, vbi ſe totum ſuauiter inſinuauerat. Et quia linguarum, quibus diuerſae nationes vtuntur incertus eſt numerus, vt patet ex Glyca in annalibus, Clemente Alexandrino 1. Stromatum, Epiphanio haereſi 37. & de ponderibus ac menſuris, Auguſtino ibid. de Ciuit. cap. 6. & Paciano Epiſt. ad Symphorian. Diuinus ille magiſter non ſolùm ita erudiuit diſcipulos ſuos vt vnica lingua, ſi vellent, audirentur, & perciperentur ab omnibus populis ac Nationibus vniuerſis, quae fuit ſententia Cypriani de Spiritu Sancto, Æcumenij, Dionyſij Carthuſiani, aliorumque: ſed ita etiam ſuis ornauit, cumulauitque muneribus, vt omnium linguarum peritia & facultate pollentes, diuerſis quanquam linguis eundem redderent Deum: qua de cauſa multiplici linguarum deuolutus agmine cænaculum omne compleuit, vt earum ſcientia impleuiſſe ſimul Apoſtolorum pectora ingenioſus planè Magiſter oſtenderet. Vide Nazianzen. orat. in die Pentecoſt. S. Cyrillum Hieroſolymit. catec. 17. S. Ambroſ. in cap. 5. epiſt. ad Rom. S. Auguſt. in

Pſaphonis diuinitatis percupidi facinus.

Cænaculũ ad docendũ peropportunum.

in fine tract. 93 in Ioannem. S. Gregorium magnum homil. 30 in Euang. alioſque.

Apoſtoli à Spiritu Sancto rationales in volucres commutantur

Atque, vt intelligas Apoſtolos rationales fuiſſe volucres Spiritus Sancti, qui eos de Cœnaculo, vbi magiſterium exercuerat, liberauit eo conſilio, vt ſuae tenaces doctrinae, dum procul auolarent, eam quoque procul, & in vltimos transferrent fines, Hugo Cardinalis aſſerit *factum eſſe repentè de Cælo ſonum tanquam aduenientis Spiritus vehementis, id eſt*, inquit, *vehentis*. Nam reuera Sanctus Spiritus implumes illos in cœnaculi nido pennis non homini datis conueſtiuit, diuiſit, impulitque, ac vexit per orbem terrarum vniuerſum. Ve ſanè Apoſtolorum vnuſquiſque poſſet vſurpare S. Paulini verba, quibus Natali 4. S. Felicem alloquitur, & cum Spiritu Sancto ſuauiſſimè congredi:

In gremium tranſlata tuum cunabula noſtra
Et tuus eſt nobis nido ſinus: hoc bene foti
Creſcimus, inque aliam mutantes corpora formam,
Terrena exuimur ſtirpe, & ſubeuntibus alis
Vertimur in volucres &c.

C Nam reuera in rationales, vt dixi, volucres commutati doctique mittuntur pariter à Spiritu Sancto in omnem partem, vt vbicunquè Sol corpora radijs afficit, ibi Apoſtoli doctrinæ lumine mentem perſuadant, corda conficiant. Quare vbi 2. Petri cap. 1. 21. Habemus: *Non voluntate humana allata eſt aliquando prophetia. ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines*: legunt Vatablus, & Caietanus: *Spiritu Sancto impulſi, & agitati*. Sed clarius in rem præſentem loqui videtur Chryſoſtomus hom. 4 in cap. 2. *vides quemadmodùm veluti alati Orbem terrarum percurrerent*. Et iterùm ille ipſe Chryſoſtomus; *conſpicies hic*, inquit, *Apoſtolos eſſe volucres terram, mariaque percurrere &c.* volucres, inquam, non Pſaphonis, ſed Spiritus Sancti, cuius doctrinam conſtanti ſemper, tenacique confeſſione protulerunt, & proferunt in præſentia per eos, quos ſapientiæ ſuæ, hoc eſt, patrimonij luculentiſſimi hæredes reliquere. Hinc Petrus & Ioannes act. 4. 20. mirantibus reſponderunt Iudæis: *non poſſumus quæ vidimus, & audiuimus non loqui*. Et apud S. Gregorium lib. 4. dialog. cap. 14. Abbas ille nobilis Equitius. *Cum voluero*, inquit, *de Deo tacere non poſſum*. Id quod re ipſa confirmauere ij Antiſtites martyrio ſuo perilluſtres, quibus

A cùm Vandali minarentur vt loqui de Deo deſinerent & planè conticeſcerent, lingua tamen abſciſſa diuinitùs loquebantur, vt narrat idem Gregorius Dialog. lib. 3. cap. 32. quibus ſimilia leges apud Euagrium lib. 4. cap. 14. ex Procopio; apud Vict. Vticenſ. lib. 3. apud Metaphraſtem ex Chryſoſtomo in vita S. Romani, quam reddit Surius tom. 6. menſe Decembri; apud eundem Surium tom. 4. in S. Eugenio ex Victore Vticenſi lib. 2. c. 22. & apud Iuſtinianum Imperatorē in codice de off. Præf. Praet. Afric. Nec mirum loqui eos, qui dum loquuntur, non ſua, ſed præceptoris vtuntur lingua Spiritus Sancti.

Sancti non nulli abſciſſa lingua diuinitùs loquūtur.

B Audi Durandum in rationali diuini officij ad feſtum Pentecoſt. hoc ipſum quod nos aſſerimus aſſerentem: *ipſe*, inquit, *eſt lingua quæ de occulto ſuæ bonitatis verbum protulit in vtero Virginis, & profert verbū in corde hominis*. Matth. 10. num. 10. *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis &c.* Et *ego dabo vobis os, & ſapientiam &c.* & de S. Stephano, Act. 6. n. 10. habemus illud in Actibus: *Non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui qui loquebatur*. Audi denique Gregor. hom. 30. in Euang: *quiſquis Spiritu Sancto tangitur, Dei Verbum, ſcilicet filium confitetur, & negare non valet, quia iam Spiritus Sancti linguam habet &c.* Quare ſi falſò Calliſtratus diuinum afflatum Rhetorum linguis ineſſe memorabat, nos contrà veriſſimè poſſumus enunciare, Apoſtolorum, aliorumque diſcipulorum linguas non ſolùm Dei afflatu, ac flamine agi, ſed in ipſam Dei loquentis linguam eſſe conuerſas.

Sanctorum linguæ à S. Spiritu afflantur.

Exiſtimabant olim Iudæi facilè futurum vt ſublato per crucem Verbo, quo ſæpè numero loquente, *diſſecabantur cordibus ſuis*, dentibuſque ſtridebant; nemo vnus eſſet qui pro illo, aut eius vnquam loco loqueretur: ſed ſua eos decepit improbitas, nam eius vnica lingua in corde terræ ex-

D cepta, non obruta (vt ipſi ſperabant) ſemen linguarum fuit vbique ſonantium, vbique loquentium, & quidem multò veriùs quàm dentes illi fabuloſi ſemina hominum fuerint ſeſe mutuis vulneribus conficientium; & ecce ſeges hodierna die linguarum cum fœnore per aëreos campos glomerata teſtatur mortuum eſſe Verbum, vt multi pro Verbo loquerentur, ac viuerent. Lingua Ciceronis euulſa, credebat Antonius nullius ſua ſcelera poſſe ore perſtringi, ſed verè Martialis lib. 6. epigr. 65.

Sublato per crucē æterno Verbo, multi pro illo loquuntur.

Quid proſunt ſacra pretioſa ſilentia lingua?

Inci.

Incipiunt omnes pro Cicerone loqui.
Et lib. 2. ep. 82. de Pontico locutus

Abſciſſa ſeruum quid fingis Pontice lingua:
Neſcis tu populum, quod tacet ille, loqui?

Quibus non diſſimilia verba Baſilius Seleucienſis orat. 18. de Baptiſtæ decollatione nobis reliquit: *poſt iugulationem*, inquit, *ſuperſtes tibi eſt accuſator, plena criminum tuorum terra, audaciam maria ipſa mirantur. Linguam vnam ſuſtuliſti; ſed vice linguæ Ioannis totus eſt mundus, ad te accuſandum creatura plena vocis eſt &c.* Ita prorſus linguarum vt aurea, ita ſeminalis pluuia, è Cœlo ſe dabit, & igneo quodam inuadet ſpiritu, ac perfundet vniuerſum, non vt obruat, & aggrediatur ad mortem (quod mundo olim ſeneſcente contigit) ſed vt informet ad vitam, de qua ſola in voces erumpent ſuas, hoc eſt, planè vitales omnes Apoſtoli, diſcipuli omnes, & quicunque Chriſto Domino nomen dederunt multiplici linguarum fœtu præferendo nobiles vitæ partus edent, quibus non Iudæi modò, ſed gentiles etiam ac barbaræ nationes perfruantur. Loquentur omnes pro illo Verbo quod ſuſtuliſtis, & eius cauſam cum clamore valido perorabunt vobis licèt reluctantibus, ac prorſus inuitis. Audient omnes, qui vos audire noluiſtis verba vitæ æternæ, & vobis vbique locorum obſurdeſcentibus excitabuntur ſuo de veterno ij, quibus non eſt annunciatum de Chriſto, qui Deũ penitùs ignorauerant. Cicero, de quo paulò ante locuti ſumus, poſt mortem ſuam, quando vox nulla ſupererat, quando abſciſſa iam lingua erumpere verba non poterant, tamen vt habet Silius Italicus lib. 8.

Super Gangem ſuper exauditus & Indos
Implebit terras voce —

Idem planè contigit Oratori diuiniſſimo æterni Patris Verbo, vt omnium tunc ore loqueretur, cum loqui non poterat ſuo, & audiretur Chriſtus vbi non erat, qui vbi aderat non audiebatur ab ijs, qui aures cùm afferrent, audiendi aures non habebant.

Populi quidam diuiſam linguã ſortiti.

Narrat lib. 2. cap. vlt. Diodorus Siculus, & ex illo Maiolus colloquio 2. *§. fuit, & Pallantis corpus &c.* & *§. Vbi. hac ſola &c.* In Inſula quadam Oceani Meridiem verſus homines fuiſſe, qui diuiſam haberent linguam, & inferiore ſui parte ita ſciſſam, vt ab radice duplex eſſe videretur. Hos autem homines eius linguæ beneficio imitatos auium diuerſarum cantus, & cum duobus ſimul hominibus, tum reſpondendo, tum diſputando appoſitè, perfectèque locutos; nam hæc linguæ parte vni, illa verò alteri ſatis ſuperque faciebant. Quæ ſanè omnia ex Diodoro Siculo commemorata eò ſpectant, vt miracula longè maiora credamus. Nam ſi diuiſam ſortitæ linguam Oceanitides illæ gentes potuerunt duos, eodem tempore ſuis vocibus conuenire, longè mirabilius eſt, Apoſtolos vnius indiuiſæ linguæ beneficio tot populis, & linguarum, & morum diſſimilitudine planè diuerſis occurriſſe, omneſque pariter ad capeſſendam veritatem, cuius tantummodò præcones erant, compuliſſe: quanquam non vacat myſterio Act. Apoſt. cap. 2. num. 3. pars illa, quæ linguas adfuiſſe tam multas, cæleſtique igne fœtas prodit; nam vbi communiter legimus, *& apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis.* Alij codices habent; atque ita etiam vertit S. Cyprianus lib. 3. teſtimon. cap. 101. *& viſæ ſunt illis linguæ diuiſæ quaſi ignis.* Cum qua lectione ſi copules Pauli verba ex græco fonte tranſlata; tum demùm intelliges Apoſtolis nec linguas defuiſſe diuiſas, & verè ſermonem eoſdem diuidere cum multis potuiſſe, ait enim Paulus 2. ad Timoth. c. 2. n. 15. exhibuiſſe ſe miniſtrũ, *rectè ſecantem verbum veritatis.* Vbi nos legimus, *rectè tractantem.* Sed diuiſione linguarum verborumque opus non eſt, vbi ſua cuique præſto eſſe lingua, ſuum cuique obſequi verbum poteſt; Verbum, inquam, veritatis, quæ Solis inſtar tota ſimul ſine aliorum præiudicio ſingulorum eſt, vnique tota ſemper exoritur; acſi cæteros planè negligeret, cùm tamen egregiè, & eodem prorſus modo ſeruiat vniuerſis. Illud potiùs ſit hoc loco admirabile, prodigioque ſimillimum, quomodò ſcilicet Apoſtoli tanquam Hercules Gallici, verbis tanquam catenarum annulis allaborantibus, tot populos ad ſe trahere potuerint, & ad veritatem cognoſcendam, complectendamque ſuauiter allexerint, ac ſi eſſent Pitho, Suadæque medulla. Licet enim veriſſima ſit iſta ſententia Clement. Alexandrini lib. 3. pædag. cap. 12. *Equus fræno ducitur, Taurus iugo, Fera laqueo capitur, Homo autem verbo transformatur.* Quare Cleopatram plurimùm celebrat Dio lib. 42. quod in eius voce, *ſummus exiſteret lepor, ita vt quiſquis illam loquentem audiret, amore concideret &c.* Non tamen vſque adeò vera eſt, vt omnia verbis confici poſſint. Sed vbi verba diuini Spiritus, amoriſq; ignibus imbuuntur, tum demùm

Quot Apoſtoli tot Hercules Gallici.

veluti

veluti diſploſa clementer tonitrua ad ar- A cem cordis pertentandam, ac ſubeundam plurimum poſſunt. Atque vt habemus in fabulis, certas aliquando tubas eo artificio fuiſſe conflatas, vt eodem tempore, quo alicuius ſpiritu animarentur, in ſonum pariter, ac flammas erumperent, vt fulgura non minus, quam tonitrua de tubis, veluti de nubibus exire viderentur; ita prorſus ex Apoſtolicis tubis vox ab igne maritata procedebat, vt flammis ſimul, ac verbis diſſeminatis nihil planè non poſſet. Quæ ſanè vocis potentia ſemper quidem ijs præſidijs inſtructa ſe prodit alacriter, ſed præſertim ſi multiplici quadam B linguarum ſimul accinentium, & conſentientium choro muſicam veluti ſymphoniam repræſentent; vt ſit enim cantus ad id, quod velis, impetrandum potentiſſimus, certè ad extorquendam gentium conuerſionem nihil illo eſt opportunius, aut magis idoneum. Braſilienſes populos hac primum ratione dediſſe manus; nec tam Euangelio quam cantu delinitos ceſſiſſe, & Chriſti Domini dogmata, doctrinamque ſuſcepiſſe teſtis eſt Orlandinus lib. hiſtoriarum Soc. Ieſ. 12. Nam cum amore trahamur vniuerſi vt habet Auguſtinus, muſica nil mirum ſi trahat, cum carmen ſit amatorium. Ezechielis certè C 33. num. 32. vbi legimus, *et eis quaſi carmen muſicum*. Legit hebræa dictio, *carmen amatorium*. Vt intelligas amatorium, & muſicum conuenire, ſi non vſquequaquè ſint idem, cum docere muſicam ſit amoris officium. Eſt muſica ſine dubio voluntatum regina, clauesque gerit, quibus earum ſecreta arbitratu ſuo rimatur, ac videt, vt non minus ab antiquis picta, dictaque ſit tanquam Maga rerum ſenſu animaque carentium, quam reuera cordium Tyranna mortalium cenſeatur. Non erit igitur abſurdum aſſerere, Deum qui Braſilienſes traduxit ad ſeſe; & olim, quod habet Auguſtinus Epiſt. 5. ad Marcellinum *tanquam expolitiſſimum carmen condidit* D *mundum*: in numero ſcilicet, pondere, atque menſura; vel inſtar muſici concentus, vt idem ex Iſaia iuxta 70. ep 28. contendit Auguſtinus: *qui profert numeroſè ſeculum*: non erit, inquam, abſurdum aſſerere eundem in præſentia Deum in hac noua mundi molitione, in qua cælum nouum, nouamque terram ſe conditurum eſſe promiſerat, voluiſſe vt Apoſtoli, quibus miniſtris ad renouandam per Spiritum Sanctum faciem terræ feliciter vtebatur, veluti cantores peritiſſimi linguarum omnium præſidio muniti, aut etiam velut Orphei quidam alati toto ſpectante, & ad-

Fabuloſæ quædam tubæ in ſonum, ac flammas erumpentes.

Braſilienſes muſica ad Deum conuerſi.

Muſicæ vis ad animos permouendos.

A mirante terrarum orbe viderentur, & approbatione mirifica, voluntatumque facta penitus deditione ab omnibus audirentur; quippè in vnumquemque Apoſtolorum S. Leonis verba caduot peropportunè ex ſer. 1. de Pentecoſte in rem noſtram allata. *Nec dubium*, inquit, *in illo omnium humanarum vocum exultante concentu maieſtatem S. Spiritus fuiſſe præſentem &c.* aderat, inquam, vt Bonæ cuiuſque artis, ita etiam muſicæ Magiſter Spiritus Sanctus, qui qua manu, qua lingua, qua habitu loquentium diſcipulorum; ſiue canentium ora, linguas, & verba temperaret, vt auditores inaudita ſuauitate deliniti cedere cogerentur, ac ſequi non B inuiti trahentem per homines Deum. Cum miratur Eunapius Euſtathij, ac prædicat eloquentiam. *Eius*, inquit, *lingua facundia, labijſque inſidens lepor, ſimile quiddam præſtigijs magicis obtinebant Sermo efflorescebat ſuauis, & placidus, & tanta eum gratia effundebatur, vt qui vocem hominis audirent, obliti ſui, tanquam qui lotū degustaſſent, à verbis illius penderent: adeò non multum aberat à Sirenibus muſica ſuauitate loquentibus &c.* Sic etiam Plato in Protagora, cum eius grauiſſimam facundiam celebrat, artemque mirabilem conciliandi ad ſeſe, trahendique diſcipu- C los: *Eos*, inquit, *ſingulis ex oppidis, per quæ circumuagatur, ſecum ducit incredibili eloquentiæ dulcedine eos mulcens, tanquam Orpheus quidam & alliciens &c.* Cur non igitur hoc ipſum de quolibet Apoſtolorum aſſerere poſſumus, cum eorum vnuſquiſque maiore miraculo tanquam vera Siren, aut Orpheus innumerabilium ſuauiſſima temperatione vocum comitatus mundum ſit aggreſſus vniuerſum, vt non tam ille, quam numeroſus ex ore canentium Chorus prodire videretur?

Mira Euſtathij eloquentia.

Faceſſant igitur aliquando Iudæi, ſeſeque omninò ſubducant, neque amplius D inani quadam tergiuerſatione Apoſtolorum nitantur argumenta conuellere, verborumque pondus eludere. Nouam doctrinam, ſententiaſque, ne malo ſuo irrideant, aut cognitæ iam veritati turpiter aduerſentur. Non eſt ebriorum oratio illa ſuis planè librata ponderibus, neque eorum qui de mente, quod vos ſomniatis, ſint penitus exturbati. Nam *hora diei tertia* ebrios non arguit; nec excuſſus dè mente dici poteſt, qui vos voluntariæ ſtultitiæ ſpontè deuotos reuocare conatur ad ſanitatem; niſi fortè Apoſtoli, vel eò ſint ebrij vino, de quo Peripateticorum principis illud effatum eſt: *Vinum*

&

Apoſtoli quo vino ebrij.

& medicus ſanant, vel certè illo potiùs, *quod ſi quis hauriat*, vt idem prodidit, *veritatem illicò prodit ac prædicat*. Nam reuera Spiritum veritatis exceperant, & largè de illo fonte potauerant, qui veritas eſt, quique veritatis veluti ſymbolum linguas igneas ſecum ipſe deduxit: meliùs enim ego dixerim igneam linguam inſigne veritatis eſſe, quam aſſeruerit Pindarus, & habemus ex Pierio lib. 46. *Ferream linguam eiuſdem Hieroglyphicum veritatis*. Nam ſi ferrum in fornace contumax ſuam non deſerit imò perficit naturam, ſi aduerſis impotentis mallei potiùs vegetatur, quàm cedat ictibus, multò hæc

Igneæ linguæ veritatis inſigne.

B omnia magnificentiùs, addo etiam veriùs igneæ linguæ conuenient, quæ ferrum ipſum tandem abſumit. Quod ſi olim Plato campum veritatis eſſe quendam, in cuius contemplatione animæ recreentur ſomniauit in Phædro; & ex altera parte contendunt aliqui, vt refert Dio Pruſæus orat. 35. apud Indos fontem quendam fuiſſe myſticum, atque ſacrum, vnde Brachmanes potare conſueuerunt, quem nominabant fontem veritatis: quis non videt multò meliùs cœnaculum illud campum veritatis Apoſtolis extitiſſe, in quo dulcedinem veritatis ex ipſo veritatis fonte Spiritu Sancto eouſque potarunt, vt ebrij dicerentur? credo equidem: nam & Chaldæi homines exiſtimabant ſiue per imitationem, ſiue per puritatem Deo coniunctos diuinitùs inebriari, aut quod putat Gemiſtus Platonicus apud Eugubinum lib. 9 cap. 15. *diuinis quà bonis, quà pulchritudinibus ſaturari*. Quid ergo mirum ſi tot capitibus tàm proximi Deo cùm eſſent Apoſtoli feliciter ebrij, diuinas pulchritudines ac bona, verbumque bonum vbique locorum, & gentium eructarent? *Infelix planè fit ille* (vt loquitur B. Petrus Damianus ſerm. 2. de S. Matthæo) *qui ſe à vino Sancti Spiritus ſeruat abſtemium, & pulmonem portat vini carnalis acroribus æſtuantem, cuius venter epulis, atque potationibus intumeſcit, & ſpiritualis gratia vinum in ſui cordis cellario non recondit &c.*

Homines Deo coniuncti inebriantur.

Verùm cur diutiùs ſilentio premamus oraculum Chriſti Domini, quo nil aptius in rem noſtram, aut apertiùs poteſt afferri. Ioan. 14. 26. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*. Egregius ſanè doctor datus nobis nouiſſimis Euangelij temporibus, antiquitus adumbratus celeberrima illa nube, de qua 1. ad Cor. 10. 2. mentionem facit S. Paulus: Hæc illa nubes eſt, qua duce per annos qua-

A draginta iter fecit per deſertum populus Iſraël. Nubes, inquam, quæ per noctem igneo ſplendore lucens præcedebat, vel protegebat. Si quæras quid ſignificet huiuſmodi nubes? Theodoretus in 14. Exod. reſpondet his verbis. *Imitabatur nubes gratiam Spiritus*. Quò breuiùs, eò accommodatius. Inſtar gratiæ Sancti Spiritus ea nubes eſt, quæ nocturnas diſcutit tenebras nitore ſuo, vt intelligamus caliginem ignorantiæ, dum per deſertum noſtræ mortalitatis gradimur, illuſtrari luce ſupernæ ſapientiæ, quam à Sancto Spiritu accipimus. Hùc reuoco nubem illam, de qua Matth. 17. fit mentio cum transfigu-

Nubes Iſraëlitis præfulgens figura S. Spiritus.

B rato in monte Thabor Domino, dicitur nubes obumbraſſe, ſeu texiſſe faciem cæleſti donatam luce, & Solis inſtar micantem. *Ecce nubes lucida obumbrauit eos*. En iterùm nubes lucida dicitur: Nubes ſanè, quae Solem ab oculis eripiunt obſcuræ potiùs ſolent eſſe, quàm lucidae; & haec, quae obumbrare debebat, ab vmbra potiùs, quàm à luce laudanda videbatur: ſed tamen dicitur nubes lucida, & meritò: Quia nimirùm haec nubes Sanctum Spiritum repraeſentabat, qui eùm maximè illuminat, dicitur obumbrare. Vnde Archangelus Virginem alloquens dicebat Lucae c. 1. num. 33. *Spiritus Sanctus*

C *ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*. Caeleſtis ſapientiae lumine donanda dicitur Maria, erudienda ſcilicet Spiritu magiſtro, & edocenda ſupernam Theologiam. Vides nubem lucidam: hoc eſt, nubem quae dum obumbrat lucis ſuae radios vndequaque diſpergit. Vis noſſe quae ſit iſthaec nubes? reſpondeo iterùm eſſe Spiritū Sanctum, dum præceptoris fungitur officio: ſic Chryſoſtomus, ſic Origenes, alijque, & nominatim B. Damaſcenus orat. de transfiguratione, ſic loquens: *Nubes autem obumbrauit, Spiritus nimirùm fulgorem depingens. Omnia autem lucida, ac eximio quo-*

D *dam, & ſingulari ſplendore prædita ſunt ijs, qui lucis capaces ſunt: quorumque animus conſcientiæ ſpurcitie haudquaquā inquinatus eſt*. Vides quàm egregiè, quàm laudabiliter nubes lucida repraeſentet Spiritum Sanctum, quippè qui ita illuminat nitore ſuo, vt etiam nubes ipſas natura ſua ſubobſcuris vaporibus, terreiſque exhalationibus tenebricoſas, facit ſpleneſcere. Occulta diuinitatis myſteria, & ſecretiora ſanctitatis arcana caliginoſa veluti nubes tetrae nocti videbuntur ſimilia, ſi animus conſcientiae ſpurcitie inquinetur: at verò ſi ſceleris pura mens ſit, ſi vita integra, vno verbo, ſi Spiritus San-

Sancto Spiritu adueniente errorum tenebræ fugantur.

ctus

ctus adſit, omnia lucida, atque eximio quodam, & ſingulari ſplendore prædita ſunt, vt Damaſcenus monet.

Sanctus Spiritus Soli confertur.

Perpulchra ſanè planèque illuſtris S. Cypriani comparatio eſt, qua Sanctum Spiritum confert cum Sole. Sic enim habet epiſt. 2. ad Donatum. *Vt ſponte Sol radiat, ita ſe Spiritus Sanctus cœleſtis infundit*. Porrò Solem pro Sapientiæ ſymbolo ſumendum, non ſuperſtitioſa Ægyptus, ſed diuinæ oraculum Sapientiæ docuit: ſic enim lamentantur Sap. 5. profeſſores mundanæ ſapientiæ. *Sol iuſtitiæ non illuxit nobis*. Non loquuntur de viſibili hoc Sole, qui ſiderum princeps eſt; Is quippè ſuper bonos, & malos ſine diſcrimine oritur vt habetur Matth. 6. ſapientiæ igitur donum, Cypriano auctore, Sancto Spiritui tribuendum eſt, cùm errorum noſtrorum tenebricoſam noctem Sol verè aureus illuminet. Docet igitur Spiritus Sanctus tanquam magiſter verus, & optimus verum Deum; docet veritatem, ac res diuinas, atque omninò nos inſtruit quid loqui, quid docere alios debeamus, & quid inuicem ab illis audire nos deceat hæc enim omnia ex ijs, quæ diximus colliguntur.

Illud ſupereſt tantummodò vt videamus verum in nobis omnibus Spiritus Sanctus, nobilis planè hoſpes, domicilium inuenerit, ac proinde ſuis ditauerit, ornaueritque muneribus: agnoſcimus ne verum Deum, an illo potiùs reiecto idolum aliquod colimus? *in hoc profectò conſtat*, ait B. Petrus Damiani ſer. de Spiritu Sancto, *quia Spiritum Dei habetis, ſi Deum verè cognoſcitis, ſine cuius videlicet munere*, vt idem ipſe paulò ante protulerat, *nec ad agnitionem Dei qualibet ratione pertingere, nec ea quæ Dei ſunt poſſumus aliquatenus penetrare &c.* Si terga Deo vertimus vt Idola fingamus, ac veneremur, nobiſcum nec Deus eſt, nec Spiritus Sanctus. Sed qua quis tandem ratione hoc ſuper ſe verum à falſo ſecernat ne ſe omnino decipiat? interuenit hic opportunè Philo Hebræus, & Sanctus Ephrem ſubſcribit. *Quicquid*, inquit Philo, *magni fit præter Deum, idolum eſt*. Et S. Ephrem ſerm. ad pietatis certamen exercens: *quod quis*, inquit, *diligit, illud ſibi Deum conſtituit &c.* A quibus diuerſus non abit Sedulius; imò ad illa S. Pauli verba ad Romanos 1. *Gratias ago Deo meo*, luculentiùs eandem tractat, comprobatque ſententiam: *Natura*, inquit, *Deus omnium eſt meritò, & voluntate paucorum: Non enim poteſt Deum ſuum dicere is, cui venter Deus eſt, aut cui gloria ſeculi & pompa mundana, aut potentia rerum caducarum Deus eſt. Quicquid vnuſquiſque ſuper cætera colit, hoc illi Deus eſt*. Si ergo nos alia omnia præter Deum diligimus, ſi neglecto Deo mortalibus & caducis rebus inhiamus, actum eſt; Idola tam multa nobis conſtituimus, quàm multa ſunt illa quæ ſectamur amaſij: ac proinde vel Deum hucuſque non agnouimus, vel, quod peius eſt, volentes libenteſque reiecimus. Præterea: *Si Spiritus Sanctus*, vt loquitur Beda, *quos replet ardore, & loqui facit ardentes ex ſe, loquentes de ſe &c.* Si quis eos interrogaret: *qui ſunt hi ſermones quos confertis ad inuicem?* quid diceremus? ſi quis etiam nos identidem vrgeret, vt ſciret quem potiſſimùm referant verba quæ promimus, an poſſemus aſſerere: dedit mihi Dominus linguam eruditam, ex qua quicquid loquor erumpit? nemo non linguis nouis, vt Apoſtoli, loqui vellet; cur ergo non loquitur, cùm in eius ſit poteſtate? *Loquitur linguis nouis*, ait Gregorius de Aſcenſ. *qui ſermonem habet de rebus diuinis &c.* Sanctus Ephrem, teſte Amphilochio, in eius vita, vidit in concionantis os Baſilij igneam linguam intrare. ſed reſpondebant huic linguae conciones ex igne diuini amoris ardentes, vt audientium quilibet exclamare poſſet: *nonne cor noſtrum ardens erat dum loqueretur?* Atque hoc erat votum Origenis, qui cùm ex ſententia ſua docuiſſet igneos eſſe debere concionatores, qualis Ieremias, in cuius ore poſuit Deus verba ſua ignem. Ierem. 5. 14. quales Apoſtoli, quibus idem Deus linguas igneas miſit, ſtatim ſubdit hom. 1. in pſalm. 38. *Vnde*, inquit, *mihi hoc, vt lingua ignis veniat in cor meum, & de lingua ignea ego quoque proferam ſermonem, vt ex me velox ſermonibus meis accendatur ignis in cordibus auditorum &c.*

Prauæ animi affectiones hominibus idola.

Igneas de Deo loquentes linguas Sanctus Spiritus impertitur.

Nos verò cùm ſæpè profana verba miſceamus, & alienam interdùm etiam famam depopulemur; aut eos libenter audiamus qui alienæ exiſtimationi detrahendo inſidiantur, quid eſt quod nobis tantoperè blandiamur vt credere poſſimus Spiritum Sanctum per nos loqui, ſi veriſſimè pronunciauit illa Bernardus; *detractor, & libens auditor, vterque Diabolum portat in lingua &c.* Cùm enim lingua per verba tanquam per vehiculum eum ferat, cuius eſt lingua, ſi Dæmonem verba reddunt, linguam quoque Dæmonis habere nos in confeſſo eſt. Atque vt olim C. Marius & Q. Catulus cùm de victoria diſputarent, quorum potiſſimùm opera militum fuiſſet comparata, decreuerunt, vt

Detractores Dæmones in ore ferunt.

tela

tela omnia in mortuorum corporibus fixa cernerentur; nam tela Catulianorum inſcriptum Catuli nomen gerebant? Sic mihi videor poſſe decernere; ex oris arcu verba dimiſſa tanquam miſſilia, eius nomen referunt, ex cuius lingua veluti pharetra promuntur: nomen ergo cùm ſit dæmonis: eius etiam erunt pharetra, & ſagittæ, lingua ſcilicet, & verba loquentis. Nihil, mihi credite, tàm prodit hominis ſenſa, pectuſque reſerat noſtrum, iubetque ſine vitrea feneſtella (quam Momus deſiderabat) patere omnibus, quàm lingua, illa cordis eſt nuncia, illa mentis interpres, illa pectoris clauiger, & à ſecretis; per illam aliena ſecreta rimamur, ſcrutamurque aliena, vel nolentes arcana.

Lingua cordis ſecreta patefacit.

Vidiſtis opinor in Horologij fronte indicem vt ſuſquè dequè horarum per interualla irrequieta illa, ac ſenſus planè ſugiente vertigine rapiatur, vt ſingulas horas aptè, congruenterque diſtinguat, deſignetque etiam non petenti, cur, oro vos, non eandem ſemper horam ſignat, non in eodem ſigno ſemper inſiſtit, non eadem ſemper immutabilis veſtigia premit? cur gyrum continenter obambulat, nec vno ſemper in loco eſt, niſi quia tota interiùs machina variabili ſemper mutatione prolabitur: cùm ergo illi reſpondere debeat index adamuſſim, nihilque debeat oſtendere niſi ſibramentis interiùs rotiſque commotus atque compulſus, mirum non eſt ſi multiplici ſe quadam ratione componat, ſeſeque hinc indè, & ſuſquè dequè promoueat ad arbitriũ ſcilicet eius, qui præſidet intus, quique obſcura illa ac planè labyrinthæa Princeps ſe iactat in aula; ex quo ſit, vt index ille ſit pariter index, & proditor; cum nihil planè in arcano illo molimine conficiatur, quod foris ille non monſtret, nuncietque pro varietate ſtatus diuerſas planè ſpectantibus lucis vel noctis horas; ex cuius ſcilicet nos indicio ſtatim deprehendimus, vtrum numeroſa illa ferramenta rotæque diſcordi ſecum ipſæ ſeditione laborent, an dulci, atque optanda planè concordia perfruantur. Ita prorſus eſt: hominis præcordia referunt horologium vndique ſeptum concluſumque, quod ſola lingua velut index recludat omnibus omninò fideliter, hæc viros fœminaſque traducit: ſi quod in nobis vitium eſt, aperit; ſi quod venenum, ipſa propinat: perparcè igitur loquantur viri, parciùs fœminæ, ſi me audient, & intelligent ſuam ipſarum naturam bonam, malamue hoc vno linguæ, vel ſe continentis, vel effuſè volitantis indicio tanquam præconis voce prodita

Lingua horologij indici cōparatur.

celebrari. Narrat Hugo de S. Victore ſerpentem reperiri lethali maximè veneno longè mortiferum, cuius proindè vim eludere vitalia ſtatim viſcera peruadentis, pertundentiſque nulla pharmacorum probata felicitas queat; huic tamen natura malo, ne hominis ſolùm nouerca, & nulla ratione mater videretur, opportunè conſuluit. Quippè ſerpens tintinnabulo inſtructus eſt, quod, dum mouetur, & ambulat etiam ſi nolit, ita perſtrepit inſonatque, vt nemo niſi planè ſtolidus, ac ſui ſcilicet oblitus cauere diſcrimen, & ab illo ſe periculo ſubducere innocenter non poſſit. Sed hoc Hugonis exemplo quid aliud agimus, quàm vt oſtendamus fœminas (quod earum bona cum venia dictum ſit) eſſe veluti ſerpentes, nam & hebraicæ linguæ periti, aiunt idem nomen Euam ſine aſpiratione ſignificare, eaque addita notare ſerpentem; vt inter hunc, & fœminam nihil planè videatur intereſſe, quàm tantulum hoc aſpirationis vnius. Si ergo fœmina tanquam ſerpens venenum gerit in pectore, ne ſe ipſa ſaltem per linguae tintinnabulum prodat atque traducat, abdat illud, & dentium vallo, vt Homerus loquitur, ſepiat, ac recondat; fortaſsè dum tacet, dum ſuo ſe ſilentio inuoluit, ſerpens ſi non eſſe deſinet, deſinet credi, viderique; & quod certiſſimum eſt, verborum virus non promet, cuius afflatu ſe ante, quàm alios perditum eat. Nam Spiritus Sanctus, qui tot linguarum amabili ab illo volumine, tanquam loquendi magiſter deſcendit de cælo, voluit nos etiam ad ſilentium erudire, quod ex eo colligi poteſt, quia linguas, quas attulit licèt innumerabiles, licèt igneas, atque præferuidas, omnes tamen ſilentes, & nullo murmure, ſibiloque reſonantes induxit; ventumque loqui, quàm linguas maluit, ad mortalium ſcilicet eruditionem; comprobauitque dictum illud Platonis: *Magiſtros loquendi habemus etiam homines, tacendi Deum.* eius enim ſolius eſt perfectionem docere; *ſi quis autem non offendit in verbo, hic perfectus eſt vir.* Atque hoc illud fortaſsè eſt quod indicare voluit Catech. 17. Cyrillus Hieroſolymitanus. *In ſpecie*, inquit, *linguarum ignearum ſedit ſupra ſingulos (Spiritus ſcilicet Sanctus) vt noua coronæ ſpirituales per linguas igneas imponantur capiti illorum*, &c. Nam qua tandem alia ratione in coronas linguæ pulcherrima transformatione vertantur, quàm per ſilentium? de quo ſanè eſt apud Stobæum ſerm. 35. Euripidis in Penthen. illud elogium: *decorum ſilentium corona eſt viri boni*, &c. Vt mihi quidem cum ſuas nobis,

Mira ſerpētis cuiuſdã natura.

Fœminis maximè tacendum.

Spiritus Sã. ctus lapſis è cælo linguis ad ſilētium erudit.

& quidem tam multiplices linguas Spiritus Sanctus immiſerit partem noſtrarum aliquam, ſibi ſuo quodammodo iure vindicare videatur. Notum eſt, quod in Hiſtoria Imperij Magolis, & veræ Indiæ legitur: *NagraKut, inquit auctor, montana Prouincia, & extrema huius regni eſt verſus Aquilonem: Metropolis illius eodem nomine cenſetur; in qua ſumptuoſiſſima capella viſitur, cuius ſolum & tabulatum laminis aureis eſt inductum, & in eo Idolum colitur, quod vocant Matta, ad quod*

Indi quidã reciſas ſibi linguas Idolis immolãt

venerandum multa Indorum millia quotannis confluunt; & particulas linguæ ſuæ præciſas ipſi immolant, &c. Sed quod illi ineptè, nefando ſacrilegio perpetrant, etiam crudeles in ſemetipſos; nobis licet ad numen illud amabile demerendum præſtare vel innocenter, vt linguæ ſcilicet particulas, non tam fidenter, quam operante ſilentio feliciter immolemus.

Denique ad quas ineptias audiendas ſæpe diuertimus, & putamus didiciſſe nos à S. Spiritu, quæ nos præſtat audire? Mirũ dictu! Ipſe Nabuchodonoſor tanto pudore, ſuo nos exemplo afficit, vt verecundemur oporteat. Hic cum inſtrumenta omnia muſica ſtreperent ſuauiſſimè circa ſtatuã, quam crexerat auream, regio elatus ſede-

A tribus pueris de Deo loquẽtibus Nabuchodonoſor Rex flectitur.

A bat in ſolio, nec vnquam mouebatur, at ſtatim atque tres pueros de Deo loquẽtes audiuit, obſtupuit, & ſurrexit properè. Vbi notat orat. 3. Theodoretus Vim ſacræ orationis, quæ potuit Regem quantumuis crudelem, & præferocem flectere, & ad ſe cominus, vt audire poſſet accerſere. Sed ille qui Sancto non mouebatur Spiritu, accurrebat; nos qui Sanctum fouere Spiritum credi volumus, ad pias huiuſmodi allocutiones nec lento procipimur gradu. Surgamus igitur etiam nos properè, & in viam vitae audiendo quae recta ſunt; exemplo ſaltem barbari Regis, & Spiritu Sancto commouẽte dirigamur;

B ille mentibus, quas erudiuit, ſtimulos amoris admouet, vt ij ſuauiter expergefacti properemus ad vitam. Videndum iam ſupereſt quo pacto qui noſter eſt Magiſter, vt diximus, noſter etiam ſit amor, ac vita, vt diſtinctè ſignanterque confirmabimus in ſequentibus.

IN CA-

IN CAPVT DVODECIMVM

A Num. XVII. ad XXII.

Vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam, dicentem: Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam ſpiritum meum ſuper eum, & iudicium gentibus nunciabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius: arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eiiciat ad victoriam iudicium: & in nomine eius Gentes ſperabunt.

PARADOXVM VI.

Nullus in mundo amor, nulla vita ſi Spiritus Sanctus abſit.

AD leuandam lectorum moleſtiam, quæ ſuperſunt initio propoſita illuſtrabuntur præſenti Paradoxo. Aio igitur, amorē nullum, nullam vitam in mundo eſſe, ſi Spiritus Sanctus abſit. Et primò quidem cùm dubitari non poſſit hunc ignē amoremque diuinum, à Chriſto Domino legatum in terras fuiſſe, vt innocenti illas ardore bearet (ſæpe enim id pollicitus fuerat in Euangelio) quaeri poteſt: cur nouendiali diſcipulos vnicè à ſe dilectos, expectatione contorſerit? Ea ipſa die, qua primum Chriſtus Dominus è terris in caelum aſcendit perhonorificè acceptus à Patre, & in gloriae ſolio ad dexteram eſt collocatus, mox, prima ſcilicet poſt aſcenſum die, totum vndique caelum omneſque Ciues Imperatori ſuo victori ac triumphali, vt merebatur, ingreſſu ſeipſum, mortiſque & inferorum exuuias oſtentanti certatim adfuerunt, vt eum omnes incredibili quadam praege-
D ſtientis animi alacritate gratanter exciperent, & meritis honoribus obſequioſi venerarentur. Exindè ſingulis diebus ſinguli Angelorum Chori, proprijs quibuſdam gratulationibus, & inauditis exuberantis laetitiae ſignificationibus Dominum ſuum, poſt ingentia tandem, ſed exantlata feliciter diſcrimina, reducem conſalutarunt. Nona demùm extremaque luce Seraphinorum is labor fuit, vt vnigenitus Patris praecipua quadam amoris ſignificatione ſuſceptum ſe diceret atque adoratum. Sed audiamus verba Nicephori Caliſti, cuius illa ratiocinatio eſt. *dictum*, inquit hiſtor. lib. 1. cap. 38.

Singuli Angelorum ordines Chriſtũ ſeorſim venerantur.

à nonnullis eſt, decima ab Aſcenſione die Spiritum abum, quippè Paracletum propterea veniſſe, quòd reuertente cum Deificata humanitatis acceſſione Deo Verbo, ex nouenaria Principum Angelorum claſſe, ordo quilibet ſeorſim accedens acceſſioni ei deificata, vna cum diuino Verbo debitam ſacrarit atque præſtiterit adorationem; quippè qua reconciliationem generis noſtri ſapientiſſimè, optimèque adminiſtrarit; & poſtea iuxta promiſſionem, Diuinum miſſum eſſe Paracletum, &c. Quia ergo Seraphini aſſidua charitate præferuidi, & amore blanditim ſe ſe eorum mentibus inſinuante pignorati ſemper ardeſcunt, in ignes feſtiuos, ac flammas eruperunt; quibus cùm totus ille cæleſtis tractus inundaret, & conflagraret innocenter, ad nos quoque ſplendidus ille ignium latè volitantium globus, & igne prouocante diſploſa etiam pertinuere tonitrua, quæ per excitatos linguarum amica uobis luce ſcintillantium fremitus vel euerſis, vel etiam diſſipatis procul obicibus, beata ſcilicet eluuione ſonuerunt, ex quo *factus eſt repente de cælo ſonus tanquam aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit totam domum, & apparuerunt illis diſpertita lingua tanquam ignis*. Et verò ad ſignificandam etiam lætitiam, quam recepto, ſua intra conclauia, Chriſto Domino cæleſtes hauſerant Principes, neceſſe prorſus erat vt mitterentur ignes, ac feſtiua vndique, applaudente cælo, fulgura innocentes inter fulminum ſonitus iacularentur: Nam ſi naſcente in terris aliquo Principe, omnia nobilium, priuatorumque tecta, ædeſque multiplici flammarum ordine diſtinguuntur, atque ipſa templorum latè, turriũque faſtigia variè hinc indè collucentibus lychnis facibuſque diſcriminantur; multò id ſanè præſtandum erat à beatis illis mẽtibus magnificentiùs, quæ natum quodammodo iam ſibi Chriſtum Dominum cælo non ita multò ante receperant; Quare non inani, ſed callido potiùs conſilio, vt caeleſtibus nimirum adularetur, ſe ignis conformauit in linguas, ac ſi eloqui atque aperire eorum laetitiam mortalibus vellet.

Quare Spiritus Sãctus in ſpecie ignis venerit ſuper Apoſtolos.

Quanquam dicere etiam poſſumus ignẽ de caelo cecidiſſe tanquam prodigium, ſignumque victoriale; Sicut enim capta olim ab Alarico Roma ignis de caelo cecidit; ita prorsùs vt oſtenderet Chriſtus Dominus, generis humani mundique arcem ſuo ſe iam Imperio ſubiecisse, ignem quem promiſerat, tanquam triumphalis pompae nuncium, traſmiſit in terras.

Sed reuera diſtulit arcano quodam, A optimoque conſilio Sancti Spiritus, ignisque diuiniſſimi miſſionem, vt ſe ſcilicet interea Apoſtoli omnes, Diſcipulique componerent, compararentque ad tale tantumque beneficium obuijs (quod aiunt) cordis vlnis excipiendum: ſic enim tanquam in arido ligno acceptus ignis ſuum poterat creare, quod optabat, amoris incendium, & corda quibus potiretur ignire: hoc enim eſſe proprium veluti munus Sancti Spiritus docet S. Leo ſerm. 3. de Pentec. quòd etiam aſibi repetit: *Diuiſit*, inquit, *opus noſtræ redemptionis miſericordioſa Trinitas, vt Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus Sanctus igniret*, &c. B Tam carus eſt homo ſingulis quibuſque Auguſtiſſimæ Trinitatis Perſonis, vt in eo ſemper omnes ornando collaborare voluerint. Quare in illud Geneſ. 1. vbi dicitur, *Faciamus hominem ad Imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, agnoſcit Ambroſ. ſerm. 10. in pſalm. 118. quendam veluti laborem Dei, atque adeò omnium Perſonarum, quarum omnium vox illa eſt; *faciamus*; quia verò ea quæ cum labore facta ſunt, ex Ariſtotele 9. Ethic. cap. 9. magis diliguntur, omnes amorem ſuum in homine condendo oſtendere voluerunt. Sicut ergo nulla ex ijs diuiniſſimis perſonis ab illo labore creandi hominis immunis fuit, C ne minus de amore ſuo in illum conferre videretur, ſi minus laboris impenderet; ita nunc quoque in homine reparando, communicato omnes ſtudio, propter eandem ſcilicet cauſam decertarunt. Sic tamen vt cum partes iam ſuas Pater ac Filius peregiſſent, nunc tandem, quod muneris ſui erat, Spiritus Sanctus igniret.

Cur non ſtatim poſt aſcẽſionem Chriſti Spiritus Sãctus ſit miſſus.

Quærit Iſidorus Peluſiota in Catena graeca Luc. cap. 3. cur omnia fermè diuina, ignis nomine, ad commendationem & laudem praenotentur? ſibique egregiè, & aptiſſimè reſpondet in rem noſtrã. *Quam ob cauſam*, inquit, *Diuina ferè omnia* D *ignis nomine deſignantur? Deus enim ignis dicitur; & Angeli ignis vrens; & apparuerunt Apoſtolis lingua inſtar ignis; nonnulli quoque dicuntur Spiritu feruentes? exiſtimo quod propter abundantiam, & copiam indigentiæ expertem, atque diuitias, quandoquidem vnus ignis mille lampades accendat, nec minuatur, ſed alias iterum totidem, immò plures valeat accendere*, &c. ita profectò. Quare vt oſtenderet Spiritus Sanctus reuera ſui muneris eſſe, quod aiebat Sanctus Leo, *omnes ignire*; diuiniſſimas ſui Amoris flammas omnibus immiſſurus, linguis ardentibus adeſt; & quidem cùm

Quare diuina omnia ignis nomine compellentur.

vnius

vnius tantum linguæ vnicus ignis, mor- A
talium omninm lampades (nempe vi-
tam per lampades etiam à veteribus Lu-
cretio alijſque ſignificatam) poſſet vehe-
menter accendere, voluit multiplici ignē
lingua radiare, vt effectum ſortiretur om-
ninò ſuum, videretque humanum genus
incendio beatiſſimo conflagrare. De B.
B. Virgo omnes ſe amantes accendit.
Virgine eſt illud B. Bonauenturæ tom. 3.
ſerm. 1. de Virgine verè prolatum: *quia
tota*, inquit, *ardens fuit, omnes ſe aman-
tes, eamque tangentes incendit, & ſibi aſ-
ſimilat: Vndè dici poteſt ſimilis cuidam
lapidi pretioſo, qui manum ſe tangentis
adurit*, &c. Nec minùs Sanctus Amedeus
ait homil. 6. de laud. Virg. illam totam B
in ignem tranſiſſe, & Phœnicem potiùs
fuiſſe, ſuis vndique flammis, atque aro-
matibus inuolutam, quàm mulierum ali-
quam, matrumque. At quomodò id fieri
potuit, niſi per igneum Sancti Spiritus
amorem, ardoremque perbeatum, quo
ad immortalitatem incendimur? *Ergo*,
inquit Amedeus, *diuinis ignita colloquijs
tota effecta es velut ignis, teque holocau-
ſtum Deo ſuauiſſimum obtuliſti, ô Phœ-
nix aromatizans gratias, cinnamomo, &
balſamo, & nardo ſuauius Regem in aſpe-
ctu tuo delectans! Phœnix congregans
omnes ſpecies, & igne circumfuſa ſuper
eſſentiali, vt cœlum cœlorum, & cœli po- C
teſtates Angelicas mirifico repleas ſuaui-
tatis incenſo*, &c. Quòd ſi B. Virgo tan-
tùm poterat eo igne, qui ſcintilla tan-
tummodò dici poterat ignis diuini, vt adu-
reret mortales pariter, & immortales,
quid de ipſa diuinitatis fornace ſentien-
dum, cùm verſis in nos non tàm mun-
dum parat obruere flammis, quàm reno-
uare?

Cur Spiritus Sanctus appareat ſub ſpecie linguarum
At quorſum, oro vos, cum aliquando
tandem Spiritus ille amantiſſimus, im-
mò ipſe amor nos conueniret, tot lingua-
rum numeroſa veluti, ignitaque lingua-
rum circūſtipatus familia multiplex adeſſe
quodammodò voluit? Cur ventus incum- D
bit, anhelat ignis, tacitoque fremitu re-
boant linguæ in hoc, quod è cœlo in
terras diuinus amor meditatur, itinere?
olim equidem legeram apud Plutarchum
in Amatorio: Amorem ab Heſiodo, Pla-
tone, & Solone in Academiam ex Hal-
cione ductum honeſtiſſimo diademate
redimitum, curruque inuectum, qui dul-
ciſſimis ſocietatis, & amicitiæ bigis tra-
heretur: & nunc cum non ex Halcio-
nis faſtigio, ſed è cœlo; non in Acade-
miam, ſed in Apoſtolicum cœnaculum,
poſthabito non Muſarum, ſed Angelo-
rum conticinio & contubernio, maieſta-
A tis pariter, ſuauitatiſque pleniſſimus la-
bitur hoſpitaturus in terris, ventus pro
curru, igneis velut equis trahitur à lin-
guis, nullo præter amorem auriga,
& illo quidem non coronato, niſi fortè
linguae inuoluantur in eius ſertum, qui
ſua terrarum Orbem ſapientia coronauit;
deceatque eum, *qui neſcit tarda molimina*,
vel currum ex ventorum pennis coagmē-
tare, vt ipſe poſſit volare currus, ſi ceſſa-
ret qui rapere currum debet ignis impa-
tiens quietis & moræ. Cur autem ſi lin-
guas gemmarum, roſarumque inſtar ad
loquacem coronam contexendam adhi-
bet, igneas vult eſſe, non alio ſymbolo per-
B illuſtres? linguam Amoris melleam eſſe
ex Theocrito audiueram, igneam ſom-
niare quis poſſet? quid verò ſibi vult ille
partus præfœcundus, ac multiplex qui ſi-
ſtit in linguis, cui linguæ membra omnia
vireſque ſufficiant? quid aureus cœli velu-
ti Matri-patris imber molitur in terris? an
linguis pluit, vt referat corda? an parat ex
linguis (quod deindè ab illo Imperatore
exhibitum eſt) humano generi epularum
cauſa deficienti, ſigulare conuiuium? An
ipſe ſibi amor famæ inſtar obſequitur, &
famulatur in linguis, quas debet innume-
rabiles accerſere, ſi ſua bona, & benefi-
cia prodere velit vniuerſa? quorſum po-
C pulus ille linguarum & veluti exercitus
legionum vbique flagrantium? an aliquod
ineundum eſt prælium clamoribus, ver-
biſque, & vociferationibus, in quo victo-
ria ſit futura penes eum, qui perſtrepet
vberiùs, & numeroſiùs audietur? Quod ſi
nulla hic eſt flammarum militia, nullæ fa-
uillarum diſpertitarum phalanges, aut or-
dines ignei, ſed amoris tantummodò plu-
uia, cur igneis aërem vndiquè linguis di-
tat, vndè omnis ille tractus blandè ſere-
natus aureſcat, dimicetque cum cœlo, &
ſideribus linguas opponat, ſua pluſquam
ſiderea maieſtate? cœlumnè nouum Spiri-
tus Sanctus condit in terris, illique pro ſi-
D deribus linguas appingit? an linguas è cœ-
lo ſui nuncias legat in terras ex ſtellarum
transformatione ſuauiter igneſcentes? de-
ſcendentem in terras Dei filium vnica tā-
tùm ſtella nunciauit; & erat, Auguſtino
docente, *lingua cœlorum*; ſatiſque omni-
bus viſum eſt cœleſtibus illis orbibus, ſi
omnium illa communis vox eſſet, & fide-
lis omnium Interpres, quæ omnium ſcili-
cet imperio obſequeretur, & mortalibus
proderet natum Deum; cur Spiritui Sācto
ſidera aulico planè conſilio tot adulantur
in linguis, quot linguas aſpicis incredi-
bili, ac planè inſolito ſplendore radiantes?
Dicam equidem, ſi verbis audacia de-

tur magnum aliquid, vt propoſitæ quæſtioni inaudita fortaſsè, ſed vera tamen ratiocinatione reſpondeam. Adſit modò Spiritus ille, qui mentem inſtruat, linguam regat, *tanquam calamum ſcribæ velociter ſcribentis*, qui eſt Spiritus Sanctus ex Baſilio in Examer. quo *flante Spiritu Sancto* (vt nonnemo Patrum loquitur) *vela ſuſpendo neſciens ad quæ ſim litteras peruenturus*. Auguſtiſſima illa Trinitas, quam demiſſo omnes poplite, genibuſque veneramur, atque admirando ſuſpicimus, tribus omninò perſonis continetur, aeternis, infinitis, immenſis, & eiuſdem planè bonitatis, omnipotentiae, & maieſtatis: cùm verò bonitas ſuopte ingenio ſemper feratur in alios, ardeatque participes ſui quamplurimos fieri, & infinita bonitas infinito id quodam modo magnificentiùs expetat. Pater quidem æternus infinitam, qua ſe ratione communicauerat, cùm filium genuerat ſibi prorſus aequalem, ac ſuae ſimul omnipotentiae, & bonitati ſatisfecerat infinitum aliquid requirenti, & ſolitudinem ferre omninò recuſanti & neſcienti. Filius etiam Patri coaequus, & infinitus, dum ſimul cum Patre actiuam ſpiratione extulerat Spiritum Sanctum, infinitati reſpondentem pariter ſuae, ita ſe geſſerat, vt potentiam ſuam adaequatè congruenterque impleuiſſe diceretur, qua non poterat non infinitum aliquid meditari, & ſimul cum Patre peramanter expromere. Itaque cùm Spiritus Sanctus, auguſtiſſimus ſcilicet amor, & copula Trinitatis proceſſiſſet, communicatiua Filij potentiâ egregiè ſecum actum fuiſſe exiſtimabat, cùm illum ſibi aequalem videret in omnibus. Solus Spiritus Sanctus infinita neque generatione, neque ſpiratione actiua ſe, ſuaque dare vnquam potuerat, quia diuinæ repugnabat eſſentiae quarta perſona, vt argumentatur 7. de Trinitate S. Auguſtinus, & ex illo Scholaſtici communiter cum S. Thoma 1. part. q. 30. a. 2. Vt ergo infinitam illam ſe communicandi voluntatem (cui velut flumini ſponte currenti, ac liberaliter effuſo naturaliter fuerat obicis oppoſitum conſtanter impedimentum) quaqua melius ratione poſſet, expediret, explicaretque: adeſt nō vnica lingua, ſed multis, ſed innumerabilibus; non vnius tantùm, ſed omnium ſcilicet bono vacaturus: Quia enim, vt loquitur Auguſtinus, *Amor ſolus eſt, qui nomen difficultatis erubeſcit*, &c. & quod habet Petrus Cryſologus ſerm. 147 *Amor non accipit de impoſſibilitate ſolatium, non recipit de difficultate remedium, Amor niſi ad deſiderata peruaſerit, necat amantem, & ideò vadit quò ducitur, non quò debet. Ardor ad incōceſſa pertendit &c.* cùm nullo ex capite ſolitudinem ſuam ex impoſſibilitate conſolari poſſet Spiritus Sanctus, amor ille diuinus morae velut impatiens, quia diù retentus, & retardatus, ingenioſe commentus eſt, quemadmodùm ſe quantum fieri poterat communicaret hominibus, quibus adeo ſua dona ſimul omnibus effundere videtur vniuerſa, dum multiplicat linguas.

Cur non vnius, ſed plurium.

Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, & cur?

Ferebatur generoſus hic olim Spiritus, mera amoris medulla, ſuper aquas, & cùm ſolus eſſet, ardorique ſuo ſolatium aliquod ac leuamentum tot inter aquas venaretur, inuenire non poterat, atque adeo neque omninò quieſcere, imò ſemper agitabatur quietis inſcius, & medelæ; tantumque aberat vt ab aquis refrigerationem expectare poſſet, quietemque percipere ardori vtcunque blandientem ſuo, vt illas potiùs natiuo igne infra, ſupraque compleret, ac præter naturam doceret etiam æſtuare: quare vbi nos legimus: *ferebatur ſuper aquas*, verterunt opportunè nonnulli: *calefaciebat aquas*. At quid hoc tandem rei eſt? quo prodigio aquis vndique ſe ſuperinfundentibus ardor ille diuinus innatat innocenter, extingui vel obrui neſcius, indocilis à labore vel æſtu ferias agere, vel tantiſper abſcedere? Expedit quæſtionem Rupertus, *Inquietus erat*, inquit, *quouſque vidit hominem creatum, ſuper quem requieſcere poſſet, & tunc iam non ferebatur &c.* Quòd ſi tunc tantummodò temperare videtur incendium ſuum Diuinus ille Amor, cùm ſe in hominem regerit, reficitque ſe, ac veluti refocillat, cùm ſuae particulas auræ ardentis planè, feruentiſque mortalibus impertitur, quid mirum ſediſſe illum completis Pentecoſtes diebus ſupra ſingulos eorum? quaerebat nimirùm æterno ardori medicinam, ac requietem, voluntatique ab aeternis vſque temporibus ſe continenti exitū aliquem aperire conabatur, vt illa ſi minùs infinito, prodigo certè quodā modo ſe prorſùs effunderet, & extra ſe ſuae penè dignitatis, ac naturae oblitus raperetur, vt planè cadat in hunc locum, quod iuxta Euangelium ſuum hebraeo ſermone conſcriptum legunt Nazareni, referente Hieronymo lib. 4. in cap. 11. Iſaiae. *Deſcendet ſuper eum omnis fons Spiritus Sancti &c.* Quippe licèt antea quietis impatiens in Chriſto primùm Domino requieuerit, vt ad Iſaiae cap. 11. *requieſcet ſuper eum Spiritus Domini*, interpretantur Auguſtinus, Nazianzenus, Ambroſius, immò etiam Ioannes Baptiſta cùm dixit: *Vidi Spiritum*

tum Sanctum deſcendentem quaſi columbam, & manentem ſuper eum. Tamen cùm in Capite (qui eſt Chriſtus) requieuit, etiam in eius toto corpore, quod eſt Eccleſia, ſine dubitatione conſedit. Quanquam Spiritus ille igneus linguis etiam adeſſe videtur voluiſſe cùm multis, vt nos ijs omnibus è ſomno excuteret, & è veterno primùm liberaret, ac tam multiplici vociferatione percelleret, argueretque ex eo, quòd infinitum amoris fontem, infinitis veluti tubis erumpentem, tam parcè delibemus, qui tamen inebriare vellet vniuerſos, ſibique prorſùs coniungere, vt ex hominibus deos faceret, vt ſe, ſuaque infinita Maieſtate dignum aliquid produxiſſe gloriari nunc demùm poſſet. Atque hoc illud eſt, quod nouitia illa Principum Eccleſia Chriſtianorum conceptiſſimis verbis flagitabat, huic inhians bono, amorique intenta ſuo vehementer anhelans, dicebat: *oſculetur me oſculo oris ſui*: quaſi diceret: mittat quæſo Sancta Trinitas ex duobus veluti labellis Patris, & Filij amoris halitum, & ſpiraculum vitæ Spiritum Sanctum; *oſculetur me*, eoque dignetur amoris pignore vel indignum, quo ius vademque mihi datum intelligam diuinæ coniunctionis, amoriſque: *oſculetur me*. Nam *per oſculum*, inquit Ambroſius lib. de Iſaac. cap. 3. *adhæret anima Deo, per quod ſcilicet transfunditur Spiritus oſculantis: ſicut & hi, qui ſe oſculantur, non ſunt labiorum libatione contenti, ſed Spiritum ſuum ſibi inuicem videntur infundere &c.*

Atque vt apud Philippum Abbatem Bonæ Spei in Cant. lib. 1. c. 3. alloquitur B. Virgo Spiritum Sanctum, ita mihi nouitia videtur Eccleſia, ſimili fermè ratione cum eodem agere potuiſſe, nec diſſimilia verba finxiſſe. *Oſculetur me oſculo oris ſui. Tu*, inquit B. Virgo, *ſponſe meus, Deus meus, tuam mihi præſentiam dignãter impertire: da poſtulanti oſculum, idest, tuum mihi Spiritum da ſentire, tua mihi aſpiratio adeò ſit vtilis, fertilis, & iucunda, vt & virgo iuxta votum permaneam, & tamen concipiens ſim fœcunda: aſpira, inquam, mihi non ſolùm, vt cum cæteris laborem fingere valeam in præceptum; ſed oſculare Virginem, vt Virgini præ cæteris des conceptum: tuum in me oſculum mira, & mirabiliter operetur, vt & ſponſa fœcunditas, & Matri virginitas ſingulari priuilegio conſeruetur &c. Quòd ſi animalia quædam* (ſunt verba Lactantij lib. 4. cap. 12.) *vento, & aura concipere ſolere, omnibus notum eſt &c.* quod idem equis alicubi contingere tradit Solinus cap. 57. & B.

Animalia quædam vẽto concipiunt.

A Virgini aptant Lactantius loco laudato, & Bonauentura in pſalterio minori, quinquagena tertia: Quid mirum primos illos Chriſtianæ proceres academiæ ventum expetere potuiſſe præferuidum, Auſtralemque Sancti Spiritus auram, per quam mira quædam, ardentiaque deſideria conciperent, ex quibus deinde ad opera, partus ſcilicet tanto conceptu non indignos, egregiè promouerentur, & anhelarent? ita prorſùs eſt: det igitur hanc arrham amoris & teſſeram ſui, det Spiritum Sanctum, qui ſit futurorum nobis bonorum grande breuiarium, compendiumque mirabile, quod bona æquare poſſit, ſi ſe expediat, B & explicet, vniuerſa: det munus eiuſmodi quod magnitudine laboret ſua, quod nemo credet cùm narrabitur. Theodoretus rectè loquens de Spiritu Sancto, *Veluti quandam*, inquit, *futurorum bonorum arrham, hanc nobis gratiam largiens, per arrham quidem certè eorum, quæ danda ſunt nobis, magnitudinem innuens; arrha enim eſt quædam parua pars totius &c.* Sed quomodo ſit arrha bonorum, qui ſit bonitas ipſa, Spiritus Sanctus? arrham eſſe diuinorum bonorum mundum, & quæ in mundo pulchra cenſentur, & amabilia vocat S. Auguſt. tract. 2. in epiſt. Ioannis, vbi etiam cõcludens: *Ad hoc vtique*, C inquit, *dat arrham Spiritus, vt in arrha ſua ipſe ametur &c.* Si ergo omnia planè quæ à Deo, præter ipſum Deum, dari queunt, arrha ſunt; quomodo Deus ipſe, Spiritus ipſe ſit arrha bonorum? nempe quia nos eum, quantus quantus eſt, capere non poſſumus in hac vita, dicitur ſui arrham tantummodò dare, eſt enim ipſe ſui ipſius arrha magnificentiùs, ac liberaliùs à nobis in illa cœleſtis aulæ immortalitate participandi. Voluit adeo æmulari etiam Filium, alteram Trinitatis perſonam; ſic enim Filius incarnari voluit, vt ore proprio viam nos ſalutis, & arcana Patris edoceret: ita poſt Chriſtum deſcendere D dignatus eſt, Chriſti velut æmulus, Spiritus Sanctus, & quodammodò in linguis igneis incarnationem imitari, vt ijs imbueret Apoſtolos, primoſque fideles, iiſque ſe (quod paulò ante dicebam) ſi non infinita, optima ſaltem ratione communicaret. Vide orat. 44. Nazianz. ibique Nicetam, ex quibus, quæ diximus, hauries affluenter.

Spiritus Sanctus eſt arrha futurorum bonorum.

Cùm ergo venerit Spiritus Sanctus vt ſe, amoremque ſuum, quantum fieri poterat, nobis, qui antea ſæuis temporibus ſeuerè regebamur, repræſentaret: in quo primùm amor eius enituit? In eo quòd amoris legem tulit, ſuauem ſcilicet, facilèque

ferendam

Lex noua lex amoris. antiqua importabilis.

ferendam. A Antiqnam ſanè legem iure S. Petrus appellat *iugum quod neque nos, neque Patres noſtri portare potuimus*. erat quippe grauiſſima, & tot præceptorum vndique ſe cumulantium, & erumpentium oneribus plena, vt ferri omninò non poſſet, & iugum penè cogerentur ij detrectare, qui ſelicet æquo animo, libentique ſuppoſuiſſent, ex eo quòd oneri ferendo non eſſent: Conſtabat lex illa præfœcunda tot præceptis (ex Abulenſis ſententia) quot dies interger annus enumerat; ſiue (quod placet Galatino) tredecim ſupra ſexcentis; quanquam aliter prodidit Rabbi Moyſes lib. 3. ductoris B dubiorum cap. 56. & 57 vult enim affirmatiua præcepta recenſeri octodecim ſupra ducenta; negatiua verò trecenta ſexaginta quinque, anni ſcilicet dies prorſùs implentia; imò, vt alij, integrari legem volunt affirmatiuis ducentis quadraginta octo, pro numero ſolidorum oſſium, quæ ſuſtentant corpus humanum, & negatiuis trecentis ſexaginta quinque, quàm ſunt multi ſcilicet neruorum, & venarum meatus. Quis ergo æquo animo ferat inamabilem illam legem, quæ ſi non aliter, numero certè terreat, ac pugnet multitudine præceptorum? Addo id, quod veriſſimè dixit Ambroſius, explicans locum C quendam octaui capitis epiſt. ad Romanos. *Lex mortis eſt lex Moyſis, quia mortificat peccatores, vel mortuos relinquit &c.* Contra verò Spiritus Sanctus legem vitæ ex amore prodeuntem ſuo, nouus, ac planè mitis legiſlator infert, quae vnico, eoque facillimo amoris præcepto tota nitatur.

Interim illud ſit certum, amore Spiritum Sanctum tanquam magnete mundum impleuiſſe, quo fugaces à diuinis rebus animos traxit ad ſe ſe, traxit ad Deum, ad quem ire priùs per tot præceptorum veluti ſpineta recuſabant penitùs, aut ſaltem formidabant. Tentauerat quidem D Deus terrorum exercitu, atque formidinum agmine mortalium corda perſtringere, vt ſi quo modo poſſet, captiua illa tandem reuocaret ad ſe; ſed fruſtra: nam minarum ſtimulis altè admotis, veluti calcaribus durae ceruicis homines, ac planè refractarij agebantur potiùs in fugam præcipites, & licèt afflati fulmine, ſaucijque, nihilominus terga vertebant, atque vt Deo ſe non dederent, cuicunque cedebant mortis victimæ potiùs futuri, dæmoniſque, quàm Numinis in tanto terrore captiui. *Obſederat*, inquit, Chryſologus ſerm. 147. *pauor omnia, timor ſoluerat vniuerſa, cuncta concuſſerat terror; in cælo*

Terrore homines fugātur à Deo.

A *diuinus ſplendor proſtrauerat Angelos, in terra tonitrua, & fulmina corda mortalium quaſſabant; ſic nimius pauor Angelos fugauit ad terras, homines traxit ad Idola, mundum vanis erroribus occupauit; fecit omnes Creatorem fugere, colere creaturas. Hinc eſt quod mundus perire maluit quàm timere, pauore mors ipſa leuior. Denique Cain vbi parricidali cœpit terrore vexari, mortem petit; requiem credit ſi periret Geneſ. 4. & Elias 4. Reg. 19. mori cupiebat, melius exiſtimans morti ſuccumbere quàm timori*, &c. *Videns ergo Deus*, ait ibidem paucis interiectis Chryſologus, *mundum labefactari terrore, con-* B *tinuè agit, vt eum amore reuocet, inuitet gratia, charitate teneat, & conſtringat affectu &c.* Sed licèt Deus amore ſæpè tentauerit hominum mentes, ac flexerit identidem emollitas, nunquam tamen id egit magnificentiùs, & ad exitum conſequendum opportuniùs, atque feliciùs, *quam cùm* (vt ex eodem Chryſologi fonte verba propinem) *humana corda flamma diuina charitatis accendit, & humanis ſenſibus amoris Dei ſe tota fudit ebrietas &c.* Id autem eo potiſſimùm tempore contigit, quo *Spiritus Sanctus fons amoris*, vt eum appellat S. Auguſtinus cap. 16. aduerſ. Adim. ſiue *fons charitatis*, vt dici- C tur à S. Leone ſerm. 1. de Pentec. diſcipulorum capita violentus inſedit, vt dubitari non poſſet ab illo corda noſtra, animi ſcilicet arces occupatas, qui corporis arcem nemine reluctante inuaſiſſet alacriter, & nulla priùs tentata obſidione tenuiſſet. Quare optimè dixit Apoſtolus. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis:* diffuſa, inquam, vt vbique tanquam Regina dominetur, quæ nunquam regnare poterat, niſi ſui prodiga ſe prorſùs effunderet, & impleret corda, menteſque mortalium.

Amore allicuntur.

Scio equidem flammis plurimum etiam D potuiſſe apud Barbaros Centurionem M. Craſſi Domitium: *non minimum*, inquit Lucius Florus lib. 4. cap. 12. *barbaris terrorem incuſſit; nam foculum gerens ſuper caſſidem, ſuſcitatam motu corporis flammam velut ardenti capite fundebat &c.* Sed illæ flammæ terroris erant, non amoris; atque adeo mirum non eſt, vix aliquid illas potuiſſe, nec niſi immeritò conferri poſſe cum noſtris. Syrus etiam nomine Eunus, dum Syriae Deæ cærimonias iactat, ad libertatem & arma ſeruos, quaſi numinum imperio concitauit: quod, vt diuinitùs fieri probaret, in ore abdita nuce, quam ſulphure, & igne ſtipauerat le-

Flamma potentiſſimum inſtrumentum ad hominum animos commouendos.

niter

niter inſpirans, flammam inter verba fundebat: hoc modo 40. millium fecit coēgitque exercitum, refert *Lucius Florus* lib. 3. cap. 19. & ex illo Thomas Foxellus decad. rerum ſecularium lib. 5. & Martinus Delrius lib. 1. de Magia cap. 4. ſ. nunc de præſtigiatrice &c. Si ergo Syrus hic, quia flammam euanidam verbis miſcebat, & ea flammis euaneſcentibus animabat, libertatis aſſertor fuit, quam ſolis illis commilitonibus impertiuit, quid mirum Spiritum Sanctum tot linguarum præſidio fultum natiuo perennique igne flagrantium tantum potuiſſe, vt non ſibi aliquot populorũ millia conciliaret, ſed vniuerſum planè terrarum orbē ita percelleret, vt in diuinam vltrò cōcideret poteſtatem, & in libertatem vocaretur filiorũ Dei? Diuinus hic Spiritus, ignis, & amor eſt, qui ſemper ardet, & nunquam extinguitur: (vt Auguſtini verbis vtar) ex quo mirum non eſt nouo hoc, & ſemper durante prodigio genus humanum commoueri, & ad Deum vnicè diligendum inflammari. Non eſt enim timendum, ne igni, Deoque noſtro illud accidat, quod igni Chaldaeorum deo ex veteribus prodit Crinitus obſtitiſſe, ne tanquam Deus crederetur, & amaretur. Circumferebant Chaldaei ignem deum ſuum, & vt omnium deorum victorem iactabant, adorarique volebant: Sed cùm fraude ſacerdotis Ægyptij Canopus deus cum igne compoſitus victor euaſiſſet, Chaldaei omnium irriſione, & ſibilis cum igne ſuo dimiſſi ſunt. Quippe ſacerdos ſupra diuinam illam ſtatuam Chaldaeorum poſuerat hydriam aqua pleniſſimam, foraminibus illam quidem vndique peruiam, ſed cera immiſſa penitùs clauſis. Ergo admoto igne & iam inualeſcente, cùm liquefacta cera diffluere aqua cœpiſſet, obruit ſimul ignem Chaldaeorum deum, victumque, & extinctum nulla docuit poſſe Diuinitate gaudere. Non ita noſter amor, & noſter ignis: eſt quidem ignis, ſed conſumens, non conſumendus, de quo dicitur: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*; itaque nullum damnum, aut detrimentum pati eius incendium poteſt ab iniuria cuiuſquam. Neque tamen timere à ſe ipſo quicquam poteſt, ne ſe ipſe tandem aliquando conſumat, ac perditum eat: *ſicut enim* (quae vox eſt Tertulliani) *montes vruntur, & durant*; ita inextinguibilis hic amor igne ſuo viuit, nec aliunde alimentum, aut vitam trahit, quam ſi poſſet amittere, ex ſuo ſtatim incendio rediuiuus vt Phœnix erueret, multò quàm ante vegetiorem ſe ſibi reddens. Neque

Ignis Spiritus Sancti inextinguibilis.

verò, qui conſumi non poteſt, caetera conſumit ad necem, ſed potiùs conſumendo inſtaurat ad vitam, & ad amorem: *Vrit*, inquit Ambroſius in pſal. 118. 140. *vt corrigat conſcientiam peccatoris, non exurit vt perdat &c.* Itaque dum conſumere videtur, generat potiùs quàm conſumit; ſoluitque propoſitam olim à Plinio, nec vnquam ſolutam quaeſtionem: *Dubium*, inquit, *plura ne abſumat ignis, an perficiat &c.* Nam reuerà ignis perficit amburendo, quem corripit, nouumque explicat fœtum longe nobiliorem ex deteriore, quem ſuſtulit, & ſaepè numeroſior ex vitali tandem ille ſurgit incendio, amicoque funere ſibi egregiè reſtitutus, quàm vllo pacto ſe doleat extinctum, aut lethali velut ſidere inclementer afflatum. Eſt illud quidem effatum Ariſtotelicum lib. 2. de generatione animalium ab auctore probatum: *Ignis nullum generat animal, nec videtur conſtare, conſtitui, vel conſiſtere ex igneſcentibus*. Cui etiam ſubſcripſit Ouidius lib. 1. faſtorum.

Vrendo nõ exurit.

Nataque de flamma corpora nulla vides.

Sed haec in noſtrum ignem tam cadere non poſſunt, quàm certum ſit ab illo omnia in nouam faciem, ac ſpiritum condi, perficique. Itaque canit Eccleſia: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terra*; creabuntur, inquam, quia noua quadam, & inſolita ratione noui fœtus mirabiliter educentur, & explicabuntur; vt etiam veterum ipſas fabulas, ac figmenta admirationis cauſa compoſita, longo poſt ſe interuallo relinquant, & obruant vniuerſa. Seruius quidem vbi de Praeneſte loquitur, neſcio quid, prodigio longè ſimillimum tradit contigiſſe: *Ibi*, inquit, *erant duo fratres, qui Diui appellabantur, horum ſoror dum ad focum ſederet, deſiliens ſcintilla eius vterum percuſſit, inde dicitur concepiſſe &c.* Sed merae nugae ſunt iſtae. Cùm reuera è cœlo nunc exilierint in terras diuini non ſcintillae ſolùm, ſed linguae ignis, quae mentis vterum beatiſſimè oppignerarunt, vt Apoſtoli, fideleſque prorſus omnes iactare illud non immeritò queant, à facie tua vitam concepimus, & peperimus Spiritum ſalutis &c. quo ſcilicet viuamus impoſterum, & veluti immortalitatis candidati aſſueſcamus ad vitam nullo fine ſoluendã. Nempe igne ſuo inſinuat blanditim ſeſe, & dum inflammat ad amorem, erudit etiam & componit ad vitam; quis enim ſine amore vitam ducat? aut quis niſi Deum diligat (qui eſt animæ noſtræ vita ex Auguſtino, aliiſque) ſpiritum trahat? Propterea

Omnia perficit.

Amor vita animæ.

pterea canit, & precatur Eccleſia : *infun-
de amorem cordibus:* Satis gnara tunc po-
tiſſimùm vita impleri corda mortalium,
cùm amore penitùs fuerint imbuta. Qua-
re amor ille Spiritus Sanctus, qui toties
antehac ſuain nos dona contulerat, ac
proinde ſpem nobis acuerat, dederatque
ſe ipſum aliquando conferendi ; *Amor*
enim (quod habet Laurentius Iuſtinianus)
in fine totus effunditur &c. hodierna die,
vt amore nos, noſtraque omnia penitùs
impleat, & *menſuram confertam, & coagi-
tatam, & ſupereffluentem* largiatur, ſe
ipſum donat: *qui eſt perſonaliter donum*,
vt loquitur S. Thom. 1 par. quæſt. 38. art.
2. Vt non immeritò affirmare poſſim, ſi B
vnquam aliàs, in præſentia tanquam ge-
neris amorem noſtri impleſſe illum, terra-
rum orbem vniuerſum, nec tantùm ferri,
vt olim, ſuper aquas, ſed ſuper omnia, &
intimè ſcrutari præcordia, ſuiſque flam-
mis inuoluere veluti pannis infantiæ, nunc
primum, vel nata, vel rediuiua corda
mortalium. Imò, ſi loqui licet audentiùs,
quemadmodùm ignis quidquid corripit,
complectiturque, ſuam in ſubſtantiam ver-
tit, vt non ignis veriùs dicatur ignis, quàm
illud ſit ignis, quod ab igne violatum eſt.
Ita Spiritus Sanctus igneus ille, ſed proli-

Spiritus ſāctus homines deos facit.

ficus amor, nos quoque, vt amor ſimus,
vt Deus ſimus efficit transformatione C
tàm mirabili, quàm prorſus ignota. Qua-
re egregiè, vt cætera, Baſilius lib. 1. ad
Eunomium: *per Spiritum*, inquit, *San-
ctum etiam quilibet Sanctorum Deus eſt.
&c.*

Vides ergo (vt ſimul omnia copulentur,
& extremis prima iungantur) quàm ve-
rum ſit, quod initio prædicabam, Spiri-
tum Sanctum ideo innumerabilibus lin-
guis, & igne præfœcundis adeſſe voluiſſe,
vt ſe eximio quodam modo, quoniam in-
finito non poterat, communicaret. Vi-
des eum poſſe lambendo fœtus adhuc tàm
informes naſcentis Eccleſiæ perficere, vt
ex hominibus deos reddat. Nempe veriſ- D
ſimè pronunciauit Dionyſius Areopagita
cap. 4. de diuinis nominibus: *diuinus*,
inquit, *amor non permiſit Deum ſine ger-
mine eſſe &c.* videbat amor, filium patris
eſſe germen amabile; videbat Spiritum
Sanctum vtriuſque, Genitoris ſcilicet Ge-
nitique mixta quadam, amoriſque plena
proceſſione germen extitiſſe igneum, ac
ſuis flammis per illuſtre; Solum Spiritum
Sanctum Deum videbat eſſe ſine germine,
& ſine perſona, quæ ab illo originem tra-
heret, ſeſeque illi aliqua ratione deberet;
vt ergo conſolaretur orbitatem, licèt
minimè dolendam, vt flammis operanti-

A bus multos ſimul deos poſſet effingere, li-
beraliter indulſit id quod linguarum mini-
ſterio ſcintillantium præſtitit in cœnaculo
Sion: *Amor* enim *in fine* quia *totus effun-
ditur*, recipitur ab omnibus totus, reddi-
turque velut in tabula Simulacrum affa-
brè, eleganterque depictum.

Sed vt ſuum finem conſequatur amor
ille mirabilis, neceſſe profectò eſt, vt eius
nos linguas igneas audiamus; neceſſe eſt,
vt earum opera tractemus, atque omni-
nò, vt intus, & in cute flammei, ac toti
reddamur Diuinitatis amaſij, vt per amo-
rem (quod paulò ante docebam) transfor-
memur in Deum. Nota eſt illa, ſiue hi-
B ſtoria, ſiue fabula, quam refert ex anti-
quis ſcriptoribus Cælius Rhodiginus lib. 8.
cap. 12. ad Regiam Baſilicam Babylonis
alligauiſſe Magos aureas alites omninò
quatuor, ex quatuor tecti partibus hinc in-
dè pendentes, quas illi *deorum linguas*
vocabant. Eorum autem vis longè mi-
rabilis hæc erat, vt animos multitudinis
in Regis beneuolentiā, inenarrabili qua-
dam ratione conciliarent. Sed faceſſant
iſtae volucres aureæ, cognomento deo-
rum linguae, nam ad aurum fortaſsè re-
gium allicere homines poterant, ad regem
verò ipſum amandum, & veri amoris ob-
ſequijs complectendum nec vlla vi pote-
C rant impellere, nec perſuadere dicendo,
cum praeſertim deorum linguae oretenus
audirent ipſae, non eſſent. Hoc ſcilicet
extorquet à nobis blandientibus tot lin-
guarum clamoribus Diuinus Amor, quis
enim ſua luce, vel igne aureas illas reſpuat
Oratrices? Quis veri Dei linguas tam
ſuaui, ac ſonora oratione loquentes ne-
gligere, earumque ſuadelam dura pertina-
citer queat aure reſpuere? Quis innoxias
illas Sirenes non audiat, ducentes non
ad naufragium, ſed ad portum; non ad
mortem, ſed ad vitam; non in perniciem,
ſed in ſalutem; non ad incendium, ſed ad
amorem? quo ſcilicet amore totus vndi-
D què perfuſus incaleſcat, muteturque non
in virum alterum, non in ignem, ſed in
Deum, & in amorem? Cùm flammis re-
galibus tota vndique terrarum moles af-
flabitur, & in illo flammarum ſe ſe vbiquè
glomeratim agmine mundus corripietur
vniuerſus, quid aliud ſpectare licebit, quàm
flammas, quàm ignem, quàm fauillas ex
igneo illo diluuio promanantes? igneſcent
maria, fluuijque & montes flammis non
arboribus conneſtiti. Ætnam natiuis li-
cet ardoribus oppigneratam, prae ſe ipſi
contemnent: nemora verò ipſa, ſyluaeque
in ignes ſe induent; & ardentes pyras re-
ferent turbinatae cupreſſus inferias factu-

Linguæ deorum Babylonis quæ.

ræ

rae generi ſuo dum funeri feruient Vniuerſi; Vrbes etiam & oppida igneis turribus, mœnibuſque flagrantes territos eijcient ciues, quos allexerant, & fouerant hoſpitio non pœnitendo: ipſi denique flammis vndequaque volitantibus homines inuoluentur. Omnia ignis erunt, nihil praeter ignem ſub aſpectum cadet; videbitur ignis veluti mater, quae deuorando fœtus regeneret ſimiles ſibi; vel erit certè commune rerum omnium ſplendidumque ſepulchrum; vel etiam nidus, ex quo Phœnicis inſtar nouus olim mundus exiſtat; cùm interea ſingula quæque ignei veluti fœtus ignis erumpere ex vniuerſali illa conflagratione videantur. Id autem, quod ad terrorem ſeruiet in fine ſeculorum, nunc allaborante Spiritu Sancto proficit ad amorem; & ſicut omnia tunc edax ignis exedet, implicanſque nocenter ſuam in ſubſtantiam transferet, ita nunc Spiritu de cœlo radiante, & linguis igneſcentibus, ſonoris veluti tubis publicatur amor, felici nos, ac planè vitali perfundit incendio; ex quo renaſcamur non homines, ſed Amores, æterno de amore progeniti. Ex quo quid aliud ſequi poteſt, quàm vt ille, qui ex homine amor euaſit, amet vt amor amorem ſuum? hoc ſcilicet volucres illæ Dei linguæ à nobis conantur extorquere, hoc tributum imponunt, hoc ſuo veluti iure vectigal exigunt, vt amemus amorem noſtrum; qui non ſolùm nos charitate perpetua, & prior dilexit, ſed etiam vires addidit, vt diligere vellemus, quem debemus impenſè. Viderat hoc ſponſa, quæ propterea clamabat in canticis: *introduxit me Rex in Cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Vbi legit originale: *vexillata ſum*, ideſt, vexillo donata, nempe amoris; alij autem vertunt: *vexillum eius ſuper me amor*; & alij denique transferunt, *impoſuit mihi tributum amoris &c.* Quem locum explicans S. Bernardus ſerm. 49. in Cantic. *Ebria eſt*, inquit, *Sponſa, ſed amore, non vino, niſi quod amor vinum eſt &c.* tali vino erant Apoſtoli ebrij, hoc eſt, Spiritu Sancto, non muſto, & idem Bernar. de diligendo Deo. *Hinc ſobria illa ebrietas vero, non mero ingurgitans, non madens vino, ſed ardens Deo &c.* quæ omnia in rem præſentem Bernardus appoſitè; nam idem erat ſponſæ *amor*, & *vexillum*, ſiue ſigma nobiliſſimum, quo fuerat ſignata, & *vexillata* feliciter; & verò erat etiam *tributum*, nam qui amorem recipit, regerat amorem neceſſe eſt, qui curſu reciproco redeat in auctorem. Quod ſanè vectigal, tributumque tantò debent libentiùs mortalium feli-

Ignis ſepulchrum vniuerſi.

Quod tributum exigat à nobis Diuinus amor.

ciſſimi quique perſoluere, quantò ſecuriùs expectare poſſunt ab illo veluti emptam pecunia numerata dignitatem ſuam, vt nimirum in deos (quod maximè Spiritus ille diuinus & conatur & optat) transformentur. *Talis*, inquit Auguſtinus ad finem tract. 2. in Epiſt. Ioan. *eſt quiſque, qualis eius dilectio eſt. Terram diligis, terra eris; Deum diligis quid dicam? Deus eris? non audeo dicere ex me, audi ſcripturas pſalm. 81. 6. Ego dixi: Dij eſtis, & filij excelſi omnes &c.*

Vt igitur omnia ſuo fine claudatur, cùm Spiritus Sanctus ſuo mundum, noſque omnes ſiue igne, ſiue amore compleuerit, ac planè igneos intus, & in cute reddiderit, dedecet nos alias flammas oſtentare, quàm diuinas; alio igne corripi, quàm æterno; alias experiri amoris faces, quàm cæleſti, ac perbeato ardore ſuccenſas, vitamque ſimul cum luce ferentes: cùm præſertim diuinus amor ſit illa Aaronis virga mirabilis, quæ virgas Magorum omnes abſumpſit; & ſit amor ille nexus ab antiquis philoſophis celebratus, quo veterem amorem quaſi clauum clauo expellere conſueuerant, quod eſt apud Hieronymum epiſtola ad Ruſticum cap. 6. & omninò ſit ille magnus ignis, qui minorem quemcunque deuorat ex Theophraſto. Pudeat itaque eos, quos honeſtiſſima ſui copula dignatus eſt amor Deus, ſibique planè coniunxit, alios quærere amores, quos inito cum auguſtiſſima, vt ita loquar, diuinitate diuortio conſectantur, vt flagrent ad ruinam, ſeſeque perdant. Quod ſi hærendum Deo putant, ſi tenacem cupiunt habere fidelemque diuinam hanc, humanamque copulam, qua Deus homini, Deo iungitur homo amore interueniente atque ſequeſtro, fugiant alienas faces, alienas coniunctiones vitent, vicinaſque ſemper flammas, & proximos ignes ad mortem comparatos non ſecùs ac mortem ipſam reformident, nam qui graſſantes in vicinia non timet ignes, facilè flammas experietur; ac demum intelliget, nihil eſſe tam igneum quod ſolùm ardeat, ſed vicinis pariter ac mutuis ardoribus incendium prouocari. Id quod facili negotio poſſumus ex ijs colligere. quæ Hugo de S. Victore narrat lib. 2. de beſtijs cap. 19 in hunc modum: *Sunt*, inquit ille, *lapides igniferi in quodam Monte Orientis, quos Græci vocant Chirobolos, ideſt, manipulos, dicunturque maſculus, & fœmina: in illis quando ab inuicem ſeparantur, ignis non accenditur; cùm autem ad inuicem caſu aliquo appropinquauerint, ſtatim in eis tantus ignis accenditur,*

Amor Diuinus ſimilis virgæ Aaronis.

Chiroboli Orientis qui

tur, vt omnia ardeant, quæ circa illos ſunt. Cùm ergo natura nos doceat, magiſtram timeamus andire cupiditatem noſtram, quæ ſibi ſomnia fingit, & audet aggredi ſine metu, quod ſine diſcrimine adiri non poſſe natura clamat operibus ſuis, imò miraculis ſuis tanquam linguis ancillari videtur alloquêti per tot linguas, & amanti nos Deo: neque enim ſolùm per lapides nos erudit igneos, ſed etiam per ea quæ identidem in hominibus ipſis ſigna excitat, exhibetque mortalibus doctrinæ ſuæ, eruditionis noſtræ. Quorſum enim putamus naturam cum gemellos producit in vtero fœminæ mares, eos vnica tantum membrana obductos innoluere, ac ſi vnus tantummodò fœtus eſſet; cùm verò alter eorum mas eſt, altera fœmella, duas afferre membranas, quibus ſeorſim illos veſtiat, & tegat? niſi vt intelligamus marem, ac fœminam neque in Parentis vtero haberi tuto poſſe ſi ſimul habeantur, atque adeò timendam ſemper eſſe vtriuſque, declinandamque ab vtroque viciniam, alioquin vel in parentis vtero in promptu rogus eſt. Quod etiam planè vidiſſe exiſtimandi ſunt ij, qui olim funera curabant: Nam ſi fortè in cremandis hominum cadaueribus videbatur ignis de ſua voracitate remittere, ac mitiùs agere, fœminæ cadauer vnicum apponebant, quod veluti fomes ignem pariter conciperet, & reliqua ſtatim inuolueret penitùs, abſumeretque cadauera. *Quoties*, inquit Alexander ab Alexandro lib. 3. cap. 7. *plura cadauera, & aceruata corpora vrerent, aut incendi curarent, ſolebant funerum miniſtri denis virorum corporibus ſingula muliebria adijcere, vt vnius adiumento cætera faciliùs deflagrarent.* Si corpus igitur mulieris, quanquam planè demortuum, atque omninò extinctum, mortua non vnius, ſed multorum corpora virorum accendit & vrit, quidnam in viuo virium erit ad viua marium corpora occultò licèt igne corripienda? ſi corpus frigidum flammarum ſeminarium eſt tacita quadam, ſed vera prorſùs ratione mirabiliter erumpentium ad aliorum conſumptionem; quid ſi eas velut Ætna feruida atque animata eructet palàm, ſimulque per oculos, per linguam, perque cæteras ſui partes plenas æquè ignis, atque animæ? Si corpus, quod incenſo iam rogo obnoxium eſſe non poteſt ardori fœminei cadaueris obuium cedit, obruiturque flammis non apparentibus, totumque in fauillas, ac cinerem euanidum deficit; an credimus cor eius, qui cera ſit mollius, viſu, vel tactu efferueſcentis vndique fœminæ obdurare ſic poſſe, vt non planè colliqueſiat? procul igitur à fœminis viri ſint, ſi tamen eſſe velint procul à flammis, ac certò diſcrimine ſalutis ſuæ. Id autem ſemper quidem præſtandum eſt, ſed tunc præcipuè, cùm præter damna præſentia, quæ vel diffitentes experimur, renunciare cogimur amori diuino, nuptijſque Deum inter amantiſſimum, noſtramque humanitatem tàm feliciter contractis, nulla temporum, niſi nos ipſi perdere voluerimus, viciſſitudine diſſoluendis. *Aſpira igitur* (ſunt verba Guerrici Abbatis ſerm. 3. in Natali Apoſtolorum Petri, & Pauli) *Aſpira igitur*, inquam, *ò dies dierum, obumbra ſuper caput noſtrum in die belli, inclina ſuper nos vmbras ſalutis, & refrigerij; & inclinentur ſubter nos vmbra torporis, & tadij, & licèt contingant nos vmbræ de cogitatione terrenorum, non nos contegant tenebræ, ideſt, vmbræ craſſiores de amore terreno, ſed ſemper reſpiremus in luminoſum amorem tuum ò Pater luminum.* Nam ſicut vmbrarum aliquæ germina necant, quod tradit Plinius lib. 17. cap. 12. ita amoris terreni Guerrico Iudice, nos perdit vmbra lethalis, verè enim protulit illa Gregorius lib. moralium 4. cap. 17. *in vmbra*, inquit, *mortis ſedere, eſt à diuini amoris notitia in obliuione lateſcere.* Ad amorem ergo cæleſtem, quia vitalis eſt; quia (vt loquitur Ambroſ. ſerm. 3. in pſalm. 118.) *eſt vmbra vitæ*; ſiue, vt ibidem aſſertur, ſer. 15. *vmbra viuificans*, facilè aſpirabimus, ſi veriſſima eſſe etiã ea, quae Bernardus prodidit ſerm. 2. de S. Benedicto intelligemus: *Quod Phyſici*, inquit, *dicunt, hominem eſſe arborem inuerſam, eò quod nerui corporis radicem, & initium in vertice habeant; Ego illo potiùs ſenſu interpretor, quod radicem amoris, & deſiderij figere debeat in cælo, qui illuc radices miſerit, & ab illo fonte æterno ſuccum vitæ, & gratiæ iugiter biberit, non timebit cùm venerit æſtus iudicij.* Neque verò difficile fuerit in locum tam ſublimem nos, ac noſtra omnia vel attollere, vel efferre: *Nam* (ſunt verba B. Laurentij Iuſtiniani cap. 8. de charitate) *machina mentis eſt vis Amoris, quæ eam dum à mundo abſtrahit ad alta ſuſtollit.*

Mulierum conſortia vitanda.

Mos antiquorum in excitanda flamma dũ corpora cremabantur.

Amor carnalis diſſoluit nuptias cum Deo.

Vmbræ quædam plantas necant.

* * *

IN CA-

IN CAPVT DVODECIMVM

A Num. XVII. ad XXII.

Vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam, dicentem: Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam ſpiritum meum ſuper eum, & iudicium gentibus nunciabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius: arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eiiciat ad victoriam iudicium: & in nomine eius Gentes ſperabunt.

PARADOXVM VII.

Nulla in mundo vita, ſi Spiritus Sanctus abſit.

QVANDO autem (vt tandem veniamus ad id qnod tertio loco propoſitum eſt) S. Spiritus mũdi amor eſt, vt vidimus, mirum videri non debet, ſi eiuſdem vita perhibeatur. Verè qnippè docuit Plato: *Diſcordiã mortis claues habere in poteſtate, amorem verò vitæ.* Nam Spiritus Sanctus Amor verus nunc primùm vitae fores per amoris præcepta aperit, cùm ſe nobis impertit.

Adumbratum id animaduerto lib. 4. Reg c. 4. vbi puer Sunamitidis ita dicitur reuocatus ad vitam ab Eliſaeo, vt priùs ſepties oſcitauerit: ſic enim n. 35. *& oſcitauit puer ſepties, aperuitque oculos.* Non

C vacat myſterio ſepties repetita oſcitatio, antequàm ſpiritũ ducat ereptus à mortis faucibus adoleſcens. Etenim eadem ratione Spiritus Domini, ſuper extinctum Orbẽ terrarum, mortuum ſcilicet ob peccata, quae vitam gratiae adimebant, ſuae halitum gratiae infudit, & per ſeptem dona paulatim quaſi per ſeptem recedentis languoris mortiferi indicia, reuocauit ad vitam. Fabuloſum eſt, & decantatum in triuijs Prometheum compacto è limo ſimulacro, cùm vitam commonicare non poſſet, Mineruae auxilio caelom conſcendiſſe, & furto ſublatam è curru ignis flammam, & mortuo immiſſam ſimu-

D lacro, vitam tribuiſſe. Verùm quia plus poteſt diuinae bonitatis ingeniom perficere, quam fabuloſa antiquitas comminiſci: Ecce tibi compacto è terrenae mortalitatis limo myſtico Eccleſiae corpore, vt vitam commonicet, qui Sapientia Patris eſt Chriſtus Dominus cælum repetit, & vitali flamma fouet animatque corpus illud, quod quaſi mortuum iacebat, & concluſum intra cœnaculum Sion. Non viuebat, quia nil agere audebat: *Viuere* autem, vt Philoſophus docet, *eſt agere.* At vbi primùm vim calefacientis, viuificãtiſque flammæ perſenſit, quid non peregit, quid nõ perfecit? Vt videatur dicere

Apoſtoli cō. parantur oſſibus.

Eccleſia illud Ierem, Thren. 3. *Miſit igni in oſſibus meis, & erudiuit me. Viuificat omnia Spiritus Dei, cum & ipſe vita ſit.* inquit Ambroſius. Quandoquidem oſſium facta eſt mentio, non me pœnitet oſſibus Apoſtolos comparaſſe. Sicut enim oſſa firmitate ſua totius molē corporis fulciunt, ac ſuſtentant; ita etiam Apoſtoli totius ſtructuram Eccleſiæ, corporis ſanè nobiliſſimi, firmant, atque ſuſtentant. Verum id quidem eſt, ſed negari non poteſt oſſa hæc, poſt paſſionem dominicā diſſipata iacuiſſe, quaſi arida, qualia planè vidiſſe ſe teſtatur Ezechiel cap. 37. Eductus Propheta à Domino vidit campum plenum oſſibus, ſuper quæ, Deo iubente, vaticinatur, ſic enim n. 4. *Dixit ad me: vaticinare de oſſibus iſtis, & dices eis: Oſſa arida audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus oſſibus his: Ecce ego intromittam in vos ſpiritum, & viuetis.* Quid tum? ſubdit ibidem Ezechiel. n. 7. *Factus eſt autem ſonitus prophetante me, & ecce commotio, & acceſſerunt oſſa ad oſſa vnumquodque ad iuncturam ſuam.* Duo dicuntur; factum ſcilicet ſonitum; & acceſſiſſe oſſa ad oſſa. Vtrumque contigit deſcendente Spiritu Sancto, cum in Eccleſiæ campo quaſi arida oſſa iacentia, & diſſipata viderentur Apoſtoli. Scilicet *factus eſt repente de cælo ſonus.* En primum; tum coniuncti dicuntur: *Erant pariter omnes in eodem loco.* Sequitur Ezechiele & n. 9. & deinceps cit. c. narrat quæ contigerunt, hoc modo. *Et dixit ad me: vaticinare ad Spiritum, vaticinare fili hominis, & dices ad Spiritum; Hæc dicit Dominus Deus: A quatuor ventis veni Spiritus: & inſufla ſuper interfectos iſtos: & reuiuiſcant. Et prophetaui ſicut præceperat mihi: & ingreſſus eſt in ea Spiritus, & vixerunt.* Quibus Ezechiel non tam deſcribit factum, quàm ponit ob oculos quod erat faciendum, cum flante vento, tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, in corda diſcipulorum ingreſſus eſt ſpiritus, & vixerunt. Non ſolùm cōſternati metu Apoſtoli, ſed diſperſi tremore, tempore paſſionis Domini impleuerunt quod Io. 16. 32. prædictum fuerat. *Venit hora vt diſpergamini vnuſquiſque in propria, & me ſolum relinquatis.* Reliquerunt Magiſtrum Ieſum, qui vita eſt. *Ego ſum vita.* Quid ergo mirum ſi veluti mortui, ac diſperſi velut oſſa arida iaceant. Aduenientē Spiritu Sancto reuiuiſcunt: *Ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & vixerunt.* Id porrò quod ſemel in cœnaculo Sion factum gratulamur; cum Chriſti fidelibus renouari ſæpius certò ſcimus: quoties enim Chriſtiani lethaliter peccant, moriuntur, vita gratiæ

Chriſtiani peccato mortui oſſibus ſimiles, quomodo ad vitam reuocentur.

A ſpoliati, ſed tamen fidei donum non amittunt, adeòque oſſibus ſimiles propter firmitatem fidei, reuocantur ad vitam dono Spiritus Sancti. S. Cyprianus epiſt. 2. ad Donatum explicans, quo pacto Dei gratia incipiat in nobis bonum opus, & ſit initium iuſtificationis, quemadmodum à Cōcilio Trident. ſeſſ. 6. c. 13. definitum eſt his verbis: *Deum enim, niſi ipſi homines illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet,* iuxta illud Apoſtoli, *Certus ſum, quoniam qui cœpit in vobis opus bonum perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu.* Cyprianus igitur declarans loc. cit. verbum *incipere*, ait: *vt eſſet agnoſcere* B *terrenum fuiſſe, quod prius carnaliter natum delictis obnoxium viueret; Dei eſſe cœpiſſe quod iam Spiritus Sanctus animaret.* Pendo vltima verba, quibus doceor animari poſt amiſſam vitam, ob delicta patrata, Sancti Spiritus beneficium eſſe.

Huc reuoco, auctoribus Origene, & Cypriano vaticinium Iſaiæ c. 4. n. 1. vbi ſic habet: *Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum in illa die dicentes: inuocetur nomen tuum ſuper nos: aufer opprobrium noſtrum.* Iſtæ ſeptem mulieres, ſi audiamus Originem hom. 3. ſuper Iſaiam, & S. Cyprianum lib. de exhortatione martyrij, typus ſunt ſeptem donorum Spiritus San- C cti. Dies autem, de quo ſermo ſit, dies vtique redemptionis eſt, quo ſeptiformis Eccleſia virum vnum, Chriſtum videlicet per fidem, & charitatem apprehendit. Bene eſt. Sed qui fructus huius coniunctionis? Declaratur ibidem ab Euangelico Vate num. 2. immediatè ſequenti his verbis. *In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria.* Vides vitae germen quod fidelibus in Chriſto per Spiritus Sācti dona viuificaris promittitur. Facit pro me allata à Nazianzeno ſimilitudo, quam leges ser. 3. ad Virgines his verſibus.

Septem dona Spiritus ſancti adūbrantur in ſeptem mulieribus.

Vt Phœnix moriens primos reuiuiſcit ad annos,
D *In medijs annis poſt plurima luſtra renaſcens,*
Atque nouum veteri ſurgit de corpore corpus.
Haud ſecus egregia redduntur morte perennes
Dū pia diuinis ardeſcunt pectora flāmis;

Reuera loqui videtur de ea vita, quam piæ Sancti Spiritus flammae excitant; vt fideles vitam gratiae viuant. Hoc nanque opus eſt eius Spiritus, qui eſt eſſentialiter vita, cum ita ſe gerat, vt viuido calore igneſcant ij, quibus cum agit, non tamen igne, quo penitus inuoluuntur, aut abſumuntur; ſed tanquam Phœnices

in ſuis

A in ſuis ipſi flammis reparantur, & reuiuiſcunt. Ex quo Deū affatur Eccleſia: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur*. O Diuine, ò viuificans, ò Creator Spiritus refoue mortis gelu rigentia pectora, tuoque Igne, qui nunquam extinguatur, accende. Leges apud Plinium lib. 2. c. 106. In Lycia Hephæſtios montes teda flammāte tactos flagrare adeò, vt lapides quoque riuorum, & arenæ in ipſis aquis ardeant; & quod maiori dignum eſt admiratione, ignis ille pluuijs alitur, Stupenda ſunt hæc, ſi vera. Illud ſanè ſtupendum maximè, quia veriſſimum; Igne ſemper viuido diuini Spiritus tactos Eccleſiæ mōtes, hoc eſt, præſtantes ſanctitate viros fla- B grare adeò, vt lapidea etiam peccatorum corda, & mentes ipſæ imperfectorum vilis inſtar arenæ aquis labentium bonorū obuolutæ inardeſcant, ac flagrent beato illo igne, qui pluuijs alitur cæleſtium gratiarū. O incendium viuidum! ò flammas vitales, quibus Deo viuimus, & virtute vigemus!

Lapides ardentes in aquis; Ignis alitur pluuijs.

Agnoſco S. Spiritus ingenium, & vim beneficam tribuendae vitae non recolo modò ſed veneror, memoria repetens quæ naſcentis exordio mundi de Spiritu Sancto ſacræ teſtantur paginæ, de quo Gen. 1. num. 2. dicitur. *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas*, legit S. Hieronym. *Spiritus Domini incubabat ſuper aquas*, & S. Baſilius C ſuprà etiam allatus hom. 2. clariùs *Spiritus Domini fouebat aquas*. Si quæras quid ſignificetur, dum dicitur: *Spiritus Domini fouere aquas?* reſpondet idem Baſilius in hunc modum. *Per illum Patris, & Filij ardorem qui eſt Spiritus Sanctus, calefieri, & foueri aquas ad concipiendam vitam, & fœcunditatem*. Hiſce præludere viſus eſt ſupremus artifex, & adumbrare, quod perfecturus erat in Eccleſiæ, mundi nempè melioris molimine: Fouens quippè S. Spiritus aquas mortalitatis noſtræ (ſcribitur enim. *Aquæ multæ, populi multi*) caleſacit ad concipiendam vitam, & D fœcunditatem; Vitam gratiæ, & fœcunditatem bonorum operum. Vt iam intelligi facile queat quàm meritò 2. ad Cor. 3. 6. dicatur à Paulo *Spiritus viuificare*; Quod tripliciter conuenit Spiritui Sancto, vt explicat P. Cornelius à Lapide in hunc locū. Primò, quia Spiritus gratiæ, & charitatis vitam ſupernaturalem dat animæ. Secundò quia impellit, & indit motum, & agilitatem ad bona opera, & ad legem adimplendam. Tertiò quia dirigit ad vitam æternam, quam ſuis obſeruatoribus lex promittit. Quæ cum ita ſint, quis, licet aqua frigidior, calore tam viuifico non caleſcat ad vitam? Aut certè ſaxea noſtra

Spiritus Sāctus viuificat tripliciter.

A corda molleſcant in lacrymas, vt ſuper eas diuinus feratur Spiritus; imò incubet, & foueat, & caleſaciat ad fœcunditatem. Dicam iterum toto cordis affectu: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Renouatur autem Terræ facies*, dum, vt ait Gregor. lib. 29. moral. c. 14. vel 19. *virtute renouationis immutamur, & ſicca dudum mens, gratia veniente compluitur, & poſt ariditatem priſtinam quaſi productis herbis ſcientiæ viriditate veſtitur*. Vides etiam poſt ſiccitatem culpæ vitam ac virorem refloreſcere, ac reuiuiſcere virtute Spiritus Sancti, qui vera vita eſt.

B Repetamus memoria, ſi placet, primi creationem parentis, cum Dei manibus formatus Adam dicitur Gen. 2. 7. *Primò quidem formauit Deus hominē de limo terræ*: finge tibi mutum, imò ignobile ex luto ſimulacrum, quale Deo opifice compactum legis. Cogita, ſic loquitur Chryſoſtomus hom. 12. in Gen. *Cogita obſecro formationis Adæ ordinem, & expende tecum antequam inſpiraretur à Domino ſpiraculum vitæ. quis erat formatus ille? ſimpliciter inanimis quadam imago, operatione carens, & ad nihil vtilis*. Sequor nunc opinionem Chryſoſtomi quam etiam amplexus eſt Auguſt. lib. 13. de Ciuit. Dei c. 24. C licet probè teneam ſententiam S. Thomæ 1. part. q. 91. docentis: *corpus humanum non fuiſſe formatum ante animam, ſed ſimul*. Verùm poſita Chryſoſtomi aſſertione, quam ſacrae paginae narratio videtur innuere; *formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. & factus eſt homo in animam viuentem*. Videtur enim ſenſus eſſe, prius formatum eſſe corpus de limo terræ, & in ipſum iam formatum, & figuratum fuiſſe inditum ſpiraculum vitae. In hoc opere, niſi fallor, tanquam in Emblemate Vitalē S. Spiritus operationem agnoſcere poſſumus, & venerari: Homines quippè D terreni planequè lutei, inania videlicet ſimulacra, Imagines mutae, ſigna carentia vita, ſpirante Spiritu Sancto, hoc eſt, immiſſo cæleſtis vitae ſpiraculo, fit homo in animam viuentem, qui iacuerat velut inanis, & inanimis. Et haec fortaſsè ratio eſt cur Chriſtus Dominus dans diſcipulis Spiritum Sanctum inſufflauit. Legimus enim Ioannis 20. n. 22. *Inſufflauit, & dixit accipite Spiritum Sanctū*. Cur inſufflans dat Sanctum Spiritum? Vt intelligamus eodem planè modo, quo Deo ſpirante vitam accepit primus homo, ita eodem inſufflante reuiuiſcere ad gratiam, qui Sancti Spiritus aura, vel halitu perfunduntur.

Homo ignobile, & mutum ſimulacrum animatur à Spiritu Sancto.

tur. Quod eò facilius mihi perſuadeo cum legam hæc verba vulgatæ editionis : *Et factus eſt homo in animam viuentem*, à Chaldæo paraphraſte verti . *factus eſt homo in ſpiritum loquentem*. Fiunt homines viui gratia Spiritus Sancti, & nominatim in ſpiritum loquentem; quia ſicuti labente de cælo in capita diſcipulorum Sancto Spiritu *cæperunt loqui magnalia Dei*; ita eodem dante ſpiritu, qui linguis igneis voluit adumbrari, linguam loquuntur nouam fideles Deo renati, & Chriſto geniti; loquuntur, inquam, cæleſtia, & diuina ex abundantia cordis igneo Sancti Spiritus calore viuificati.

Cor hominis cor ob peccatum mortuum Deo, inter auras Spiritus Sancti iò reuiuiſcat.

Illud ſanè ſatis admirari non poſſum miraculum humanæ obſtinationis: Quo enim pacto fieri poteſt (quod poſſe fieri credimus ideò, quia fieri videmus) vt cor hominis ob peccatum mortuum Deo, inter vitales auras, viuaceſque Sancti Spiritus flammas minimè reuiuiſcat? An quia cum carneum ſit retinere diu Spiritum Dei non poteſt, iuxta illud Gen. 6. 3. *Dixitque Deus: non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.* An potiùs quia cum lethali veneno labis mortiferae ſit infectum ſceleſtorum cor, mirum non eſt, ſi nequeat flammis hiſce abſumi? eo plane modo, quo Plinius lib. 11. nat. hiſt. cap. 37. non multò antè finem ſcribit, cor ob venenum Germanici Cæſaris cremari minimè potuiſſe reliquo cremato corpore priuſquam diſſecti pus eijceretur. Ergo carnis operibus renunciare, & venenum peccati euomere debet qui vitali harum flammarum incendio cupit abſumi, ſibique viuere, & Spiritui Sancto vitalis aurae largitori. Aut certè dicamus, euomendum eſſe venenum lethale quod infecerat hominum corda, quæ viru ento tabo iam diu emarcuiſſent, niſi Sancto Spiritu linguis igneis è cælo labente vitae reddita reſpirarent: ita ſanè Chryſoſtomo viſum eſt hom. de Pentecoſte, quae habetur tom. 6. *Propterea*, inquit, *in ſpecie linguarum Spiritus aduenit, vt veteris hiſtoriæ memoriam nobis refricaret: Cum enim olim homines ſuperbia elati turrim extruere voluerint, quæ ad cælum vſque pertingeret, & vniuerſa diuiſione linguarum prauam illorum coitionem, & concordiam diſſiparit Deus: ideirco nunc quoque, in ſpecie linguarum ad eos aduolat Spiritus Sanctus, vt per illum Orbem terrarũ diuiſum coniungat.* Diſcordiam venenum eſſe ſupra quàm dici queat noxium, ac virulentum didici ex Cypriano de zelo, & liuore ſcribente: *Venena fellis euome, diſcordiarum virus exclude.*

Cor Germanici Cæſaris ob venenum cremari nõ potuit reliquo corpore cremato.

Spiritus Sanctus cur in ſpecie linguarum aduenerit.

A Excludit virus tam venenarum ab humanis cordibus, delapſus à metropoli concordiae Spiritus vnanimitatis, vt charitati viuamus, & Deo: Viuemus autem, ſi terrenis corporeiſque delicijs, remiſſo Nuncio, Spiritum viuificantem corporis hoſpitio recipiemus. Sic monebat Auguſtinus lib. de ſalutaribus documentis c. 40. *Cum carnis abiecerimus Sarcinam Spiritus Sanctus tribuet nobis in caleſtibus manſionem, cui nos paulò ante intra corporis noſtri hoſpitium feceramus manſionem.* Vtinam in noſtris cordibus is maneat Spiritus, quo manente vita vigeat neceſſe eſt.

Altius repetenda res eſt, & Salomonis

B ænigmate declaranda. Diuina plenum ſapientia problema huiuſmodi leges Prouerb. cap. 30. n. 4. *Quis aſcendit in Cælum atque deſcendit? Quis continuit Spiritum in manibus ſuis?* (vel iuxta lectionem ſeptuaginta Interpretum) *in ſinu ſuo? Quod nomen eius, aut quod nomen filij eius, ſi noſti?* Hoc problemate ſanctiſſimæ auguſtiſſimæque myſterium Trinitatis mirum in modum inſinuatur, adeò vt vnaquaeque perſona certa veluti nota deſignetur. Nodus ſanè tunc temporis Gordiano difficilior non ſolùm quia perſonarum in Deo multiplicitas nulli eo ſeculo ſatis erat comperta: verũ etiam quia

C Salomon obſcuro ſatis vtitur modo loquendi, diuinarumque perſonarum ordine minimè ſeruato: Incipit enim à filio. *Quis aſcendit in calum atque deſcendit?* Beda, Hugo, Dionyſius docent haec de Chriſto pronunciata. Deinde inſinuat Spiritus Sancti perſonam: *Quis*, inquam, *continuit Spiritum in manibus ſuis. aut in ſinu ſuo?* Non potuit autem elegantius adumbrare proceſſionem Spiritus Sãcti, quam allata ſimilitudine aëris: quemadmodum enim quiſque auras ſinu, vel pectore ſuo haurit attrahens, & reddit emittens, *ita* etiam è Patris, filijque ſinu procedit Spiritus Sanctus, cuius emana-

D tionem, vim, ac munera ad intra in ipſa Trinitate; & emiſſionem, communicationemque eiuſdem ad extra in creaturas, non poteſt exprimi melius, quàm hac ſimilitudine reſpirationis, & flatus, iuxta ſententiam Cypriani in ſerm. de Spiritu Sancto. Tandem per ea verba quibus ænigma concluditur: *Quod nomen eius, aut quod nomen fily eius, ſi noſti?* vt perſpicuum eſt, Patris perſona indigitatur. Hiſce ita conſtitutis animaduertendum eſt, vnamquamque perſonam proprio veluti charactere à Salomone deſignari: Pater enim *is* eſt, cuius nomen *ineffabile* eſt, è cuius intellectu fœcundo gignitur

Proceſſio Spiritus Sãcti adũbratur in aëris ſimilitudine.

filius

filios; qui rediuiuus à mortui aſcen ſit ad cælos, & indè rurſus ad mundum iudicandum referet ſeſe. Porrò ſi ſemel ſtatuamus ex mente Patris nunquam effœtu, æterno partu genitum filium; conſequens eſt vt voluntas ſimili ſit praedita fœcunditate, ex eaque aliam ſubſiſtere perſonam, cui vitam tribuere proprium ſit ac peculiare. Totum id habes ex Auguſtino epiſt. 49. ad Deogratias q. 5. his verbis: *Quodam loco prouerbiorum dicitur: Quis aſcendit in cælum, atque deſcendit? Quis colligit ventos in ſinu? Horum duorum, quæ in extremo commemorani vnum retulit ad Patrem, ſcilicet, quod nomen eſt ei? propter quod dixerat, Deus docuit me ſapientiam: & alterum euidenter ad filiũ; cum ait: Quod nomen filij eius? propter cætera, quæ de filio magis intelliguntur, hoc eſt: Quis aſcendit in cælum, & deſcendit? Quod Paulus commemorat: Qui deſcendit ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cælos: Quis colligit ventos in ſinum? ideſt, animas credentium in occultum atque ſecretum, quibus dicetur. mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Hactenus Auguſtinus. Ex quo diſce quid potiſſimùm præſtet Spiritus Sanctus repraeſentatus vitali aura, quae intimo viuentis ſinu reciprocatur: Nimirum eam tribuit vitam, quam viuunt mortui mundo, & vitijs, qui abſconditi in Chriſto, vni vacant Deo. Sicut ergo Filium generare Patris eſt; ſicuti aſcendere in caelum & deſcendere Filio conuenit; ita ſingulare eſt Spiritui Sancto vitam tribuere, atque fouere.

A Vidit id iam diu lynceo mentis oculo Iſaias, quemadmodum ipſemet teſtatus eſt cap 42. numer. 6. *Dans flatum populo qui eſt ſuper terram, & Spiritum calcantibus eam.* Iuſtorum hominum vita, Spiritus Sanctus eſt, iuxta Procopij interpretationem. *Hiſce verbis*, ait, *Significatum vniuerſo populo terræ datum eſſe ſpiraculum vitæ; verum Spiritus Sanctus conceſſus eſt ijs ſolis, qui terrenas cupiditates calcant.* Calcandæ nobis prauae cupiditates, conterenda vitia, confringendae hoſtium inuiſibilium vires vt nunquã defecturam Sancti Spiritus auram attrahamus. Quod quidem aptiùs, & clariùs

B quàm poſſim ego oratione comprehendere, patebit expreſſium in Stephano inter purpuratos ſui murice ſanguinis facilè principe, & proprij corona nominis laureato. De quo S. Lucas in Act. cap. 7. num 55. *Cum autem eſſet plenus Spiritu Sancto, intendens in cælum vidit gloriam Dei.* Verborum ordinem caeleſti plenum doctrina obſeruãdum attentè monet Damianus ſerm. de S. Stephano in hunc modum: *ſimul ſignanter recollige poſitionem verborum: Plenus eſt Spiritu, & ſic intendit in cælum; quia qui Spiritu diuinitatis afflatur, conculcatis terreſtribus, cæleſtibus inhiat, & æternis.* Mirum non eſt, ſi

C vitam ducat perennem, planequè caeleſti parem, qui inter mortales degens mortalia calcat; & qui Dei vegetus Spiritu, aura caeleſti recreatur temporalia faſtidiens ſuperhis inhiet neceſſe eſt, & æternis, ſemper viuens etiam in regione vmbrae mortis.

Spiritus Sanctus conceditur ijs qui terrenas cupiditates calcant.

IN CAPVT DVODECIMVM

A Num. XXII. ad XXVIII.

Tunc oblatus eſt ei dæmonium habens, cæcus, & mutus, & curauit eum ita vt loqueretur, & videret. Et ſtupebant omnes turbæ, & dicebant: Nunquid hic eſt filius Dauid? Phariſæi autem audientes, dixerunt: Hic non eiicit dæmones niſi in Beelzebub principe dæmoniorum. Ieſus autem ſciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum diuiſum contra ſe, deſolabitur: & omnis ciuitas, vel domus diuiſa contra ſe, non ſtabit. Et ſi ſatanas ſatanam eiicit, aduerſus ſe diuiſus eſt: quomodo ergo ſtabit regnum eius? Et ſi ego in Beelzebub eiicio dæmones, filii veſtri in quo eiiciunt? Ideo ipſi iudices veſtri erunt.

PARADOXVM VIII.

Concordia Chriſtianos armat, dæmones expugnat.

CONCORDIAM non familiarum modò, ſed regnorum columen eſſe, munimentumque tutiſſimum, & hominum, & ſuperum ſuffragio certum eſt; vt ex ratiocinatione patet, qua hoc loco ſapientiſſimus rerum magiſter vtitur, & ad confirmandam caeleſtis doctrinae ſuae veritatem, & ad refellendam impudentem execrandamque audaciam circunſtrepentium aduerſariorum. Ego verò vt argumentum proferam, tàm meo inſtituto, quàm moribus accommodatum, decerno ac ſpondeo me probaturum, expugnari concordia dæmones, & Chriſtianos armari.

Adeſto quiſquis concordiam imbellem putas, & arbitraris inermem: Credes, ſi ſapis, vſque ad terrorem hoſtium externinmque pugnantem. Ita Tertulliano viſum eſt, qui ad munienda iuſtorum hominum corda aduerſus daemonis vires ſemper armatas, cap. 1. lib. ad Martyres ait. *Inueniat munitos, & concordia armatos, quia pax veſtra bellum eſt illi*. Satanae conterere copias, vitiorum profligare phalanges, hoſtium inuiſibilium exercitum fundere ſola poteſt concordia Chriſtianorum. Canentem Dauid audiamus; Quis autem bibulis auribus excipere negligat plenum, non tàm ſuauitate, quàm ſanctitate canticum; Imò potiùs canticum non effaeminatum, ac molle, ſed minax, ſed militare, ſed redundans magnanimitate. Canticum dico pſalm. 75. n. 2. quo victoriae paean vſque adeò proſequitur glorioſum, fractis diaboli armis, & vi omnique potentia hoſtium contrita, fiat manifeſtus relatus de tartareis poteſtaribus triumphus praeſtantiſſimus, & omnium ſeculorum memoria celebrandus. Sic autem verendus ſceptro, amandus

Dauid pacis amator tartareos hoſtes profligat.

A plectro Rex Iſraël canit: *factus eſt in pace locus eius. Ibi confregit potentias arcuum, ſcutum, gladium, & bellum*. O praeclara coniunctio locus pacis, & armorum confractio! Vnanimis nempe concordia, diſcordes rebellanteſque Satanae apparatus pede premit, & conterit ſuperatos. Inſultantes contra rationis imperium inſanos motus coërcere deſideras? coërcet concordia; Monentem praelia concupiſcentiam euertere cordi eſt? Euertit concordia; Diabolica machinamenta diruere, Satanae retundere impetum, carnis impudentiam refraenare; imò potentiam hoſtilem concutere, arma infringere, bel-
B lum propulſare, arcus, gladios, ſagittas conterere penitùs, atque omninò comminuere meditaris? hoc quoque audacter aggreditur, aſſequiturq; concordia glorioſiſſimè. Lubet audire Hugonem Victorinum in cap. 1. regulae Sancti Auguſtini his verbis. *Victus* (ſcilicet diabolus) *vehementer dolet, cum eos* (nempe ſeruos Dei) *per diſcordias diuidere, & penetrare non valet. Hinc de Domino ſcriptum eſt, factus eſt in pace locus eius, ibi confregit potentias, ſcutum, arcum, gladium, & bellum*. Ex quibus verbis patet, quod omnia diabolica arma frangit concordia.

Dæmon à ſeruorum Dei concordia ſuperatur.

Mirari ſoleo à ſponſo cæleſti dilectam
C ſuam dici *terribilem*, & comparari cum *caſtrorum acie ordinata*. Expreſſè canticorum cap. 6. num. 3. *terribilis vt caſtrorum acies ordinata*. An non mens fuit ſponſi ſapientiſſimi dilectæ ſuæ præconia ſacri epithalamio amoris extollere? Num imbelli virgunculæ arma conueniunt? An non charitatem animorum nodum arctiſſimum atque ſanctiſſimum præ cæteris fidelibus ſuis Chriſtus Dominus commendauit? Ergo ab vnanimitate concordiæ ſponſa Eccleſia commendetur: Litui non reſonent, arma non fulgurent, milites non fremant, acies non ordinentur. Præſertim cum idem ſponſus paulò ſuperiùs, hoc
D eſt, cap. 2. num. 12. ad ſponſæ laudes exornandas campum aperuerat ſatis amplum à commemoratione vnitatis, atque concordiae: *Vox turturis audita eſt in terra noſtra*. Turtur vnionis, atque conſortij amantiſſimum animal. Gratulemur nobis, quoniam is qui voce tonitrui magni reſonabat, qui voce concutiebat multitudinis, qui voce aquarum multarum fragore reboabat horriſono Deus vltionum, Deus vindictæ, Deus exercituum; modò Deus concordiae ſit atque vnitatis. Sic cenſet Bernardus ſerm. 59. in Cant. in haec verba: *Vox turturis audita eſt*, Non *planè principatum ſonat vox iſta*, *ſed*

Spōſa ideo hoſtibus metuenda, quia pacificum turturem ſe exhibuerat.

A *ſed conſortium.* Procul hinc procul eſte tabidi bellatores, peditum copiæ, equitum turmæ, militaris furor, pugnax audacia, tormenta, machinæ, arma procul. At paulò poſt *terribilis dicitur, vt caſtrorum acies ordinata,* haec eadem, quæ à miti conſortio turturis, ab imbellis auis pacifica ſocietate attollenda eſſe ad ſidera videbatur. Percipio vim encomij, plenamque ſacra eruditione veneror ſponſae commendationem. *Terribilis* quippè *vt caſtrorum acies ordinata,* prædicatur iure merito, quia iam exhibita fuerat turturis inſtar, vnitatis, & conſortij amantiſſima: Perpulchrè idem Bernardus ſerm. 41. de bene viuendi modo: *Sicut hoſtes timent,* B *quando acies caſtorum bene ordinatas ad bellum vident, ita diabolus expaueſcit; quando Spirituales viros virtutum armis accinctos in vnitate concordia viuere conſpicit.* Porrò quod volo explicat pluribus, & planiùs exponit ibidem inquiens: *diabolum non timere noſtra ieiunia, quia ipſe nunquam comedit; neque noſtras vigilias, quia ipſe nunquam dormit; neque noſtram paupertatem, quia ipſe nihil habet: timere tamen vehementer noſtram concordiam, quia hoc tenemus in terra, quod ipſe in cælo tenere noluit.* Nobilem illam, licèt è

Dæmon noſtram ſolam concordiã pertimeſcit.

limo procreati hominis originem repetamus, & lineamenta eadem eſſe tum mortalitatis noſtrae originem, quam cœnum coagmentat; tum etiam robuſtae firmitatis, quam humana Societas accipit à concordia, liquido deprehendemus. Plenum ſiquidem myſterio crediderim ex diſſecta ab Adamo coſta Euam, Deo opifice, efformatam: Nimirum Deus idem hominis eſt procreator, & cõcordiæ faber. Circumſpiciamus omnia animantium genera, quorum varietate, & numero rerum haec vniuerſitas fit admirabilis. Caetera quidem animalia, vel mole membrorum ſpectanda, vel exigui molitione corpuſculi ſuſpicienda, vel firmitate virium, vel coloris pulchritudine, vel ſono vocis, vel D dotibus naturae praeclara effinxit ipſemet ſummus rerum Opifex Deus: Ita tamen, vt faeminas ex maſculis non procreauerit, ſed tam faeminas, quàm mares ſeorſim effinxerit, fuit id ſolius hominis peculiare; Euam ſcilicet ex Adamo magni artifex moliminis, maioris auctor myſterij Deus abſtraxit. Fortaſſe vt inſinuaret naturae parens ſapientiſſimus, coniunctos adeò, atque concordes inter ſe homines eſſe debere, vt ſemper meminerint ſe vnum eſſe. Inter bruta compares mas & faemina miro ſociantur amore: at quanto tenaciore ligentur vinculo neceſſe eſt

Deus ex Adæ coſta Euam formauit vt concordia vnum efficerentur.

A ij, qui non eiuſdem tantùm, ſed vnius inſuper ſunt naturae. Nullus ſanè arctior nodus ad coniunctionem, imò modus nullus ad vnitatem compaginandam aptior excogitari poteſt. Verum id quidem, non tamen ſatis videtur optimo Procreatori: adeòque poſtquam ex vno Adam duos fecit; iterum è duobus vnum eſſe iuſſit, diſertoque diuinitatis oraculo definiuit, Geneſis cap. 2. à n. 21. *Tulit vnam de coſtis eius. Et ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* En ex vno Adam, conſors Eua; Rurſùs ex his duobus, Vnum fit. Vnde ipſe Adam cit. cap. n. 23. *Dixitque Adam* B *hoc nunc os, ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Et clariùs paulo poſt: *Erunt duo in carne vna.* Didici id ex Procopio in hunc locum ſic ſcribente: *Sapienter admodum Deus ex vno finxit duos, vt vnum iterum ex duobus conſtituat inuicè copulatis. Ex quo damnatur diſcordia.* Ergo ad conciliandam conſentientium animorum concordiam praeluſit humanitatis noſtrae architecta diuinitas. Et opportunè profectò non carnem, ſed os tulit ex Adam: Illud etenim robur firmitatemque quam humani imbecillitati corporis tribuunt oſſa, dat hominum ſocie-

Deus ex oſſe non ex carne Adæ Euam formauit vt cõcordiæ robur oſtenderet.

tati concordia: Auffer ab homine oſſa, & C reliqua tantùm eſt imbecilla carnis maſſa, omni omninò deſtituta vi; Tolle concordiam inter homines, & robur omne firmitatemque pariter abſtuliſti. Et fortaſſe procreantis Dei mens fuit, indicare volentis, hominem licet inermem, armatorum animantium vires conatumque ferarum timere minimè debere, ſi ſola concordia muniatur. Rugiat Leo, ſibilet ſerpens, saeuiat tigris; armatum; vel dentibus, vel cornu, vel vnguibus furat animal quodnis, ſatis ſuperque ſecuritati hominis conſultum eſt, concordia; quæ quovis armorum genere tutiùs munit, & propugnat ſecurius. Vera ſunt haec, ſed D veriora adumbrant myſteria, & documenta inſinuant vtiliora: Videlicet ita Dei prouidentia comparatum eſt, vt licet Diabolus, modò *tanquam Leo rugiens circumeat quærens quem deuoret;* modò tanquam tigris diſcerpere conetur Satanas; modò tanquam tauri pingues maligni Spiritus circundent, & cornu tentationum inuadant; nihil tamen timendum eſt homini munimento concordiae obfirmato. Huc reſpexiſſe viſus eſt Chryſoſtomus hom. 61. in Matth. *Certè charitas, quæ cauſa Chriſti fundatur, firma ſtabilis, atque inuicta eſt.* Oppugnari poteſt, expugnari non poteſt, qui vnanimis

Ferarum rabies concordibus viris non timenda.

nimis

nimis concordiæ firmo, ſtabili, vno verbo, inuicto robore propugnatur.

Laconici punicea veſte belli vtuntur.

Plutarchus auctor eſt de Laconicis inſtitutis, opuſculo Apophthegm. ſub finem: Lacones punicea veſte in bellis vti Solitos fuiſſe, tum quia color virilis videbatur, tum etiam quia ob ſimilitudinem ſanguinis aptus credebatur ad formidinem hoſtibus inferendam; præterquam quod eandem ob cauſam vtilis habebatur ad fallendum inimicum, ſi quæ inflicta fuiſſent vulnera, obtegendo. Sentiat vnuſquiſque quod libet de hoc Laconum bellantium inſtituto: Hinc ſanè fieri poteſt perſpicuum armari concordia Chriſtianos, dæmones expugnari. Soror quippe, imò gemella charitatis concordia, ſi tamen non vnum omninò, atque idem ſunt charitas, & concordia, quae roſeo rubore ſuo, ſalutis noſtræ teterrimos hoſtes deterret, ac perdit. Non alio profectò colore quam rubeo pingenda charitas, aut concordia eſt. Propterea ſponſa, vt proprijs veluti pigmentis dilectum colorarer; ſicuti ad eius innocentiam ſubijciēdam oculis albo colore vſa eſt; ita ad eius pingendam charitatem, rubrum effinxit. Cantic. 5. numer. 10. *Dilectus meus candidus & rubicundus*. Punicea Lacones veſte pugnauerint hoſtibus terribiliores; nos purpurea concordiæ veſte bellabimus formidandi inimicis inuiſibilibus, quos color ſanguineus ſine dubio deterrebit; & meritò, cùm ſcilicet certus ſit nuncius virilis animi noſtri vſque ad ſanguinem pro Deo, & religione pugnaturi. Fallet, fallet, ſine dubio hoſtem tartareum concordiæ color, tegendo inflicta vulnera, cùm *charitatis ſit operire multitudinem peccatorum* ex 1. Petri cap. 4. n. 8.

Rubeo charitatis ac concordiæ colore hoſtes falluntur.

Accidit ad aures iniucunda, ſingultibus ſcilicet crebris, imòque corde ductis ſuſpirijs interrupta querela ſponſae, audienda tamen ob debitam tantae matronae reuerentiam. Can: cap. 1. n. 6. *filij matris meæ pugnauerunt contra me*. Heu me miſeram! domeſticis diſcindor diſcrepantium diſſidijs filiorum. Bernardus ſerm. 29. in Cant. tribuit haec verba Eccleſiae fidelium omnium matri optimae, amantiſſimaeque. Miratur tamen S. Abbas Eccleſiam conqueri ſolùm de diſcordia filiorum. Quando lacrymis laxāda ſunt fraena, & queſtibus aditus pateſaciendus, cur non memorantur illatae martyribus caedes; perturbata, imò quaſſa vi tyrannorum tranquillitas Chriſti fidelium, conculcata religio, profanata altaria, deluſa ſacrificia, perturbata iura? Cur tacentur acerbæ virginum clades, execrandæ Pontificum proſcriptiones, lacrymabile legum ſanctitatiſque iuſtitium? Cur prætermittuntur accuſatorum audacia, carnificum crudelitas, impunitas ſceleſtorum in ipſo Eccleſiæ viſcera ſævientium ac debacchātium? An non ad diruendam profligandamque maieſtatem Eccleſiæ facta dæmonis mundique conſpiratione, tauro impetu, tanta inſolentia, pertinacia tanta toties irruperunt tàm effera moliendo, tàm ſæua, tàm dira, tàm truculenta aggrediendo? Atque hæc premantur ſilentio; & ſolum diſſidium filiorum argumentum præbeat querelarum? Iure ſanè religioſiſſimi Bernardi animum rapiunt hæc in admirationem; & abriperent ſine dubio à ſeipſo abalienatum, niſi perſpectam haberet ſponſæ prudentiam ſingularem. Satius eſt Bernardum audire citato ſerm. ſic loquētem: *Sola exprimitur perſecutio à domeſticis, & tacentur tot, & tàm grauia quæ vbique terrarum nihilominus, ex omni natione, quæ ſub cælo eſt, ab infidelibus, ab hæreticis, & ſchiſmaticis pertuliſſe cognoſcitur. Noui ſponſæ prudentiam nec putarem caſu hæc illam, aut quaſi immemorem præteriſſe: ſed profectò id expreſſius plangit, quod & ſentit differentius, quodque vigilantius nobis cauendum eſſe exiſtimat.* Si ſcire aues quae ſit iſta, quam Bernardus laudat in ſponſa prudentiam, declarabit Chryſoſtomus, cuius ſententia vix quicquam detrimenti poſſunt aſferre extranei bellorum conatus, ſi interna floruerit concordia. Eccleſiae animaque inimici vigent noſtro diſſidio; ſi concordes fuerimus, neque machinae, neque inſidiae, neque vires, neque impetus hoſtium nocere poterunt, aut perturbare. Vna plangenda eſt, domeſticos inter vnicas ſciſſa, vna vigens diſcordia fons eſt atque origo damnorum omnium bellorumque. Do Chryſoſtomi verba hom. 27. in cap. 12. epiſt. 2. ad corinth. *Non timeo externum bellum, quantum pugnam domeſticam: quoniam & radix quando bene compacta fuerit in terra, nihil à ventis patietur, licèt concutiatur: ſi autem illam intus vermes deuorent, etiam nullo turbante cadit.* Bellum externum timendum non eſt munitis concordia pectoribus; hoſtes enim ſicuti noſtra armātur diſcordia, ita concordia vnanimi conteruntur. Placet autem pro re praeſenti vſurpata à Chryſoſtomo ſimilitudo, quam petit à radice, quae concordiae vnicè conuenit ex Apoſtolo, à quo iuſti dicuntur: *in charitate radicati*.

Eccleſia multis calamitatibus agitata ſola filiorū diſſidia deplorat.

Intima vigente concordia, bellum ab externis non timendum.

Apud Tacitum plena acuminis, & ingenij oratione, vt bellum contra Romanos

nos ſuſcipiendum ſuadeat Galgacus vtitur potiſſimũ argumento ducto à diſcordia ciuium, inſinuans præteritas victorias, non tam Romanorum virtuti tribuẽdas, quam ipſorum diſcordiæ, quæ plurimũ auget hoſtium vires. Sic autẽ loquitur apud Tacit. in vita Agricolae Galgacus. *An tandem Romanis in bello virtutẽ, quàm in pace laſciuiam eſſe credetis? Noſtris illi diſſenſionibus, ac diſcordijs clari, vitia hoſtium in gloriam exercitus ſui vertunt.* An putas nõ longè verius id poſſe dici de Inuiſibilibus ſalutis, & animae hoſtibus? Gallorum, Germanorum, Britannorum diſcordiae ex Galgaci ſententia, Romanorum arma fecerant glorioſa; vtinam Chriſtianorum animi in diuerſa diſtracti coniuratorũ hoſtium vires non augeant. Credite, metum nobis & terrorem non diabolus, non mundus, non caro, non armata tartarearum poteſtatum agmina, ſed infirma inter nos faciunt vincula charitatis. Noſtra corda inter ſe diſcordantia pariunt inimicis gloriam, nobis parant ludibrium. Porrò pudet me, vt verum fatear, auctoritate vti non ethnicorum modò, ſed barbarorum; praeſertim cùm Dei ipſius oraculum ſit in promptu Euangelici Vatis ore prolatum cap. 32. num. 17. hunc in modum: *Et erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium, & ſecuritas, vſque in ſempiternum. Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Diſce à concordia oriri ſecuritatem, & fiduciae tabernacula reddi inexpugnabilia pulchritudine pacis. Audis fiduciam, audis ſecuritatem, audis requiem, & quidem nullo perturbandam infortunio, ſed ſempiterno ſeculorum curſu duraturam, ab vnanimi concordia originem ducere? Contrò nerſum ergo eſſe non poteſt armari vnanimitate concordi Chriſtianos, expugnari daemones; cum ea armati conteri nulla vi queant, nullo poſſint impetu concuti, aut inſolentia violari. Eloquentiſſimè id proſecutus eſt D. Cyprianus epiſt. 57. inuincibiles vires demonſtrans confeſſorũ Chriſti, quos vnanimitas faciebat inuictos. Sic autem eos compellat: *Dum ſic vnanimes, dum fortes eſtis, magna cæteris fratribus vnanimitatis, & fortitudinis exempla tribuiſtis. Docuiſtis granditer Deum timere, in perſecutione fratres à fratribus non ſeparari, concordiam ſimul iunctam vinci omninò non poſſe.*

Ex hoſtium diſſentione parta Romanis victoria.

Ex vnanimi concordia ſecuritas, & fiducia;

Verum quia capax diuinitatis, & ad cæleſtia factus humanus animus, mortalia faſtidiens, ſuapte natura quærit ſibi aditum ad immortalitatem; ſatius erit, atque inſtituto noſtro accommodatius repetere à cæleſtis imperij annalibus prælium illud, ſicuti glorioſiſſimum ſuperis; ita ſupra quàm dici queat, ac cogitari Satanæ tartareiſque principibus luctuoſum: Prælium, inquam, illud in quo non de patria fortuniſque, ſed de ipſa numinia monarchia; non pro aris ac focis, ſed de imperio diuinitatis certatum eſt, referente, imò ſpectante Ioanne Apocal. cap. 12. num. 7. *Factum eſt prælium magnum in cælo, Michaël & Angeli eius præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli eius, & non valuerunt.* En bellum genere maximum, conditione atrox, diſcrimine horrendum. Armatae in regione pacis concurrunt acies, & tàm turpiter, quàm audactèr ab obedientia ſummi Imperatoris deficiente auernali tyranno, conſpiratione nequiſſima, fœdiſſimoque inito fœdere irrumpit auſu execrandò cælum ſuis ſedibus euulſurus. Propugnãt ſtrenuè fines pacis Angelicae acies, confligunt, certant: ſtat tandem pro Michaële victoria. Vndè triumphus tàm nobilis? Vndè victoria tàm celebris? Quod machinae genus è cæleſti eductum armamentario audaciam confringere potuit rebellantis? Si Gregorium Nazianzenum audiamus palma tam præſtans ſoli concordiæ tribuenda eſt; Sic Nazianzenus orat. 12. *Ex Angelis autem is, qui ſeditionem concitare auſus eſt, dignas arrogantia ſua pœnas dedit; reliqui verò in ſua dignitate perſtant, cuius primum illud eſt, quod pacati ſunt, ac diſſidij expertes, quippe qui à Sancta, & laudanda Trinitate hoc acceperunt vt vnum ſint.* Diſcordat enimuerò à veritate, qui cõcordiæ vim negat inuictam, ad propugnãdos Dei ſeruos, & ad Dæmones expugnandos. In cæleſti certamine vincunt Angeli, milites ſuperni exercitus, quia pacati, quia diſſidij expertes, qui à Trinitate auguſtiſſima inuictam accipiunt vnitatem. Meo ſanè iudicio, quouis robore fortior, quouis bellatore pugnacior concordia eſt. Nimirum repugnantes Luciferi viribus immortales Heroas; non fines cæleſti Ieruſalem ab imperturbabili pace conſtituti; non nomen Domini, turris fortiſſima; non vrbis viuis è lapidibus extructa mœnia, ſed ſola facit concordia inexpugnabiles.

Depulſis è cælo Spiritibus ideo Michael ac Socies Deo mentes [illegible] ſtabant quia diſſidij expertes.

Videatur P. Franciſcus de Mendoza tom. 3. in lib. reg. cap. 11. num. 15. Annotat. 9. circa litteram. ſect. 1. & eodem tomo in cap. 13. num. 16. in expoſit. litteræ de tomo 2.

IN CA-

IN CAPVT DVODECIMVM

A Num. XXXVIII. ad XLIII.

Tunc reſponderunt ei quidam deſcribis & Phariſæis, dicentes: Magiſter volumus à te ſignum videre. Qui reſpondens ait illis: Generatio mala, & adultera ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plus quàm Ionas hic. Regina auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, & ecce plus quàm Salomon hic.

PARADOXVM IX.

Sibi & rebus ſuis optimè proſpicit, qui amore Dei ſe, & ſua maximè deſpicit.

ADMIRABILI planè ſpectaculo interfuiſſe ſe teſtatur Iſaias c. 6. ver. 1. & 2. dum ait: *Vidi Dominũ ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum: Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri, duabus velabant faciem.* Hæc ſtatim atque audiui, vt verum fatear, hæſi attonito ſimilis: legi enim primæ Petri, cap. 1. num. 12. vbi Princeps Apoſtolicæ ſapientiæ loquens de beatis cœli ſpiritibus ait: *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* Igitur ſi superni regni principes deſiderio flagrant videndi Deum Imperatorem ſuum, quo pacto conſonat veritati quod aſſerit Iſaias: eos videlicet, qui ſoliũ Dei circunſtant, velare faciẽ. *Duabus velabant faciem?* Didici à Theologis ſupernos Spiritus fieri beatos cognitione intellectus, qui gloriæ lumine illuſtratus patrem luminum intuetur. Negabit nemo hac Iſaiæ deſcriptione qua corporei oculi Seraphinis, omni cæteroqui carentibus corpore, tribuuntur, repræſentari rudibus hominum ingenijs, illam beatorum intellectuum operationem, quam viſionem beatificam dicimus. Cur ergo velant faciem ſi ſunt in conſpectu eius, quem videre deſiderant. *Velabant faciem. Deſiderant Angeli proſpicere.* An quia tunc maximè Dei magnalia perſpicimus, cum verecũda veneratione noſtros tegimus oculos? An quia cæcus fit oportet ad res omnes videndas, qui Deum intueri deſiderat? Sed dicam melius, cùm ſciam legiſſe me apud

A Dionyſium Areopagitam lib. de cæleſti hierarchia, ſingulos Seraphinos ab Iſaia viſos non duobus tantùm, ſed pluribus præditos fuiſſe pedibus. Ergo qui ad ſolium Altiſſimi accedere, & eundem clarius videre deſiderant tegant oculos, & pedibus abundent. Pedibus quippe ſeruo Dei opus eſt, quia longa & multiplex via eſt percurrenda. Vnde canebat Dauid, pſal. 118. num. 32. *Viam mandatorum tuorum concurri*; qua via confecta illuminantur; quia propiùs ad fontem luminum acceſſerunt. *Accedite ad eum, & illuminamini.* Felices illi qui Seraphinorum inſtar, affectuum pedibus Dei ſolium petunt: Iſti ſcilicet non oculorum indigent lumine. Nempe Rex Dauid monebat veriſſimè pſalm. 118. num. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Audi: lucerna pedibus, non oculis. Oculos velet; at pedibus polleat pluribus, & velocibus ad inquirendum, & inueſtigandum Deum ſuum, qui cupit veſtigijs inſiſtere Seraphinorum. Oppoſitum omninò fieri obſeruo à Scribis, & Phariſæis hoc loco, qui, vt animaduerto, pleni ſunt oculis, ſed carent pedibus: *Volumus à te ſignum videre.* En oculati Argi, qui cùm nil aliud velint, quàm videre, videntur, vt ita dicam, omnia membra in oculos conuertiſſe, C Sed carent pedibus. *Cor autem eorum longè eſt à me.* Ipſemet Dominus teſtatus eſt. Matth. 15. num. 8. Anima mouetur affectibus; qui igitur affectuum pedibus non moueatur ad quærendum Deum, fruſtra dicunt: *Volumus videre.* Nam regio in qua Deus eſt non luſtranda oculis, ſed greſſibus eſt perluſtrãda. Iure *velabant faciem*, ex Iſaia, qui ex ſententia Sancti Petri in Deum, *deſiderant proſpicere.* Propterea ſapientiſſimè Chriſtus Dominus vt Scribis, & Phariſaeis interrogantibus reſpondeat, exemplum affert Niniuitarum, & Reginae Sabae. Quaſi diceret: Vos qui videre vultis ſigna reuocate vobis in D mentem quo pacto, vt pœnitentiam agerent Niniuitæ, vt ad Salomonem accederet Saba; Illi contriti cordis affectibus; Iſta pedibus vſa eſt. Vt diſcatis non oculis, ſed affectibus, quibus, vt dicebam, tanquam paſſibus graditur animus, ſalutis veſtrae negocium committendum eſſe.

Deum videre cupienti non tam oculis quàm pedibus opus eſt.

Phariſæi nimium oculati pedibus carent.

Itaque Scribarum, & Phariſaeorum errore eruditus ſtatuo demonſtrare: Illos ſibi, & rebus ſuis optimè proſpicere, qui ſe, & ſua maximè deſpiciunt. An non intelligis Scribarum, & Phariſaeorum more agere illos qui ita Deo ſeruire volunt, vt cum eodem paciſcantur: *Volumus à te ſignum*

ſignum videre. Dicunt Scribæ, & Phariſæi; Et ſimiliter hoc tẽpore multi Chriſtianorum dicere ſolent: Si ſanitatem, diuitias, honores largiatur Deus, ſpondeo me vitam innocuam, & ab omni labe alienam traducturum. Longè diuerſo modo geſſiſſe ſe video Niniuitas & Reginam Sabam, quorum exemplo nulla pacti facta mentione viribus omnibus, omni conatu, atque induſtria Deum quæram; & iuratam do fidem me nullam vnquam mei, aut mearum rerum rationem habiturum in poſterum, nec quicquam mihi cordi futurum, niſi vt Deum quæram, Deo placeã, ſeruiam Deo, vno verbo: non vt ſatisfaciam oculis, aio: *Volo videre*: ſed vt affectibus conſulam, cor quantum, quantum eſt, Deo meo dono dicoque. Quod vt promptiùs fiat, & alacriùs, duo ſuadent potiſſimum. Alterum quidem, quia cum noſtri obliuiſcimur in obſequiũ Dei, Deus memor eſt noſtri; imò noſtra commoda ducit ſua. Alterum verò, quia in famulatu præpotenti maximoque Numini exhibito, aliud quippiam, praeter Deum quærere, indignum, impium, neſarium à probis, ac ſapientibus iudicatur.

Porus Niniuitarum & Reginæ Sabæ in Deum affectus.

Vt ordiar à primo, facio comparationẽ inter duo geſta Domini Ieſu, quorũ vnum ſcribit S. Matt. c. 14. Alterum S. Marcus c. 8. Confluxerunt turbę quamplurimæ, doctrina, & virtute Seruatoris illectæ: vergẽte autem in occaſum die, petunt Apoſtoli, vt dimittãtur. Sic enim habes apud Matth. cit. cap. à n. 14. & deinceps. *Et exiens vidit turbam multam, & miſertus eſt eis, & curauit languidos eorum. Veſpere autem facto, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius dicentes: Deſertus eſt locus, & hora iam præterijt: dimitte turbas, vt euntes in caſtella, emant ſibi eſcas. Ieſus autem dixit eis: Non habent neceſſe ire: date illis vos manducare.* Vides rude diſcipulorum ingeniũ? Ignorant morem beneficẽtiſſimi Domini: Conſueuit Ieſus magiſter veſter, ſi neſcitis, ò diſcipuli, curam eorum ſuſcipere, qui omni ſui, & ſuorum cura relicta ſecuti ſunt ipſum. *Non habent neceſſe ire: date illis vos manducare.* Quaerere victum ab alio non debet, qui amore Ieſu victum contẽpſit. Audi iam quid ſcribat Marcus Euangeliſta cit. cap n. 2. & deinceps, vbi cùm turbae multae tribus diebus ſecutae fuiſſent Dominum, ipſe Ieſus ait: *Miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent, quod manducent.* Hic, vt vides, nõ diſcipuli orant, ſed magiſter nullo ſuggerente miſericordia mouetur. *Miſereor ſuper turbam.* Tangitur commiſeratione, & quaſi fit miſeriarum particeps, quia iã ſua ducit, ea quæ pertinent ad illos, qui non vno die, ſed pluribus omni abiecta ſolicitudine, quaeſierant Dominum. Turbae apud Matthaeum paſcuntur, deprecantibus diſcipulis; Hic nullo intercedente non paſcuntur modò, ſed fame laborantes calamitatum ſuarum ſocium habent Dominum, cuius cor pulſat commiſeratio, quaſi ſuam ducat ſuorũ neceſſitatem. Videlicet, vbi manifeſtum fit ſui obliuiſci, vt ſeruiãt Deo; tunc enim verò patet officina miraculorum, tunc miſericordiae theſauri effunduntur, tunc Deus ipſe aliena, quaſi ſua calamitate commotus nõ expectat preces, ſed praeuenit: ſuorum vota non implet, ſed excedit; neceſſitatibus non occurrit, ſed praecurrit; nec vult orari iam exoratus; nec poſtulari vult, qui largitur non rogatus munificẽtiſſima dona diuinitatis. Sed ſatius erit Chryſoſtomum audire hæc duo geſta Chriſti Domini comparantem, & perpendentẽ hom. 8. in Marcum his verbis: *Apoſtoli dicunt: Ecce die tota expectant te, hinc verò ipſe Saluator loquitur: Ecce iam triduo ſuſtinent me. Vide quæ ſit differentia inter vnũ diem, & tres. Ibi ab Apoſtolis Dominus rogatur, vt paſcat: Hic Apoſtolos commonet Dominus, vt paſcat. Digni erant ſolicitudine Domini, qui tribus diebus expectauerant Dominum.* Egregia concluſio & memoriæ mãdanda: *Digni erant ſolicitudine Domini.* Fiet pro te ſolicitus Dominus ipſe, ſi eius amore omnem tui, tuarumque rerum à corde tuo ſolicitudinem amandaueris. At ſi quis fortè adhuc ſolicitudinibus ſeculi occupatus diſtrahitur à ſeruitio Dei; ea ſanè reprehendendus eſſet obiurgatione, qua hoc eodem cap. à Domino Ieſu diſcipulos ſuos nondum omni anxietate temporaliũ ſpoliatos legimus reprehenſos, dicitur enim à n. 17. & deinceps: *Quid cogitatis quia panes non habetis? nondum cognoſcitis, nec intelligitis? adhuc caecatum habetis cor veſtrum? oculos habẽtes non videtis? & aures habentes non auditis? Nec recordamini quando quinque panes fregi in quinque millia?* Nunquam excidant animo diuinae prouidentiae monumenta, vt noſtri penitus obliti, Dei pro nobis ſoliciti, ac vigilis patrocinio, atque tutela excipiamur,

Omni ſui ſe poſita cura Deum quærenti Deus abũ ſe proſpicit.

Cuius confirmationẽ veritatis poſſum altiùs repetere, reuocando in memoriam quod de parente humani generis Adamo ſacrae litterae tradiderunt. An non legiſtis Adamum, cum ſolus eſſet in paradiſo, ſomno captũ obdormiuiſſe? Res mira, vir in ſtatu innocentiae ſtertit inglorius, cur non de ſocia cogitat? cur conceptis votis vnicũ ſolitudinis ſolatium à Patre munerũ non efflagitat? Vir cordatus in re tãti momenti dormiat? Solitarium Beatum eſſe

poſſe, negat diſertè Ariſtotel. lib.9. ethic. cur non vigilet, vt impetrata coniuge, ſe ſe eximat à maxima calamitatum? Miratur Tertullianus Adamum dormiuiſſe antequam vel comederit, vel laborauit, vel locutus fuerit: à ſomno ergo primi parentis vita ducet initium? *Ille*, ſic loquitur lib. de anima Tertullianus, *fons generis humani Adam ante ebibit ſoporẽ, quàm ſitijt quietem; ante dormijt, quàm laborauit: imò quàm edit, imò quàm & profatus eſt*. Suauis poſt cibum, gratus poſt colloquia, neceſſarius poſt laborem ſomnus eſt. Ergò ieiunus non deſatigatus labore, aut colloquio dormiet oſcitans, & otioſus princeps humani generis? Veruntamen ſapit Adamus; dormit, vt exemplo ſuo nos doceat, in re maximi ponderis, anxia, & ancipiti, obdormiſcere illum debere, ſui omni cura depoſita, qui innocentis animi tranquillitate lætatur. Nimirum, vt Dei vigilet prouidentia, ſeruo Dei dormiendum eſt. Propterea dormiente Adamo, conſors Eua ſũmi opificio Architecti, efformatur, vt fiat nobis hoc experimento manifeſtum, Dei prouidentiam noſtræ vtilitati, ac commodo vigilare, ſi nos ipſi in ſinu bonitatis ſummæ requieuerimus. Non debeo verba textus prætermittere, c. 2. Gen. à n. 21. & deinceps: *Cumque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus coſtam quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam*. Animaduertit in hunc locum S. Petrus Damian. ſer. de Sancta Columb. Virg & Mart: qui eſt 66. notanda eſſe verba illa: *& repleuit carnem pro ea*. Sic autem loquitur. *Scriptura cum dixit, tulit vnam de coſtis eius. mox addidit; Et repleuit carnem pro ea, os tulit, & carnem reddidit*. In oſſe adumbrata recognoſco dura, & aſpera; in carne verò mollia, & ſuauia. *Os tulit, & carnem reddit*, quia in more poſitum eſt conſultiſſimæ, & amantiſſimæ bonitati Dei ita ſe gerere cum ijs, qui ſui obliti in ſinu prouidetiæ Dei quieti recumbunt, vt ab iſtis auferat dura, donet dulcia; tollat iniucunda, reponat amabilia. Vno Verbo, *os ferat, & carnẽ reddat*.

Vt Dei vigilet prouidētia, ſeruo Dei dormiēdum eſt.

Diuinæ prouidentiæ ſe committenti Deus tollit dura, & donat iucūda.

Sæpius mecum ipſe, non ſine aliqua admiratione, examinaui plenũ diuina Sapiētia monitum Petri Apoſt. ſcribētis Epiſ. 1. c. 5. n. 6. & 7. *Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei, omnem ſolicitudinem proijcientes in eum, quoniam ipſi eſt cura de vobis*. Non dicit Petrus: omnem ſolicitudinem reponentes, ſed proijcientes. Vtique hoc diſcrimen eſt, inter ea, quae reponuntur, & proijciuntur, quod illa, puta pretioſae veſtes auro, gemmiſque diſtinctae certo collocentur loco, maxima adhibita

A diligentia, & non minore ſolicitudine cõſeruentur: Ea quippe verſamus animo, de ijs loquimur, & gloriamur, ea mente complectimur, & corde fouemus, quae repoſuimus, vt pretioſa, & cara; ſecus accidit in ijs quæ proijcimus tanquã vilia, abiecta, nullius valoris, in angulo, atque inter ſordes ita conculcanda relinquimus, vt nulla planè de ijs mentem noſtram ſubeat cogitatio. Ergo cura noſtri proijcienda in Deũ eſt, non reponenda, vt ipſe ſolicitus ſit pro nobis. Hanc ſententiam fortaſſe à Dauid pſ. 54. ver. 23. acceptam retulit Petrus. canebat nanque Vates Sanctiſſimus: *Iacta ſuper Dominũ curam tuam, & ipſe te enutriet. Iacta*. Non colloca, non repone, non firma, eo nempè iactu, quo noſtri obliti ſpem omnẽ in Domino collocamus, fit vt Summus rerũ Dominus nos, ac noſtra tueatur, patrocinio foueat, ſinu excipiat, moderetur, extollat, nõ ſecus ac ſeipsũ & Sua.

Vt Deus ſit de nobis ſolicitus, in Deum noſtri cura proijcienda non reponenda eſt.

B

Neque ſolùm noſtri curam gerit Deus, ſi omnem noſtri curam depoſuerimus, verum etiam noſtra commoda ducit ſua maximus rerũ Dominus ſi noſtri nouerimus obliuiſci. Pedem orationis iterum reuoco ad campum damaſcenum, campum vtiquè myſteriorum, quàm frugum ac fructuum feraciorem. Cap. 2. Gen. n. 7. Vbi vulgata lectio habet: *Spirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*. ex textu Hebræo reddunt alij: *reſpirauit in faciem eius*. Reſpiratio propriè fit ex neceſſitate laborantis naturæ, ne viuens opprimatur, vt experientia patet, dum ſpiritum oris hiatu attrahimus. Vnde ad ſignificãdam neceſſitatem quam Dauid diuinae gratiae experiebatur, cecinit pſal. 118. n. 131. *os meum aperui, & attraxi Spiritum*. hac ſpiritus ſeu aëris reciprocatione aeſtuanti, ac laboranti cordi opem facimus ad vitae conſeruationem: quemadmodũ enim Plato monuit in Cratylo: *Vt reſpiratio deſinit, homo moritur*. Propriè itaquè reſpirat, qui ſubita, & copioſa colliſione aëris praeſto eſt anhelantibus calore praecordijs, incendio pectoris reſtinguendo. Percipio iam quid ſibi velit, qui dicit *Deum reſpirare*, dum ſpirat in campo damaſceno ſpiraculũ viæ. Reſpirat anhelanti ſimilis rerum parens halitum, & vitam homini tribuens. Homini inquam? erraui. Imò quia homo non erat, ſed ignobilis terrae gleba, non homo perſpicax, & ſolers ad proſpiciendum ſibi, ſed limus iners, & luti pondus ignobile, ideo reſpirare dicitur ſpiritus oris noſtri Deus: Videlicet ſi te tanquã lutum inanime diuinorũ opificio digitorum cõmiſeris attrectandũ, ſi in omnem partem, ac formã perduxerit, & efformauerit ſpiritus ſummi Patris; tãta tibi proſpiciet ſolicitudine Deus,

C

D

quan-

Se inſtar luti diuinis digitis tradẽti, Deus ſolicite, anxieque prouidet.

quanta anxietate ſpiritum trahit, qui co- A
gitur reſpirare. Trade te Deo luti inſtar, tui penitus oblitus, vt ipſe de te, tanquam de re abiectiſſima diſponat ad libitum, & commodo tuo diſces, Deo bonorum largitori te, & tua cordi eſſe non minus quàm ſit aëris viciſſitudo, ac reciprocatio reſpiranti. *Spirauit in faciem eius: reſpirauit in faciem eius*. Recole quod de hoc limo eleganter ſcripſit Tertullianus lib. de Reſurrectione carnis, inquiens: *Limus in manus Dei peruenit, ſatis beatus, & ſolummodò contactus. Recogita totum illi Deum occupatum, ac dedicatum, manu, ſenſu, opere, conſilio, ipſa in primis affectione, qua li-*
B *neamenta docebat*. Quis ergò tanquam limum ſe in Dei manus non proijciat, vt tàm operoſi artificio opificis perficiatur? Dicamnè, ò pretioſam luti vilitatem, quæ ſummi opificis magiſterio præbet materiã? An potius dicam: ò vilem ſummi numinis pretioſitatem, quæ noſtro limo non occupatur modò, ſed delectatur? Ergo vt ſit in pretio lutum noſtrum Dei manibus commendetur, commendetur inquam? imò conteratur.

Hinc non recedam, niſi prolata in medium S. Auguſtini animaduerſione. Cum enim hoc eodem c. 2. Gen. dicatur Deus requieuiſſe, ſic enim leges n. 2. *Requieuit*
C *die ſeptimo ab vniuerſo opere*. Primo aſpectu durus fortè videtur alicui loquẽdi modus, cum dicitur Deus requieſcere ab opere, Is enim qui opere defatigari non poteſt, quomodo dici poteſt requieſcere, quaſi ab eodem opere fatigatus? Sed Auguſtinus relatus in catena à Lippomano, omnẽ tollit dubitationem, inquiens: *Requieuiſſe dicitur, cum creatura rationali requiem præbuit*. Hominis quietem putat ſuam, quia homini quietem praebens, cum ipſe ſit Deus, dici vult requieſcere. Vides morem, & ingenium ſummi opificis, qui ſuam ducit quietem noſtram. At quando? Tunc videlicet cum clauſis oculis viueret Adam.
D Scite nanque D. Gregor. lib. 5. mor. c. 22. de Adamo loquens dicebat. *Culpa quippe oculos aperuit quos innocentia clauſos tenebat*. Dum igitur primus homo clauſis viueret oculis, hoc eſt, nulla ſolertia, aut ſolicitudine ſuis præeſſe negocijs, cùm omni ſuarum rerum cura poſthabita ſe ſe totum diuino conſilio commiſiſſet, tunc Deus Adami quietem ſuã ducebat. *Requieuiſſe dicitur, cum creatura rationali requiem præbuit*. Non ſic, cùm poſt culpam apertis oculis, factus ſcilicet oculatus (quod de ijs, qui magna prudentia ſingula examinant, vt conſulant ſibi) nuſquam quieſcere potuit, de quieta Damaſceni cã-

Hominis diuina in prouidentia requieſcentis, quietem ſuã Deus arbitratur.

A pi ſtatione deturbatus, perpetuis damnatus ſudoribus, aerumniſque laborioſiſſimis. Sapit qui ſui ipſius ſapienter obliuioſus, clauſis oculis, Patri luminum ſe committit, cui ſolenne eſt humani cordis tranquillitatẽ, ac requiem, tanquam ſuam firmiſſimè ſtabilire. *Requieuit ab vniuerſo opere, requieuiſſe dicitur, cum creatura rationali requiem præbuit.*

Haec cum ita ſe habeant, quàm immerito Scribae, & Phariſaei, & vtinã non multi chriſtianorum, in Chriſto Domino aliud praeter ipſum quaerunt. *Volumus à te ſignum videre*. Ergo non Dei filiũ, ſed eius ſigna inquiritis. Nos autem ita quaeren-
B dum Deũ ſtatuamus, vt nihil in ipſo praeter ipſum inuenire velimus: Deo etenim indignus eſt, qui cum Deo aliud quidpiam quaeritare non dubitat. Quàm benè Magdalenam loquentem facit Origenes conſiderans cur ad Sepulchrum Domini cum vidiſſet Angelos, eos quaſi deſpiciens volat anxia. Siſte Magdalena, cur non colloquia miſces cum beatis caeli mentibus? cur conſolationẽ non capis in tanto mœrore, ab ijs, qui liquidiſſima voluptate perfuſi tuam leuare poterunt anxietatem? *Quaero* (verba Magdalenae apud Origenẽ) *creatorem, & ideò grauis eſt mihi creatura ad videndum*. Vſquè adeò verum eſt
C debere ab homine iuſto ſolum Deum quæri, omnibus alijs remiſſo nuncio, vt non retineri modò, ſed ne detineri quidem breui temporis ſpatio poſſit ab Angelis ipſis. Quàm appoſitè dicebat Spõſa ſanctiſſima Can. 2. n. 16. *Dilectus meus mihi: & ego illi*: Indiuiſam ſe dicat donatque Sponſo ſuo, quae profitetur ſatis ſibi eſſe, ſi ſponſo fruatur. Noras, ò Sponſa, teſſeram eſſe apud Deum veri amoris, ſi ſolus dilectus animæ, omni alio contempto ac relicto, quaeratur, loquatur Gilibertus Abbas ſer. 11. in Cant. *Quàm durum eſt amanti animum dimidiare cum Chriſto, & mundo? Quàm durũ eſt in dilectionis iura peregrinas ad-*
D *mittere curas, & caeleſte ſecretum ſecularibus infeſtare turbellis?* Sacroſancta charitatis iura exigunt, vt amans Deum, mũdum, aut quae mundi ſunt amare non poſſit. Totam vendicat ſibi dilectam ſuam caſtus animorum amator.

Magdalena Deum quærens nec ab Angelis detineri poteſt

Verus amor totũ ſibi vẽdicat Amatorem.

Interrogat Petrus, Matt. cap. 19 n. 27. magiſtrum ſuum illis verbis: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: Quid ergo erit nobis?* Statim reſpondet Chriſtus Dominus: *Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tri-*

bus Iſraël: Quid ſentis de hoc reſponſo? Ego ſanè animaduerto duo à Petro fuiſſe propoſita: *reliquimus omnia*. En primum. *Et ſecuti ſumus te*. En ſecundum. Cur ergo Magiſter Sapientiſſimus ex his duobus, vnum ſolum reſumit in reſponſione? An quia primum parui facit? Hoc dici non poteſt, quia reliquiſſe omnia pro Dei amore heroicæ virtutis eſt. Quomodò ergo non magni fiat ab eo, qui præmium daturum ſe pollicitus eſt etiam pro potu aquæ frigidæ? Cur itaquè reſumens dicit ſolùm: *vos qui ſecuti eſtis me*. Placet reſponſio Euſebij Emeſeni hom. 4. de Matt. Apoſt. qui etiam dubitationem propoſuit in hunc modum: *Duo Chriſto propoſuerat, ſed alterum Chriſtus aſſumpſit: Non enim dixit, vos qui reliquiſtis omnia, ſed dixit: Vos qui ſecuti eſtis me. Sufficiens ergo fuit alterum dicere, quia vtraque in vno continebantur*. Cum Chriſtus Dominus dicit: *vos qui ſecuti eſtis me*. Dicit etiam, ab illis omnia fuiſſe relicta; neque enim fieri poteſt, vt quis ſequatur Redemptorem, & non relinquat omnia. Alterutrum ergo fiat neceſſe eſt, vel non ſequeris Dominum, vel omnibus renunciare debes. Solus quærendus eſt, qui ſi cum alio quopiam requiratur, inueniri omninò non poteſt. Vnde Regis Dauid ſimilitudine vti ſoleo ad id declarandum: pſal. enim 122. num. 2. ſic habet. *Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum: ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum*. Sicut Serui, & Ancillæ, qui oculos fixos immotè in heros ſuos gerunt, neque cuiquam placere, aut cuiuſpiam captare ſatagunt gratiam niſi dominorum ſuorum, quos vnicè colunt, & omnibus alijs contemptis, ſolos venerantur commodi ſui omnis indè capiendi cauſa: Ita æquum eſt, vt nos ſoli Deo ſeruiamus. Quis enim ſeruus, aut ancilla ſperare poſſit à ſuo Domino præſidium, aut decus, ſi eo neglecto, extranei cuiuſpiam gratiam aucupari, aut captare ſatagat beneuolentiam? Ergo ſeruitutem Dei, quæ ſine ſeruilitate eſſe debet, inſtruat, & muneris ſui moneat hominum ſeruitus. Seruitus porrò hominum talis eſt, vt dominorum pluralitatem non admittat: vnde herus apud Terentium act. 2. ſcen. 2. in Adelphis præcipiebat famulo ſuo. *Caue nunc iam oculos à meis oculis quoquam dimoueas tuos*.

Seruitus pluralitatem dominorum non admittit.

Quanto æquius eſt, vt noſtri oculi non alium dominum reſpiciant quàm Deum, dicamuſque: *Sicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, ſicut oculi ancillæ*

A *in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad dominum Deum noſtrum*.

Quando autem in pſalmos incidimus, venit mihi in memoriam illud ex pſal. 100. n. 6. *Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecum*. Siſto parumper in conſideratione huius ſcripturæ, in qua aliquam reperio difficultatem. Cum enim legamus, vt initio referebam ex Iſaia cap. 6. ver. 2. *Seraphim ſtabant ſuper illud*. Exclamat Chryſoſtomus in hunc locum. *O ingens miraculum; lutei ſedent, & corporis expertes adſtant*. Miraculum ſine dubio inauditum, vt ſedere debeant homunciones, terræ filij coram Deo, quo ſpectante, ſtant Seraphini.

B Lubet cauſam afferre rei tàm admirandæ. Obſeruo verba pſalmi: *oculi mei ad fideles terræ*. Non omnibus, ſed fidelibus tantum fit iſta promiſſio. Vim vocis huius, qua dilecti Deo dicuntur fideles, explicare non poſſum, niſi reuocando in memoriam titulum illũ quo in litanijs ab Eccleſia Maria Mater Dei ſalutatur: *Virgo fidelis*. Encomium valde diminutum videbitur alicui, quod Virgo compelletur *fidelis*: Quippè etiam inimici Dei, & peccatores nuncupantur *fideles*. Quomodo ergo inter titulos Mariæ honoratiores, & præſtantiores, hic quoque reponitur, vt dicatur *fidelis*? Rurſus, ſi *fidelis*: vocanda

C erat potius amica, vel ſerua videbatur eſſe dicenda: Amicitiæ enim, & ſeruitutis nota præcipua fidelitas eſt. Cur ergo *Virgo fidelis*? fortaſſe quia diuinæ ſapientiæ afflatu edocta Eccleſia inſinuare voluit, Virginitatem inter, & fidem eſſe proportionem, & ſimilitudinem ſingularem. Nimirum ſicuti fides indiuiſibilis eſt, & qui fidei particulæ facit iacturã omnem amittit fidem; Ita planè accidit in Virginitate. Sed fortaſſe melius, quia fides Virginem facit animam: Vnde Paulus Apoſt. 2. ad Cor. c. 11. n. 2. hominum mentes ad fidẽ excitaturus ſcribebat: *Deſpondi enim vos vni viro Virginem caſtam exhibere*

Cur Maria Virgo fidelis ab Eccleſia nuncupetur.

D *Chriſto*. Fides ergo Virginem facit animam, quæ per baptiſmum cum Chriſto nubit. Sic Ambroſius ſer. 30 *fit Virgo fide Chriſti, qui fuerat adulter corruptione peccati*. Imò Deus ipſe Oſeæ 2. 20. *Sponſabo te mihi in fide*. Fidei ergo prærogatiua eſt, non modò Virginem facere animam, ſed eandẽ ſpõſare Chriſto. Nihil ſanè ſolet, & debet tantoperè cordi eſſe Virgini deſponſatæ quàm Sponſo datam ſeruare fidẽ, nec quidquã adeò turpe, atque execrandũ & contra ſacroſancta Matrimonij iura, quã coniugalis tori fœdare integritatem, alium quempiam præter ſponſum amando. Amor indiuiſus deſponſatam Virginem honeſtat,

Fides reddit caſtam animam, ac Dei ſponſã.

& fa-

& facit. Neque alium à nobis amorem exigit quàm inuiolatum, indiuiſum, integrum, totum, ille ſponſus cæleſtis, qui per fidem in matrimonium ducere animam noſtram, tanquam ſponſam diſertè profitetur: *Sponſabo te mihi in fide*. Redeo ad Dauidicam proſopopœiam, qua Deus ipſe ſic loquitur. *Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecum*. Fideles, qui ſyncera fide iura tori ſacroſancti ita ſeruant, vt neminē ament præter ſponſum animarum Ieſum, meritò ſedere dicuntur, ſtantibus Seraphinis: *Seraphim ſtabant*, vt ex præmij magnitudine facilè intelligatur, quanta ſit eorum præſtantia, qui ita Deum amant, vt cum Deo nihil ament. Sedere dicuntur cum Deo tanquam principes, non ſtare quaſi ſerui, facti conſortes, & imperij participes ab amoris indiuiſi ſynceritate incorrupta. Ergo vt cum Deo regnes neminem cum Deo ames. Proh! quanto eſt in pretio apud Deum amor hominum, quandoquidem ipſi Seraphinorū amori præponitur. Sedent enim homines, ſtant Seraphini. Diſce interea quàm puro, quàm integro, quàm incorrupto amore ſolum Deum proſequi debeamus, vt detur nobis in Solio Dei Seraphinis ſtantibus conſidere.

Fideles Dei ſerui corām Deo ſedent.

Ingrediamur domum boni illius Patris familias, qui in amplexus ruens pœnitentis filij, parentis affectum Nato licet degeneri non negauit. Sed ecce tibi dum pater de reditu iunioris exultat maioris filij expoſtulatione accuſatur, tanquam prodigè prius erga filium criminoſum: at parens ſui inter iurgia obliuiſci non potuit, & ſemper ſibi ſimilis, hoc eſt, ad miraculum vſque benignus, inuidiæ ſtimulis agitato filio reſpondit Lucæ 15. n. 13. *Fili, tu ſemper mecum, omnia mea tua ſunt*. Quid audio? Omnia bona vni donat filio? Ergo alteri tàm amanter excepto quid ſupererit dandū? Quoniam filium in genua prolapſum paterno dignatis amplexu, cur non reſeruas partem aliquam bonorum tuorū? Inane nomē filij geret in ſumma rerū inopia adoleſcentior? At pater diſertè grandiori, & natu maiori filio obligat omnia. *Fili, tu ſemper mecum es, omnia mea, tua ſunt*. Sapienter ſanè, & ad noſtrā eruditionem ſupra quàm dici poſſit, accomodatè. Scilicet Prodigus olim, nunc prouidus filius nihil præter amantiſſimū patrem quærit. Dentur omnia fratri, qui nunquam paterna domo egreſſus fidem parenti ſeruauit: Filio pœnitenti ſolus pater facit ſatis. Diſcamus & nos ab eo, qui ſuo didicit periculo, bona mundi fugacia eſſe, adeoque patrem ſolum quærendum, atque amandum. Audi Chryſologum ſerm. 4.

Filius prodigus ſolo parente cōtentus.

A *Nec ille aliud quàm patrem quæſiuit, qui veniens non filij, ſed loco mercenarij voluit collocari. Sint alteri omnia, illi ſufficit pater*. Vtinam pater miſericordiarum ſolus quæratur à nobis, ſolus ſufficiat nobis; quemadmodum exemplo ſuo nos docuit doctorum Angelus Thomas Aquinas, cuius, dum hæc ſcribo, feſtum diem annua celebritate recolimus: Domino quippè interroganti quam mercedem quæreret propter elucidata ſacræ arcana Sapientiae? ſapientiſſimè reſpondit: *Non aliam Domine, niſi te ipſum*.

Quoties reuoluo cap. 13. Exodi ſatis demirari non poſſum decretum Dei iubentis in hunc modum num. 12. *Separa-* B *bis omne quod aperit vuluam Domino, & quod primitiuum eſt in pecoribus tuis: quidquid habueris maſculini ſexus, conſecrabis Domino. Primogenitum aſini mutabis oue: quod ſi non redemeris interficies*. Cur obſecro, Dei oraculo omnia animantium primogenita ad ſacrificium deſignantur, vno Aſini primogenito excepto. Imò iumentum, vtpotè humilitatis typus, Deo carum futurum exiſtimabam, quoniam & vir ſecundum cor Dei dicebat cap. 72. num. 23. *vt iumentum, factus ſum apud te*. Deus tamen vetat conſecrari ſibi primogenitum Aſi- C ni; ſed iubet oue mutari. Magnam inuenio differentiam oues inter, & aſinos. Oues nanque quidquid habent impendunt, & tribuunt commodo Domini ſui: Non ſola carne, ſed lacte, ſed lana, ſed pelle de ſuis dominis bene merentur oues, nec quidquam in oue reperies quod ipſa ſibi retineat, ſed quanta quanta eſt, Domini eſt. E contrario aſinus non carne, non pelle ſuo ſeruit Domino, cum ſolis ferendis oneribus aptus ſit; imò hoc ſeruitutis genus exercet adeò mutilum, ac dimidiatum, vt de gradu dimoueri non poſſit, quaſi ſui commodi obliuiſci nequeat etiam dum compellitur laborare. D Fateor vetari meritò, ne aſinus Domino conſecretur, cum indignum ſit prorſus eo, qui Summus eſt rerum Dominus, tale ſeruitutis genus. An non reijcientur meritò, & arcebuntur à Domino tanquam aſini, qui ita ſeruire volunt Deo, vt ſe ipſos retineant ſibi. Vix ferre poſſunt diuinae legis iugum, in eoque ferendo aſini paſſu gradiuntur; Conantur quantum fieri poteſt omnem ſubterfugere moleſtiam, & incommoditatem. Procul hinc procul eſte, qui ouium morem, lac, lanam, carnem, vno verbo quicquid in vobis eſt, vni Deo dare, ac dicare negligitis. Nihil retinebat

Cur Deus in ſacrificijs primogenitum aſini cū oue iuſſerit permutari.

ſibi ſeruus Dei, quia ne ſe ipſum quidem quærere licet, qui ſoli Deo placere debet. A
Aut certè dicamus cum S. Baſilio, relato à P. Didaco Niſſeno, citando in fine; meritò Dei lege Sanciri, primogenitum aſini minimè diuino cultui conſecrandum, quia vt Iſaias monuit; *Bos cognouit poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui.* Ingenium aſini quis non deprehendat? *Cognouit præſepe.* Aſinus gratia ſui nato Domino ſeruiuit. Neque enim, vt bos poſſeſſorem ſuum agnouit, ſed præſepe Domini ſui. Qui bona temporalia, vel quodcunque commodum proprium quæritat ſeruiens Deo, is non Dominum adorat, ſed præſepe, hoc eſt, fœnum auidus arripit B
ad exaturandam famem, non cæli principem ad obſequium exhibendum inueſtigat. Cenſeatur inter aſinos à Domo Dei eiectos, & exterminatos, qui dum ſeruire profitetur Deo, ad aliud quidpiam obtinēdum cum Deo anhelat.

Longo temporis ſpatio, multo labore, & maxima diligentia Sponſa ſanctiſſima quæſierat dilectum ſuum, eo tandem inuento, exclamat Cant. 3. *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in cubiculum genitricis meæ.* Putabam enim verò amantiſſimā Sponſam ingenti gaudio redundantem conuocaturam amicas, & nuptiali carmine decantaturam felicitatem ſuam. Nihil tale, ſed contemptis C
omnibus exclamat: *Tenui eum nec dimittam, donec introducam in cubiculum genitricis meæ.* Cur non potiùs, conuiuio illum excipiam, amplectar amanter, excipiam honorificè. Mille huiuſmodi indicijs amorem ſuum patefacere potuiſſet; Et tamen contenta eſt dicere: *Tenui eum nec dimittam, donec introducam in cubiculum genitricis meæ.* Optimè Gilibertus Abbas pauló ſuperiùs citatus. Inſinuat Sponſa præcipuam, immò ſolam amoris prærogatiuā eſſe, vt dilectus ametur ſolus, ideò enim in cubiculum introducere ſatagit certò ſciens vbertimmè D
comprobari veram germanamque eam eſſe caritatem quæ Deo ſolo contenta ſit.

Deus niſi alijs omnibus ſecluſis amari non poteſt.

Tenui eum: non eſt ſatis ſi in vijs, aut plateis moram faciat: licet enim teneatur ſponſus, amari, vt par eſt, non poteſt niſi omnibus alijs omninò ſecluſis, ac derelictis. Anima quæ dilectum tenet, cubiculum intret, ne turbis viarum abſtrahatur, ne vagetur viſus, aut occupetur auditus, ſed tota vacet ſponſo ſuo. Nouit illa (verba Giliberti) *non poſſe animum dimidiare cum Chriſto, & mundo.* Vtinam ardeat in cordibus noſtris veræ igniculus caritatis eius, inquam, quæ ex Apoſt. 1. ad Corinth. 13. num. 5. *non quærit quæ ſua ſunt.* Felix qui vſque adeò rebus omnibus ſpoliatus viuit, vt ne cubiculum quidem habeat proprium; Felix qui vſque adeò ſolo Deo contentus eſt, vt præ illo nihili omninò faciat omnia: Felix, inquam, qui cum Sponſa dicere poteſt: *Tenui eum nec dimittam donec introducam illum, in cubiculum genitricis meæ.* Pudeat eos omnes, qui ita quærunt Deum, vt ab eo ſemper flagitent ſanitatem, honores, diuitias, tranquillitatem animi, aut quiduis ſimile; Abite, abite omnia, vnus ſponſus facit mihi ſatis. Scio me legiſſe quod Xenophon lib. 2. de Cyro ſcribit, vbi narrat de Tigrane, qui vna cum Armenia conſorte ſua captus captiuuſque Cyri Perſarum regis, ab eodem Cyro interrogatus: *ecquod pretium ſolueret ad redimendam à captiuitate coniugem Armeniam?* reſpondiſſe fertur Tigranes: *libenter mei effuſione ſanguinis, immò ipſa vita iactura emerem Armeniæ libertatē: Mihi quippe cariſſima libertas coniugis ipſa vita carior eſt.* Poſt aliquod tempus Tigranes & Armenia libertate donati: patrium regnum repetierunt, excepti ea ſignificatione lætitiæ, quæ faciliùs animo poteſt, quā oratione comprehendi? Pluribus ab Armenia petentibus, quid de Cyro, quid de Perſarum imperio, quid de aula tanti regis vidiſſet auditu dignum? Reſpondit Armenia de Cyro nihil omninò referre poſſum: Quid dicam de oris maieſtate, de imperij amplitudine, de præcellentia dominatus omninò nihil habeo: Neque enim oculos in quenquam defigere vnquam potui, niſi in Tigranem meum quem audiui promptum eſſe ad profundendum ſanguinem mei amore; immò ad prodigendam vitam, vt me exemptam vinculis aſſereret in libertatem. Pudeat nos non dicam cuiuſpiam capi amore, verum etiā in quempiam oculos conijcere, poſteaquam non audiuimus modò offerentem, ſed experimento didicimus ſponſum animarum noſtrarum, non ſponſione tantum obligantem, ſed reipſa profundentem cum ſanguine vitam, vt noſtrorum laqueos peccatorum ſuis abſolueret vinculis, & ſua mortis turpiſſimæ captiuitate, Filiorum Dei nobis tribueret libertatem.

Mirus Tigranis in Armeniam cōiugē Amor.

Dabitur, niſi fallor, ad poſitionis meæ veritatem in præſentia confirmandam, è maximo rerum procreatarum libro afferre, quod apud Ariſtotelem legi, apud primarium ſcilicet arcanorum naturæ interpretem, linguis omnium, omnium litteris celeberrimum. Tradit Ariſtoteles de admir. audit. num. 109. in Carthaginienſium

regno

regno montem extare, cui Gonium nomen, & multitudine & varietate arborum refertum, atque ſpectabilem; florum praeterea copia verſicolore ad admirationem vſque conſpicuum. Sed communia ſunt haec: quod mox ſubijcio eximium, ac penitus ſingulare. In ea regione fons olei ſpontanea, atque indeficienti Scatet perennitate, ad quem nemini accedere fas eſt, niſi naturae fontis neſcius ſit, hac verò ignorantia ſeruata, certo veluti ſcaturiginis vadimonio, fontem plurimam planèque inexhauſtam olei copiam aſſerunt efferuere; adeò vt tuto id haurire liceat accedenti, dummodò ignarus accedat. Quid ni tanti huius libri Auctoris ſapientiſſimi mentem liceat interpretari? licèt profectò, meoque iudicio hominum animis inſinuare voluit Deus olei, hoc eſt, miſericordiarum bonorumque omnium fontem ſemper profluum, ſemperque manantem inueniri tantummodò poſſe ab eo, qui fontis huius ignarus ſit,

Diuinae beneficentiae fons, fontis inſtar oleo ſcaturientis ſolùm ignaris patet.

A Felix ignorantia quae donat bonorum omnium affluentiam. Diuinae liberalitatis fons inexhauſtus ignaro patet, improuido ſcatet. I nunc & nega in dubium reuocari non poſſe eum proſpicere ſibi, qui ſe ſe deſpicit & ignorat ſua. Age: crede te prouidentiae Dei, & inter viae ac vitae huius viciſſitudines rerum tuarum obliuioſus, imò ignarus, perge omni tui depoſita cura, & tibi diuinarum miſerationum oleum largiſſimo pleniſſimoque gurgite emanabit. Sibi nimirum & rebus ſuis optimè proſpicit, qui ſe ſe, & ſua maximè deſpicit.

Videatur P. Didacus de Baëza tom. 1.
B de Chriſto figurato, lib. 2. cap. 3. §. 20.

Idem tom. 1. in euang. hiſtor. lib. 11. cap. 2. §. 24. & tom. 2. lib. 14. cap. 16. §. 14.

Videatur P. Didacus Niſſenus Dominica 1. Quadrag. Aſſumpt. 7. & Dominica 4. Aſſumpt. 3.

Videatur P. Ioan. Lorinus tom. 2. in pſal. 54. verſ. 23. & alibi.

IN CA-

IN CAPVT DVODECIMVM

A Num. XLVI. ad vltimum.

Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius, & fratres ſtabant foris quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant quærentes te. At ipſe reſpondens dicenti ſibi, ait: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Et extendens manum in diſcipulos ſuos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt: ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.

PARADOXVM X.

Modeſtia Virtutis decor, & vis.

QVOVSQVE tandem impunè inſaniet oblatrantium, imò blaſphemantiũ peruicacia hæreticorum? Quouſque patiemur Caluiniſtas, & Lutheranos luculento corruptæ doctrinæ cœno maculatos non modò diſcipulis & conſanguineis Chriſti: ſed ipſimet (quod referens perhorreſco) Virgini Sanctiſſimæ, huius occaſione hiſtoriæ, notam inurere ambitioſæ temeritatis. Proh! quàm fatuè catholicæ fidei perduelles, quod foris ſtent Mater, & fratres Chriſti

C Domini, arrogantiæ tribnunt, quaſi vnà cum alijs dedignentur audire Dei Verbum verba faciens inter homines, vt homines diuinitate donaret. Hoc enimuerò non ſolùm eſt cæcutire in Sole: ſed Solem ipſum, ſi fieri poſſet, tetris offuſum tenebris facere caliginoſum. An non vident belluæ? An non ſentiunt moderatae adſcribendum eſſe modeſtiæ, circunſcriptoque dandum legibus verecundiæ modo, quod importuno faſtu minimè immittant ſe ſe in frequentiorem coactæ multitudinis concionem, ſed primas alijs deferentes conſiſtant non in vltimis modò, ſed inter extraneos? Nimium profectò ſibi tri-

D bnere credendi non ſunt, qui ne aditum quidem petunt nemini in tanta frequentia denegatum. Verùm, cæcus de colore non iudicat, vt veteri prouerbio circunfertur. Mirum propterea videri non debet, ſi vera orbati luce hæretici modeſtiam, quae color virtutis eſt, minimè intueantur. Ergo vt à calumnia vindicem non tàm Chriſti Genitricem & fratres, quàm modeſtiam ipſam: promitto me demonſtraturum vim omnem decoremque virtutis à modeſtia eſſe.

Et primo quidem moderatricem ſenſuum membrorumque modeſtiam, for-

mosa

moſa geſtuum omnium actionumque compoſitione pulcherrimam, pollere plurimum ad alliciendas hominum voluntates elegantia ſua, docuit apud Stobæum in Eclog. Phyſ. pag. 115. Democritus, aſſerens eximios probitate viros ſimillimos Heroibus eſſe, ac ſemideis compares, decora modeſtia. Sed longè grauiùs, & expreſſiùs Richardus de S. Victore, qui de vxoribus & filijs Iacob myſticam afferens interpretationem, ſic habet cap. 49. *Eſt Dina, id eſt, verecundia, admiranda pulchritudinis, & formæ ſingularis, & quæ intuentium oculos facilè trahat, & admirantium animos citò ſua dilectione alliciat. Quis enim ignorat, quomodo modeſtia verecundia homines omnibus gratioſos reddat, & amabiles efficiat? Vnde nanque eſt quod verecundos homines ferè ſemper cæteris charius amplectimur, niſi quod in eis, dum verecundiæ modeſtiam, modeſtiæque gratiam miramur, Dinæ quodammodo pulchritudine allicimur.* Dabit tàm ſpecioſæ elegantiæ, quam modeſtia confert, ſpecimen præclarum, qui modeſtiæ modum tenuerit: illum autem modum Seneca epiſt. 11. his verbis deſcribit: *Hoc indicio imitantur verecundiam: deijciunt vultum, verba ſubmittunt, figunt in terram oculos, & deprimunt.* Verum pudet hac in re à Seneca erudiri, præſertim cum de hiſtrionibus hoc loco loquatur, qui ſimulata oris ſpecie ad eam ſe ſe componunt formam, quam mentiuntur. Nitidum modeſtiæ cultum alio præceptore diſcamus: diſcemus autem à viuo ſpiranti que exemplari modeſtiæ Bernardo, qui vt eam, quam exprimebat moribus, oratione complecteretur modeſtiæ honeſtatem, ſic decernit epiſt. 115. *Ceruicem ſubmittit, ponit ſupercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, format inceſſum.* Has partes ſi expleueris, virtutis faciem eximia præditam elegantia ſubijcies oculis intuentium.

Modeſtia ſemideos efficit.

Modeſtiæ deſcriptio.

Placuit mihi ſemper ſummopere Diogenis Cynici apophthegma, quod ſine ſapientium conſenſu, ſine proborum plauſu, ſine litteratorum commendatione commemorari omninò non poteſt, Laërtius lib. 6. de vita Philoſoph. auctor eſt: *adoleſcenti cuidam erubeſcenti, atque ob id perturbato: Bono animo ſis fili, inquit Diogenes, iſtiuſmodi, eſt virtutis tinctura.* Squallet ſine colore lurida virtus verecundo rubore deſtituta. Fuit in hac ſententia Marcus Tullius Cicero lib. 1. officiorum vbi facta comparatione Philippum inter atque Alexandrum, concludit. *Nihil inſolentia turpius.* Vnde à contrario inferemus: nihil modeſtia pulchrius, aut elegantius. Sic autem habet: *Philippum quidem Macedonum Regem rebus geſtis, & gloria ſuperatum à filio, facilitate verò, & humanitate video ſuperiorem fuiſſe, itaque alter ſemper magnus, alter ſæpè turpiſſimus fuit.* Sicuti moderata agendi ratio ſemper magnum fecit Philippum, ita temeraria arrogantia Alexandrum reddebat turpiſſimum. Vbi ſcilicet decor modeſtiae deeſt, labes apparet turpiſſimae deformitatis. Teneo quod ſcripſit Gregorius Nazianzenus ad Olympiadem: *Vnicus color amabilis eſt; nimirum rubor ille, quem pudor gignit.* Suo colore nitida virtus eſt, quae verecundo rubore depingitur.

Nullus porrò color ſatis eſſe poteſt ad virtutem repraeſentandam, cuius ſimulachrum vix cœlum ipſum poteſt effingere, cùm aurea ſiderum luce ſpectandam virtutis elegantiam nititur adumbrare. Quid enim obſecro pulchriùs, aut ad hominum oculos, animoſque trahendos ad ſe ſe ſpecie ſua, accommodatiùs, ſereno cœlo, ſideribus, hoc eſt, pyropis immortalibus emicante? Suſpice cœlum, ſtellarumque numero ac nitore dũ perſtringitur acies, dum perfuſus admiratione animus tanti operis architectum pari praeconio nequit efferre; agnoſce tot virtutum ornari luce mentem religioſi viri, ſi modeſtia niteat, quot luminibus cœlum ſplendeſcit. Ita ſenſiſſe comperies Caſſiodorum lib. 6. ep. 11. ſic ſcribentem: *Sicut cœlum ſtellis redditur clarum, ſic relucent vrbes lumine dignitatum; non quia fiat homo alter honoribus, ſed quia modeſtior efficitur.* Mirum ergo videri non debet, ſi cordati homines ſoleant demirari quos modeſtia facit ſpectabiliores. Ego ſanè cum Diuo Bernardo, de ordine vitae circa medium concludo: *Teneamus ergo verecundiam.* Pulchritudinis pediſſequus ornatus eſt, & quaſi famulus ſpeciei; vt hinc pateat addi à modeſtia pulchritudinem, cùm conferatur ornatus, qui pulchritudini ipſi ſpeciem addit, atque decorem.

Homo virtutibus vt cœlum ſideribus illuſtratur.

Sanctiora me vocant, & diuiniora: In primis autem offert ſe nobis animata ſanctitatis norma Chriſtus Dominus, ſpirans virtutum omnium ſimulacrum, de quo longè verius dici poteſt quod poëta non ignobilis Claudianus de principe ſuo cecinit: *Sparguntur in omnes*

In te mixta fluunt; & quæ diuiſa beatos
Efficiunt collecta tenes.

Præſtantiſſimum hunc concurſum concentumque virtutum Vates ſanctior Dauid

Chriſtus modeſtiæ ſimulacrum.

uid vt proſequatur, nobiſque faciat aſpe- A
ctabilem, venuſtiſſimam ſpeciem, for-
mamque tribuit Chriſto Domino elegan-
tiſſimam. Vnde pſalm. 44. num. 3. *Spe-
cioſus forma præ filijs hominum*. Egregiè
virtuti tribuitur pulchritudo: Etenim vt
Plato docebat, *pulchra adeò nitet virtus,
vt ſi videretur, miros ſui excitaret amo-
res*. Dicatur ergo ſpecioſiſſimus homi-
num, qui omni virtutum honeſtamento
praecellens eſt. Hic porrò percunctari li-
bet, vndenam oriatur tam ſpectabilis pul-
chritudo virtutis? Virtutis, inquam, quae
modò pœnitentiae emaciata rigore palli-
da eſt, modò aeſtuante charitate flammea,
modò luteo humilitatis ſqualore lurida, B
adeò vt aſpectu tetro perfundat horrore.
An non virtus modò conſumpta ieiunio,
modò detrita cilicio, modò paupertate de-
formis? An non ſaepiſſimè virtus atrata
mœrore, perfuſa lacrymis, ſciſſis comis,
genis laceratis, infauſtae ſordidataeque
frontis præbet imaginem miſerandam?
Vnde ergo ea, quae tam magnificae prae-
dicatur pulchritudo virtutis? Reſponde-
bit Pythias Ariſtotelis filia, vel ex hoc ſo-
lo reſponſo minimè degener, imò digniſ-
ſima tanti Philoſophi filia. Refert Manu-
tius libro 8. Apophth. interrogatam Py-
thiam, quiſnam eſſet color pulcherrimus?
reſpondiſſe: *is quem in genis gignit pudor*. C
Nulla ergo tam ſpectanda venuſtas, quam
quae modeſta pingitur verecundia. Ne-
que alia ſanè commendatione extollitur à
Dauid Chriſtus Dominus, cum dicitur:
Specioſus forma præ filijs hominum. Is ete-
nim, *qui cùm in forma Dei eſſet* (vt loqui-
tur Paulus 2. ad Philipp. num. 6.) *formam
ſerui accipiens*, inauditum modeſtiae prae-
bet exemplum, obducens ſacco noſtrae
mortalitatis maieſtatem diuinitatis ſuae.
Quis autem non videat, non niſi à mo-
deſtia inclinari ad demiſſa atque humilia
de ſummo celſitudinis ſuae culmine ma-
ieſtatem? ſic ſenſit Claudianus in Panegy-
rico ſexto in Conſulatu Honorij canens. D

*Publicus hinc ardeſcit amor cum mo-
ribus æquis*
*Inclinat populo regale modeſtia cul-
men.*

Verecundiæ color colorum pulcherrimus.

Iure igitur *Specioſus forma* dicitur, cum
eius ad terrenas vſque ſordes diuinum cul-
men inclinat modeſtia, qua nulla formo-
ſior forma, nulla pulchrior ſpecies aut au-
guſtior pingi poteſt aut excogitari. Nec
poſſum, nec debeo ſilentio inuoluere No-
lani Antiſtitis Paulini auctoritatem ep. 21.
in hunc modum pro noſtra poſitione ſcri-
bentis. *Idcirco Rex gloriæ, & Maieſta-
tis Dominus exinaniuit ſe formam ſerui ac-* A
*cipiens, & inuiſibilem magnitudinem ſuam
viſibili abiectione contexit, vt nos veteri
illo malè concepto arrogantiæ morbo foris
altos, intus obtritos, in formam ſublimita-
tis ſuæ, per formulam noſtræ in ſe humili-
tatis attolleret*. En cur ſe inclinauerit de
throno diuinitatis coæternus Patri Filius,
vt arrogantiæ noſtræ morbo medelam af-
feret: quia verò contraria curantur con-
trarijs; ſola modeſtia opportunum fecit
ægritudini huiuſmodi medicamentum.
Proh! quàm formoſus nitet modeſtiae de-
cor, ſi ſpeciem, atque elegantiam tribue-
re poteſt Patri luminum, eidemque qui
cum *candor eſſet lucis æternæ*, inclina- B
ta per modeſtiam maieſtate; præſtan-
tiore quadam præditus pulchritudine præ-
dicatur.

Verum cur aliunde petamus argumen-
ta, pro confirmanda veritate, quæ ſine
diuinitatis iniuria nequit in controuer-
ſiam reuocari. Siquidem Deus ipſe Eze-
chielem erudiens nos admonuit decorem
à modeſtia tribui pulcherrimum ac formo-
ſiſſimum. Sic enim habet Ezech. cap. 3.
num. 9. *Vt adamantem, vt ſilicem dedi
faciem tuam*. Eruditur à Deo hoc loco
Ezechiel, vt ad impudentem populum,
Dei nomine, legatione fungatur: Ad po-
pulum, inquam, qui omni modeſtiæ abie- C
cto fræno, notam contraxerat perfrictæ
frontis, atque audaciſſimae temeritatis.
Vnde paulò ſuperiùs num. 6. dixerat:
Iſraël attrita fronte eſt. Propterea mo-
deſtia opus eſt, quae temeritati opponitur
ex diametro. *Vt adamantem, & vt ſili-
cem dedi faciem tuam*. Facies, vt nemi-
nem latet, praecipua modeſtiae ſedes eſt,
in qua verecunda reſidet veneratio, non-
quam in regio maieſtatis ſuae ſolio, &
tanquam in theatro pudoris honeſtiſſimi
dignitas ſpatiatur, ſeſe, vt ita dicam, ma-
gnificè circunſpiciens. Ergo quiſquis cum
Ezechiele Dei iuſſa capeſſit, legibus mo- D
deſtiæ faciem componens Adamantis
pulchritudine exornatur. Lucis aureae
candore micans inter pretioſiores lapides
princeps Adamas omnium oculos, nito-
re ſuo trahit ad ſeſe: Neque verò vlla for-
moſior, aut Dei ſeruo dignior ſpecies ex-
cogitari poteſt, quàm, quae fulget in Ada-
mante. Hinc Summus Hebraeorum Pon-
tifex, notiſſimo illo ſacri pectoris ornatu,
praeſeferebat adamantem, qui auro vndi-
que micante ſplendeſcentibus hinc inde
ſmaragdis medius lucebat, velut inter
ignes luna minores. *Vt adamantem, &
vt ſilicem dedi faciem tuam*. Videlicet
modeſtiae irradiata nitore facies ſerui
Dei ſplendet vt Adamas. Senſim porrò
deue-

Modeſtiæ facies adamantis pulchritudine exornatur.

denenimus ad partem alteram noſtræ poſitionis: ſcilicet non decorẽ modò, ſed vim etiam virtutis à modeſtia haberi. Cùm enim in ſacie Ezechielis certis compoſita legibus ſerunrum ſuorum modeſtiam inſinuare velit rerum moderator Deus, petit ab Adamante ſimilitudinem, cui ſicut pulcherrimus ineſt nitor, ita vi præditus eſt inuicta planèque indomabili, vt loquitur Plinius. Silicem verò ſi addas, hoc eſt, inſignis duritiei lapidem, qui igneſcere malit, quàm frangi; vides quale ex adamante & ſilice vis inuictæ ſymbolum fiat. Pluſquam ſaxeam, pluſquam adamantinam vim à modeſtia accipere verum virtutis ſtudioſum, in præſentia videndum eſt, vt amore modeſtiæ quæ tanti momenti eſt, acrius inflammemur. Quoties volo animo complecti, & cogitatione comprehendere quantum, ac quale diſcrimen ſit, in quo Iuſti viri verſatur animus quandiu viuit; toties reuoco mihi in memoriam Arcam illam Nuë omnium commendatam litteris, linguis omnium celebratam: illam dico Arcam contra quam in miſerando obrutæ Vniuerſitatis naufragio, diſſociata, rupto inter ſe fœdere, elementa, tetro concurſu nubium, atroci ventorum conflictu, luctuoſa imbrium eluuione conſpirarunt. Quis ſine horrore perſpicere poſſit Arcam cui cœlum vndique, & vndique pontus, cæca nimborum nocte, ante Solis occaſum atrato, tumulatoque inter tenebras orbe terrarum, frementi concurrentium inſana trepidatione vndarum impetu, modò elatam ad ſidera, modò depreſſam ad tartara, modò fluctuantem ſupra nubes, modò intra vortices conſepultam, ſemper trepidam, ſemper errantem, præſentiſſimo ſemper atrociſſimoque excidio expoſitam, nullis vnquam lacrymis deploratam ſatis. Siſte precor parumper, & in Arca tot periculorum generibus circunſepta agnoſce animæ Deo caræ, plenam aleæ in hoc mortalis vitæ mari magno nauigationem. Quis à voragine fluctuum, quis à ventorum rabie, quis à procellarum iniurijs, quis ab impetu tempeſtatum nutantem abripiet arcam periclitantemque? Inſurgunt tumentis inſtar Æoli, ſuperbiæ flatus; inundant tanquam demergentes aquæ, molles prauarum cupiditatum affectiones; irrumpunt, inſanæ in morem procellæ, crebrae, atque funeſtae inuaſiones Daemonũ. Quis ergo exortẽ extorremq; Arcam à tot tantiſque calamitatibus vindicabit? Dicam breuiſſimè: Tantae molis opus, vnius modeſtiae munus eſt. Ita planè ſenſit Richardus in pſal. 28. his verbis diſſerens:

Modeſtia ſimilis adamanti.

Modeſtia ſimilis Arcæ Noë.

A *Sola illa huic diluuio ſuperſunt, quæ modeſtiæ terminos non deſerunt.* Anima ergo, licet veluti Arca virtutibus reliquis benè compacta, ſi modeſtia deſtituatur, fiet ventorum ludus, & ludibrium procellarum. Perbellè ſanè dicta fuit à S. Baſilio Seleuciæ Epiſcopo Orat. 6. *Arca Noë nauigans vrbs, turris diluuio valentior, murus montibus celſior.* *At ſi diluuio ſuperſunt quæ modeſtiæ terminos non deſerunt*, ex Richardo; ſtatuamus nauigãtem vrbem muniri modeſtia, murum modeſtia conſiſtere, turrim modeſtia propugnari.

Res fiet clarior exemplo, quod eò libentius profero, quò illuſtrius eſt, quod B habeo in promptu, digniſſimum planè luce litteratorum. Dauid etenim (non mea, ſed Zenonis Veronenſis Antiſtitis ſententia) nil non potuit, quia modeſtus, Leones diſcerpit, vrſos conterit, Gigantem proſternit, acies inimicorum fundit ac diſſipat, non alia profectò vi, nec robore alio, quàm quod modeſtia ſubminiſtrat. Do verba Sancti Antiſtitis ſerm. 1. in Pſal. 129. *Vnctus in Regem, Spiritus in vate non inſoleſcit in rege, obumbrat neminem Prophetæ terrore, iniurias ſuas non exequitur regia poteſtate, odientes ſe diligit, inimicis parcit, parricidialibus filys ignoſcit. Rex manſuetus, pater pius, propheta mo-* C *deſtus totum poteſt.* O egregium modeſtiae praeconium! O inauditam modeſtiae vim, cui debet adſcribi quidquid poſſe Dauid perhibetur! Nihil mediocre, aut commune modeſtiae tribuendum: ſed quicquid arduum, aut difficile excogitari poteſt, perficitur à modeſtia. *Modeſtus totum poteſt.* Modeſtia cingit vt murus, defendit vt turris, propugnat vt ciuitas. Modeſtus robuſtus eſt in leones, firmus in vrſos, intrepidus in gigantes, inuictus in hoſtes. Quis ergo vires à modeſtia tribui, ſine temeritatis nota infitiabitur?

Dauid modeſtia armatus vincit omnia.

Id autem illuſtre licet exemplum ſit, longè tamen illuſtrius & diuinius eſt, quod D ipſemet Dauid in Chriſto Domino recognoſcit, de quo pſal. 92. num. 1. cecinit, *Dominus regnauit, decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.* Loquitur autem de rege gloriae Chriſto Domino noſtram induto mortalitatem. Sic Giliberto Abbati viſum eſt ſerm. 21 in Cant. dicenti: *Glorioſus planè in illo ſplendore gloriæ, & paternæ figura ſubſtantiæ: ſed ſuperaddito noſtræ quodam velut fuco naturæ, & colore inducto, dum ſublucet plus placet. Hæc autem dico, quod dignatio hæc ipſa, qua voluit incarnari, quendam videtur attuliſſe decorem dignitati maieſtatis.* En decore indutum Natum

Deo

A Deo, acceſſione decoris in ſumma modeſtiæ ſignificatione pulchriorem cum ſcilicet diuinitatis apicem ſuſceptæ modeſtiæ mortalitatis inclinat. Modeſtum vides? fortem venerare. In infimis moderata circumſpectione conſiſtentem aſpicis? ſuſpice præcinctum ad prælia, & fortitudine obarmatum. *Decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem*. Vbi modeſtia fulget, fulgurat fortitudo. Et id quidem superni conſenſione Senatus gratulor, & veriſſimè, & apertiſſimè confirmari: Neque enim aliam ob cauſam edito in lucem Chriſto Domino Lucæ cap. 2, n. 13. *Subitò facta eſt cum Angelo multitudo mi-* B *litiæ cæleſtis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo*. Norunt beatæ mentes nil aptiùs infantulo in antro Bethlemico nato conuenire, quàm plauſus militares: cæleſtis accinit militia, quia ducem præcellentiſſimæ inuictiſſimæque fortitudinis conſalutant. Noſtrum ergo munimentum, & ornamentum modeſtia eſt. Iuſti viri fortitudo, & pulchritudo eſt oris habitudo benè compoſita: Chriſtianorum decor, & hoſtium terror, religioſæ mentis ſpecies, & hoſtium inuiſibilium pernicies, modeſtia eſt. Magno equidem cum acumine monebat Clemens Alexandrinus, cum inuiolabiles modeſtiæ C leges inſinuaturus lib. 3. Pædagogi cap. 11. ſcribebat: *Cum per eos* (loquitur de oculis) *cupiditas ineat prima pugnæ præludia: ante totum enim corpus corrumpuntur oculi*. Appoſitè pugnæ facit mentionem. In pugna viribus opus: pugna fortes requirit: Oculos autem munit modeſtia, qua pro pugnante quæ ſe ſe ingerunt inimicorum copiæ ſine ſpe victoriæ belligerabunt.

Oculos modeſtia munit ad pugnam.

Hinc verò facilè patet, quàm longè aberrent à veritate, qui non magni momenti putant eſſe modeſtiam. Fateor vtrò modeſtiam à *modo* fuiſſe dictam, vt ex Tullio docet Auguſtinus lib. 1. de vita beata. A modo vtique quo ſenſuum cohi- D bemus licentiam, & motum corporis circumſcribimus. Licet autem exteriorem ſolùm hominis adſpectum, extimamque faciei corporiſque motionem moderetur; Maximi tamen facienda modeſtia eſt, ex auctoritate Bernardi, qui Sancti Malachiæ miraculis enarratis, vt præclarum aliquid virtutum amatoribus imitandum proponat, reliquis omnibus prætermiſſis, ſolam commendat modeſtiam, vtpotè præcipuam maximamque virtutum. *Libentiùs*, Loquitur Bernardus, *fateor, imitandis immoror, quàm admirandis in Malachia; quis (etſi curioſiùs obſeruaret) deprehendit otioſum, non dico verbum, ſed nutum?*

Modeſtiæ etymologia.

Modeſtia virtutum maxima.

quis manum pedemue mouentem fruſtra? Imò quid non ædificans in eius inceſſu, aſpectu, habitu, vultu? Nunquid in Malachia omni Chriſtianæ perfectionis genere ornatiſſimo deerant præſtantiora virtutum exempla, quæ religioſis hominibus imitanda proponerentur? Nequaquam. Sed præ omnibus modeſtia memoratur, quippe quæ vires tribuens contra vitiorum monſtra in arena virtutis decertantes faciat vi ſua valentiores. In hac Paulum fuiſſe ſententia docet Theodoretus: Cùm enim Paulus data ad Philippenſes ep. cap. 4. num. 5. ait *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus*. Dicere voluit; ſumite animos, reſumite vires, & inuicta præditi fortitudine alacres, generoſi, facti hoſtibus terribiliores inuadite, concutite, proſternite. Tantum confert roboris, tantum tribuit virium, quae muliebris videtur virtus atque imbecilla modeſtia. Verba Theodoreti Pauli mentem interpretantis ſunt: *Forti & generoſo animo, ferte inſultus aduerſariarum*. Facit itaque modeſtia fortem, & circumſcripta verecundiae legibus oris habitudo reddit inexpugnabilem.

Tam ex prophana quàm ex ſacra litteratura certiſſimum eſt fortia aggreſſuros ac praeclara, certis ſignis, ac peculiari teſſera vti ſolitos, vt veluti propria inſignique nota diſtinguerentur; Lanceam Spartiatae geſtabant; Perſae ſagittas ferebant; Epaminondas attollebat Draconem. Similiter Moyſes virgam praetulit; Gedeonis milites lagenas, & accenſas lampades oſtentabant, vt ſuis cuique ſignis ſymboliſque quod contendebant opportunè adumbrarent. An non lanienam hoſtium lancea, ſtragem inimicorum ſagitta, rebellantium perniciem Draco praeſignant? An non portentoſa Moyſis, ac ſerpentina virga excidium furoremque minatur? An non flammeae lampades & lagenae teſtaceae in cineres redigenda aduerſariorum caſtra indicabant? forti viro cuique inſigne eſt truculentum ac minax. Propterea par fuit vt Chriſtiani etiam (qui lecti ſunt milites ſummi Imperatoris) ſuo, & quidem militari ſignaculo notarentur. Notantur vtique, ſed non alio quàm modeſtiae charactere, ex Minutio felice in ſuo Octauio enunciante. *Nos non notaculo corporis, ſed innocentia, ac modeſtiæ ſigno facilè dignoſcimur*. Extollant alij lanceam, oſtentent ſagittas, depingant Dracones, praeferant virgas, micent lampadibus: Noſtrae militiae teſſera, vna modeſtia eſt. Sequor Gregorium in Decret. pronunciantem: *Rex pacificus pia miſeratione*

Modeſtia Chriſtianorum teſſera.

ratione diſpoſuit ſibi ſubditos fore pudicos, pacificos, & modeſtos. Signum militiæ animos geſtantium reddit alacriores ad pugnam expeditioreſque, eoſdem ideò facit hoſtibus formidandos. Id porrò, etſi magnificum, parum tamen Bernardo videbitur, cuius ſententia non modò ſignum militiæ modeſtia eſt, ſed ſuis praedita viribus extimeſcenda. Sic autem ſcribit de ordine vitae circa med. *Magna eſt modeſtia, indiuidua verecundiæ ſocia, quæ cum ſit ſui iuris remiſſior, nihil vſurpans, nihil vendicans, & quodammodo intra vires ſuas contractior, diues eſt apud Deum.* Pende vltima verba: Cùm contractior videatur intra ſuas vires, plurimum poteſt pollerque apud Deum: quaſi contrahendo vires virtutem vniat & augeat vim ad praeclara quaeuis atque praeſtantia. Vnitam porro virtutem fortiorem eſſe valentioremque notum lippis, & tonſoribus eſt.

Modeſtia plurimum poteſt apud Deum.

Recolendum profectò conſequentium omnium memoria ſeculorum, quod de Luciano Martyre tradidit Metaphraſtes in vita eius, qui tam mira, & poſt hominum memoriam inaudita modeſtia, arcana vi, imò diuina ac prorſus innocenti violentia tantum poterat, vt reluctantes impios, ac ſceleratos compelleret traduceretque inuitos ad Chriſti cultum veramque religionem: Id Imperatori Maximiano renunciatum fuit, qui timens ne domita cordis ſui immanitas à Luciani modeſtia vinceretur, hominem ad ſe venire iuſſit, vt quà terroribus concuteret, quà alliceret blanditijs; cum illo tamen colloqui coram non eſt auſus, ſed interpoſito velo, ne modeſtia ſemper victrici Luciani mutaretur in virum alterum, & cogeretur à ſuperſtitione recedere. O ſtupendam prædicandamque modeſtiæ vim! quales de vitijs victorias reportaremus, quos de ſceleſtis ageremus triumphos, quot trophæis cæleſte capitolium exornaremus, ſi eam præferremus modeſtiam quæ decet, aut potiùs facit religioſos! Vtinam de nobis dici poſſet quod de Feſto, & Symmaco breuiſſimè & elegantiſſimè pronunciauit Ennodius in vita Epiphanij: *Quos vidiſſe erudiri eſt.* Vtinam tam ſanctè à modeſtia noſter cõponeretur aſpectus vt puderet flagitioſos homines petulanti circumagi motu, greſſuque pergere inſolenti. Vtinam à modeſtiæ noſtræ intuitu impudenti ſedata licentia, improbi viri inuitarentur ad virtutem honeſtatemque. Vtinam inter eos numeraremur, *quorum* (ſic loquitur Caſſianus, Collat. 11 cap. 2.) *Sanctitas in ipſo etiam fulget aſpectu, vt vel ſola contemplatio eorum magnam intuentibus poſſit conferre doctrinam.* Vtinam Nicolai III. Pontificis Maximi veſtigijs inſiſtamus, qui, vt Platina ſcribit in vita, ob ſingularem, quam ſemper præſeferebat modeſtiam, vernacula lingua, *Compoſitus*, vulgò nuncupabatur ab omnibus. Vt hoc pacto vultu, inceſſu, geſtu, motu corporis, ore toto aſpicientibus pietatis Chriſtianae praecepta tradamus, & cumulato quodam docendi potiùs, quàm dicendi genere hominum animos virtutum inſtitutionibus imbuamus, quemadmodum praeſtitum fuiſſe non ignoramus à Seraphico Franciſco; cum longè verius, & accommodatius de religioſo viro dici queat quod de Philoſopho pronunciauit Tertullianus de pall. *Auditur Philoſophus dum videtur.* Nullum enim dicendi genus expolitum adeò poteſt afferri, quod cum eleganti modeſtiæ decore poſſit in contentionem venire. Nulla excogitari poteſt orationis vis quae in efficacitate atque potentia cum modeſtia conferenda eſſe videatur.

Ingens modeſtia S. Luciani vis.

Nicolaus 3. vocatus ob modeſtiam compoſitus.

S. Frãciſcus ſolo aſpectu cõcionatur.

IN CAPVT DVODECIMVM

A Num. XLVI. ad vltimum.

Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius, & fratres ſtabant foris quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant quærentes te. At ipſe reſpōdens dicenti ſibi, ait: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Et extendens manum in diſcipulos ſuos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt: ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.

PARADOXVM XI.

Ad nutum alienæ voluntatis gubernari maxima libertas, ſūma felicitas eſt.

SVÆ renunciare voluntati ſicut dignū Deo obſequium eſt, ita ſupra quàm dici queat, arduū videtur humanæ imbecillitati: Quis enim durum non ſentiat non modò ſuis rebus, ſed ſibi nuncium remittere? Propterea Euangelicus Vates Iſaias cap 58. n. 13. ſuaſurus hominibus quod ſuapte natura refugit mortalitatis humanae conditio, ingentibus propoſitis praemijs, vt impetret quod contendit, ſic habet: *Dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas, vt loquaris ſermonem, tunc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui.* Habes triplex

C bonorum genus, honeſtum. vtile, delectabile, ſi voluntati tuæ renūciaueris. Honeſtum quidem: quid enim aut honorificentius, aut ſanctius, aut præſtantius, quàm ſuſtolli ſuper altitudines terræ? Vtile antē vides, quia hæreditate Iacob ditaris. Delectabile verò facilè agnoſcis, quia voluptate cælitus communicata perfūderis. *Delectaberis ſuper Domino, ſuſtollam te ſuper altitudines terræ; cibabo te hæreditate Iacob patris tui.* Hæc enim verò vim habent maximam ad noſtros animos alliciendos, trahendoſque. Sed conferri non poſſunt cum ijs, quæ à Christo Domino afferuntur, quo auctore. *& frater, & ſoror, & mater*

D ipſius eſt Redēptoris, qui eligit nolle quod vellet, vt poſſit ſemper velle quod placet Deo. Itaque noſtra ſpoliari voluntate vt nutu alieni gubernemur arbitrij, & maximæ libertatis, & ſummæ felicitatis eſſe vt demonſtremus, à ſecūdo ducemus exordiū.

Alati illi cæleſtis Imperij Senatores apud Iſaiam c. 6. n. 2. & deinceps, ante ſoliū Dei ſtare ſimul, & volare dicuntur. An non in iſta ſtatus, & volatus manifeſta contrarietate, extra controuerſiam declarant ſe ſe ſpirantia obedientiæ exemplaria? Obedienti quippè perindè eſt ſtare, ac volare: nec enim minùs prompti ad laborem, quàm proni inueniuntur ad quietem ij, qui

Voluntati ſuæ renunciare honeſtum, vtile, delectabile.

Seraphim ſtans ſimul & volans quid ſignificet.

qui nec velle nec nolle habere ſe profitentur. An non perfectam agnoſcis obedientiæ ideam? ſiquidem, vt ait Eucherius, *Deo ſtare idem eſt quod volare, & in ſublime exaltari*. Quid felicius quàm non modò coram Deo, & quidem inter primotes regni, & ſolij principes conſtitui: ſed ſemper eleuari altiùs & ſublimiùs exaltari? Id præſtat obedientia, ſi D. Athanaſium in vita Antonij audire velimus conſiderantem illud Eliæ lib 3. Reg. c. 17. *Viuit Dominus in cuius conſpectu ſto. Non computabat Elias*, verba Athan. *Præteritum tempus, ſed tanquam quotidie in certamine poſitus; talem ſe præbere cupiebat, qualem ſciebat Dei dignum eſſe conſpectibus, purū corde, & præparatum obedire voluntati eius*. Singulare beneficium eſt, Dei frui conſpectu; maius eius frui alloquio; maximum inter familiares admitti: præſtat id obedientia. Ideò præparatum ſe profitetur Elias obedire voluntati Dei. Imò parum id eſt, quia ſic ſtare idem eſt quod volare; cum ſemper non creſcat modò, & aſcendat, ſed volet vſque ad maternitatē, & fraternitatem Dei: qui obediendo ſuæ obliuiſcitur voluntatis; *Meus frater, & ſoror, & mater eſt*.

Neque ſolùm ex eo capite quòd nos obedientia extollat ad Deum, verùm etiā quia Deū demittat ad nos, ea de qua præſens eſt ſermo, ſumma felicitatis habetur. Geneſ. cap. 18. dicitur Deus exceptus & hoſpitio, & conuiuio ab Abraham. Geneſ. verò cap. 35. narratur quo pacto Deus allocutus fuerit Iacob: non tamen eiuſdem domum dicitur ingreſſus, & multò minus epularibus lautitijs recreatus. Cur obſecrò tantum diſcrimen inter nepotis, & aui domicilium, vt ſummus rerum princeps non dedignetur aui Abraham intrare limen, cum è contra Iacob alloquatur non tamen intra tecta ingrediatur. Vterque ſanè Deo carus Abraham, & Iacob. Crediderim eam eſſe differentiæ rationem, quia ſicuti omnes Domeſtici Abraham eiuſdem nutui obediebant; ita filij Iacob contra Patris voluntatem, & eiuſdem ſpreto conſilio maluerunt ſororem, Sichimitarum internecione vlciſci, quàm parētis admonitionibus acquieſcere. Sanctus quidem erat Iacob, ſed perturbata familia tumultu inobedientium filiorum, fuit indignus, qui Deo hoſpite gauderet. Rem in hunc modum interpretari placuit Philoni lib. de Abraham his verbis: *Equidem dicere non poſſum, quid huic domui Abrahæ defuerit ad ſummam felicitatem, in qua apud homines, hoſpitio excipi ſuſtinuerunt Angeli, ſacra, diuinaque naturæ miniſtri, ac ſubpræ-*

Domus Abrahæ cur carior Deo quàm domus Iacob.

A *fecti Dei Optimi, Maximi, per quos ille ceu legatos, & nuncios, quidquid libet, humanum genus præmonet. Qui poterant enim vel intra primum limen ſubſiſtere, ni ſciuiſſent, totam domū ad nutum patris familias paratam: ceu naualem turmam bene conſtitutam, ad vnum celeuſma ſui gubernatoris*. Summa ergo felicitas ab excepto hoſpitio Deo ipſo, prærogatiua eſt familiæ virtute obedientiæ præſtantis: Et quidem vſque adeò vt cum nautarum promptiſſima ad ſui nutum gubernatoris velocitate, poſſit non immeritò comparari.

Quid ni autem dicatur obedientia homini tribuere felicitatem; cum Deum ipſum felicē (vt ita dicam) facere videatur. B Ioſuæ c. 10. n. 12. *Tunc locutus eſt Ioſue Domino in die qua tradidit Amorrhæum in cōſpectu filiorum Iſraël, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon: Steteruntque Sol, & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Nonne ſcriptum eſt hoc in libro Iuſtorum? Stetit itaque Sol in medio cæli, & non feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei. Non fuit antea, & poſtea tam longa dies, obediente Domino voci hominis*. Stupendum planè prodigiū, nec vllis vnquam præconijs cōmendandum ſatis. Cæleſtes homini famulantur orbes, & ſiderū C principes parent ad nutum: Naturæ iura ſacroſancta, atque inuiolabilia inauditæ priuilegio diſpenſationis mutantur ad tēpus; & tempus ipſum ſuæ velocitatis oblitum ab irrequieto curſu deſiſtit. O quot, ac quanta in vno ſunt miraculo, genera prodigiorum. Tot tantorumque mirabilium effectum cauſam quæris? Vna, ſi neſcis, obedientia eſt. *Obediente Deo voci hominis*. Nimirum non Deus rerum Dominus, non Deus naturæ auctor, ac luminū parens: ſed Deus obediens iſthæc miracula perficere ſe profitetur, vt ex hoc diſcas obedientiæ felicitatem. An non felicem putas eum, qui poſſit quod vult? Deus, & diē D producere, & Solem ſiſtere, & Lunæ moderari curſum, & vniuerſi ordinem permutare poteſt quia obedit. *Obediente Deo voci hominis*. Hæc vna ratio eſt, hæc vna tantorum radix prodigiorum. Ergo ſi optas poſſe quod vis, hoc eſt, ſi felix eſſe deſideras, ſubde te legibus obediētiæ: ſic nempe, & hoſtes profligabis, & imperabis naturæ, & nihil complecteris animo, quod opere non aſſequaris. Do Auguſtinum lib. 2. de Mirabil. Sacræ Scripturæ cap 4. ſic dicentem: *Dominus obediens præcipit, & obediunt*. quaſi ideo cæleſtia pareant, quia vocem excipiunt Domini obedientis potiùs, quàm imperantis.

Obediens valet quod vult.

Quoniam autem illum felicem diximus qui poteſt quod vult: id, licet ex opinione vulgi prolatum, me dixiſſe non pœnitet, cum id vnicè obedientiæ conuenire, ex ſacris litteris probari facilè queat. Comparemus Zebedæi filios, cum diſcipulis piſcantibus ad mare Tyberiadis. Illi apud Marcum cap. 10. n. 37. ſic Dominum alloquuntur. *Dic nobis, vt vnus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram tuam ſedeamus in gloria tua.* Minimè annuit poſtulatis rerum Dominus, & Magiſter Sapientiſſimus: Nec mirum. Quandoquidē præmiſerant petitioni, vt habetur n. 35. cit. cap. *Magiſter volumus, vt quodcunque petierimus facias nobis.* Ignorant, adhuc in ſchola Chriſti tyrones, eum ſolummodò poſſe quod vult, qui ſuæ renunciauit voluntati; Quod ijdem diſcipuli Chriſtianæ Sapientiæ diſertè docent. Expectant nos facti doctiores propè mare Tyberiadis, vbi tota nocte inſomnes, confecti tædio, conſumpti laboribus ne minimo quidem gaudent fructu tam diuturnæ, tam inanis, tam moleſtæ piſcationis. Adeſt tandem, vt ſcribit Io. cap. 21. illuceſcente iam die Sole beneficentior Chriſtus Dominus; iubetque. *Mittite in dexterā nauigij rete, & inuenietis: Miſerunt ergo, & iam non valebant rete trahere præ multitudine piſcium.* O quam proſperè omnia ſuccedunt ex voto diſcipulis obedientibus. Petentibus Zebedæi filijs dexterā, denegat is, qui vt conferat quod volumus, vult vt noſtrū velle deſeramus. Dixerant diſcipuli, ſine dubio primis inſtitutionibus diſciplinæ cæleſtis vix imbuti: *Magiſter volumus, vt quodcunque petierimus facias nobis.* Quātò rectiùs, quantò ſapientiùs poſtea facti eruditiores, non modò non declarant ſe velle, ſed poſt tot ſuſceptos ſine fructu labores non victi moleſtia, ſed modeſtia bene compoſiti, illico obediunt. *Mittite in dexteram: miſerunt ergo, & iam non valebant rete trahere.* Omnia iſtis eueniunt dextera, ſecunda omnia, quia Deus tunc nobis donat quod volumus, cum nouimus nihil velle. Audi Cyrillum Alexandrinum lib. 12. in Io. cap. 62. *Retibus in dexteram partem iactis magna multitudo piſcium capta eſt; iuſſu autem Domini hoc factum eſt: quia non rapuerunt gratiam, ſed imperio Chriſti paruerunt.* Ergo ſola obedientia eſt, quæ donat piſcantibus multitudinem piſcium copioſam. Imperio Chriſti paruerunt. Benè eſt. Sed illud potiſſimùm aduerto: *Quia non rapuerunt gratiam, ſed imperio Chriſti paruerunt.* Quaſi velit Cyrillus inſinuare cauſam felicitatis: En piſcatores onuſtis retibus, & piſcatione copioſa felices. Quæ enim piſcantium ſumma votorum eſt, niſi vt captis exultent piſcibus? En exēplū felicitatis: habent enim quod optabant. Et quidem ideo habent quia alieno mouentur imperio, non propria impelluntur voluntate. *Non rapuerunt gratiam*, vt filij Zebedæi rapere voluiſſe viſi ſunt. *Volumus*, ſiue iure, ſiue iniuria concedatur nobis dextera. Non ſic piſcantes diſcipuli, *non rapuerunt gratiam, ſed imperio Chriſti paruerunt.*

Obedientiæ laudes.

Placuit mihi ſemper quod legi apud Climacum grad. 4. his verbis: *Obedientia eſt perfecta abnegatio, propria animæ & corporis mors voluntaria; vita ſine ſolicitudine; nauigatio ſine damno; ſepultura voluntatis; eſt iter facere dormiendo ſub onere alijs impoſito, & ſuper aliorum vlnas, ne mergaris, natare.* Vides quàm appoſitè vt difficultatem in obediendo minuat, referat vtilitatem. Verum quidem eſt neceſſe eſſe vt perfectè obediens, viuens moriatur; imò ſepulturæ mandet voluntatem ſuam. Sed verum quoque eſt vitam obedientis tutam eſſe, & omni liberam ſolicitudine, ita vt qui obedit, nauiget ſine damno, & natet ſine periculo. Hæc ſumma felicitatis eſt, vt vitae huius curſum (qui ob magna, frequentia, & proxima pericula nauigationi non immeritò comparatur) natando conficere queat. Hoc obedientium priuilegiū declarabit quod ſcribit Manutius lib. 4. Apoph. 48. de Alexandro Magno, qui eadem facilitate, & orbem illuſtrauit victorijs, & paſſibus perluſtrauit. Indiæ fines ingreſſus Alexander, contra ſolem orientē, triumphis ipſe illuſtrior, & trophæis clarior exercitū duxerat: Iamque tot euerſis arcibus, deletis vrbibus, vaſtatis oris, inimico rutilans ſanguine, aureum naſcentis auroræ ruborem vincere videbatur. Hæſit tamen à felici militarium gloriarum curſu retardatus, cum Niſæ vrbis expugnationem aggredi meditaretur, præterlabentis enim interpoſitu fluminis diſtinebatur, ne eam impetu facto, redigeret in ſeruitutem. O labentem tanti Principis gloriam, quæ fugaci vndarum lapſu dum detinetur, euaneſcit. Quid agat inuictus imperator? Quid conſilij capiat inclytus heros? Quid moliatur ſapientiſſimus dux omni ſublata ſtruendorum pontium copia? quò ſe vertat Alexander omni omninò ſpe deſtitutus nauium comparandarum, quibus milites progrederentur vlteriùs? In ſolo natatu victoriæ & felicitatis ſupererat ſpes: At quibus oro hortationibus milites permouiſſet ad negotium tam difficile? Senſit dux, dexteritate cōſilij, quàm dextera præſtantior, plus

Alexandri Macedonis memorabile facinus in obſidione Niſæ.

exem-

A exemplis quàm verbis ineſſe momenti: & ex equo deſiliens: *ò me omnium deterrimũ* (exclamauit) *cur non artem natandi didici!* mox clypeo pro ſubere innixus, amnem primus tranauit. Ecce tibi, miles qui paulò ante, obiectu periculi retardatus de reditu cogitabat, certatim ſe in vndas immittit, ſe natatui tradit, ducem quàm alacriter, ita proximè ſectatur. Sic flumen illud, quod inter vndarum volumina præcipites rapiebat ſpes maximas, imò certam Alexandri victoriam, eiuſdem gloriæ famam quacunque curſum flecteret, vndis admurmurantibus, celebrauit. Habes tanquam in exemplari rudi illo quidem, ſed non omninò diſſimili, qualem B quantamque tribuat obedientia felicitatẽ. Nauigat ſine damno, & quod præſtantius eſt, ſuper aliorum vlnas natat obediens. Quid felicius, quàm à felicitatis curſu retardari non poſſe? Quid felicius quàm inimicarum rerum potiri, hoſtibus debellatis? Quid felicius, quàm difficultatum interpoſitu ſuperato, gloriarum inter gaudiorumque choros exultare. Id porrò obedientiae munus eſt. Alexandri milites ducem ſequuntur præcedentem, non alienis portantur vlnis. Illi refluos ſubeunt vortices, non ſine diſcrimine; iſti nauigant ſine damno, ſine periculo, ſine labore. C Geminum Abrahami, & Iephte Sacrificiũ comparare ſoleo, & in vtriuſque exitu tam diſſimili conſiſto parumper. Cur Iſaac immolãdus Abrahami patris eripitur vulnere, iuſſu Dei: Qua aptius quàm parentis manu cadere poteſt victima pietatis? Cur ad exemplum religionis illuſtre iuri ſanguinis non renunciet Abraham, vt partes expleat Sacerdotis? Geneſis cap. 22. à num. 10. & deinceps: *Extenditque* (ſcilicet Abraham) *manum & arripuit gladium, vt immolaret filium ſuum. Et ecce Angelus de cælo clamauit dicens: Abraham Abraham: Non extendas manum tuam ſuper puerum*. E contra Iephte vnicam filiam virginem interemit voti reus. D Iudicum cap. 11. num. 39. *Expletiſque duobus menſibus reuerſa eſt ad patrem ſuum, & fecit ei ſicut vouerat.* At ſi Iephte ea quam ſuſtinebat perſona iudicis duxit indignum datam Deo fidem frãgere, nunquid rationi conſonum iudicabimus verba Dei, hoc eſt, veritatis aeternæ oracula, poſſe inania iudicari: *Verba*, dicebat Tertullianus, *factis non reſpondẽtibus erubeſcunt.* Ergo nè verba Iephte erubeſcant, ſanguineo perfundi rubore paternas manus aequum eſt; Et nè vnicus Iſaac perimatur, erubeſcant, factis non reſpondentibus, verba Dei? Etenim ſi eleganter non

Abrahami & Iephte ſacrificium comparatũ.

A minùs, quàm religioſè de Abraham pronunciauit S. Zeno ſer. 3. *Religioſus carnifex ſtringit gladium, patris erat quod leuauit, Dei fuit quod pepercit*. Cur non pepercit Deus tenellæ virgunculae, ſicuti pepercerat Iſaac? Tantæ differentiae vnica ratio eſt, obedientia, ſi Chryſoſtomo, Ambroſio, Auguſtino credere velimus. Chryſoſt. hom. 47. ſic ait: *Quia videbat iuſtum iam accinctum, & paratum ad immolationem, & volentem implere mandatum Domini, ideirco vocat eum de cælo.* Notanda ratio eſt cur Abraham retardetur ab ictu. Nimirum quia promptus ad obtemperandum, idcircò caeleſti voce B compellatur, ne vulneret. Non ſic Iephte, animaduertens enim filiam ſibi trucidandam, horrore perculſus, non modò veſtimenta ſcidit, verùm etiam commiſeratione de filiae nece commotus, diſtulit quod ſine numinis iniuria auferri non poterat; adeòque petenti duorum inducias menſium indulſit doloris impetu penè proſtratus. Abraham tam duro excitatus imperio de filio immolando conſurgit nocte intempeſta, nullaque interpoſita mora, optabilius duxit mori filium, quàm morari. Vnde Ambroſius lib. 3. de Virg. ſcribit in hunc modum: *Quia non vna forma meritorum, ideò non vna forma factorum: Pater* (ſcilicet Iephte) *doluit, C fleuit. Non doluit Abraham, nec conſuluit parentis affectum; vbi audiuit diuinitatis oraculum non diſtulit ſacrificium, ſed maturauit obſequium. Iſaac non fleuit cum ligaretur, non dilationem popoſcit, cum offerretur. Et ideò miſericordia largior.* Breuiùs Auguſtinus quæſt. 49. in Iudices. *Quoniam*, inquit, *Abraham iuſſus obtulit filium; Iephte autem fecit, quod nullo ſpeciali iubebatur imperio*. Conſidera adoleſcentulum Iſaac innoxium, vnicum familiae columen, ſpem domus, delicias patris; eiuſdem patris ligatum manibus mox mactandum. Quid felicius quàm à D mortis faucibus, Deo ipſo vindice, eripi? Donum id obedientiae agnoſce, & tantæ virtutis priuilegia venerare. Conijce oculos in virgunculam ætate florentem, nitore virginitatis florentiorem, inter ſolitudinem & angorẽ, caliguein lacrymis, confectam doloribus, cui nõ ſint ſatis luctuoſiſſimae duorum menſium lamentationes: O miſeram cui ſacrificiũ videtur lanieua; an non omni deſtituta credetur ſolatio ea quae in patre inueniat parricidã? Moritur Iephte filia, imò praemoritur, cùm ipſo florentis Vere ætatis immaturos præproperæ mortis fructus carpere compellatur. Te quoque, ſi neſcis, ò virginũ mæſtiſſima,

Iſaac morte eripitur, quia obediens.

A quemadmodum & olim Iſaac, feciſſet obedientia felicem, è tanto ereptam cumulo miſeriarum. Quod de Neronis ſucceſſore ſcripſit Tacitus permultis aptari poteſt; ſic enim ait lib. 1. ab exceſſu Neronis: *Galba quinque principes proſpera fortuna emenſus, & alieno imperio felicior quàm ſuo, maior priuato viſus, dum priuatus fuit, & omnium conſenſu capax imperij ſi non imperaſſet.* Sæpe ſæpiùs alienum imperium felicem vſque adeò facit, vt idem non rarò ſit & ſubiectionis finis, & felicitatis.

Galba imperio infelix.

Minùs porrò mirum videbitur homines ab obedientia fieri felices, quandò ſuperi ipſi beatique cæli ciues, ab eadem obedientia donantur felicitate. Audio Pau-
B lum in Eccleſia, hoc eſt, in celeberrima chriſtianae ſapientiae ſchola, tantum arcanum dilucidè enodantem data ad Epheſios Ep. cap. 1. n. 21. vbi de Summi Pontificis Ieſu in Vaticano cæleſti exaltatione, ſic decernit: *Et conſtituens ad dexteram ſuam* (Ieſum ſcilicet) *in cæleſtibus ſuper omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem.* Nil dici potuit glorioſius de Sacerdote Maximo exultantis Eccleſiae: Nihil expectari munificentius à largiente Deo. Quid tum? forſan collato imperio empyrei Chriſto reduci, principatus, & poteſtates cadunt dominatu, atque potentia, qua ante gloriaban-
C tur? At certum eſt aliena non rapi ab eo, qui ſua largiturus aſcendit. Sic ſe res habet; exaltato Domino in ſolio diuinitatis omnis principatus, atque poteſtas veneratur imperantem: omnis virtus, & dominatio cadit prona in genua, ad obſequium Domini tam præcellentis: Verùm hac ſubiectionis lege cæleſtes ſtabiliuntur principatus, certius acquirunt dominationes dominium, vno verbo, dum Deo parent, fiunt ſupernæ poteſtates potentiores. Hauſi hæc ex S. Bernard. lib. 5. de conſideratione ad Eugenium ſic loquente: *Quid hoc ad ſummum, ſempiternum, ſingulare-*
D *que dominium? Præſunt principatus, & regunt, ſed reguntur & ipſi, ita vt regere iam non norint, ſi regi deſierint.* Vnde ſempiterna eſt cæleſtium principum dignitas? Vnde poteſtas ineluctabilis triumphantis Ieruſalem? Vnde dominium, ius, imperium, vno verbo cumulus felicitatum, beatitudo? Ab obedientia. Nempe imperant, quia reguntur; poſſunt, quia potentiorem agnoſcunt; dominantur, quia parent.

Obedientia donat cælites felicitate.

Refugiunt iniqui rerum æſtimatores obedientiam tanquam humanæ carcerem libertatis, ſed non ſine veritatis iniuria, non ſine nota mendacij. Maxima etenim libertas eſt, obediendo libertate carere, quæ pars altera reſtat illuſtranda argumenti propoſiti. Quod antequam probem, notum id etiam Senecæ fuiſſe, prætermittere non debeo. Monet Philoſophus Epiſt. 37. *Si vis ſubijcere tibi omnia, ſubijce te rationi.* Ergo qui ſe ſubditum facit legibus Recti, libertate donatur, & quidem omnium ampliſſima, in ſummo rerum omnium dominatu. Eadem breuitate, ſed maiori cum acumine lib. de veland. Virg. cap. 3. protulit Tertullianus. *Tantò magis libera, quantò Chriſti ſolius ancilla.* Perbellè ſanè. Virgo nanque, & mentem, & corpus domat, donatque Deo religatum nexibus pudicitiae. Exultat inter haec vincula virginitas magis libera, quia nodis tenacioribus reuincitur. Id Magnus Gregorius copioſiùs proſequitur in eo munere, quod conſanguinei, & amici Iob obtuliſſe dicuntur, donando ouem vnam, & inaurem auream vnam. Sic autem ſcribit lib. 34. moral. c. 34. *Quoniam innocuis mentibus ornamentum obedientiæ iungitur; Quare Iob nemo inaurem ſine oue, nemo ouem ſine inaure obtulit. Quia redemptori ſuo non obedit, qui innocens non eſt, & innocens eſſe non poteſt, qui obedire contemnit. Quia verò ipſa obedientia non ſeruili metu, ſed charitatis affectu ſeruanda eſt: idcirco inaurem obtulerunt, vt videlicet in ea, qua exhibetur obedientia, charitas fulgeat, quæ virtutes omnes, quaſi aurum cætera metalla tranſcendit.* Toto, vt aiunt, cælo aberrant, qui obedientiam putant eſſe ſeruilem. Nil vile, aut indignum, ſed honeſto animo, & maximè libero dignum in primis eſt opus obedientiae. Non ſeruili ſtipata metu, ſed chriſtianae ſocia libertatis graditur obedientia. Notus eſt Nazaræorum ritus de coma nutrienda. Nazaræos porrò totos Dei obſequio mancipatos dicatoſque notius eſt, quàm à me dici debeat. Cur autem Deus Deorum in Sion ad haec minima deſcendit, vt nominatim ſeruos ſuos iubeat eſſe intonſos? Num. c. 6. vbi de conſecratione Nazaræorum agitur, ſic iubetur ver. 5. *Omni tempore ſeparationis ſuæ nouacula non tranſibit per caput eius vſque ad completum diem quo Domino conſecratur. Sanctus erit creſcente cæſarie capitis eius.* Iuxta hunc decreti diuini canonem vouerat Anna Samuelis mater 1. Reg. cap. 1. num. 11. *Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non aſcendet ſuper caput eius.* Tanti ergo momenti erat cæſariem nutrire, comamque producere, vt ea veluti teſſera diuino addicti famulatui notarentur? Ita planè: quia libertas ſeruorum Dei intonſo illo

A ſubiectione & à vinculis maior libertas.

ſo illo capillitio ſignificabatur. Vnde haec vltima verba: *Nouacula non aſcendet ſuper caput eius* : vertit Chaldaeus paraphraſtes: *Terror non aſcendet ſuper caput eius*. Hoc eſt, interprete Vatablo, *imperium hominis*. Ergo imperio hominis, & omni terrore liberatur, qui ſeruus fit Dei. An non iſta ſeruitus eſt, quae donat libertatem? Sed vnum ſupereſt maximè animaduertendum: Comam Nazaraeis fuiſſe pro corona, & pro eodem comam, & coronam in ſacris litteris vſurpatam. Sic Ezechielis 24. num. 17. quod vulgata habet. *Corona tua circunligata ſit tibi*; vertunt ſeptuaginta: *Coma tua circunligata ſit tibi*. Percipio caeremoniae myſterium.

Nazaraeorũ coma, corona.

Coma intonſa vt fiat ſerui Dei corona, circunligata debet eſſe: nempe mens ductu Dei, hoc eſt, obedientiae voto ligata coronam gerit, qua omni terrore amandato vacat Deo ſuo. Quis non agnoſcat inter hos nodos maiorem fieri libertatem? *Corona tua, coma tua circunligata ſit tibi*. Corona profectò pluſquam regia, quae foediſſima liberat ſeruiture vitiorum. Do M. Tullium parad. vlt. differentem. *Quis neget omnes leues, omnes cupidos, omnes denique improbos eſſe ſeruos? An ille mihi liber eſt, cui mulier imperat, cui leges imponit, praeſcribit, iubet, vetat quod videtur; qui nihil imperãti negare poteſt, nihil recuſare audet? Poſcit, dandum eſt; vocat, veniendũ; eijcit, abeundum; minatur, extimeſcendum. Ego verò iſtum non modò ſeruum, ſed nequiſſimum ſeruum, etiam ſi in ampliſſima familia natus ſit, appellandum puto*. Sic quidem putat Ethnicus homo: & tu dubitabis donet ne libertate obedientia, quae ab hac vindicat ſeruitute?

Scelestorũ vera ſeruitus.

Vtar ego verbis iiſdem, quibus olim vſum fuiſſe comperio Iſaiam prophetam. Hiſce autem verbis capit. 8. numer. 12. Dei populum alloquebatur, & nos facit noſtri muneris certiores. *Timorem eius ne timeatis, neque paueatis. Dominum exercituum ipſum ſanctificate, ipſe pauor veſter, & ipſe terror veſter*. Timor Tyrannidis Aſſyriorum, timore Dei pellitur, & ſicuti ne ſeruiant Aſſyrijs, obedire monentur Deo, Iſraëlitæ; ita ne iugo principum tenebrarum colla, & corda ſubdamus, vni rerum principi Deo ſubdi per obedientiam debemus. Iſtam tu ſeruitutem putas? Eſto ſit ſeruitus, ſed ea profectò, de qua D. Petrus Chryſologus ſerm. 114. ſic ait: *Hae ſeruitus nõ obligat, ſed abſoluit; non onerat, ſed honorat; abſtergit ſeruitutis maculam, non inurit*. Porrò tam nouum, tam nobile genus ſeruitutis libertatem tribuens, munus eſt ſolius obedien-

Seruitus Dei non onerat, ſed honorat.

A tiæ, ex oraculo S. Pauli ad Rom. 6. n. 17. ſcribentis: *Gratias Deo, quòd fuiſtis ſerui peccati; obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinae, in quam traditi eſtis: liberati autem à peccato ſerui facti eſtis iuſtitiae*. Nota illud: *obediſtis ex corde*. Hinc excuſſum ſeruitutis iugum, hinc vindicati à tyrannide, hinc donata libertas. Vnde idem Chryſologus citato ſerm. 114. *Peccatum te ante mentiebatur liberum, quem tenebat miſerandè captiuum: nunc gratia te vocat ſeruum, quem vt faceret eſſe liberum, Dei ipſius adoptauit in filium*. Quiſquis ergo per obedientiam ſe ſe Deo dicat, fit ſeruus, ſed ea ſer-

Peccatum mentitur libertatem, non donat.

B uitute, quæ libera eſt, vtpote eximens à captiuitate peccati. Exemplum nobis præbet pulcherrimum Iſaac Patriarcha Gen. 27. num. 40 vbi filij Eſau poſtulationibus permotus, aut potiùs expoſtulationibus commotus eidem benedictionem impertitur dicens: *In pinguedine terræ, & in rore cœli deſuper erit benedictio tua. Viues in gladio & fratri tuo ſeruies*. Quid audio? An non exulceratus inuidia Eſau animus recrudeſcet ſæuiùs contra Iacob? Patris vox expectabatur pacis nuncia, & animorũ conciliatrix benedictio optabatur; cùm ex inſperato contra naturae iura maior Eſau, iunioris Iacob addicitur ſerui-

C tuti. *Fratri tuo ſeruies*. Siccine teſtamẽto patris nõ modò bonis, ſed ipſa ſpoliatur libertate infelix Eſau? Praeſtat audire Ambroſiũ hac de re ſic loquentem ep. 1. lib. 2. *Igitur Iſaac benedixit filium Eſau, vt ſeruiret fratri ſuo, & eſſet ipſius ſeruus: vt remedio ei ſeruitus eſſet, quia ſtultus regere non poteſt, & niſi moderatorem habeat, praecipitatur proprijs voluntatibus*. Eodem planè modo nobiſcum ſe ſe gerit Deus, quoties ſubdit nos arbitrio, & voluntati eorum, quos non natura, ſed gratia; non annorum numerus, ſed meritorum cumulus conſtituit ſuperiores. *Seruies fratri tuo*. Amantiſſimi patris

D benedictio eſt, quae facere videtur ſeruos, cùm reuera periculis eximat, & ex eo ſolùm capite auferat libertatem, quòd noſtri iuris non ſinat nos eſſe ad ruinas, atque ad praecipitia. Miſerum te, ſi de huiuſmodi libertate ablata lamenteris. *Sub Christo*, verba Ambroſij lib. 1. de Iacob cap. 3. *& pretioſa ſeruitus, & glorioſa libertas. pretioſa ſeruitus, quaſi tanti ſanguinis pretio comparata; glorioſa autem libertas, quam nulla ſeruitus culpa conſtringit*. Negari itaque non poteſt eum obedientiae ſubiectione ſtare maximam libertatem.

EVAN-

EVANGELIVM
Secundùm Matthæum.

CAPVT DECIMVM-TERTIVM.

1 IN illo die exiens Ieſus de
domo, ſedebat ſecus ma-
2 re. Et congregatæ ſunt
ad eum turbæ multæ, ita
vt in nauiculam aſcen-
3 dens ſederet: & omnis
turba ſtabat in littore, & locutus eſt eis mul-
ta in parabolis, dicens: Ecce exiit qui ſemi-
4 nat, ſeminare. Et dum ſeminat, quædam
ceciderunt ſecus viam, & venerunt volu-
5 cres cæli, & comederunt ea. Alia autem
ceciderunt in petroſa, vbi non habebant ter-
ram multam: & continuó exorta ſunt, quia
6 non habebant altitudinem terræ. Sole au-
tem orto æſtuauerunt: & quia non habe-
7 bant radicem, aruerunt. Alia autem ce-

ciderunt in ſpinas: & creuerunt ſpinæ, & ſuf-
8 focauerunt ea. Alia autem ceciderunt in
terram bonam: & dabant fructum, aliud cen-
teſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſi-
9 mum. Qui habet aures audiendi, audiat.
10 Et accedentes diſcipuli dixerunt ei: Quare
11 in parabolis loqueris eis? Qui reſpondens,
ait illis: Quia vobis datum eſt noſse myſte-
ria regni cælorum: illis autem non eſt da-
12 tum. Qui enim habet, dabitur ei, & abun-
dabit: qui autem non habet, & quod habet
13 auferetur ab eo. Ideo in parabolis loquor
eis: quia videntes non vident, & audientes
14 non audiunt, neque intelligunt. Et adim-
pletur in eis prophetia Iſaiæ dicentis: Audi-
tu audietis, & non intelligetis: & videntes vi-
15 debitis, & non videbitis: Incraſsatum eſt
enim cor populi huius, & auribus grauiter
audierunt, & oculos ſuos clauſerunt: ne-
quando videant oculis, & auribus audiant,
& corde intelligant, & conuertantur, & ſa-
16 nem eos. Veſtri autem beati oculi quia vi-
17 dent, & aures veſtræ quia audiunt. Amen
quippe dico vobis, quia multi prophetæ, &
iuſti cupierunt videre quæ videtis, & non vi-
derunt: & audire quæ auditis, & non au-

dierunt

18 dierunt. Vos ergò audite parabolam ſemi-
19 nantis. Omnis, qui audit verbum regni, & nō
intelligit, venit malus, & rapit quod ſemina-
tum eſt in corde eius: hic eſt qui ſecus viam
20 ſeminatus eſt. Qui autem ſuper petroſa ſe-
minatus eſt, hic eſt, qui verbum audit, & con-
21 tinuò cum gaudio accipit illud: non habet
autem in ſe radicem, ſed eſt temporalis: facta
autem tribulatione & perſecutione propter
22 verbum, continuò ſcandalizatur. Qui autē
ſeminatus eſt in ſpinis, hic eſt, qui verbū au-
dit, & ſolicitudo ſeculi iſtius, & fallacia diui-
tiarum ſuffocat verbum, & ſine fructu effici-
23 tur. Qui verò in terram bonam ſeminatus
eſt, hic eſt, qui audit verbum, & intelligit, &
fructum affert, & facit aliud quidem centeſi-
mum, aliud autem ſexageſimum, aliud verò
24 trigeſimum. Aliam parabolam propoſuit il-
lis, dicens: Simile factum eſt regnum cælorū
homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro
25 ſuo. Cum autem dormirent homines, venit
inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania in
26 medio tritici, & abiit. Cùm autem creuiſſet
herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt
27 & zizania. Accedentes autem ſerui patrisfa-
milias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum
ſemen

ſemen ſeminaſti in agro tuo? Vnde ergo ha-
28 bet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc
fecit. Serui autem dixerunt ei, Vis, imus, &
29 colligimus ea? Et ait: Non: ne fortè col-
ligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis &
30 triticum. Sinite vtraque creſcere vſque ad
meſsem, & in tempore meſsis dicam meſso-
ribus: Colligite primùm zizania, & alligate
ea in faſciculos ad comburendum, triticum
31 autem congregate in horreum meum. Aliā
parabolam propoſuit eis dicens: Simile eſt
regnum cælorum grano ſinapis, quod acci-
32 piens homo ſeminauit in agro ſuo: quod mi-
nimum quidem eſt omnibus ſeminibus: cùm
autem creuerit, maius eſt omnibus oleribus,
& fit arbor, ita vt volucres cæli veniant, & ha-
33 bitent in ramis eius. Aliam parabolam lo-
cutus eſt eis. Simile eſt regnum cælorum fer-
mento, quod acceptum mulier abſcondit in
farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt
34 totum. Hæc omnia locutus eſt Ieſus in para-
bolis ad turbas: & ſine parabolis non loque-
35 batur eis: vt impleretur quod dictum erat per
Prophetam dicentem: Aperiam in parabo-
lis os meum, eructabo abſcondita à conſti-
36 tutione mundi. Tunc dimiſsis turbis, venit

in

in domum : & acceſſerunt ad eum diſcipuli
eius, dicentes : Ediſsere nobis parabolam zi-
37 zaniorum agri. Qui reſpondens ait illis: Qui
ſeminat bonum ſemen , eſt Filius hominis.
38 Ager autem, eſt mundus. Bonum verò ſe-
men, hi ſunt filii regni. Zizania autem, filii
39 ſunt nequam. Inimicus autem, qui ſemina-
uit ea, eſt diabolus. Meſsis verò, conſumma-
40 tio ſeculi eſt. Meſsores autem, angeli ſunt.
Sicut ergo colliguntur zizania, & igni com-
buruntur : ſic erit in conſummatione ſeculi :
41 mittet filius hominis angelos ſuos, & colli-
gent de regno eius omnia ſcandala, & eos,
42 qui faciunt iniquitatem: & mittent eos in ca-
minum ignis. Ibi erit fletus, & ſtridor den-
43 tium. Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno
Patris eorum. Qui habet aures audiendi,
44 audiat. Simile eſt regnum cælorum theſau-
ro abſcondito in agro: quem qui inuenit ho-
mo, abſcondit, & præ gaudio illius vadit, &
vendit vniuerſa quæ habet, & emit agrum il-
45 lum. Iterum ſimile eſt regnum cælorum ho-
mini negotiatori, quærenti bonas margari-
46 tas. Inuenta autem vna precioſa margarita,
abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit
47 eam. Iterum ſimile eſt regnum cælorum ſa-
genæ

genæ miſsæ in mare, & ex omni genere pi-
48 ſcium congreganti. quam, cum impleta eſ-
ſet, educentes, & ſecus littus ſedentes, elege-
runt bonos in vaſa, malos autem foras mi-
49 ſerunt. Sic erit in conſummatione ſeculi: exi-
bunt angeli, & ſeparabunt malos de medio
50 iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis:
51 ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Intellexiſtis
52 hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo
omnis ſcriba doctus in regno cælorum, ſimi-
lis eſt homini patrifamilias, qui profert de
53 theſauro ſuo noua & vetera. Et factum eſt,
cum conſummaſset Ieſus parabolas iſtas,
54 tranſiit inde. Et veniens in patriam ſuam,
docebat eos in ſynagogis eorũ, ita vt mira-
rentur, & dicerent: Vnde huic ſapientia hæc,
55 & virtutes? Nonne hic eſt fabri filius? Non-
ne mater eius dicitur Maria, & fratres eius,
56 Iacobus, & Ioſeph, & Simon, & Iudas: & ſo-
rores eius; nonne omnes apud nos ſunt? Vn-
57 de ergo huic omnia iſta? Et ſcandalizaban-
tur in eo. Ieſus autem dixit eis: Non eſt pro-
pheta ſine honore niſi in patria ſua, & in do-
58 mo ſua. Et non fecit ibi virtutes multas pro-
pter incredulitatem illorum.

IN CAPVT DECIMVM TERTIVM.

A Num. I. ad XXIV.

In illo die exiens Ieſus de domo, ſedebat ſecus mare: Et congregatæ ſunt ad eum turbæ multæ, ita vt in nauiculam aſcendens ſederet: et omnis turba in littore, et locutus eſt eis multa in parabolis, dicens: Ecce exiit qui ſeminat, ſeminare. Et dum ſeminat, quædam ceciderunt ſecus viam, et venerunt volucres cæli, et comederunt ea. Alia autem ceciderunt in petroſa, vbi non habebant terram multam: et continuò exorta ſunt, quia non habebant altitudinem terræ. Sole autem orto æſtuauerunt: et quia non habebant radicem, aruerunt. Alia autem ceciderunt in ſpinas: et creuerunt ſpinæ, et ſuffocauerunt ea. Alia autem ceciderunt in terram bonam: et dabant fructum, aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſimum. Qui habet aures audiendi, audiat. Et accedentes diſcipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis? Qui reſpondens,

ait

ait illis: Quia vobis datum eſt noſse myſteria regni cælorum: illis autem non eſt datum. Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. Ideo in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt. Et adimpletur in eis prophetia Iſaiæ dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis: Incraſsatum eſt enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt: nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & ſanem eos. Veſtri autem beati oculi quia vident, & aures veſtræ quia audiunt. Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ, & iuſti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Vos ergo audite parabolam ſeminantis. Omnis, qui audit verbum regni, & nō intelligit, venit malus, & rapit quod ſeminatum eſt in corde eius: hic eſt qui ſecus viam ſeminatus eſt. Qui autem ſuper petroſa ſeminatus eſt, hic eſt, qui verbum audit, & continuò cum gaudio accipit illud: non habet

autem in ſe radicem, ſed eſt temporalis. facta autem tribulatione & perſecutione propter verbum, continuò ſcandalizatur. Qui autem ſeminatus eſt in ſpinis, hic eſt, qui verbum audit, & ſolicitudo ſeculi iſtius, & fallacia diuitiarum ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur. Qui verò in terram bonam ſeminatus eſt, hic eſt, qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centeſimum, aliud autem ſexageſimum, aliud verò trigeſimum.

PARADOXVM I.

Diuitiæ, voluptates, honores mundum nobis reddunt exoſum.

MORTALIVM animos cæca cupiditate præcipites ab inſano mũdi amore auocaturus interior idem, & magiſter ſapientiæ cæleſtis, eleganti parabola proponit quæ, ac quanta incommoda à diuitijs, à voluptatibus, ab inani honorum ſolicitudine, perennibus veluti è fontibus emanent in perniciem hominum præpoſtero rerum temporalium amore dependeuntium. Fures quis non auerſetur, depopulantes expoliantesque? ſaxeam duritiem humanæ prauitatis ſuis in ſordibus obdureſcentis, quis non execretur? Spinas ſuffocantes perimentesque lætas ſegetes quis non exhorreſcat? Quoniam verò expoſitione parabolæ, ipſomet auctore, & doctore Chriſto Domino, exploratum ſit diuitias,
C voluptates, honores hiſce ſymbolis adumbrari, meum erit hoc loco facere manifeſtum, iiſdem quibus vel tanquam laqueis capiuntur, vel tanquam præſtigijs decipiuntur homines, mundum nobis reddi magis exoſum, & ſupra quàm dici queat, odibilem.

Conuertamus, obſecro, oculos ad ſpectaculum illud horrendum quidem, non tamen refugiẽdum, cum Dei vindicis perenne ſit monumentum ad imbuẽdas cæleſtis inſtitutione ſapientiæ mentes omnium accommodatiſſimum: De Abſalone ſua ipſius ſuſpenſo cæſarie loquor, de quo nullæ vnquam litteræ conticeſcent, infe-
D lici æquè ac inaudito miſerrimæ exẽplari calamitatis, qui pro fune, comam capitis, quo appenderetur inuenit. Drogõ Cardinalis Oſtienſis iuuenem hunc nullis lacrymis deploratum ſatis æqua ingenij ſui lance perpendens, monitum eruit ſalutare, religioſum, ſapientia plenum, & ſanctitate: Aſſerere nanque non dubitat inueniri, aut confici minimè potuiſſe in officinis iuſtitiæ inſtrumentum aptius ad Abſalonis ſupplicium, quàm comas ipſas capilloſque capitis tàm inſani adoleſcentis. Hic iuuenis capillitio verè aureo ſpectandus, tàm ſpecioſo, tàm pretioſo, vt venales haberet, & quidem magno pretio capillos ſuos. Sic lib. 2. Reg. cap. 14: n. 26. Abſalon capillitio ſuo quæſtũ fecit.

Pon-

Ponderabat capillos capitis ſui ducentis ſiclis, pondere publico. Quis audiuit vnquam tanti fieri capillos, vt non modò vendantur, ſed etiam publico pondere? Quod inauditum mercimonij genus eſt hoc? Inſolens id, atque inauditum eſſe fatebitur Drogo: non tamen inſolens aut nouum videri debet, calamitatem, incommodum, exterminium, & aliud malum quoduis, grauiſſimum licet ac perniciosiſſimū, à diuitijs tanquam à ſuo principio, & cauſa naturali procedere. Par erat vt modo inſueto, atque inexpectato præceps rueret Abſalon, quia inaudita habendi cupiditate diuitias congregabat. Idem nimirum eſt cumulare diuitias, & inſidias ſibi ſtruere. *Abſalon*, verba ſunt Drogonis lib. de ſacram. Paſſ. Chriſt. *crines ſuos ponderabat pondere publico ducentis ſiclis; vndè in eodem crine ad arborem interijt*. Notanda attentè illa particula. *Vnde*: quæ vox eſt connexionem ſignificans cauſalitatis, vt loquuntur Philoſophi. Ego interea, ſi tu felices ducis qui rerum opulētia gaudent, & diuitijs abundant, inter eos te recenſebo ſtolidos, qui non agnoſcunt laqueos diuitiarum. Mūdus promittit amatoribus ſuis aurum, pro pretio etiam capillorum: ſed ecce tibi comæ mutantur in funes, & capilli tranſeunt in laqueos; laqueos vtiquè mortis, qui ſtrangulent miſerandum in modum. Hæreat noſtris cordibus altè ſucceſſus Abſalonis, ne obliuione capti experiamur cum Iuda, diuitias nil aliud eſſe, quàm infame ſuſpendiū.

Eodem capillo ſuſpē ſus interijt.

Expectemus pauliſper antequàm ad alia gradum faciamus, audituri monitum S. Paulini verè aureum, quia contra aurum, immortalibus omninò characteribus incidendum. Examinat enucleatiùs S. Antiſtes rationem à ſacro textu allatam, cur ſingulis annis tonderetur Abſalon, dicitur enim num. 26. *ſemel in anno tondebatur; quia grauabat eum cæſaries*. Pondus ergo, quo grauari ſe ſentiebat regius iuuenis, cauſa erat propter quam comam deponere cogebatur. Non ergo auaritiæ effectus fuit, vt volebat Drogo, ſed neceſſitas exonerandi ſe pondere, quod premebat. Niſi fallor S. Epiſcopus Nolanus, & Cardinalis Oſtienſis non diſcrepant; imò maximè cōueniunt, & idem omninò, meo iudicio, dicere volunt. Diuitiæ pondus, & quidem deprimens ad imum vſque centrum miſeriarū. vſque ad infelicitatis abyſſum, ſummi dedecoris, mortiſque turpiſſimæ, ignominioſiſſimæque infamiæ voraginem. Lege Paulinum epiſt. 4. ſic ſcribentem: *In impij capite non aliquam virtutem, ſed tantum ſarcinam capillorum ſcriptura deſi-*

Abſalonem cæſaries grauabat.

A *gnat*. Nemo crederet dicenti mihi, aurum plus oneris afferre quàm honoris; & ſi proprio auſu pronunciare auderem, diuitias præcipiti impetu deturbare deorſum, omnes me, procul dubio, exibilarent; Eo prorſus modo, quo prudentiores deriderent affirmantem, capillos capitis benè depexi comatum iuuenem plumbi inſtar deprimere, atque opprimere. Mihi ſanè fidem arbitratu veſtro denegetis; at Paulino, ſine veritatis iniuria, nullo pacto denegare poteſtis; *Sarcinam capillorum ſcriptura deſignat*. O pondus immane, quod quaſuis conterit vires, & robur etiam perdit validiſſimum! *Quia grauabat eum*
B *cæſaries*. Ita planè: ingenti gemit ſub pōdere, qui augendorum redditunm modum animo verſat; & crines auro ligati, gemmis diſtincti, vnionibus ornati proh, quāta ſarcina eſt! Deus immortalis! Pretioſæ veſtes, purpuræ, torques aurei, diues indumentum, de felicitatis culmine in barathrum deturbant calamitatum. Interrogemus Abſalonem. *Tondebatur, quia grauabat eum cæſareis. Abſalon crines ſuos ponderabat pondere publico ducentis ſiclis, vnde in eodem crine ad arborē interijt*, vel cum Paulino: *Ponderabat: in impij capite ſarcinam capillorum ſcriptura deſignat*.

Sic diuitem opes.

Sed, obſecrò, non ſimus adeo profuſi in
C vituperando Abſalone, vt praetereamus ſilentio, quod maximè in eo commendare; imò & ab eo diſcere deberemus: licet enim conſonet veritati, Abſalonem à diuitijs tanquam ab indecoro laqueo inimicæ mortis fieri captiuū, & tanquam ab ingenti onere ab auro praecipitem agi: negari tamen non poteſt regium iuuenem in ipſa ſua calamitate morum noſtrorū probatiſſimum fieri praeceptorem. Accepimus ex ſacro textu Abſalonem toties libraſſe capillos ſuos, quoties comā reſcindebat, explorator ſolicitus aequè, ac prudens, cuius ponderis eſſent capilli. Imò id palàm, & publicè fieri volebat, quaſi
D minimè contentus, ſi ſolus addiſceret, quo ſit habenda in pretio bonorum temporalium, capillorum inſtar, redundans copia. Vndè cupidus quodammodo tàm ſanctae, tàm certæ veritatis euulgandae, publicae vtilitati, non tàm mercatoris aperit officinam, quàm publicum pandit gymnaſium, ad hominum animos ſapientiae caeleſtis inſtitutionibus imbuendos. *Ponderabat capillos capitis ſui pondere publico*. Et nobis, ſi ſapimus, librandae ſunt diuitiae: Quoties diuitiae me impulerunt ad caſum? quoties velut pondus animum nutantem traxerunt ſecum per abrupta vitiorum? quoties angoribus diſtraxerūt?

quoties oppreſſerunt curis, & ſolicitudinibus obruerunt? En pondus, en ſarcina diuitiarum. Proijciantur ergo, & deſpiciantur tanquam inutiles, vileſque capilli; immo odio habeantur tanquam onus intolerabile, quod ſummo conficit taedio, & ruinae addicit praecipiti funeſtiſſimaeque.

Tale, tantumque infortunium, quantumuis ſupra quàm dici queat calamitoſum, cùm tamen contigerit inueni facinoroſo, qui ſuæ fuit ſaber calamitatis, magnam fortaſſe vim non habebit ad diuitiarum odium inſinuandum. Si Abſalon frui voluiſſet regij principatus diuitijs, & lautitijs, ſe ſe minimè turbis immiſcendo, curſum vitæ morte tam miſeranda non abſoluiſſet: Iuuenilis impetus, regnandi libido, deſiderium impotens iniuſti dominatus præcipitem dederunt Abſalonem; non autem vſus diuitiarum, quæ prudenti adminiſtratæ conſilio præcipuum ſunt leuamen humanæ calamitatis. Si res ita ſe habeat, abſtineamus à ferenda hac ſuper re ſententia, donec erudiamur ab homine cui nil aliud cordi eſt, quàm diuitias cumulare, nihil in amoribus aut delicijs præter rei familiaris augmentum: Nulla hunc mordet regnandi cura, nulla tenet honoris cupiditas; ſuis gaudet redditibus, totuſque in eo eſt, vt diteſcat in dies, nulli moleſtus, niſi ſibi auiditate acquirendi; ex his ſcilicet, qui à Rege Iſraël *viri diuitiarum* nuncupantur. Vnum ex his ad viuum exprimit in ſua hiſtoria S. Lucas Euãgeliſta, illum ſcilicet, qui quondam non modò ſupra expectationem potens, ſed ſupra votum mira frugum, fructuumque feracitate lætus, omni opum abundantia gauiſus eſt. O te felicem, niſi te copia ipſa inopem feciſſet! Nunc ſanè vero verius eſt, terram nunquam ſine vſura reddere quod accepit. Gratulabitur ſibi procul dubio redditibus tam amplis vir verè fortunatus. Verùm longè aliter ſe res habet, quoniam ſub grauiſſimo anguſtiarum põdere cor anxium ingemiſcit: Oratione non eſt opus, cùm res ad oculum pateat. Intẽdite oculos in faciem huius diuitis, & ex ipſo aſpectu deprehendetis turbatam ſolicitudine mentem, dolores inter anxietateſque naufragari. *Quid faciam?* anhelans, preſſus angoribus exclamat: quid conſilij capiat, penitus ignorat. Quid faciam? abripitur impetu perplexitatum, moleſtiarumque iactatur æſtu. Ingenioſè profectò S. Petrus Chryſologus ſerm 104. ſic habet: *Quid faciam? interrogantis vox eſt. Et quem putas interrogabat iſte? Erat in illo alter, quia ad eius penetralia iam*

Diuitiæ mẽtem angunt.

Quò magis creſcũt meſſes, creſcit anxietas.

A *diabolus poſſeſſor inſederat, & qui intrauerat in cor Iudæ, mentis eius tenebat arcanum.* Diabolus ergo non modò in homine diuite cordis regiam occupat, verùm etiam (ſi fas eſt dicere) cor eſt cordis. Hinc intelligi facilè poteſt, quales, quantæque perturbationes, afflictioneſque in eo pectore viuant, ac vigeant, niſi potiùs multiplici germinent fœcunditate, ſi diabolus ipſe mentis tam diræ tenet arcanum. Quales (heu) non pertimeſcendæ ruinæ, qualia excidia non expectanda? Hinc fortè diues iſte poſt initi trutinam conſilij ſecum ipſe decernit diruere, deſtruere, conterere, ſic enim ait: *Deſtruam*
B *horrea mea, & maiora faciam.* Siſte parumper hominum inſulſiſſime. Ergone tanta caperis dementia, vt non intelligas extremæ ſtultitiæ eſſe, ſolo æquare quae poſſides horrea nouis non excitatis? Si ſapis, extrue priùs horrea ampliora, tum conſilium capies de veteribus, & anguſtioribus deſtruendis. Verùm cur fruſtra laboramus? hominem non agnoſcitis miſerum, quem non miſeret calamitatis ſuæ: ſed oleum & operam perdimus, ſtat ipſe in ſua ſententia ſaxo durior, ſcopulo immobilior. *Deſtruam horrea mea.* Deſtructio ergo, & ruinæ cum diuitijs nexu inſeparabili coniunguntur. Animaduertite
C idem omninò eſſe in arca recondere diuitias, & debacchantium furiarum centurias hoſpitio pectoris excipere. Malignos in ſuo corde ſpiritus alit, qui theſauros congerit: velis, nolis, fateri debes ærumnoſum pœnarum infernum eſſe (quid dici, aut quid fingi peius vel calamitoſius poteſt) cor diuitis, quoniam in eo tabernaculum fixit, imò regnum diabolus ſtabiliuit. *Ad eius penetralia iam diabolus poſſeſſor inſederat; & mentis eius tenebat arcanum. Quid faciam?* Dilanior, abripior à me ipſo. *Quid faciam?* ſemper cupidus, ſemper anxius, nuſquam ſine angore, atque ſolicitudine. Nullus canis
D tanta rabie percitus, nulla tigris crudelis adeò, fera nulla adeò vorax, quæ tanto dilaniet atque dilaceret impetu, quanta crudelitate diues ipſa diuitiarum cupiditate diſcerpitur. *Quid faciam?* Satius erit S. Zenonem ſerm. de dupl. ten. gen. ſic diſſerentem excipere. *Quis non talem miſereatur? Quis non infelicitatem eius doleat? Anguſtiatur ex abundantia, conſtringitur ex opulentia, infelix in præſentibus, infelicior in futuris.* Non licet hic immorari diutiùs. Agglomerate calamitatibus huius vitæ infelicem æternitatem; addite infortunij ſeculi huius, conſecuturi etiam omnium malorum congeriem, & ſtatuite

Stultum diuitis conſilium.

Ex ipſa opulentia anguſtiatur.

ſeriò

ſeriò ipſi vobiſcum, quantum, ac quale debeat eſſe odium diuitiarum cordis compotis ſui ipſius, & rationis.

Diuitiæ fragili nituntur fundaméto.

Nos interea præpeti mentis volatu Babylonem petamus, inſpecturi denuò ſimulacrum illud toties conſideratum; ſimulacrum, inquam, dormienti Nabuchodonoſor repræſentatũ. & à Daniele c. 2. n 32. deſcriptum his verbis: *Statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porrò venter & femora ex ære: tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.* Vt verum fatear, nulla mihi videtur Prophetæ declaratio expectanda: mutum hoc ſimulacrum non inſinuat modò, ſed palàm, planiſſimèque declarat aurum, & argentum ferre ſecum immenſa pondera æris & ferri. Diſce in magnitudinis inſanae Coloſſo, vbi micat aurum, vbi ſplendet argentum; ibi pondus quod deprimit agnoſcendum: nimirum aerea & ferrea grauitate, mole laborat ſua, qui diues eſt. Et in hanc fortaſſe ſententiam de hac ſtatua ſcribens S. Hieronymus ait: *Statua aurea, & infiniti ponderis.* Sicuti animaduertitis hanc ſtatuam auream eſſe, ita non excidat mente eſſe ſimul ponderis infiniti. Accommodatè ſanè de hac eadem ſtatua philoſophatur lib. 1. de erud. int. hom. 1. cap. 33. Richardus de S. Victore in haec verba: *Nonne tibi videtur incedere ferrea planta, qui cunctis diebus vitæ ſuæ comedit in tenebris? Verè auaro nihil eſt ſceleſtius, qui nec proximo compatitur, nec ſui miſeretur. Quid iam miramur huiuſmodi hominem habere tibias ferreas, cùm habeat ferreas plantas?*

O pondus immane ſcelerum per ferrum adumbratum! Qui tanto ſub pondere gemit, quas non timeat ruinas? ruet ſine dubio præceps ſcelerum mole, quouis ferro grauiore onere depreſſus. Vis noſſe quæ ſit conditio diuitum? ne ſiſtas in capite ſtatuæ. Primò obijcit ſe ſe aurum, & argentum: Quid optabilius quàm abundare numerata pecunia? Quid lætius pallore auri, quauis purpura pulchriore? Argenti candor an non, egeſtatis fugata nocte, micat aurora veluti felicitatum? Perge porrò, & non modò æs, & ferrum inuenies, ſed lutum. Heu quàm fragili nititur fundamento machina tanta! Fingite vobis hominẽ ditiſſimum nullo alieno ære preſſum, omni ſolutum fœnore; non abundantem eccleſiaſticis redditibus, qui vix ſine conſcientiæ ſtimulis poſſunt adminiſtrari; hominem, inquam, non annuis locupletem frugibus, quas cæli inclementia non rarò minuit, & non ſemel auferunt

A iniuriae temporum; ſed ponite vobis ob oculos hominem auro, argento, certa pecunia, parataque ſemper florentem. Interrogo quid de huiuſmodi homine ſentiendum eſſe cenſeatis? Quo tandem fundamento nituntur ſplendida ſupellex, pretioſae veſtes, facti infectique auri aceruati cumuli, mobilia bona, & immobilia? Negari non poteſt terrae fragilis pugillo ſuſtineri. Scilicet tantum hoc ſimulacrum, humanae vitae regitur ſulcimento: Porrò vita noſtra fragilior vitro, folio quod vẽto rapitur debilior eſt. Irrumpet tenuis febriculae lapillus, & ſtatuam tam praeſtantem, tam nobilem, tam ſtupendam

Humanæ vitæ fragilitas.

B dicto citiùs diruet, atque proſternet. Ita planè ſtatuae contigit de qua loquimur. Verba Danielis cit. cap. num. 34. *Abſciſſus eſt lapis ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus fictilibus, & comminuit eos. Tunc contritum eſt pariter ferrum, æs, argentum, & aurum.* Si hac nocte mihi moriendum eſſet, quid afferrent emolumenti tot, tantaeque diuitiae? me ſanè immani obruerent pondere, me mille angoribus animi confunderent, me innumeris conſciſſi, diſcerptique cordis anguſtijs dilaniarent. Non aliter ac Babylonico contigit ſimulacro, quod lapilli iactu conciſum, pondere ſuo, aere, auro, fer-

C ro deprimentibus confractum eſt. Hic ego verbis vtar Caſſiodori lib. 5. Var. Ep. 44. ſic ſcribentis: *Negligatur aurum, vbi electum eſt conſcientiæ præmium: patiatur aliquando repulſam, quod ſemper auaris regibus imperabat. Ita quod per bella ſolebat quæri, amoris ſtudio declaratum eſt potuiſſe contemni.* Sapis ſi odio habendas eſſe diuitias arbitreris.

Mox dabo reſponſum ijs, qui mihi contradicunt. Vos ſine controuerſia concediitis diuitias ſceleſtis laqueum eſſe, qui interimat, tineam quae corrodat, pondus quod praecipites agat. Arbitramini tamen è contrario non poſſe ſine verita-

Damna diuitiarum nõ ſolùm improbos, ſed probos etiã & ſanctos afficiunt.

D tis iniuria negari, facultates, & bona quae vulgò dicuntur fortunae, ſi ab homine benè compoſito, & Chriſtianae virtutis ſectatore poſſideantur, neque damnanda eſſe, neque abhorrenda. In hac eſtis ſententia? Vobiſcum ſanè non ſentit Hieronymus, qui de Abrahami diuitijs verba faciens diſertiſſimè contradicit. De Abrahamo ſic habent ſacrae paginae Geneſis cap. 13. num. 2. *Erat autem* (Abraham) *diues valdè in pecore, & argento, & auro.* Percipio vim veſtrae ratiocinationis: decernitis enim in hunc modum: Da mihi Abraham tam beneficum, tam liberalem in pauperes, vt hoſpitem habuerit

Deum

A Deum ; Da mihi Abraham omni amoris terreni vinculo vſque adeo ſolutum, vt ferrum ſtrinxerit in vnigenitum, ſacerdos religioſior, quàm pater amans ; Da mihi Abraham tam ſanctum, quàm decebat eſſe eum, qui perfectionis magiſtrum habuerat Deum. Abrahami diuitiae ancillae erunt charitatis eximiae, & delectabitur cor illud animae magnae plenum, miſeris opem ferendo Dei imitari munificentiam. Abrahamo profectò diuitiae non pondus imponent, ſed praeſidium dabunt; Erigetur mens illa plena Deo ad amorem cæleſtium, non deprimetur lutea fęce mortalitatis. Quiſquis in hunc modum decernis, benè ſentis : B diſſentit tamen S. Hieronymus qui lib. 5. in Geneſ ex textu hebraeo pro verbis illis: *Abraham diues valdè*. Reponit: *Abraham grauis vehementer*. Tum addit de ſuo: *Ægypti enim pondere grauabatur: & licet videantur diuitiæ eſſe pecoris, auri, & argenti: tamen ſi Ægyptia ſunt, viro ſancto graues ſunt*. Pondus ergo diuitiarum deprimentium & Abraham ſentit. Concipi ſanè animo nequit vir ſanctior, aut religioſior Abrahamo, & tamen mirum, imò miſerandum in modum gemit ſub pondere diuitiarum. Mundi itaque, hoc eſt, Ægypti fallaces diuitiae vſque adeò onerant, vt non C modò defatigent portantem, ſed proſternant, & praecipitem agant. Seneca legendus in conſolatione ad Heluiam c. 11. ſic ſcribens: *Lapides, aurum, & argentum terrena ſunt pondera, quæ non poteſt amare ſyncerus animus, at natura ſua memor, leuis ipſe, & quandocumque emiſſus fuerit ad ſumma emicaturus*.

Quis Abrahamo ſanctior? & tamen gemit ſub pondere opum ægyptiacarũ.

Adhuc non nemini non eſt factum ſatis; Adhuc neſcio quis ſecum ipſe ſic decernit: Quis neget diuitem poſſe de pluribus benè mereri largitione eleemoſynarũ? Quis dubitet opulentos poſſe opem ferre miſeris, poſſe pupillis ſubuenire, poſſe aditum intercludere ijs ſceleribus quibus malè D ſuada fames aditum facit? Ita ſanè. Sed è contrario veritatis Euangelicae effatum eſt, facultates cum Chriſtiana perfectione pugnare. Vnde Chriſtus Dominus adoleſcenti illi Matth. 19. 21. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. Quis audet in controuerſiam reuocare pietatis opera, eaque praeſtantiſſima perfici poſſe ab homine diuite? Ita procul dubio. Sed quis ignorat eum cum Chriſto viuere non poſſe, qui reſeruat ſibi particulam diuitiarum? Sic Luc. cap. 14. num. 33. *Qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. En momenta rationum quibus mens hominis debet ad proſequendas odio diuitias inflammari. Diuitiae laquei ſunt, qui intercluſo ſancium aditu ſtrangulant. Diuitiae maiori impetu, & detrimento deſtruunt internarum virtutum aedificium, quàm Euangelicus diues ſua diruerit horrea. Diuitiae captum, captiuumque animum tradunt Daemoni. Diuitiae premunt, conteruntque. Diuitiae mentem hebetant, ne Chriſti ſapientiam percipiat. Diuitiae à conſortio, à contubernio, à diſciplina Chriſti arcent, & prohibent.

Mundus, cùm mendaciorùm ſit faber, & deceptionis architectus, proponit diuitias veluti rerum omnium optimas, & ſupra reliqua omnia exoptandas. Millies audiuimus quid Chriſto Domino contigerit in deſerto diabolica temeritate laceſſito: modò cum Chryſoſtomo animaduerto, tertio loco oppugnatum fuiſſe ſpe, imò exhibitione diuitiarum. Non vacat myſterio, quod vltimo loco bonorum temporalium promiſſo, ſeu potiùs oſtenſione malus Daemon animum inexpugnabilem debellare nitatur. Rem declarat pro praeſenti inſtituto Chryſoſtomus hom. 1. In praeſent. his verbis: *Quaſi omnibus vitijs fortiorem pecuniarum cupiditatem locauit, extremum illud reſeruans, quaſi quod omnibus valentius eſſe iudicaret*. Mundus contendit à diuitijs cor hominis maxima perfundi laetitia; ſed reuera diuitiae hominis cor centeno ſolicitudinum nexu reuinctum luctuoſo angorum carcere concludunt: Mundus magnificè iactat hominem potentem fieri facultatibus ad omnia pro libito praeſtanda; ſed, ſi veritati locus eſt dandus, diuitiae eneruato viribus animo infirmum hominem reddunt, atque imbecillem. Magnam ſanè mundus vim facit illicio diuitiarum ſed incautis & pecudum more viuentibus: at cordati viri probe tenentes diuitias eſſe laqueum, pondus, ſolicitudinem, ruinam, eò vehementiori contra mundum odio exardeſcunt.

Diuitiæ potentiſſimum dæmonis telum.

Vellem hoc loco legentis exquirere ſententiam. Adoleſcens quidam honeſto loco natus, mitiſſimi ingenij, & indolis optimae benè compoſitus, modeſtiae nitore ſpectandus, & (quod caput eſt) nulla vnquam lethalis culpę macula fœdatus, inter Chriſti diſcipulos petit adſcribi, admittendus ne videtur, an reijciendus? Et quis dubitet, niſi qui tetris ignorantiae tenebris offendatur bono in lumine veritatis, nullum hoc adoleſcente naturae tam ingenuae, Innocentiae tam rarae pro Chriſti ſchola aptiorem eſſe, aut inueniri? Quiſquis ita iudicas, arrige aures, meque

diſce.

diſertiſſimè decernentem, apertiſſiméque contradicentem excipe: palàm pronuncio iuuenem hunc, quem miris laudibus extollis ad ſidera, neque fuiſſe, neque futurum vnquam diſcipulum Chriſti. Dicti tam inexpectati ratio in promptu eſt, videlicet adoleſcens iſte natus diues, bonorum paternæ hæreditatis amore captus, ijs quæ poſſidet nuncium non remittet. Ergone ſolus diuitiarum amor, & miti ingenio, & bonæ naturæ, & morum innocentiæ, & ipſi Deo ſeruiendi deſiderio præualebit? Ita eſt. Iuuenis ab omni criminis contagione immunis in Chriſti ſcholam cupit admitti, & reijcitur. Flore ætatis luxuriante ſpinas inter prauarum conſuetudi- B num, æſtu ſecularium cupiditatum debacchante mentis innoxiæ lilium ſeruauit argenteum: & tamen reijcitur à contubernio Chriſti, eo ſolùm capite, quia delectatur ſuorum poſſeſſione bonorum. Mirum ſanè, ſed notum omnibus, nihil enim noui affero, aut inauditum. Ita planè contigiſſe teſtatur Euangeliſta Matthæus c. 19. num. 22. Hunc, obſecro, paucis alloquamur: Adeſdum iuuenum honeſtiſſimè, an non tu ille es, qui infracto animi robore rebellantium audaciam cupiditatum con-

A fregiſti? is ego ſum. An non tu ille es, qui pede inuicto cornua calcaſti iniquitatis? Is ego ſum. An non tu ille es, qui ab infernalium prædonum vbique graſſantiũ cupiditate lõgè pretioſiſſimã diuinæ gratiæ margaritam cuſtodiſti? Ita ſanè, id quoque ſucceſſit ex voto. Sed cùm agitur de bonorum omnium abdicatione, deficiunt vires, & tantæ rei me imparem fateor. Audi Hieronymum ep. 34. ad Iulianum ſcribentem his verbis: *Qui omnia ſe feciſſe dicebat, in primo certamine diuitias vincere non potuit. Vnde difficilè intrant diuites in regna cælorum, quæ expeditos, & alarum leuitate ſubnixos habitatores deſiderant.* Tantum

Quanta à diuitijs pernicies.

B ergo afferunt detrimenti nunquam ſatis vituperatae diuitiae. Eas, ſi ſapis, exue humana praeſtantior auaritia; aut potiùs proijce, deſpice, conte re ea bona, quae vera mendacia ſunt, & pericula pretioſa.

IN CAPVT DECIMVM-TERTIVM.

A Num. I. ad XXIV.

In illo die exiens Ieſus de domo, ſedebat ſecus mare. Et congregatæ ſunt ad eum turbæ multæ, ita vt in nauiculam aſcendens ſederet: et omnis turba in littore, et locutus eſt eis multa in parabolis, dicens: Ecce exiit qui ſeminat, ſeminare. Et dum ſeminat, quædam ceciderunt ſecus viam, et venerunt volucres cæli, et comederunt ea. Alia autem ceciderunt in petroſa, vbi non habebant terram multam: et continuò exorta ſunt, quia non habebant altitudinem terræ. Sole autem orto æſtuauerunt: et quia non habebant radicem, aruerunt. Alia autem ceciderunt in ſpinas: et creuerunt ſpinæ, et ſuffocauerunt ea. Alia autem ceciderunt in terram bonam: et dabant fructum, aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſimum. Qui habet aures audiendi, audiat. Et accedentes diſcipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis? Qui reſpondens, ait illis: Quia vobis datum eſt noſse myſteria regni cælorum: illis autem non eſt datum.

tum. Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. Ideo in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt. Et adimpletur in eis prophetia Iſaiæ dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis: Incraſsatum eſt enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt: nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & ſanem eos. Veſtri autem beati oculi quia vident, & aures veſtræ quia audiunt. Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ, & iuſti cupierunt videre quæ videtis, & non viderũt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Vos ergo audite parabolam ſeminantis. Omnis, qui audit verbum regni, & nõ intelligit, venit malus, & rapit quod ſeminatum eſt in corde eius: hic eſt qui ſecus viam ſeminatus eſt. Qui autem ſuper petroſa ſeminatus eſt, hic eſt, qui verbum audit, & continuò cum gaudio accipit illud: non habet autem in ſe radicem, ſed eſt temporalis. facta autem tribulatione & perſecutione

propter

propter verbum, continuò ſcandalizatur. Qui autem ſeminatus eſt in ſpinis, hic eſt, qui verbum audit, & ſolicitudo ſeculi iſtius, & fallacia diuitiarum ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur. Qui verò in terram bonam ſeminatus eſt, hic eſt, qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centeſimum, aliud autem ſexageſimum, aliud verò trigeſimum.

PARADOXVM II.

Honor & voluptas mundum nobis reddunt exoſum.

HÆRET adhuc animo ſpectaculum atrox, quod initio paradoxi proximè præcedentis exhibuit horrẽda mors Abſalonis in narratione ſucceſſus tam miſerandi, ex ſacro textu didici non caruiſſe teſte mortem regij iuuenis: aderat miles neſcio quis, cum Abſalon arrepta fuga, exercitu profligato, fortè in quercum incidit, & circunſepto ramis multiplicibus annoſæ arboris capite, reſtitit comæ ſuæ ſatellitio captus captiuuſque. Deus immortalis! qui tantus præſentis militis ſtupor? quæ tanta hominis inconſulti deſidia? Accurre velox, quid moraris militum inertiſſime? nonne vides tuum principem proditum ab infortunio? quid ergò cunctaris? ſi miles hic properaſſet feſtinus (ecquid obſecrò facilius?) ad ſubleuandum pendentis pondus corporis, tanta facilitate Abſalon à mortis faucibus fuiſſet ereptus, quanta euoluuntur capilli, cum labyrintheos inter anfractus frondium incipiunt agglomerari. Eſt omnibus exploratum benigniſſimi parentis Dauid imperium?
C Notum eſt delicta iuuentutis à Dauid viſcera patris auferre minimè potuiſſe: In ore omnium erat repetitum à Rege ſæpius: *Seruate mihi puerum Abſalon.* lib. 2. Reg. cap. 18. num. 5. Ingenioſè Abulenſis quæſt. 13. in hunc locum, militem excuſat: putat enim militem non à ſtupore mentis reprehendendum, ſed laudandum à reuerentia, ſe quippe humili loco natum, peditem, militem gregarium non ignorabat propterea ſuum tangere principem formidauit, vnde citato gradu acceſſit ad Ioab equitem ingenuum, & claris ortum parentibus vt ea qua par erat honorificentia Abſalon attrectaretur ſicuti prin-
D cipem decet. Do verba Abulenſis citati. *Quia Ioab poterat honorificentius comprehendere Abſalonem, qui erat filius regis; & non decebat quod caperetur ab alijs viris minoris ſtatus, ne videretur eſſe vilipenſus, vocauit Ioab.* O egregium mundani fructum honoris! Dum exiſtimationi regiae ſtirpis conſulitur, Abſalon perit inhonorus; & qui poterat viuus eſſe captiuus patris, fit mortuus præda interitus turpiſſimi: ergo regis filius ſuſpendio tollitur è medio, ob præſtitum à milite obſequium? Abſalon à patibulo non eripitur, quia id prohibet honor debitus Abſaloni? Heu dementiam! nullis vnquam lacrymis proſequendam ſatis. Atque hic ego, quod

Abſalon mortem euaſiſſet niſi e tempeſtiuũ honoris exhibendi ſtudium militem ab auxilio ferendo retardaſſet.

ſecun-

ſecundo loco propoſueram, pro tenuitatis meæ modulo confirmabo: Mundum reddi nobis ab honore, ſupra quam dici aut credi queat, exoſum.

Placet referre quod de Iulio Cæſare in Æpypto bellum gerente monumenta veterum prodiderunt. Hic Imperator ſuperba veſte delectabatur adeò, vt etiã in acie, imò in ipſo conflictu purpura indueretur. Accidit vt congredientibus exercitibus in maximo furore certaminis agnitus fuerit ab hoſtibus imperator, quem tegere non poterat purpura quin proderet: Ad Cæſarem igitur tanquã ad ſcopum acies inimicæ dirigebant omnes vires ſuas, quapropter domita ceruice ſuperbiæ Cæſar non modò purpuram exuere coactus eſt, ſed fugæ ſe ſe committere, & vix natando euaſit periculum. Ægyptij interea in Cæſarianas copias ſæuientes, dum hac illac excurrunt imperatoris purpuram inueniunt, ex qua trophæum erexerunt ad deludendam Cæſaris ſuperbiam, mille inſanientis vulgi dicterijs exhibilatum circumferentes. O honorem mundi, ab ipſis mundi amatoribus deriſum! O honorem mendacem, miſerum infortuniorum ſcopum, quo collineant ictus omnes calamitatum, eo planè modo, quo chlamydem Cæſaris petebant Æpyptij! Quàm religiosè, quàm ingenioſè pro re præſenti diſſerit Beatus Laurẽtius Iuſtinianus de triumphali Chriſti agone cap. 14. his verbis: *Quis in aſpectu primo potentum ſeculi non appeteret faſtum? Quidquid in ipſo eſt arridere, atque virere creditur. Accede autem propius, diligenter conſidera quantis intus agitetur curis, quale etiam foris præferat germen inutile, & citò periturum*. Quid optabilius dicunt rerum ignari, quàm dare populis iura? Quid felicius, quàm nobilium circumſtipari corona? Quid carius, quàm lectiſſimo exercitui imperare? Primæ Reipublicæ dignitates, principatus, imperia faciunt in hac vita beatũ. Quiſquis es cui iſta videntur vera, micantis nitore purpuræ obcæcaris. *Accede propius, diligenter conſidera quantis intus agitetur curis*. O qualia, quàm præſentia, quàm ineuitabilia diſcrimina latent ſub purpura Cæſaris, donec eam ipſe exuat in maximo, certiſſimoque verſatur periculo, adeò vt in vlnas deſperatæ fortis proijcere ſe ſe, aſylum putet.

Purpura Cæſarem prodit.

Verum non ſine veritatis iniuria mendicamus à profana litteratura poſitionis noſtræ probationem, quam longè clarius ſacræ hiſtoriæ monumenta confirmant. De Herode in actibus Apoſtolorum legimus quo pacto ipſo maximæ lætitiae ſolẽni die cũ regiae maieſtatis ſederet in throno ab inſolenti cordis ſui audacia, & ab adulatione vulgi (qui nequiſſimi ſunt artifices ad corda principum deprauanda) diuturnum & felicitatum omnium cumulo auctum promittebatur imperium, cum ecce tibi è caelo vltor Angelus Herodem fulmine ictum proijcit in ſinum putredinis fœdiſſimae, adeò vt corpus immundum viuens adhuc factum cadauer à vermibus voraretur. Vtinam perciperemus aliquando honores ſummos cõterminos eſſe ſummis calamitatibus. Conuertite oculos in Herodem mundanae felicitatis amatores, & coniungite auro coronatum caput, & ictam fulmine ceruicem. Suſpicitis thronum? at cur non perhorreſcitis feretrum? purpuram admiramini? at cur pullam veſtem non conſideratis? Dò verba textus Act. c. 12. n. 21. *Herodes veſtitus veſte regia ſedit pro tribunali. Populus autem acclamabat. Confeſtim autẽ percuſſit eum Angelus Domini: & conſumptus à vermibus expirauit*. Vſque quo graui corde non intelligitis blandientium honorum mentitas fallacias, veras miſerias. *Accede propius diligenter conſidera quãtis intus agitur curis*. Tot profectò curis quot fingit Chimæras ambitio; tot curis, quot morſibus venenato dente lacerat inuidia; tot curis, quot motibus agitatur meticuloſa mens dominantis. *Accede propius*. Nos interea ab icti fulmine Herodis ſpectaculo oculos non auertamus tam ſubito. *Confeſtim percuſſit eum Angelus Domini*. Non longo temporis ſpatio ſua ſe iactauit in aula Herodes, ſed dicto citius regij maieſtatem palatij cum ſepulchro commutauit; Imò vero hoc ipſum, quod tamen malorum maximum eſt, feciſſet forſan patientia tolerabile, ſi pietatis humanae extremis officijs minimè carens, fuiſſet terrae mandatus. Vidit ſuiſmet oculis ſe ſimul funeſtum ſpectaculum, & miſerabilem ſpectatorem diſſectis dilaceratiſque vermium infelici fœcunditate pullulantium, carnibibus, & conſumi putredine, & auro oſtroque fulgere execrandi exuuias corporis diſciſſas deuorataſque. Vnum in primis contemplantem animum tenet attonitum: Angelum videlicet dexteram armaſſe, vt ſellam ipſam maieſtatis adoratae faceret carnificinam. Ergo beatae ipſae mentes ad tutelam mortalium deſtinatae hoſtes fiunt atque implacabiles perſecutores: Vt pro comperto habeamus documento è caelis delapſo, mundi honoribus infenſos eſſe etiam Angelos, hoc eſt, nuncios ipſos, imò principes pacis, qui quaſi tranquillitatis qua

Herodes dũ ambit honores indebitos ab Angelo punitur.

ſruuntur obliti, armantur vt deijciant cupidos dignitatum. Quanquam mundaui honores temporis breuitate momentanei non eſſent; quanquam non perturbarentur mille, quas ſerunt ſecum, anxietatibus: certum tamen eſt caelo eſſe inuiſos, certum eſt odio haberi à magnatibus curiae immutabilis. *Confeſtim percuſſit eum Angelus Domini*. De hoc Herodis exitu, vel potiùs excidio eleganter loquitur Ioſeph Hebræus apud Rupertum Abbatem libro 8. in Apocal. in lib 19. de antiq. cap. 7. his verbis. *Vbi primos ſolis radios argentea Herodis veſtis gremio ſuſcepiſſet, repercuſſo ſplendore duplicatam ſpectatibus lucem fulgore metalli vibrantis effudit, per hoc quod artifex arrogantia mentiretur, illicò adulantis vulgi concrepant voces honorem ſonãtes, ſed exitium ferentes*. Nexus hic, quem extrema indicant verba, exitium inter acclamationes ſanctãs, ſedulò perpendendus eſt; dum ad alia gradum facio. Ioannes Redẽptoris dilectione ſingulari non ſolum felix, ſed etiam reuerendus, à ſenſibus abalienatus vidit indutã purpura mulierem equitantẽ ſuper equum purpureis pariter ornamentis conſpicuum. Siſtite, monet Ambroſius, & in hanc mulierem mentis oculos conijcite, vt tanquam in emblemate, qualis ſit honor cuius ambitu deperęũt mundani, liquido deprehendatis. Symbolum ſanè accommodatum pro re noſtra fortaſſe, quia ſicuti mulier equo vecta virium imbecillitate, & flectendarum imperitia habenarũ equo moderando impar momentis ſingulis periclitatur: ita planè maximae dignitates ne momento quidem temporis ſunt ſecurae. Muliere equitante quid formidoloſius? quid tam expoſitum ruinae praecipiti? quid tam proximum lapſui? ramuſculi obiectu, ictu ſclopi, vmbra caſpitis perturbatus equus ſubſultat, & in ictu oculi ſeſſus furijs ſedentẽ excutit: Ecce tibi mulier illa, quae ſuperba gradiebatur pompa phalerato equo, quaſi in triumphũ ducta, proſtrata in terram equi eiuſdem proteritur pedibus, & morſibus lancinatur. Agnoſcite tanquam in typo imaginem mundani honoris ad viuum expreſſam. Verba Io. Apoc c. 17. n. 3. *Vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineã. Et mulier erat circundata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis*. Ioãn. rei nouitate attonitus obſtupuit, cũ Angelus è cælo delapſus interrogat: Quid miraris? an myſterium ignoras? pro cõperto habeas beſtiã hanc magnis paſſibus, citatoque curſu ruere in mortẽ, in ruinam, in excidium. *In interitum ibit*. Notio huiuſmodi data Ioãni non auſert admirationem, ſed auget; imò ingerit animo confuſionem. Quomodo conueniunt ſponſae ſplendidè gradientis magnificentiae, cum indomita deterritae belluae ferocitate? Reſponſum dabit Ambroſius in hunc locũ his verbis: *Purpura & coccus ſunt veſtimenta regalia. Purpura igitur, & coccus ſanguinis ſpeciem habent quia potẽtia ſecularis mortifera eſt, & periculum ſempiternum affert*. Dignitas mundi videtur ſponſa, ſed re vera furia eſt: Nitet primo aſpectu purpura, ſed re ipſa tincta eſt ſanguine: creditur ad nuptiales ducere lautitias, ſed immittit in lanienam feritate poſt hominum memoriam inaudita. *Accede propius diligenter conſidera quantis intus agitetur curis*.

Angeli honoris mundani inimici.

Honos & exitium ſecum copulantur.

Honoris infelicitas.

Ignoratur à nemine quod in mõte Thabor Seruatore noſtro induente ſe veſtibus gloriae contigit, tunc quando ſuperni fulgor lucis vſque adeò Petri mentẽ obcæcauit, vt dum ſermo de cruce, & de paſſionis exceſſu habebatur, non potuerit ſe continere quin manſionis tam iucundae peteret ſtationem, vndè factus à cupiditate animoſior ait: *Domine bonum eſt nos hic eſſe*. Obſecro Domine miſſæ fiãt ignominiae crucis, Caluarij recedant dedecora, proditiones, vulnera, caedes procul: hic caeleſtes inter plauſus, inter hominum ſuperumque obſequia tabernaculum nobis figendum eſt. Verùm Apoſtolorum Principem ſummus rerum parens Deus apud S. Proculum in hunc modũ interpellat orat. de Transfig. *Quid Petre bonum eſſe locum ais? tui ne ipſius oblitus es? conſtitui te caelorum clauigerum: & nondum audaciam nauticam exuiſti*. Quaſi diceret: Petre fieri ne poteſt, vt tãta te tui ipſius capiat obliuio? Supernae Hieruſalem adamantinae portae tuae ſunt traditae fidei, & tu cuſtos cum ſis caeleſtis arcis, mauis terrenis hærere ſordibus, quàm cælum petere? oblati à Deo muneris dignitatem ſic ſpernis? Deum ipſum beneficentiſſimum largitorẽ tam parui facis? Dignus enimuerò reprehenſione Petrus quippè qui torrente voluptatis à ſe ipſo abalienatus honorem triumuiratus reparationi humani generis anteponere non dubitauit. Probè teneo Apoſtolico cordi, & multò magis principi Apoſtolorum crucis aſperitatem tranquillitate quietis cariorem eſſe debere, potioremque: Probè teneo à diſcipulo Chriſti præponendam eſſe Caluarium ignominiarum officinam, monti Thabor celſitudinis throno honorumque theatro: adeoque merito ab Euangeliſta Marco inſcitiae reprehenditur Petrus cap. 9. num. 5.

Honoris ſpecies Petrum demẽtauit.

num. 5. *Non enim ſciebat quid diceret.* A Vnom illud fateor non bene percipio, qua de cauſa audacia nantica Petro objiciatur. Hoc loco non videtur ad rem: *Nondum audaciam nauticam exuiſti.* Verum niſi fallor, latet hic plena acumine ſententia, plenum vtilitate documentum. Attendite diligenter idem eſſe appetere honorem dignitatum, & pelago ſe ſe committere. Qui ſe ad ſublimia extollit, aleam ſubit maris iactari turbinibus. Nitere ſceptro, fulgere purpura, culmen putas felicitatum; ſi ſapis, voraginem crede omnium calamitatum. Tam temerarius eſt, qui honores quaerit, quàm piſcator nauticae artis imperitus, qui minimi incertique cupiditate lucri deceptus, B ſine malo, ſine clauo, ſine remo, ſine vllo nauticae praeſidio fidit ſe ſe aequori altercantium vndarum iurgijs inquieto. Petre, ſi neſcis, infularum coronarumque nitores ſunt ſicuti irati caeli fulgetra, quæ minitantur potiùs quàm illuminent. Petre recordaris vndarum in ſidera minitantiũ conflictu ventorum, iiſdemque reflantibus momento temporis relabentium in ſinum immenſae profunditatis? Tales omninò ſunt principes honorum ſedes. Tuo Petre experimento didiciſti ventorum praelia praeteruolantium citiſſimè, ac ferociſſimè congredientium: Tales omninò ſunt C huius ſeculi præeminẽtiæ. In re tanti momenti ne decipiaris. *Accede propius, diligenter conſidera quantis intus agitetur curis.* Famulantium multitudo, obſequia exhibita, adulantium blandimenta, perſonatam repræſentant honorum faciem, adeo vt humana ſuperbia ad inſaniã vſque eorum amore deperire quodammodo videatur: at qui cordatus eſt, qui rerum momenta aequa iudicij lance perpendit, facile intelligit, reuera nil aliud eſſe quàm inquietum mare dolorum, diſcriminumque; mare obſitum ſcopulis, inficiosum Syrtibus, infame naufragijs. *Nondum audaciam nauticam exuiſti.* D Id fortaſſe innuere voluit inuentum illud antiquum cõficiendi coronas Imperatorum nauium inſtar: Videlicet imperantis corona formã nauis repraeſentabat, vt praeclarè teſtaretur dignitates, honoreſque tam inſtabiles eſſe & ludibrio tempeſtatum expoſitas, quàm nauis quae curſu rapido immenſa oceani ſpatia dimetitur: Quot monſtra mare nutrit, tot funera fouet ambitio; Nauigat qui eminet, & naufragio proxima dignitatis maieſtas eſt. Meritò igitur Petrus arguitur: *Nondum audaciam nauticam exuiſti.*

Honorem ambientes inſtar ſunt nauiæ imperiti pelago ſe committentis.

Maximè accommodata eſt huic inſtitu- A to allata à Seneca ſimilitudo à tectis auro laquearibus petita. Vidiſti in principum palatijs fulgentia auro laquearia: ſed neſcio an vnquam perpenderis ligna ignobilia, & trabes annoſas ſub illis tanto ſtudio elaboratis ornamentis latitare. Blanditur oculis aurũ, eaque pompa fit adſpectantibus ſatis, ſed tinea lignum corrodens non videtur. Hinc diſcite quales ſint mũdi honores, rapiunt primo intuitu oculos animoſque; intus verò nihil integrum, nihil incorruptum, nihil non putridum, nihil non turpe, nihil non conſumptum, & fœdum. Verba Senecae Ep. 115. ea ſunt. *Cum auro tecta perfundimus, quid aliud* B *quàm mendacio gaudemus? ſcimus enim ſub illo auro fœda ligna latitare. Nec tantum lacunaribus ornamẽtum prætenditur. Omnium iſtorum quos incedere altos vides bracteata felicitas eſt. Inſpice & diſce, ſub iſta tenui membrana dignitatis, quantum mali lateat.* Vidimus omnes ſcenas in quibus hiſtriones fabulas dant, ſi procul aſpexeris ſuperba ædificia, & regias ædes iudicabis: Mera & vera ſunt mendacia, quæ magna cum voluptate detinent, ſed maiore cum detrimento decipiunt. Accede propiùs, diligenter conſidera, & manu tanges, qui tractus dimenſionis videbantur immenſi, nihil aliud eſſe quàm C radioſa lineamenta, ſpatium circunſcriptum, ignobile, obſcurum, breue concludentia, intra quæ ſi longo temporis ſpatio vitam traducere cogerentur actores, viuere anguſtia, & incommoditate loci non poſſent. *Inſpice, & diſces quantum mali lateat.* Nos ergo qui liquido iſta cognoſcimus, erudiamus miſeros illos tanta mẽtis caligine excæcatos, vt dignitatum cupiditate inſanire quodammodo videãtur: Vtinam adeſſent omnes illi quorum idolum honor eſt, & ſecum ipſi ſtatuerent à dignitatibus tanquam à funeſta face procedere vitæ, animæque iacturam; inſtar pelagi agitari tempeſtatibus, abundare mon- D ſtris, occupari ſcopulis, naufragijs infeſtari; dignitates ſtatuerent perſonatas, quæ amabili oris habitudine innumeras condunt centurias miſeriarum. *Accede propius diligenter conſidera quantis intus agitetur curis. Inſpice & diſces quantum mali lateat.* Ego ſanè, vt mei me admoneam muneris, redigo mihi in memoriam monitum illud quo Paulus Apoſtolus Corinthios docuit, quæ in hac re Chriſtiani hominis partes ſint; ſic autem ſcribit breuiſſimo quaſi concludens epilogo ea omnia quæ poſſunt afferri ad odio habendas fugientis ſeculi dignitates 1. ad Cor. c. 7. n. 29. *Præterit enim figura huius mundi.*

Honorum verè eſt bracteata felicitas.

Honor ſimilis ſcenæ.

Similis figuræ.

Non dico mundum irrequieto ſeculorum decurſu citiſſimè labi, & concupita eius bona fumi inſtar euaneſcere: quemadmodum ſcripſit Euangeliſta Ioannes epiſ. 1. cap. 2. n. 17. *Mundus tranſit, & concupiſcentia eius.* Non dico mundum eſſe plenum cupiditatibus prauis, & ferali vitiorum abſumi incendio, quod veriſſimè docuit c. 2. n. 16. *Quidquid eſt in mundo aut concupiſcentia carnis eſt, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Profitetur Paulus non loqui ſe de prauis cupiditatibus; profitetur ſe non facere mentionem de periculis, & aerumnis; profitetur ſe non congerere ſimul incommoda, & damna quæ à mundo tanquam à fonte perenni emanant: ſed ad accendendos hominum animos odio contra mundum implacabili breuiſſimè dicit: *Præterit figura huius mundi*. Ex Graeco textu Caietanus pro verbo, *præterit*, legit: *ſeducit, decipit*. Honores mentiuntur & fallunt, dignitates deludunt, & perdunt. Et licet haec omnia deeſſent, ſatis ſuperque mundum nobis facere deberet exoſum ea cõſideratio, quod ſit præteruolans figura. Apparet, non eſt; Perſonata fallit rerum imagine, & quod caput eſt, citiſſimè velociſſimeque euolãte, inaniſſimus & mẽdaciſſimus præſtigiator. Audiendus attentè Theophilactus in hunc locum ſic ſcribens: *Mundi verò ideo dixit figuram; quia eius bona ſolo terminentur aſpectu, & apparentia ſint*. Dignitates fucum faciunt, cum veræ miſeriæ ſint; Honores fictæ rerum ſpecies, ſed certiſſimè ſolicitudines, & acerbiſſimæ calamitates. Dediſcamus ergo mũdi amorem tanto cum detrimento decipientis.

Voluptas in amaritudinẽ conuertenda.

Venio iam ad voluptatem, quae rerum momẽta aequa iudicij lance libranti ſuadebit facilè, mundo & delicijs nuncium remittendum. Vidit id in moleſtiarum gymnaſio, angorumque ſchola diſcipulus Dei, & patientiae magiſter Iob c. 20. n. 14. inquiens. *Panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidum*. In quem textum Gregorius lib. 15. moral. c. 6. qua ſolet pietate, & elegantia ſic ſcribit: *Panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidum intrinſecus; quia ſatietas trãſitoria delectationis in retributionis fine ad amaritudinem vertitur.* Imò ad vberiorem explicationem addit: *Panis iſte aliud in ore ſapit, ſed aliud in vtero; quia tranſitoriæ delectationis lætitia dulcis eſt, cum hic quaſi mandendo agitur, ſed amareſcit in vtero, quia peracta lætitia deglutitur ad pœnam*. Nota illud *quaſi*: non modò enim infelici clauduntur exitu voluptates: verum etiam non reficiunt re ipſa, ſed *quaſi dulcis lætitia mandendo agitur*. Opportuniùs monebit S. Cyrillus Alexandrinus hom. 2. Paſchali decernens voluptatem videri melleam, felleã eſſe. Quærit enim cur olim à Dei ſacrificio mel arceretur? & reſpondet in hunc modũ: *Mellis oblationem abnuit: Voluptatis enim hoc quoque ſymbolum eſt; dulcis ſiquidem videtur eſſe adiuncta vnicuique peccato voluptas, ſed exitum bile amariorem ſortitur.* Papae quã ſuauiter veſcitur qui voluptate recreatur! Ergo angoribus concluditur voluptas, ex vna parte amaroribus vitae huius, ex alia amaritudinibus ſeculã conſecuturi, amara in futura aeternitate, ſi Gregorium audis; amara item in hoc decurſu mortalitatis, ſi credis Cyrillo: vtrumque cõiungit Hugo Carenſis ex Salamone Prouer. c. 7. n. 17. vbi meretrix ſic loquitur: *Aſperſi cubile meum myrrha & aloë & cynnamomo*. Ipſa fatetur meretrix plus ineſſe amaritudinis, quàm voluptatis delicijs ſuis. Animaduertit id Hugo citatus in haec verba. *Nota quod tres ſpecies aromaticas nominat, duas amaras, & vnã dulcem, in quo notatur quod in carnali opere plus eſt amaritudinis quàm delectationis; vna amaritudo pertinet ad præſens ſeculum, altera ad futurum*. Accommodatè ergo cum Gregorio, & Cyrillo concludit Hugo ex Salamone veriſſimè, fellea eſſe, quae melle ſuauiora perhibentur: Neque enim aliud ſignificat meretricula à Salamone introducta ex Philonis ſentẽtia lib. de mundi opificio ſcribentis: *Omninò ſcire oportet, quod voluptas tanquam laſciua meretricula amatorem appetit*. Vnde exclamo cum Ambroſio exhortat. ad virginem lapſam c. 70. *O quam amarus fructus luxuriæ, amarior felle*. Exclamo cum Hieronymo epiſt. ad matrem & filiam. *O ignis infernalis luxuria, cuius materia gula, cuius flamma ſuperbia, cuius ſcintillæ praua colloquia, cuius fumus infamia, cuius cinis immunditia, cuius finis gehenna*.

Mel à ſacrificijs reiectum, quia ſymbolũ voluptatis.

Fructus voluptatis felle amarior.

Quæ cum ita ſint meritò voluptuoſorum hominum conditionem planè miſeram deplorabimus, dicemuſque cum B. Laurentio Iuſtiniano de ſobrietate cap. 2. *ſeruiunt itaque voluptatibus, non fruuntur, & mala ſua, quod malorum eſt vltimum, amant*. Et quæ mala, quàm grauia, quàm pernicioſa, Deus immortalis! Hæc ſi neſcis, audi à S. Baſilio veriſſimè, & diſertiſſimè in hunc modum enucleata lib. de vera virginit. *Voluptas veluti fons quidam à carne profluit, carnalique limo omnia adimplens, ac torrentis inſtar per ſenſuum feneſtras in carnis æſtus celeriùs refluens, animam perturbationum fluctibus quatit, atque in profunda demergit.*

Voluptas torrens eſt limo & ſordibus omnia fœdans.

Egre-

A Egregium enimuerò delectantium blandimentorum genus id eſt. Aut certè quales ſint voluptates audi ex S Bernardo opuſc. de charitate cap. 15. ſic ſcribente. *Quàm fallax, & deluſoria ſit illa pernicioſa felicitas, quam plerique in carnis voluptate conſtituunt in libro experientiæ legitur inceſſanter dum citò præterit quod delectat, & permanet ſine fine quod cruciat. Sed de talibus lugendum potius ſentio, quàm loquendum.* Dum ad lacrymas prouocat plenus Deo Bernardus geminos ex ethnicorum ſchola profero teſtes, vt iſtorum etiam verbis vtens loquar, vt Chriſtianum hominem decet. Plutarchum audiamus ex quo lib. de ſalubribus præceptis

B hæc diſcemus. *Quomodò axillarum titillationes non genuinũ, neque placidum, vel iucundum præbent animo riſum, verum ſpaſmo ad ſimilem, ac moleſtum; ita etiam quæcunque extimulatum ab animo protelatiſque accipit corpus delinimenta, infeſta, turbulenta, atque ab natura ſunt remota.* Nihil ergo non turbulentum, infeſtumque in blandientiũ titillationum illecebris homo deſtitutus cæleſtis ſapientiæ lumine agnoſcit, ac prædicat. Maiori fortaſſe cum emphaſi quod contendimus Seneca declarabit ducta à ferarum ſilueſtrium venatu ſimilitudine ingenioſa, & ad rem noſtram vnicè facta. Sic autem ſcribit de

Voluptas inſtar ferarum, quas dum venando capimus, ſæpe ab illis capimur.

C vita beata cap. 14. *Vt feras cum labore, periculoque venamur, & captarum quoque illarum ſolicita poſſeſſio eſt: ſæpe enim laniant dominos: ita habenti magnæ voluptates in magnũ malum euaſere, captæque cepere; quæ quò plures maioreſque*

A *ſunt, eò ille minor, ac plurium ſeruus eſt, quem felicem vulgus appellat.*

Verùm pudet me ab ethnicis erudiri, vt intus & in cute deprehendam quid æquo rerum æſtimatori de voluptatibus ſit ſentiendum. Magiſtrum habeo Richardum in Chriſtianæ ſapientiæ exedris probatiſſimum: habeo Gregorium Nazianzenum eloquentiæ, & pietatis commendatione celeberrimum. Accipe Richardum tractatu de exterminatione mali cap. 17. vbi exponens quid ſignificet illud è ſacris litteris eccl. c. 1. n. 7. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat.* ſic habet. *Quid eſt inferiores aquas in mare

B decurrere, atque deficere, niſi carnales & infirmas delectationes in dolorem trahere, & pænitendo extinguere.* Acrior eſt, & ad mouendum animum vehementior allata à Nazianzeno ſimilitudo, ſic enim fatur in laudem Gorgoniæ. *Nec verò benignitatis, ac beneficentiæ præſidio ſubnixa, delicijs & effrenatis ventris voluptatibus perinde atque inſano cuipiam cani, & dilanianti corpus tradidit, quemadmodum plerique facere ſolent.* Ergo amarores inter & ſcopulos abſorbet malè ſuada voluptas pelagi inſtar frementis, & furentis. Ergo carnis illecebræ rabie canina dilacerant. I nunc, & mundum amo-

C re proſequere: ſit tibi in delicijs mundus, qui diuitijs allicit, honoribus blanditur, delectat voluptatibus. Allicit vt liget, blanditur vt decipiat, delectat vt perimat.

Videri poſſunt quæ ſupra dixi in cap 8. à n. 28. ad vltimum, Paradoxo 15.

IN CAPVT DECIMVM TERTIVM.

Num. XXV.

Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & ſeminauit zizania in medio tritici, & abiit.

PARADOXVM III.

Peccatũ ſemper cum timore, peccator nunquam timidus.

SALVTIS noſtræ hoſte infenſiſſimo ſemper vigili, & fœderis neſcio, quàm mirum, imò quàm miſerũ eſt in vtramque aurẽ homines dormire. Vel proindè meritò poſſem in præſentia verbis Auguſtini in pſal. 62. monentis: *Cauere debemus, ne anima noſtra dormiat: malus enim eſt animæ ſomnus. Somnus animæ eſt, obliuiſci Deum ſuum. Quæcunque anima oblita fuerit Deum ſuũ dormiuit: vita enim veſtra, & mores veſtri vigilare debent in Chriſto.* Vtinam non multi lethali huiuſmodi ſomno correpti ſterterent. Nullis planè lacrymis ſatis deflenda conditio, ſeu potiùs exaceranda ſemper dormientium peccati ſomno calamitas, qui omni metu poſthabito quieti dormiunt, & ſecuri. Cum ergo timere qui nouit, peccare deſinat, ne diù peccator ſis, timere diſcas: Diſces autem intelligendo, timorem ſeparari à peccato non poſſe. In hanc ergo gratiam duo hoc loco proſequor: peccatorem nunquam timidum eſſe; & peccatum ſemper cum timore coniungi.

Occurrit ante alios S. Zeno exemplum Caini elegantiſſimè adducens in medium ſerm. de timore, his verbis: *Miratur orbis vacuus ſe duobus anguſtum, mirantur elementa hominem, qui factus ſit ad imaginem Dei poſſe iugulari, & hoc à fratre; erubeſcit terra rudis pio ſanguine impiata: ſolus Cain exultat infelix, quod teſte careat, putat ſe caruiſſe facinore, quem Deus videt, quem conſcientia coarguit, quem fratris ſanguis accuſat.* Proh ſcelus! facinore tam immani patrato non timet Cain; Horreſcit terra, quatiuntur elementa, concuſſæ conteruntur ſenſu carentes creaturæ, *Solus Cain exultat infelix.* Peccatum ſecum trahit neceſſario timorem: ſed Cain ideò peccator, quia perculſo metu orbe terrarum, timere non nouit. Inſcribe cordi characteribus pluſquàm adamantinis cæleſte monitum, Eccl. cap. 18. num. 26. *Homo ſapiens in omnibus metuit.* Si in omnibus, quantò magis irato Numine, quantò rectiùs, offenſo Deo; quantò conuenientiùs præpotente rerum domino contemptò, ac conculcato. Exclamet hic idem Zeno, *O neceſſarius timor, qui nihil aliud agit, niſi vt beatos efficiat!* Copioſiùs Auguſtinus ſermone 120. poſitionis noſtræ veritatem ex funeſtiſſima rerum omnium commotione, Chriſto moriente deducit in hunc modum: *In media paſſione Domini cæleſtia, & terreſtria turbantur, lux cum nocte miſcetur, elementa quatiuntur: terra ipſa concuſſa à fundamentis ſuis tanquam ad ſcelus proprium contremiſcit. Et quæ duritia cordis humani!* Vis ſcire quantum timorem ſecum trahat peccatum? Aſpice quæ ſit rerum facies Chriſto moriente, palleſcit Sol, ſaxa rumpuntur, confracta penè concidunt elementa, tota mundi machina quaſſa concutitur. Et inter hæc Phariſæus exultat; Inter hæc Ieroſolyma quaſi hoſte profligato tripudiat. O præpoſteram peccatoris ſecuritatem! Plena timoris eſt peccati nequitia, & ſimul etiam (quis credat?) plena ſecuritatis, imò temeritatis conſcientia peccatoris. Iſtos dùm deridet meritò, admonet opportunè Hildebertus Cenomanenſ. epiſ. 15. in hunc modum: *Deum, quem merentur iudicem, ſperant miſe-*

Cain ideò peccator, quia non timet.

miſericordem, quaſi tam inuenire propitium, merces ſit iniquitatis, quod credimus eſſe religionis. Verùm non eſt ita: neque enim miſericordiam Dei lucrantur mali, quam ſibi etiam timidè pollicentur boni. Si timor bonos decet, quo conſilio timorem abijciunt impij? *Terra ipſa concuſſa à fundamentis ſuis, tanquàm ad ſcelus proprium contremiſcit: Et quæ duritia cordis humani!*

In memoriam reuoco vniuerſale diluuium, hoc eſt, terrarum orbis naufragium lacrymabile, & inſepultae naturae ferale ſepulcrum. Quis poſſit ſatis vnquam pluſquàm ſaxeam cordis humani duritiam demirari? Solent qui ſenſu omninò non carent, periculi vel imminentis metu commoueri: At verò quotquot vixerunt eo ſeculo homines tàm praeſenti clade, tàm atroci funere, tàm communi, atque fatali alluuione minimè commoti, maluerunt aggeratarum vndarum demergi montibus, quàm ad Arcam, tanquam ad aram confugere ſecuritatis. Centum annorum ſpatio, quibus Noë, Deo iubente, Arcam ſtruxerat, conſecuturae inundationis minae peruenerant ſine dubio ad regiones etiam inacceſſas, & toto diuiſas orbe. Nemo tamen dicitur metu correptus, à ſceleribus deſtitiſſe. Nimirum peccantis animus tàm procul à metu, quàm ſolet eſſe iniquitas meticuloſa. Hinc Seneca epiſt. 97. *Ipſas nequitia tenebras timet.* O prodigioſam audaciam Sceleſtorum! Sceleſti non timent, cùm plena ſit timoris nequitia. Quo loco nolo praetermittere Chryſoſtomum in illa Dei verba Gen. 7. num. 4. *Ego pluam ſuper terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Non vacat myſterio producta iſta Dei vindictis, in ipſo inferendo ſupplicio, mora. Quorſum quadraginta dierum ſpatio pluat? An non ad incutiendum horrorem aptiùs fuiſſet, momento temporis, & peccantes obruere, & abluere peccata? Num *non*, loquitur Chriſoſtomus, *erat ei poſſibile, vt vno die totam pluuiam induceret? Quid inquam vno die? Vno momento poſſet. Sed hoc dedita opera facit; volens ſimul, & timorem incutere, & occaſionem præſtare, quà poſſent pœnam, quæ iam in foribus eſſet, effugere.* Heu quàm longè exulat metus à cordibus impiorum. Nec praeſens vindicta, nec oblata ſpes euadendi, vno verbo, Deus ipſe, quem maximè volebat, minimè incuſſit homini iam naufrago timorem. Quid dicere velim, aperire non poſſum, niſi de his, quae in hac eadem contigerunt inundatione differentem attulero eundem Chryſoſtomum ſe ipſo ingenioſiorem. Memoriae prodiderunt Rabbini vnum Cham filium Noè natu minorem, modum intemperantiae ſuae imponere nequiuiſſe, & cum omnes tàm homines, quàm animantes, qui degebant in Arca, toto diluuij tempore caſtitatem coluerint, ſolus Cham eam per ſummam impudentiam dicitur violauiſſe: Ex hoc tam immoderato congreſſu aiunt originem duxiſſe Æthiopas, qui nigredine corporis, tetram paternae libidinis obſcuritatem ſatis appoſitè teſtati ſunt, hodieque teſtantur. Quidquid ſit de hiſtoriae veritate, certum eſt Chryſoſtomum in hanc iuiſſe ſententiam: Interrogat enim hom. 28. in Gen. cur inter omnes ſolus Chã in Arca *Patris* nomine nuncupetur? Vt patet ex cap. 9. Gen. n. 18. *Porrò Cham ipſe eſt pater Chanaan.* Accipe reſponſum Chryſoſtomi cit. *Voluit per hoc nobis illius intemperantiæ nimietatem inſinuare: & quod neque calamitatis magnitudo illum coërcere potuit, neque tanta in Arca anguſtia irrefrenatam illius concupiſcentiam ſedauit: ſed quamuis ſenior nondum filios procreauerat; hic incontinentiæ deditus, & in tempore tantæ indignationis rei venereæ deditus fuit, & cupiditatis intemperantiam non frænauit.* Non ſunt curſim praetereunda verba illa acumine pleniſſima: *neque calamitatis magnitudo illum coërcere potuit, & in tempore tantæ indignationis rei venereæ deditus fuit.* Exundantes aquae poſſunt quidem mundũ demergere, at inſanam inſolentemque Chami libidinem reſtinguere aut temperare non poſſunt. Potuerunt effractis cœleſtiũ cataractarum repagulis imbres decidui, ipſa quoque rationis vſu deſtituta animantia metu concutere; imò potuerunt congregatæ conglomerataeque aquarum voragines rerum vniuerſitatem immenſam timore proſternere; at timore in virum conſtantem cadente, Cham ab impura laſciuia cohibere non potuerunt. O temerariae ſecuritatis impudentiam inauditam. Extremos inter anhelitus laborantis, imò potiùs deficientis naturae, timere neſcit, qui impius eſt. Verbis vtar iiſdem, quibus vtitur Auguſtinus ad Chriſtianum metum, mentibus malè ſecuris inſerendum, vt cùm legem timoris neſciãt diſcant aliquando timere. Sic autem cit. Auguſt. tract. 33. in Ioan. *Qui dicit bonus eſt Deus, & miſericors, faciam quod mihi placet, quod libet, laxem habenas cupiditatibus meis, impleam deſideria animæ meæ. Quare hoc? quia miſericors eſt Deus, Bonus eſt Deus, manſuetus eſt Deus; Spe iſti periclitantur. Metuendum eſt, ne*

te

Peccatorũ fiducia tempore Noëmi.

Cur Deus non miſerit pluuiam totam vno die tempore diluuij.

Æthiopes quare nigri.

Chami libido ne ipſis quidem aquis diluuij reſtingui potuit.

vt occidat ſpes, & cum multum ſperas de miſericordia, incidas in iudicium. Digna Auguſtino ſententia. At nos perfrictæ, effrontique Chami licentia conſiderata, & eorũ temeritate, qui cum maximè ſæuiente Deo, & ipſo peccato metum inferente, timere deberent, *Lætantur tamen cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis*, Vt Salomon loquitur Prou. 2. num. 14. Ergo laxabis habenas cupiditatibus, cùm ſis ipſe ſpectator pœnarum, quas extenta Dei dextera infert? Ergo licet tibi quod libet; nec ſupplicia vt atrocia, ita frequentia, quorum ſpectator es, prauis tuis affectionibus poſſunt modum imponere? ſpe periclitaris; imò tua te iſta ſecuritas perimit. Et tamen vt peritè vir ſecundum cor Dei Iob cap. 15. num. 21. *Sonitus terroris ſemper in auribus illius.* Nuſquam quippe, ſine terrore nequitia; ſemper ſine timore peccator.

Peccatores ſpe periclitantur.

Quæ licet pugnantia inter ſe, & contraria videantur, inuenio tamen expreſſa planiſſimè à ſacris oraculis ſapientię c. 17. num. 10. *Cùm ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis: ſemper enim præſumit ſæua, perturbata conſcientia.* O nexum monſtroſum, cum timida nequitia, ſæua præſumptio. Tales fuerunt de quibus Dauid pſal. 75. num. 7. *Ab increpatione tua Deus Iacob dormitauerunt omnes, qui aſcenderunt equos.* Increpante Deo credebam omnes contremiſcentes: etenim ſi regis minae nuncij ſunt mortis, quem non concutiat Dei increpãtis furor? Miratur iſtorum in tanto metu ſecuritatem Auguſtinus, inquiens: *Increpat Deus, & dormis. Magna ira increpantis eſt, magna ira.* Euſebius lib. 5. Eccleſiaſticae hiſtoriae cap. 5. tradit M. Aurelium Antoninum Verum cognomento Philoſophum, confeciſſe feliciter Marcomannicum bellum, Vandalis, Sarmatis, Sueuis, alijſque barbaris nationibus debellatis. Illud in hoc bello, omni poſterorum memoria recolendum dicitur contigiſſe: Romano exercitu ſiti enecto Chriſtianae legiones non oppugnato armis hoſte, ſed expugnato precibus caelo, vitam pepererunt, & ſalutem: Coacti quippe repentè nubium cumuli Chriſtianarum copiarum oratione ſupplici, & opportunum Romanis imbrem attulere, & vltricia in hoſtes fulmina decuſſere; Vnde Chriſtiani milites, *legionis fulminatricis* nomen reportauerunt. Magnum ſanè prodigium: ſed prodigioſum profectò non fuit, vt dum fulminibus repetitis barbari conſternarentur, omni vacarent metu Romani, imò magna fruerentur ſecuritate: Illud abſque cõtrouerſia monſtriferum prodigium eſt, vt non modò tonante cælo, & aëre fulminibus coruſcante in hoſtes: ſed in nos ira Dei exardeſcente, cum timore confici, ac concuti deberemus, omni poſthabita ſolicitudine, impauidæ ſecuritatis in ſinu conſopiti, placidè dormiamus. *Increpat Deus & dormis? Cùm ſit timida nequitia, ſemper præſumit ſæua perturbata conſcientia.* Inter ruentia, atque furentia fulmina, quaſi mollia inter flumina recreamur, non concutimur.

Chriſtiani milites precibus pluuiam impetrant Romanis.

Aduertere diligenter, qualem ſe initio ſeculorum geſſerit malus dæmon vtile futurum reor. Geneſ. 3. num. 1. Inſinuat ſe blandè ſerpens fraudulentus, & Euam alloquitur interrogando: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradiſi?* Captioſa circunlocutio longè petita, & inſidioſis circunuoluta ambagibus. Quorſum hæc? Placet Hugonis de Sancto Victore reſponſio. Quia nimirum tantum timorem, talemque metum ſecum trahit culpa, vt eam proponere non audeat execrandus ſcelerum architectus. Miſeros nos, proni & alacres ruimus in eas fœditates, quas proponere pertimeſcit Diabolus anteſignanus criminoſorum. Verba Hugonis in allegorijs Gotfredi ſunt: *Vide quanta eſt confuſio, & timiditas nequitiæ in conſpectu virtutis. Stans coram fœmina hoſtis ſuperbus ex ſola malitia cogitata, nondum dicta confunditur, & quaſi ſe iam priuſquam etiam loqueretur deprehenſum metuens, non audet exire in verba perſuaſionis.* Tantum horroris in ſcelere deprehenditur, tantum timoris latet in flagitio, vt Diabolum ipſum ſuo percellat metu, vt ipſum furiarum patrem & principem tenebrarum pauore conſternat. Quod æqua plenus indignatione Seneca lamentabatur. lib de vita beata, inquiens: *Indulget vitijs non timidè, nec obſcurè: luxuriantur enim inoperto capite.* Rex Dauid ingenioſæ pietatis ſuæ omnem adhibet conatum, vt hominum animos arceat à peccando: Id autem vt obtineat, vtitur gladij à Deo ſtricti ſimilitudine pſalm. 7. num. 13. *Gladium ſuum vibrabit.* Contineat vos in officio diuinæ metus vindictæ: & profectò fieri non poterit, vt vos non cohibeatis, ſi Dei dexteram gladio minaci obarmatam, ante oculos habueritis. Cauete vobis à gladio mox vibrando, & quidem dextera omnipotenti. Putaſne futurum id ſatis ad metum procreandum pronis in ſcelera hominibus? Toto cælo aberras. Tantùm abeſt vt deterriti homines deſiſtant à ſceleribus, vt potiùs audaciores euadant; audientes quippè

Peccatum ipſum diabolum timore percellit.

A quippe, gladium Dei dextera exerendum, ſtatim furijs acti gladium euaginant, vt reſiſtant in faciem, & Deo vindici minantique repugnent. Quid audacius, aut indigniùs cogitari potuiſſet? Et tamen ſic ſe rē habere teſtatur idem Rex Iſraël. pſ. 16. n. 14. *Gladium euaginauerunt peccatores.* Ergo eò vſque temeritatis ventum eſt, vt quò magis timere deberent micantem gladium, eò minùs timeant, imò eò licentiùs exerant impudentiſſimae, atque inſaniſſimæ gladium libertatis. Ita ſentit Origenes hom. 2. in pſal. 36. circa finem, in hunc modum: *Quomodo autem putandi ſunt peccatores euaginare gladium? cùm* B *tam impudenter, & abſque vllo verecundia velamento iniquitates ſuas perpetrant, nec erubeſcunt, neque tanquam in vaginam nequitiam ſuam abſcondunt, ſed ſuperbo ſpiritu denudant.*

Peccator quomodo euaginet gladium contra Deum.

Mirabatur ſed potiùs execrabatur, & iure quidem optimo, beatus ille latro, cùm nefario latroni exprobraret, Lucæ cap. 23. num. 40. *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es?* Qui fieri poteſt, vt tot prodigia, tot pœnæ, tot ſignorum, & tormentorum genera metum non incutiant, cùm veriſſimè ſimul, & grauiſſimè pronunciauerit Tertullianus lib. 4. contra Marcionem c. 17. *Nullum maleficium ſine* C *formidine eſt, quia nec ſine conſcientia ſui.* Perbellè Chryſoſtomus Philiſtæum deridens, nos admonet perniciosiſſimum eſſe timorem abijcere, cùm iuſtiſſima eſt, & manifeſtiſſima cauſa timendi, quemadmodùm ſolenne eſt hominibus criminoſis. Lib. 1. reg. cap. 17. n. 43. cùm Philiſtæus vidiſſet iuuenem Dauid in arenam deſcendentem, nullo armorum præſidio munitum, illuſit&, ſi fas eſt dicere, quaſi canino dente lacerauit inquiens: *Nunquid ego canis ſum, quod tu venis ad me cum baculo?* Diſcrimen hoc examinat Chryſoſtomus hom. de Dauid & Goliath, his verbis: *Si canis fuiſſes, nunquam dimicantem con-* D *tra te Dominum prouocaſſes, ſed vt canis interitum futurum, & dignum ſupplicium metuiſſes. Peior es cane, qui nec virgam metuis, nec lapidem, quo moriturus es, extimeſcis.* Inſolens atque indomitum attollunt caput impij peccatores, dùm ceruice demiſſa, facti timore prudentiores deberent ſibi proſpicere. Hoc mirum, hoc horridum eſt, vt cùm nullum ſine formidine maleficium ſit; nullus cum formidine maleficus inueniatur. Ea ipſa, ſicuti Philiſtæo contigit, quibus audacioris inſolentiæ ſuſcipis anſam, iuſto te timore complere deberent, niſi rabido cane eſſes audacior. Exemplum omnium accommodatiſ-

A ſimum, è Chriſti ſchola petitum, ſuggerit mihi eloquio magnus, maximus ſacerdotio Leo ſer. 7. de paſſione, vbi Apoſtolos omnes metu conſternatos, cum Iuda impia ſecuritate ſacrilego confert elegantiſſimè. Quod antequam afferam, debeo priùs recolere verba Chriſti Domini Matth. c. 26. n. 21. *Vnus veſtrum me traditurus eſt.* Verba S. Leonis de Apoſtolis loquentis, & Iudam reprehendentis ſunt: *Contriſtati ſunt non de conſcientia reatu, ſed de humanæ mutabilitatis incerto: timentes ne minus verum eſſet, quod in ſe quiſque nouerat, quàm quod ipſa veritas prauidebat. Tu autem in hac trepidatione ſanctorum* B *abuteris Domini patientia: & abſcondi te tua credis audacia. Addis impudentiam ſceleri, nec ſigno euidentiori terreris: cumque ſe à cibo alij, in quo iudicium Dominus poſuerat, continerent; tu manum non retrahis à paropſide, quia animam non auertis à crimine.* Non potuit accommodatiùs dici. Vis intelligere quantùm afferat metum, peccatum, & ſimul etiam quàm alieni ſint à timore peccatores? Ex vna parte diſcipulos inſpice, ex alia oculos conijce in proditorem, probè tenebis quod contendo, audacia iſtius cum illorum pauore collata.

Cæteris Apoſtolis timentibus ſolus Iudas nō timet.

Vtinam timere diſcant, qui peccare non C deſinunt; ſemper memores ſententiæ Tertulliani in Apolog. *Omne malum, aut timore, aut pudore natura perfudit.* Vtinam, inquam, diſcant timere, ne ſicuti pari cum Ægyptijs efferuntur temeritate, ita pari ſupplicio afficiantur; ne de iſtis dici poſſit, quod de illis pronunciatum fuiſſe nouimus ab Auguſtino, ſerm. 89. de tempore: *Ægyptiorum turma inter maritimos fluctus alienum iter ingreſſa, aqua vindice puniuntur. Quos in medium marini aluei ſinum deſperata traxit audacia.* Par equidem, & rationi conſonum eſt, vt à peccato nos timor coërceat: nihil enim peccato nocentiùs, nullus ſcelere infenſior D hoſtis, malum nullum nobis contingere poteſt tàm pernicioſum, quod cum crimine vlla ex parte conferendum eſſe videatur. Peccatum, cælum armat ad vindictam, animum angoribus conficit, furias nutrit in corde; aufert homini humanitatem, beatitudinem, Deum. Nulla peccanti quies, nulla felicitas, locus tutus nullus. Sic à S. Maximo hom. 3. de pœnitentia Petri, memini diſcere: Ad illa Dei verba Gen. cap. 3. n. 10. *Adam vbi es?* Sic ait Maximus: *Adæ dicitur vbi es? Non quod Adam conſpectum Domini latere potuerit, ſed quod peccatrici conſcientiæ nullus locus tutus, vel tectus eſt.* Verbis ſaltem

iiſdem quibus Auguſtinus, quando affectu eodem non poſſum, ſummum Dominum compellabo, vt quanto concutiar metu, terræ, cæloque faciam manifeſtum: *Domine Deus meus* (Sic Auguſtinus concludit cap. 14. Soliloquiorum.)

A *terribilis, & fortis, timore pariter, & ingenti rubore confundor, quoniam nobis magna indicta eſt neceſſitas iuſtè, rectèque viuendi, qui cuncta facimus ante oculos Iudicis cuncta cernentis.*

IN CAPVT DECIMVM TERTIVM.

A Num. XXVI. ad XXXI.

Cùm autem creuiſset herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem ſerui patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei, Vis imus, & colligimus ea? Et ait: Non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum. Sinite vtraque creſcere vſque ad meſsem, & in tempore meſsis dicam meſſoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

PARA-

PARADOXVM IV.

Societas Sceleſtorum non nocet, ſed prodeſt iuſtis.

SEMEN bonum zizanijs admixtũ non areſcit, non corrumpitur, ſed creſcit fęliciter, multiplicatoq; fœnore fruges reddit. Ea nimirum proborum hominum conditio eſt, vt boni ſeminis inſtar zizanijs vndequaque germinantibus, non modò non concidant, aut marceſcant, ſed amœno virore rideant, & in immenſum multiplicata ſegetum lætarum familia, prole tam numeroſa, quàm pulchra innocenter luxuriante, reuireſcant. Quod cùm ita ſit mearum partium erit in præſentia confirmare: Iuſtis non nocere, ſed prodeſſe Sceleſtorum ſocietatem.

Nouum id atque inauditum videbitur fortaſſe Syoeſio, cuius ſententia probi viri deprauatur integritas ſocietate improborum, peſtifera veluti tabe corrupta. Vnde ep. 58. ſcribebat: *Tanquam membrum incurabile reſcindendus à nobis* (Loquitur de improbis) *vt ne ſocietate etiam quod ſanum eſt corrumpatur: nam labes propagatur, & ſerpit, & qui tangit ſceleratum, etiam contagionem ſentit.* Monet proptetea Bernardus ep. 101. *Auferatur ergo malus, ne malos generet.* Vera ſunt hæc & mihi quidem explorata. Non poſſum tamen ſilentio premere nouum, planèque mirum legis Euangelicæ priuilegium, iuſtis viris minimè obeſſe Sceleſtorum ſocietatem. Euincet procul dubio propoſitum auctoritas Hieronymi luculenta epiſt. 22. petito à memoria veterum argumẽto, ſic diſſerentis: *Neque vndecim Apoſtoli Iudæ proditione ſunt fracti, nec Phileto & Alexandro facientibus naufragium cæteri à curſu fidei ſubſtiterunt.* Agnoſcis illibatam, atque incorruptam adeò ſanctitatis Apoſtolicæ integritatem, vt ne ipſa

Societas improborum peſtis.

A quidem corruptorum hominum labe infici queat. At hoc parum videbitur Auguſtino, qui veritatem hanc repetita è ſacrarum monumentis litterarum hiſtoria, mirum in modum illuſtrat. Factum Moyſis notum eſt, cum videlicet comminuto vitulo, & in puluerem redacto abſorbendos cineres populo propinauit: quod in rem noſtram deflectit Auguſtinus exponens pſ. 34. his verbis. *Ideò fortaſſe vitulus ille comminutus in aquam miſſus, & populo datus eſt, vt abſorberetur ab Iſraël corpus impiorum, impijque eſſe deſinerent, in pios quodammodo migrantes.* Tantùm abeſt vt inficiatur ab impiorum conſuetudine vir B probus, vt potius reficiatur: Non peruertitur à Sceleſto, ſed Sceleſtum ad Deum conuertit qui iuſtus eſt.

Inter admiranda naturæ prodigia geminum profero ſatis, ni fallor, inſtituto præſenti accommodatum. Primum quidem ſuppeditat arbor illa, quæ Vere non interrupto, ſemper purpureo ridet flore, licet alluantur huius arboris radices aqua maximè noxia, & arbuſta, ac ligna, herbaſque necante. De hac mentionem faciunt Seneca lib. 3. nat. quæſt. cap. 25. Plin. lib. 31. cap. 2. in hæc verba: *Circa Theſſalica Tempe, fons viſus omnibus terrori eſt, traduntque æs, ac ferrum erodi illa* C *aqua: profluit breui ſpatio; mirumque ſiliqua Silueſtris amplecti radicibus fontem eum dicitur, ſemper florens purpura.* Vitruuius nominatim tradit lib. 8. c. 3. nullum pecus propius accedere poſſe ad eum fontem, & iuxta illum florere arborem purpureo colore. Depinge hanc arborem, & expreſſiſti ſymbolum viri probi nõ modò nihil detrimenti, ſed plurimùm emolumenti ab improborum ſocietate capientis. Qui pecudum more viuunt, caueant ne propius accedant ad aquam corrodentem, enecantemque: at verò qui arboris inſtar creſcit in dies perfectior, & purpura charitatis nitet, ipſo etiam aquarum D noxiarum humore, vitali veluti ſucco refouetur. Alterum verò naturæ miraculum narrat Solinus cap. 40. Polyhiſtoris his verbis: *Ammonis templo fons proximat ſoli ſacer, qui humoris nexibus humum ſtringit, fauillam etiam in caſpitem ſolidat; In qua gleba non ſine miraculo locus viret, vndique ſecus agris arentibus.* Felix qui Chriſtianæ pietatis floribus viret infelicia in gremio ſterilitatis. Non ſine miraculo, fateor, ex infœcunda terra ſemper nouus ridet viror: At quis ſine nota impietatis plus audeat naturæ credere viribus, quàm gratiæ tribuere?

Mira naturæ fontis in Theſſalia.

Siliqua Silueſtris ſymbolum viri probi.

Aliud naturæ miraculum in fonte

Notius eſt quàm vt à me explicari pluri-

bus

bus debeat, magna Ioſephum diligentia curauiſſe, vt eius parentes, & fratres in Ægyptum ſe ſe recipientes non alibi quàm in terra Geſſen commorarentur. Sic habes Geneſ. cap. 45. num. 9 & 10. *Feſtinate, & aſcendite ad Patrem meum, & dicetis ei* (ſic Ioſeph Fratres alloquitur) *Hac mandat filius tuus Ioſeph: Deus fecit me Dominum uniuerſæ terræ Ægypti; deſcende ad me ne moreris, & habitabis in terra Geſſen.* Rationes ab interpretibus allatæ, cur Ioſeph delegerit præ caeteris terram Geſſen, plures ſunt numero: placet in præſenti eam afferre, quam hoc loco Interlinearis inſinuat his verbis: *Quia Geſſen interpretatur propinquitas. Vnde patet, quia licet in Ægypto habitet Iſraël non tamen longè eſt à Deo:* Hoc enimverò ſingulare eſt, & memoriæ mandandum. Inter Ægyptios ſtationem figit Patriarcha Iacob, ſed num fortè Ægyptiorum deprauatur erroribus? Nunquid Idolatra Iacob, quia patrijs egreſſus finibus non modò familiaritate vtitur Ægyptiorum, ſed ab ijſdem ciuitate donatur? Abſit. Imò inter Ægyptios religioſior, inter Dei inimicos ſanctior; in terra aliena virtute præſtantior, & vicinior Deo. *Licet in Ægypto habitet Iſraël non tamen longè eſt à Deo.* Vtinam qui in Ægypto deprauati ſeculi viuunt, ita viuant vt à Deo longè non ſint. Vtinam vel ab imperante Ioſeph, vel ab aduentante in Ægyptum Iacob diſcamus præ caeteris terram Geſſen eligere, vt inter colentes idola vitiorum, Deo ſimus viciniores. Hic profectò moneret Origenes peropportunè verbis illis homil. 3. in Exodum: *relinquendus eſt mundus, ſi volumus Deo ſeruire; relinquendus autem dico non loco, ſed animo.* Nullus locus eſt tanta morum improbitate fœdatus, in quo Auctori ſuo vacare nequeat, qui viuentis Dei templum in ſuo corde circumfert animatum. Ipſa profectò Ægyptiorum ſocietas virtute praeditum facit ſpectabiliorem, ſi Deo reddit propinquiorem. Inita enim cum ſecularibus neceſſitudo, vitae melioris origo eſt viro incorrupto. Nimirum pium eſſe inter impios, & inter noxios vitam ducere innocentem Chriſtianum eſt. A mundo recedimus in mundo viuentes, & mundanorum conſortium auerſamur etiam, dum eorum frequenti vtimur conſuetudine, quorum vitia non ſolùm ex animo auerſamur, ſed oppoſitarum exercitatione virtutum iuſtiſſimè, & conſtantiſſimè cõdemnamus. *Relinquendus eſt Mundus, ſi volumus Deo ſeruire; relinquendus autem dico non loco, ſed animo.*

Iacob melior inter malos quàm inter bonos.

Verum cùm nequeat in controuerſiam reuocari, probis moribus obeſſe plurimum conſuetudinem improborum: vnde in ore omnium eſt poëtae non ignobilis monitum

Morbida facta pecus totum corrumpit ouile.

Quod grauius proſequutus eſt Poëta religioſior Dauid pſalm. 17. num. 26. *Cùm Sancto Sanctus eris, cum viro innocente innocens eris, & cum peruerſo peruerteris.* Haec, inquam, cum veritati ſint conſona, & omnibus explorata, ne mendacij arguar prolatum initio axioma, & Prophetarum oraculis illuſtrabo, & è ſacris politica litteris hiſtoria confirmabo. Et primo quidem Iſaiae profero vaticinium cap. 1. num. 3. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe Domini ſui, Iſraël autem me non cognouit.* Stupenda prorſus emphaſi plena obiurgatio, diuinoque planè acumine aculeata inuectiua in eos, qui, vt ſe excuſent, in ſocios Sceleſtos, cum quibus viuunt culpam transferunt flagitiorum, quibus aſtringant ſeſe. Attende primum quod proponit prodigium Euangèlicus Vates, quo inter homines Natus Deo futurus erat omnium ſeculorum religione venerandus: futurum videlicet vt ſocio iuncti fœdere accumberent Bos, & Aſinus; de quibus ſic differit apud Nazianzenum oratione in Chriſti Natiuitatem Nicetas paulò ante finem: *Hoc loco Bos in Iudaici populi qui legis iugo ſubiectus erat, figuram aſſumitur: Aſinus autem in gentilium figurâ, tum quia à lege alienus erat, tum etiam propter impuritatem, & craſſitiem. Etenim bos vt ad cognoſcendum acutior, Dominum ſuum agnoſcit: aſinus autem vt ventri deditus præſepe cognoſcit. Ac vide quam bouis, & aſini allegoriam afferat: quoniam enim bos animal mundum eſt, ac iugo ſubiectum, & ruminans, atque ſacrificij cauſa mactatur, & comeditur: in aſino autem contrario modo ſe omnia habent. Cognoſce, inquit, auditor quiſnam ſit is qui natus eſt.* Perſiſtamus in allegoria, ex qua tanquam ex prodigioſa diuinitatis demonſtratione, quiſnam ſit qui natus eſt, liquidò cognoſcemus: Cognoſcemus autem ex eo potiſſimum capite, quod bos, hoc eſt, mundum animal, aſino immundo ignobilique conſociatus, ab inita cum aſino ſocietate minimè deprauetur; Imò non modò non inficitur bos ab aſino, ſed aſino benè paſto & luxuriante, bos quaſi religioſior factus Deum mortalitatis noſtrae ſacco indutum veneratur, ac colit. Inter ventri deditos ieiunare, inter gnatones eſurire iuſtitiam,

Bos & Aſinus qui ſint.

cum

A cum immundis ſummam cordis integritatem ſeruare chriſtiani hominis eſt poſt natum inter homines Deum. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus praſepe Domini ſui, Iſraël autem me non cognouit.* Indignus planè qui vocetur *Iſraël*, hoc eſt, *videns Deum*, quicunque tanta obuoluitur mentis caligine, vt id non videat. Alterum verò quod promittebam è ſacrarum litterarum monumentis, dabo ex Origene hom. 6. in Exodum ſic diſſerente. *Et tu ſi filius Iſraël es, potes ambulare per ſiccum in medio mari: ſi fueris in medio nationis praua, & peruerſa ſicut lumen ſolis verbum vita continens ad gloriam: poteſt fieri vt in medio peccatorum incedentem, te non confundat humor peccati.* B *Qui verò ſequitur Chriſtum, & ſicut ipſe ambulauit, ita & ipſe ambulat, aqua ei muri fiunt dextra lauaque, ipſe autem media via incedit per ſiccum.* Manifeſta hoc loco fit mentio ſtupendi prodigij, quo erepti Iſraëlitæ marinis fluctibus iiſdem, quibus obruti fuere Ægyptij: Itaque audito Origine aio, eodem modo quo olim Iudæi, ſicco veſtigio fluctuum reciprocātium mobilitate firmata æquoreos ſinus pertranſierunt non modò ſine periculo, ſed rei nouitate exultantes; ita nunc Chriſtiani, hoc eſt, Dei populus inter occaſionum vortices, inter ſcelerum C ſcopulos, in ipſa prauorum voragine morum, impolluti, illibati, ſegregati ab iiſdem peccatoribus, quibus vitæ genere, & morum conſuetudine ſunt aggregati, abſque omni periculo naufragij ſani, atque incolumes ab huius ſeculi Ægypto ad terram tranſeunt promiſſionis.

Bloſij Cumani cum Graccho improbs conſuetudo.

Venit in mentem quod refert Marcus Tullius in ſuo Lælio, de Tito Graccho, & C. Bloſio Cumano. Gracchus hoſtis reipublicae iudicatus, non modò vltimo fuit affectus ſupplicio, verùm etiam ſepulturae honore ſpoliatus. Et quia magna licet, impar tamen tanto ſceleri pœna D videbatur, Senatus mandauit Conſulibus, vt in eos, qui cum Graccho Conſenſerant more maiorum animaduerteret. Ad Laelium, cuius conſilio præcipuè conſules vtebātur, cum pro ſe Bloſius Cumanus deprecatū veniſſet, familiaritatiſque excuſatione vteretur, atque is dixiſſet: Quid ſi te Gracchus in Capitoliū faces ferre iuſſiſſet, obſecuturus ne voluntati illius, propter iſtam, quam iactas familiaritatem, fuiſſes? Quis non obſtupeſcat? Non ſolū damnatos mores Gracchi defēdere auſus eſt Bloſius: verùm etiam compreſſus perſeueranti interrogatione Lælij: num mādante Graccho faces Capitolio admoturus fuiſſet, re-A ſpondere auſus eſt: Hoc etiā ſi modò Gracchus annuiſſet ſe eſſe facturū. Tantam ſcilicet habet vim inita cum improbo conſuetudo, vt nihil tam turpe, nihil tam flagitioſum, atque execrandum excogitari queat, quod non aggrediatur animus arcta amici improbi familiaritate corruptus. Chriſtianorū prærogatiua eſt, viuere cum fœdatis turpi labe, & non inquinari; imò verò integritatis chriſtianae decus eſt è cœno vitiorum eductos, vitæ integros facere, ſceleriſque puros reddere, inita conſuetudine peccatorum. Nemo ſiquidem non intelligit æquum eſſe vt Chriſti inſiſtant veſtigijs ij, qui Chriſto dedere nomen. Docet id B perbellè Ambroſius, Præcurſorem Ioannē cum Chriſto reparatore comparando in hunc modum lib. 1. in c. 1. Lucæ. *Magnus Ioannes, ſed coram Domino. Magnus Ieſus, ſed Dominus. Ioannes vinum, & ſiceram non bibit; hic cum publicanis, & peccatoribus manducat, & bibit. Ille abſtinentia meritum colligat, cui potentia nulla natura. Chriſtus autem, cui naturaliter ſuppetebat delicta donare, cur eos declinaret, quos abſtinentibus poterat praſtare meliores.* En prima laus, en praeſtans praerogatiua Chriſti, ita potatoribus familiariter vti, vt abſtinentibus faciat meliores.

Ioānis cum Chriſto cōparatio.

Rarae id quidem, eximiaeque virtutis C eſt, adeoque dignum alumno Chriſti. Benè definiuit Nazianzenus Gregorius in orat. funebri in laudem Baſilij: *Facilius eſt*, inquiens, *vitium contrahere, quàm virtutem impertire; quemadmodum facilius eſt morbo alieno infici, quàm ſanitatem largiri*. Praeclarum eſt vitiorum turmis cingi, non dirui; ſcelerum obſideri copijs, non expugnari. Præclarum eſt ſalſos inter Oceani fluctus venam aquæ dulcis ſcaturire: Pice non infici, igne non comburi, tenebris non obſcurari profectò praeclarum. *Propterea*, loquitur Chryſoſtomus in pſal. 1 t. *admiramur Abraham, propterea Lot, propterea Moyſen quod* D *veluti in profunda nocte ſtella apparebant, & tanquam roſa inter ſpinas, & oues inter lupos innumerabiles*. In maxima ſcelerum colluuione illibatum virtutis florem niteſcere in lubrico, expanſis circunquaque laqueis non irretiri Chriſtianum eſt. Vndè Bernardus ſer. 48. in Cant. *Non mediocris*, inquit, *titulus virtutis eſt, inter prauos viuere bonum, & inter malignantes innocentia retinere candorem. Verſari inter ſpinas, & minimè lædi diuina potentia eſt, non virtutis tua.*

Inter malos innocentem viuere diuinæ virtutis eſt.

Scio equidem honeſto viro eſſe in primis omni ratione vitandos ſodales turpi vitiorum fæce inquinatos, cum nihil bo-

nis moribus excogitari poſſit pernicioſius. Et ſanè ſapienter monet Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogic. 7. paulò poſt initium: *Achillem corruptis deprauatum fœditatibus, ſed ob impuri Phœnicis conſuetudinem. Crœſi filios fuiſſe improbos, ſed inquinatos Adraſti familiaritate. Alcibiadem fuiſſe impurum, ſed in cœnum libidinis ab amicitia Zopyri coniectum.* Scio etiam ſapiens illud monitum eius philoſophi, qui cum diſcipulum ſuum honeſtum cæteroqui ac probum, improbos inter iuuenes offendiſſet, cumque animaduertiſſet rubore perfuſum: *Fili*, inquit, *cum his age, cum quibus iuuentus non erubeſcas.* Hæc, inquam, aliaque huiuſmodi ſexcenta ſunt mihi perſpecta, quibus certo certius apud omnes ſit, virtutis cupido cordi potiſſimū eſſe debere, vt abhorreat ab aliotum conſuetudine deprauata. Nec mihi ea mens eſt vt verſandum cum diſſolutis ſtudeam perſuadere: huiuſmodi quippè conſortium quis neſciat incredibili ſtudio, ſummaque diligentia defugiendum? Itaque commaculata ſceleſtorum hominum commercia non laudo: ſed prærogatiuam probi viri boni chriſtianæ pietatis in lumine colloco, vt vehementibus veluti ſtimulis excitemur ad amorem virtutis tam exaggeratæ, quæ ne ipſa quidem ſceleſtorum neceſſitudine maculari queat. Maculari, inquam? imò purior reddi debeat atque illuſtrior: Eo planè modo, quo ignauos olim milites cum ſtrenuis commiſcēdos cenſuit poëtarum princeps, vt illorum ſocordia, horum excitata virtute accenderentur ad pugnam. Quod ex Homero lib. 4. Iliados notat Ambroſius lib. 1. de Noe & arca cap. 16. *Vt magis*, verba Ambroſij, *hinc inde à fortioribus iuuarentur.* Cur ergo ad virtutum exercitationem præſtantiſſimarum quæ ſpiritualis eſt pugna, non vocentur infirmiores habita præ oculis virtute perfectiorum? Hæc ſanè Hieronymi mens eſt, cum ſcribens ad Demetriadem, allato Iſaiæ oraculo c. 11. n. 7. *Leo quaſi bos comedet paleas.* Sic habet: *Bos, & Leo comedent paleas, vt nequaquam bos diſcat feritatem, ſed Leo doceatur manſuetudinem.* Virtuti detrahunt, qui arbitrantur, plus ad nocendum valere vitium, quàm vires habeat probitas ad auocandos à turpitudine animos, inflammandoſque amore integritatis. Habeo ſummæ virum auctoritatis Origenem, qui argumento ab inductione petito, plura ſimul congerit vt huius veritatis teſtis locupletior fiat. Sic autem ſcribit homil. 9. in cap. 16. & 17. Numer. ante med. *De Noe ſcriptum*

Ignaui milites ſtrenuis permiſcēdi.

A *eſt quod eſſet iuſtus, & perfectus in generatione ſua. In quo oſtenditur, quod non ex integro perfectus: ſed in generatione ſua perfectus fuerit, & ad comparationem cæterorum iuſtus pronunciatus ſit. Simili modo puto etiam de Loth habendum: Quanto enim deteriores quotidie fiebant Sodomitæ, tanto ille illuſtrior apparebat. Sed in hoc ipſo libro, quem habemus in manibus, cum regreſſi eſſent ij, qui inſpexerant terram; & decem ex ijs meticuloſis ſermonibus deſperationem populo incuſſiſſent; duo verò reliqui, id eſt, Caleb & Ieſus bona nunciarent, & hortarentur populum permanere in pro-* B *poſito: immortale eis à Domino meritum contulit non tantum ſua confeſſio, quantum formido ſodalium.* Non minuitur modò, ſed augetur veræ præſtantia virtutis, quæ nihil detrimenti ſentit, ſed plurimum capit incrementi à ſocietate peccatorum. Ne manca credatur ac mutila Noe virtus, palàm fiat Noe cognominari iuſtum, cum vniuerſum Orbem terrarum corruptio inuaſiſſet. Detrahit candori Loth, qui premit ſilentio errores fœdiſſimos Sodomorum: illuſtrior quippè, & glorioſior prædicatur ab alienis tenebris ſuum augendo ſplendorem. Sicut Caleb, & Ieſus à proſtratis metu ſocijs C facti quaſi animoſiores, euincunt certum veluti characterem, notamque virtutis perfectæ non dubiam; ſic prodeſt potius quàm noceat ſocietas ſceleſtorum.

Caleb & Ieſue magis clari ſodalium timore quàm ſua virtute.

Hæc fortaſſe mens fuit B. Laurentij Iuſtiniani aſſerentis: *iuſtos peccatoribus obumbrari.* Putabam bonorum fœdere, Angelorum miniſterio, Dei patrocinio, amica veluti vmbra protegi iuſtos: Nunc diſco vmbra etiam protegi peccatorum. Nimirum ſicuti folia fructus operiunt, & obumbrant, vt protegant à vi grandinis atque iniuria temporum, ſic mali innocentes tegunt, vt tueantur. Ita ſentit libro in pſalm. Iuſtinianus pſalm. 79. in D hunc modum. *Vineam de Ægypto tranſtuliſti. Sicut in vinea fructus folijs tegitur, ſic in Eccleſia boni turba peccantium obumbrantur.* Felices iuſti quibus ſceleſti quoque, qui non poſſunt non officere, opitulantur. Auguſtinus ſemper ſibi ſimilis, hoc eſt, ingenij & pietatis laude commēdandus in primis, ſimilitudinem affert pro re noſtra accomodatiſſimā: ducta enim ab area comparatione, quantum malorum ſocietas probis viris afferat commodi & vtilitatis demonſtrat apertè. Sicut enim ſtipulis, paleiſque ita aceruatur mixtum frumentum, vt ijſdem non opprimatur, aut corrumpatur, ſed defendatur potius,

Iuſti peccatoribus obumbrantur.

ac

ac conſeruetur; Eodem planè modo probi viri, qui frumenti inſtar cæleſtibus horreis ſunt reponendi, quandiu in huius ſeculi area interiectis commiſcentur paleis, non deprauantur, ſed teguntur, imò etiam proteguntur. Accipe Auguſtin. in pſal. 25. decernentem his verbis: *Area eſt Eccleſia huius temporis, vt ſæpe diximus, & iterum dicemus, & paleam habet, & frumentum, nemo quærat exire totam paleam, niſi tempore ventilationis, nemo ante tempus ventilationis deſerat aream,* A *quaſi dum non vult pati ſecum peccatores, ne præter aream inuentus, prius ab auibus colligatur, quam ingrediatur in horreum.* In area ſumus, quamdiu viuimus, vt ſuo tempore in horreo reponamur, paleis ſtipuliſque admiſceamur neceſſe eſt. Illi ipſi, credite, cum quibus viuimus peccatores, facient nos cæleſtibus horreis aptiores.

Videri poteſt P. Didacus de Baeza tomo 3. in Euangelicam hiſtor. lib. 16. capite 2. §. 17.

IN CAPVT DECIMVM TERTIVM

A Num. XXXI. ad XXXVI.

Aliam parabolam propoſuit eis, dicens: Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminauit in agro ſuo: quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus: cùm autem creuerit, maius eſt omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius. Aliam parabolam locutus eſt eis. Simile eſt regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatũ eſt totum. Hæc omnia locutus eſt Ieſus in parabolis ad turbas: & ſine parabolis non loquebatur eis: vt impleretur quod dictum erat per Prophetã dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi.

PARADOXVM V.

Præcipua Chriſti laus ab vtero Virginis.

PLACET Diuo Hilario tam grano ſinapis, quàm fermento, caeleſtibus veluti ſymbolis, humanæ mortalitatis indutũ exuuijs Dei filium adumbrari. B Humilitatem quippè granum ſinapis, quod minimum eſt, haud obſcurè ſignificat: vim autem atque efficaciam latentis diuinitatis, fermentum totam inficiens maſſam luce clarius aperit. Quoniam verò ita minimum eſt inter ſemina granum ſinapis, vt omnium olerum arbor adoleſcat maxima, non C erit abs re praeſtantiam palam facere dignitatemque, quam Dominantium Dominus, & Rex Regum à mortalitatis noſtrae humilitate contraxit. Duo itaque examinanda propono: primum quidem Dei filium humana vilitate exaltatum; alterum verò præcipuam Chriſti Domini laudem non à Parentis ſummi diuinitate, ſed ab vtero Virginis emanaſſe à principe velut fonte maieſtatis. Ordior ab hoc ſecundo, primum reijciens in paradoxum proximè conſecuturum.

Diuinitas fermento adumbrata.

Humanitas grano ſinapis.

Ingenioſum fuit illud planè commentum, ac, niſi me fallat animus, laude digniſſimum, quo Rex olim Alexander D Antiochi nobilis filius Ionatham Machabæo, tum Imperatorem longe clariſſimum cohoneſtandum ſibi eſſe exiſtimauit. Etenim veluti tacitum, ſed planè verum, ac certum eius pacis vel argumentum vel inſigne, quam ſimul paulò ante contraxerant; miſit ei fibulam auream, ſicut conſuetudo eſt dari cognatis regum, vt habetur lib 1. Machabaeorum cap. 10. numer. 89. Id quod etiam vſurpatum ab Africano Scipione ſcribit Liuius decad. 3. lib. 7. qui iuuenem, cuius maternus auus Rex Numidarum erat, quanquam bello captum aurea donatum fibula, & ad eius A auunculum Maſſiniſſam Sponte remiſit.

Verùm enim verò vt admirabile fuerit prorſus inuentum regum praeſtantiſſimorum ad mutui fœderis nexum inſinuandum aurea fibula vti pro ſymbolo initae coniunctionis, admirabilius profectò, ac longè diuinius argumentum illud haberi debet, quo Deus idem ac Pater omnium, dignatus eſt humanum genus vniuerſum trahere ad ſe ſe, & humaniſſime complecti. Nam tanquam fœderis ſignum paciſque, & amicitiae inter ſe, hominesque mutua quadam atque indiſſolubili ratione firmatæ non arcum colorauit in nubibus, ſed è caelo auream Vnigeniti filij in terras B fibulam miſit, qui ſummis ima, terram cælo, hominem Deo nectens inenodabili vinculo fœderauit, colligauitque perenniter. Quod inuenio à Tertulliano inſinuatum de Trinit. cap. 18. vbi Incarnationem auream fibulam videtur nominaſſe, vt eius elogij, tituliſque neque ſolus ego ſim auctor, neque architectus. *Quoniam*, inquit, *ſi ad hominem veniebat* (Dei filius) *vt mediator Dei, & hominum eſſe deberet, oportuit illum cum eo eſſe, & verbum carnem fieri, vt in ſemetipſo concordiam confibularet terrenorum pariter atque caeleſtium, dum vtriuſque partis in ſe connectens pignora*, C *& Deum homini, & hominem Deo copularet, vt merito filius Dei per aſſumptionem carnis filius hominis, & filius hominis per receptionem Dei Verbi, filius Dei effici poſſet.*

Incarnatio aurea fibula.

Euentus fuit ille planè mirabilis, qui ſtatuam Apollinis vbique terrarum celebrem reddidit, ac perilluſtrem, vt in inſula denique Samo aeternae cauſa memoriae reponeretur: nam vt habemus ex Diodoro lib. 1. cap. vltimo, cum illam duo praeſtantiſſimi in marmore cælando artifices Teledeus ac Theodorus conficiendam ſibi depopoſciſſent, mediam Teledeus partem, partem aliam Theodorus D effingebat, ſed ita tamen, vt Theodorus diuerſo in ſaxo, diuerſoque in loco, nempe Epheſi, atque adeo diuerſo planè caelo artem ſuam oſtentaret: abſoluta tamen ſtatua tam bene duae illae partes coaluerunt corpus in vnum, vt ab vnico tantum artifice, eodemque in loco, ac marmore, eademque prorſus manu, caeloque perfecta fuiſſe ſtatua videretur. Et vt nemo ſit qui fabuloſam aliquam ſtatuam, cum hæc dico, à me produci ignarus exiſtimet, audiat Caelium Rhodiginum libro 29 capite 24. *Siculus Diodorus*, Inquit, *ſtatuarios Ægyptios tantum praecelluiſſe arte, & inge-*

nio

Incarnatio ſimilis ſtatuæ Apollinis miro modo coaleſcentis.

nio docet, vt ex varijs lapidibus, diuerſis poſiti locis, vnum ſimulacri corpus conſiſterent, conuentu partium adeo perfinito, vt vno loco ab eodem artifice eſſe perfectũ videretur. Verùm quid haec vna quam attulimus, aliæue ſtatuæ magnum habeant mirãdumque, ſi cum Chriſti opere quo humani ſibi corporis aptauit exuuias, & fecit vtraque vnum, conferantur? fuerit ſanè Apollinis illud ſimulacrum memoria pariter, & admiratione digniſſimum, certè finem vidit aliquando, & omnis illa, vtcunque parta, euanuit tandem in puluerem gloria, obliuionis etiam iam ſepulcrum ſortita: cum haec diuinae imaginis nunquam aliàs viſa maieſtas, quam filius Dei ſpectandam caelo, terriſque olim dedit, ſemper incorrupta permaneat, ac veluti rediuiua ſplendeſcat. Vbi debet illud quoque ſingularim animaduerti, notanterque ſignari, quàm egregiè in hoc Chriſti ſimulacro natura Verbi Genitoris aeterni molimine ante tẽpora geniti cum humana natura copuletur, & ex altera parte intra beatiſſimæ viſcera Matris, ac Virginis in tempore figuretur, ita vt ambae naturae, licet, vt ita loquar, lapides planè diuerſi, tam felici nexu vinculoque coaluerunt, vt nec ſupplicio potuerint dirimi, nec morte diſiungi.

Incarnatio à gemino artifice elaborata.

Sed vultis, credo, vtriuſque artificis Patris, Matriſque partem accuratius, atque diſtinctius contemplari: agite igitur, & quid de ſua parte pronunciet Pater ille filij coaequaeuus audiamus: *in manibus meis*, inquit apud Iſaiam cap. 49. *deſcripſi te*, vbi cum Hebraicus textus reddat: *ſculpſi te*, aut *exaraui te*: ſeptuaginta autem: *depinxi*; & Theodoretus: *efformaui*; Symmachuſque: *formaui*. Non poteſt dubitari, quin Deus Opt. Max. ab aeterno ſculptor ille mirabilis fuerit, qui partem ſcilicet ſuam reddidit luculenter, cum ſe ipſum ſapienter animauit in filio. Scio equidem diuerſam eſſe ab hac noſtra huius loci ſententiam, quam ſequuntur Ambroſius 6. Exam. cap. 5. Auguſtinus cap. 2. Soliloq; & Cyrillus, qui ad Sanctam Eccleſiam locum illum referendum putant. Sed ſcio etiam noſtrum Sanchez in Iſaiam exiſtimare, neſcio quid prophetam illum indicare voluiſſe de annulis, in quibus eius ſculpta viſebatur imago, qui vnicè diligebatur. Sic Epicuri aſſeclae Epicuri ſimulacrum gerebant annulo impoſitum gemmae loco, vt Cicero de Finibus, & Plinius lib. 35. cap. 2. aliique teſtantur. Sic S. Ambroſius lib. 1. de offic. cap. 49. *Memini*, inquit, *me legiſſe quoſdam capitali ſupplicio damnatos quod Bruti, &*

A *Caſſij interfectorum Caſaris imagines in annulis reſeruarent*. Sic S. Chryſoſtomus tom. 6. hom. de S. Meletio ait, in palis annulorum eius figuram omnes penè collocauiſſe, vt non ſolum audirent ſanctam eius appellationem, ſed etiam Meletium ipſum quoquo modo viderent: fuitque tam peruulgata haec conſuetudo aliquid in annulo fingendi, vt Pythagorae ſit illud oraculum: *in annulo Dei imaginem non eſſe gerendam*; & Clemens Alexandrinus lib. 3. Paedagogi cap. 11. non longè ab initio monuerit: *ne Idolorum imagines caelentur in annulis, &c.* videndus eſt ille idem Sanchez prolog. 10. in Cantic. vbi

B verba illa pſalmi 136. *ſi oblitus fuero tui Hierusalem obliuioni detur dextera mea*, interpretatur de Hieruſalem ſculpta in annulis ab Hebraeis, cum Babylonem migrarent, quod ſanè licet non vſquequaque noſtrae ſententiae congruat, non eſt ab illa tamen alienum, cum Chriſtus Dominus ſit *filius* ille *dilectus in quo ſibi bene complacuit diuinus Pater*, & non tam in manibus per annulum, quam per opera geratur, quorum omnium operum caput, ac ſumma ſit filius, in quo fingendo ſculpendoque primus fuit labor Patris, & vt tanto Patre digniſſimus, ita laboris expers, & laſſitudinis neſcius. Sed melius

C adhuc, & in rem noſtram opportunius aliquid afferre poſſumus, ſi Procopij admittenda ſit expoſitio: putat nobilis hic interpres & accuratus, librum vitae, electorumque ijs verbis deſignare Prophetam voluiſſe, quos ab aeterno ita Deus omnium Parens in manibus deſcripſit ſuis vt nemo eos rapere poſſit de manu eius; cum ergo electorum omniũ caput ac princeps ſit Chriſtus, de quo ad Romanos S. Paulus: *qui praedeſtinatus eſt filius Dei*: quis non videt, cum Deus pater illa verba pronunciat: *in manibus meis deſcripſi te*: aut *ſculpſi te*; praecipue loqui de filio? atque adeo partes ſuas aſſignare

D voluiſſe in condendo hoc eximio, & emẽdatiſſimo ſimulacro Domini, ac reparatoris noſtri. Apocalypſis quidem cap. 7. omnes omninò Electi gratias Deo, Agnoque agunt, & ſi poſſent etiam referrent: nam ab Abel vſque ad vltimum omnes praedeſtinationem, electionemque ſuam debent Agno Dei, qui crucis in ara mactatus, & vt innocens pro nobis omnibus nocentibus victima caeſus eſt; propter quam ſanè crucem, etiam antequam Chriſtus pateretur, ab æterno fuerunt electi, prædiſtinati, & mira quadam virtute ſanctimoniaque dotati. Neque verò Beatiſſima Virgo ac Mater, cum ſola fuerit in altera

ſingenda in terris parte, ſibi deſuit, ſed Spiritus aura ſuperueniente, flabelloque mitiſſimo tanquam cælo, mirabiliter allaborante, penitus & ad miraculum efformauit, vt ipſe filius fateatur, teſteturque ampliſſimis verbis: *in ventre matris meæ figuratus ſum caro.* ſiue: *ſculptus ſum caro,* vt Græca tranſtulit lectio.

Cum igitur aureæ huius fibulæ tam mirabilis, ac ſemper ſibi ſit planè conſtans vnio, licèt partes tam diuerſis è locis, cælo terràque, Deo atque fœmina trahat vniendas, quomodo in ſui contemplationem primò deinde in admirationem etiam non rapiat vnumquemque mortalium? Cum hominis naturam ex geminis, ſed diuerſis partibus coaleſcentem contemplatur attentiùs Nazianzenus ille Gregorius, miratur ac ſtupet, docetque oratione 26. mixtionem illam eſſe planè myſticam, & arcano modo perfectam & inexplicabilem. Et orat. deinde 34. totus ac penitus in admirationem conuerſus exclamat, *quæ eſt noſtra hæc mixtio? qua ratione quod immortale eſt, cum mortali coniungitur? quonam modo deorſum fluo, & furſum feror?* &c. Clemens autem Alexandrinus lib. 4. ſtromatum aſſerit idcircò hominem eſſe ſimilem Centauro figmento Theſſalico. Et Lactantius lib. 6. cap 5. hominis molitionem vocat: *inenarrabile opus.* Qui poterit igitur fieri, vt cum ex homine ſimul ac Deo vnum quid factum indiſſolubile videamus, non ſubeat admiratio pectus, & ingens inuadat amor animum, quo ſine voce fateamur, debere nos iterum nos ipſos & quidem titulo illuſtriore conditori, ac reparatori Deo, qui infinitè magis diſtantia quàm corpus & animam, fecit vtraque vnum inexplicabili quodam nexu inauditoque prodigio? Iure igitur Nazianzenus orat. 42. cùm de Incarnatione loquitur: *O nouam,* inquit, *& inauditam mixturam, ô admirandam temperationem,* &c. Iure etiam S. Bernardus exclamat ſerm. 3. in vigilia Natalis Domini. *Admirabilis iſta mixtura, & omni miraculo mirabilior: quomodo tam diuerſa, tamque diuiſa ab inuicem, inuicem potuerunt coniungi,* &c. Sed ipſe paulò poſt ſoluit dubitationem ſuam, vt partem Chriſti cæleſtem ab æterno olim Patre elaboratam, cum parte terrena à Virgine matre fabrefacta credamus non ſolum conueniſſe; ſed inuiolabili prorſus vinculo fuiſſe perenniter, atque adeo pro nobis feliciter copulatam. *Hæc duo,* inquit, *nequeunt commiſceri, ſi non miſceat glutinũ Spiritus S.* &c. quo glutino pollens potenſque cæleſtis vnio fibulæ vel ipſam omnia ſcindentem mortis ſecurim reformidare nec poteſt, nec debet, tueturque ſe aduerſus vim omnem & temporis iniquitatem, ac morſum. Quod ſi S. Ambroſius examer. lib. 2. cap. 1. cum ea omnia, quæ mundi ambitu continentur, euolueret, & quibus inter ſe nexibus adunata conſiſterent, accurata contemplatione perpenderet, in ea tandem verba admiratione perfuſus erupit: *quis ergo non miretur diſſimilibus membris diſparem mundum in corpus vnum aſſurgere, & inſolubili concordiæ charitatiſque lege in ſocietatem & connexionem ſui tam diſtantia conuenire, vt, quæ diſcreta natura ſunt, in vnitatis & pacis vinculum velut indiuidua compaſſione nectantur;* &c. Quid nos ſentire vel etiam prædicare de noſtra hac vnione par erit, quæ incredibilibus inter ſe diſcreta, ac diſſociata limitibus rapit, implicatque amabiliter ſimul corpus in vnum? *Hoc illud ſcilicet erat quod me admiratione pariter, ac ſtupore defixum tenebat, cæli* (inquit S. Chryſoſtomus ſerm. 72.) *ac terra, carnis & Dei repentè tantum poſſe prouenire commercium, vt Deus in hominem, homo in Deum; Dominus in ſeruum, ſeruus in filium verteretur, fieretque diuinitatis & humanitatis, ineffabili modo, vna & ſempiterna cognatio. Et quidem Deitatis erga nos dignatio tanta eſt, vt ſcire nequeat, quid potiſſimum mirari debeat creatura, vtrum quod ſe Deus ad noſtram depoſuit ſeruitutem; an quod nos ad ſuæ diuinitatis rapuit dignitatẽ,* &c. Dicamus igitur, vt præſens miraculum in vnione præſtanda terminemus cum Alexandrino Cyrillo in cap. vlt. Michææ: *verè ſtupor eſt Chriſti myſterium,* &c. Præſtantia ſunt hæc, & diuina: verum quis neſciat peracta eſſe Dei quidem imprimis è cælo aduentantis occurſu, potentiaque mirabili: ſed Virgunculæ etiam eius opera, quæ fuit hoſpita diuinitatis. Quod ſi olim Iuno apud Homerum à Ioue collocatur inter cælum terramque, tanquam amabile vinculum, quod vtrumque admirabili in ſe ratione connectat; quid miramur Beatam Virginem à Deo ita ſupra omnes homines, Angeloſque conſtitutam, vt paulò minus à Deo minorata videatur, vt verba mutuer ex S. Hieronymo, qui verſum illum pſalm. 8. *minuiſti eum paulò minus ab Angelis,* ſic transferre appoſite in rem noſtrã. *Paulò minus à Deo.* Regium Conſtantini Magni ſolium apud Conſtantinopolim, ſcribit Luitprandus lib. 6. cap. 2. eo artificio fuiſſe confectum, vt momento videretur humile, atque in ipſo ſolo velut depreſſum; poſtea verò efferretur repentè,

Mira hominis compoſitio.

Sed magis mira Dei & hominis.

Mira mundi conſonãtia.

Sed mirabilior vnio rã diſtiactis cõnectens.

Hæc vnio Virginis opera effecta.

pentè,

pentè, & ſublime clarumque conſiſteret velut ſolario compar; neque vlli cognitum eſſe poterat, qua id arte fieret. Solium profectò diuinitatis ex Damiano ſer. 2. de Nat. Virg. erat Virgo deipara, ſolium, inquam, tanta humilitate depreſſum, vt profundius collocari, inferiuſque vix poſſet; ſed idem tamen ad excipiendum Dei filium vtrinſque Imperatorem mundi aſſurrexit, cælo ac penè Superis inuidioſum, nam illa ipſa quae ſolium Virginis animatum deprimere videbatur, erigebat humilitas. Itaque commodam in illo ſtationem, vicinamque tantiſper inclinata mirata eſt ipſa Diuinitas. Quare cum de Chriſti Domini natura loqueretur Auguſt. lib. 1. de Symbol. ad Cathec. inter dixit: *Vnde humilis? quia homo natus ex hominibus. Vnde excelſa? quia ex Virgine &c.* Quæ nimirum cum filium gigneret, non poterat illi non omnia ſua decora, maieſtatemque tribuere, quam ipſemet illi filius non ita multò ante conceſſerat, & matri gratificaturus & ſibi. Debuit illa nempe ita minor Deo conſpici, vt ſupra omnes aſſurgeret creaturas, vt facili quodammodò deſcenſu Dei filius ad illam veniens nos quoque pariter inuiſeret; & nos interim aſcenſu non immodico efferremur ad Deū; & ille nos, nos illum complexu ſuauiſſimo foueremus.

Artificioſū Conſtantini ſolium.

Symbolum Virginis, quæ Dei ſolum eſt.

Sæpe mirari ſoleo cur Chriſtus Dominus in cœnaculo (quod ex Budæo eſt locus elatus, atque ſublimis) Euchariſtiam inſtituerit: nec verò vnquam huc vſque aliam huius rei cauſam reddi video, quàm quæ affertur ingenioſiſſimè à Nazianzeno orat. 44. num. 18. *Ieſus*, inquit, *cum ſublimioribus rebus diſcipulos initiaret, myſterium ipſis in cœnaculo impertit; vt illud indicetur partim Deum ad nos deſcendere oportere, quemadmodum olim in Moyſe contigiſſe ſcimus; partim nos ad eum ſubuehi; ſicque inter Deum, & homines conſortium iniri &c.* Ita prorſus eſt, ſed in Euchariſtia illud ſolùm amplificatum eſt, quod antea fuerat in Incarnatione peractum, cujus Incarnationis ex Chryſoſt. dilatatio quædam eſt Euchariſtia. Quis ergo fuit ille in Incarnatione locus, quod cœnaculum, quæ regia, in quam partim Dei filius deſcenderet, partim aſcenderet humana natura, niſi vterus Virginalis? ò aula cæleſtis, ò ſublime cœnaculum, ò vas & receptaculum myſterij à ſeculo abſconditi, ò miraculorum officina creaturam creatoremque attingens pariter pariterque connectens! hoc illud ſcilicet eſt, quod S. Hieronymus admirabatur ep. ad Euſtochium. *Quod*, inquit, *natura non habuit, vſus neſciuit, ignorauit ratio, mens non capit humana, hoc totum geſtum eſt in Maria &c.* In Maria, inquam, tanquam in loco qui maximè Deum deceret, cum ex ſeipſo ad nos venturus exiret, & extaſim quodammodò, vt habet S. Dionyſius, pateretur. Quare non immeritò Beatiſſima Virgo quamplurimorum auctoritate Patrum: *locus Dei*, tum magnitudine, tum charitate conſpicuus, appellatur. Nam ſi Iacob, quod in ſomnis ſcalam illam myſticam Geneſ. 28. videre ſibi viſus eſſet, ſtatim locum illum eo inſigniuit elogio, quo diceret, eum eſſe Dei locum ac Domum, cælique portam. *Quam terribilis*, inquit, *eſt locus iſte? vere Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam, Non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cæli.* Quid de Virgine arbitrari nos æquum eſt in cuius ſinu miſericordia ſcalam cælo inhærentem conſtituit, per quam, (vt videbimus paulopoſt) Deus ad nos ſine vlla ſui migratione deſcēdit? Eſt illa profectò Dei locus inſignis ac proprius, vt de illa dicere potuerit Rupertus lib. 5. in Cant. ſub initium: *ò cælum Dei, vnica ſedes Domini!* Et B. Epiphanius Cypri Epiſcopus: *Deum incomprehenſum anguſto* (an auguſto?) *potiſſimum loco in te ipſa contines &c.* Contines, inquam, ad eam vnionem, quæ caelo terriſque eſt à ſeculis exoptata, peragendam. Quare cum in praeſentia S. Bernardus tria inter caetera miracula Deum patrauiſſe aſſerat in Sententijs, vltimum ex ijs tanquam omnium longè maximum eſſe contendit. *Quod*, inquit, *ima ſummis ineffabiliter copulauit, vt ſcala Iacob mediante terrena cæleſtibus iunguntur.* Et à Petro Damiano Virgo ſalutatur: *ſcala cæleſtis per quam ſupernus Rex humiliatus ad ima deſcendit, & homo qui proſtratus iacebat, ad ſuperna exaltatus aſcendit, &c.* Non ergo locus otioſus fuit Heroina illa ſanctiſſima, quae ſeculorum omnium negotium, vt ex Bernardo ſer. 2. de Pent. verba depromam, ita ſuo confici vidit in vtero, vt etiam eius veluti mediatrix extiterit opportuna: vt mihi quidem illa fuiſſe concordia videatur Beatiſſima Virgo, de qua loquitur S. Petrus Chryſologus, non mortuis tamen expreſſa coloribus, ſed viuis imbuta, ac planè veris animata pigmentis: *Sicut*, inquit, *frequenter fieri videmus, vbi Regum, vel fratrum tabulæ depinguntur, vt inter vtroſque vnanimitatis declarentur inſignia, artifex pictor fœmineo habitu poſt tergum vtriuſque concordiam ſtatuit, quæ brachijs ſuis vtrumque complectens indicet, quod hi qui videntur corporibus ſeparati, ſententia*

Vterus Virginis cœnaculum.

Domus & ſedes Dei.

Scala cæleſtis.

Pulchrum Virginis ſymbolum.

A *tentijs & voluntate conueniant, ita nunc pax Domini* (Virgo Dei nos dicemus) *media aſſiſtens, & vtrunque noſtrum gremio palpante connectens, diſcreta corpora in vnum conuenire animum vlnis iungentibus docet &c.* Nã reuera B. Virgo non tam brachijs, quàm vtero partem vtramque complexa ligat ac vincit, dum locum vbi vniri queant, firmata iam pace ſuppeditat. Hinc *Mediatricem noſtram* appellari à SS. PP. video; S. Epiphanio hom. de laud. Virg. S. Bern. tum in c. 17. Apoc. tum verò ſer. 2. de Aſſumpt. & à S. Anſel. de excellentia Virg. cap. 9. Imò *Mediatricem & Reconciliatricem* à S. Ephrem orat. ad S. Virginem.

Varia eius Epitheta.

B *Dei & hominum mediatricem*, à B. Laurentio Iuſtiniano ſer. de Anuunt. Virg. *Mediatricem ſalutis* à S. Bernardo Epiſt. 174. *Mediatricem mundi* à S. Ephrem orat. de laud. Mariae; & à S. Bernardo ſerm. 2. de aduentu, & Ep. 174. Fuit enim ſine dubio mediatrix noſtra Virgo ſanctiſſima multis quidem de cauſis, ſed praecipuè quia locum quendam medium in quem ambae conueniunt ſine vllo diſcrimine partes praclarè exhibuit vterum ſuum.

Et verò, ſi caro noſtra ferrũ, eſt hodierna die auro Diuinitatis inuexum atque illigatum, vt exiſtimat S. Baſilius, ſatis apparet quàm multum aeterno Verbo Virginea mater collaborauerit, cuius potiſſimum ope ac ſanguine, noſtrae humanitatis ferrum per vim nouae cuiuſdam, ac potentiſſimae Alchimiae auro iunctum, in aurum ſe ſcilicet induit, vt aurum penè videatur euadere; multum quidem certè de ſua ferrugine dimittat auri penitus fulgore perfuſum, atque vt ſolet vua colorem, quem non habet, vicinis ab vuis mutuari, qua de cauſa dixit Poëta non ignobilis:

C

Miranda Alchimia.

Vuaque vicina liuorem ducit ab vna.

Ita vicinæ, imò iam ſibi copulatæ in vtero Virgineo diuinitatis radijs caro iam noſtra, videtur in Deum tota niteſcere, ſoror (ſi verbis audacia detur) & quidem gemella naſcentis apud nos Dei. Conueniunt omnes omnino Chymici beneficio lapidis hanc ferri in aurum transformationẽ tribuendam, vt loquitur noſter Delrius diſquiſitionum magicarum lib. 1. cap. 5. q. 1. Sect. 2. *§. oſtendere conantur.* ſed huc ipſum lapidem, quo appellent nomine, non conueniunt; longum ſit omnia Merculini, Treuiſani, Faniani, Vallenſis, Roſarij, & aliorum nomina congerere, quæ ſunt ſignificationis planè diuerſæ: Ex paucis cætera poſſunt dijudicari: vocant, *aquam viuam, aquam vitæ, aquam ſiccam, lignum*

D

A *vitæ; Sanguinem humanũ, lac Virginis; Mercurium philoſophorum, Draconem, coruũ, elixir, medicinam morborum omnium, id de quo qui bibit non moritur.* Et ſimilia partim ridicula, partim pugnantia, partim irreligioſa. Diſputent illi ſanè, & rebus ſuis nunquam ad exitum venturis magnifica imponant vocabula, quibus rerum loco, nunquam præſentium, nunquam futurarum, ſe magnificè iactent: dummodo apud nos certum ſit, & indubitatum, lapidem illum, quo tam eximius quàm verus Alchimiſta Deus noſtræ ferrum naturæ auro ſuæ diuinitatis fœderauit, ita vt penè in aurum verteretur, aliud non fuiſſe, quàm

Deus Alchimiſta.

B lac, & ſanguinem Virginis, lac ſcilicet & ſanguinem Mariæ deiparæ, vt iure ſit ab Iſaia dictum: *ecce Virgo concipiet, & pariet filium &c.* cui ſancta reſpondere, & occinere potuerit Eccleſia reſponſorio vltimo in circuncisione Domini: *Saluatorem ſeculorum, ipſum Regem Angelorum ſola Virgo lactabat vbere de cælo pleno.* Quod ſi verum eſt id, quod Albertus Magnus de Alchimia docet, ferrum ſi ſemel cum auro miſceatur, ſimulque confletur nunquam amplius ab auro diuidi poſſe omnemque artem, ingeniumque irrito conatu ſemper exerceri in ea quærenda ſeparatione, quæ contingere non poteſt. Quis

Sanguis & lac Virginis materia Alchimiæ.

C non videt, quàm etiam ex hoc capite argumento longè pulcherrimo comprobetur, vnionem, de qua loquimur, eſſe prorſus indiſſolubilem, & Gordiano nexu tot licet nodis conſtante, mirabiliorem?

Eſt igitur V. Deipara Dei hominũque locus peropportunus ad pacem firmandam, & ſtabiliendam concordiam & vnitatem. Eſt Maria, vt eam appellat Proclus hom. de Chriſti Nat. *vnitarum inter ſe naturarum officina, & ſalutaris reconciliationis Panegyris &c.* Eſt ingenioſa mediatrix, quæ artificio planè mirabili, dum auro diuinitatis ferrum noſtræ aſſociat humanitatis, ferrum ſimul ac ſe ipſam inaurat.

Maria locus pacis.

Officium reconciliatoriũ.

D Quare poſteaquàm S. Ambroſius tom. 5. ſer. 25. B. Virginem cum arca comparauit, docuitque in cæteris conuenire, mox ſubdit: *illa terreno ornabatur auro, iſta cæleſti &c.* Nam vt Arca intus, & extra fuit vndique auro illita, & inſigniter ornata, ita Maria diuinitùs auro cumulata, & penitùs imbuta cæleſti, nos quoque omnes aureos reddit cæloque tranſcribit velut aſtra gemmantia (quod olim Abrahamo Deus promiſerat) diffuſis vndique radiorum agminibus rutilaturos.

Arca inaurata ſimilis.

Quoniam autem ſatis hic ego intelligo non defuiſſe, nec defuturos aliquando ſciolos quoſdã qui mirentur, & quærant,

cur

A cur hunc ſibi potiſſimùm Diuinitas ſepo-
ſuerit atque elegerit locum; cur vterum
Deus adamauerit Virginis, in quo ſui, pa-
ciſque ac fœderis initi ſecurus conquieſce-
ret; quaſi verò ille dignius ſe, ad quod con-
fugeret, Aſylum non haberet quàm Virgi-
nis pectus, de quo canit Eccleſia: *domus
pudici pectoris templum repente fit Dei*.
His ego vt accurata, multiplicique ora-
tione reſpondeam, aio nullibi melius exci-
pi hoſpitarique Dei filium, & cum noſtra
carne æternum iure commercium potuiſ-
ſe; nullibi necti magnificentius auguſtiſſi-
mum illud cum limo Verbum: & quonam,
oro vos, vel ad ſui ſecuritatem tutius, vel
B ad dignitatem magnificentiùs, vel dulciùs
ad voluptatem poterat declinare Dei filius
quàm ad Virginis vterum illibatæ? vbi po-
terat honorificentiùs, ſuauiùſque conſi-
ſtere, quàm in illo Virginitatis ſacrario,
& floſulento iam antea thalamo Spiritus
Sancti? Si Chriſtus Dei filius flos eſt planè
conſpicuus, nec vſquam alibi viſus, vbi re-
poni ad tutelam poterat opportunius,
quàm in horto concluſo nulliquè vnquam

Vterus Mariæ hortus concluſus.

peruio Virginalis ventris, & cordis? Si
Chriſtus roſa eſt: *Ego*, inquit, *flos campi*.
Ego roſa ſatiua, transferunt alij: vbi po-
terat erumpere vberiùs, & explicare pur-
puram ſplendidius foliorum, quàm ſuo in
C ſtipite, in illa nempe Virguncula, quæ ſi-
cut plantatio roſæ micat in Iericho? Si

Plantatio roſæ.

Chriſtus eſt lilium, vbi poterat alacrius, &
remotius à ſpinis ad offenſam ſemper pa-
ratis, continere ſe ſe, quàm in lilieti me-
ditullio, hoc eſt, in Mariæ Virginis ven-
tre, qui ſicut aceruus tritici vallatus lilijs

Aceruus tritici vallatus lilijs.

ad miram ſpeciem fœcunditatis intumeſcit?
Si Chriſtus eſt arbor illa myſtica vitæ, vel
etiam vitarum, vt alij reddiderunt, vbi
collocari inſerique feliciùs poterat, quàm
in vitali illo Virginei clauſtri paradiſo, vt
ventrem Mariæ ſalutat Proclus Epiſco-
pus? Si Chriſtus erat margarita, quæ vt ha-

Paradiſus voluptatis.

bet Epiphanius, omnem pretij æſtimatio-
D nem excedit, vbi diligentiùs claudi po-
terat, quàm in annulo Virginis, au-
reo planè annulo, & mille virtutibus in-
terpuncto, vt propterea ſit dictum: *fœmi-
na circumdabit virum*? Si Chriſtus theſau-
rus eſt, vt Andreas Cretenſis philoſopha-
tur, vbi tutius, quàm in tuto Virginitatis
Mariæ includi poterat? vt magna ex par-
te eiuſdem Cretenſis verba transcribam.
Si Chriſtus Sol eſt, vt loquitur in cathena
D. Thomæ Chryſoſtomus, quod cælum

Cælum nobiliſſimum.

Mariæ vtero nobilius inueniri poterat, in
quo tanquam gigas exinanitus auhelaret
exultans ad currendam viam noſtræ mor-
talitatis? Si Chriſtus lux eſt, *ego ſum lux*

A *mundi*. Vbi elegantius clarere poterat quã
in ſolari Virginis corpore quæ fuit Daui-
dis ſententia Regis: *in Sole*, inquit, *po-
ſuit tabernaculum ſuum*. Nam Chriſtus

Sol clariſſimus.

Dominus ex ſacrorum interpretum aucto-
ritate Diuinitatis eſt tabernaculum, Ma-
ria vero eius tabernaculi velut aula ſola-
ris irradiat. Si Chriſtus ex exercituum
Deus, vbi ad ſpeciem pulchriùs, grauiùs
ad terrorem ſpectari poterat, quàm in ipſo
ſui exercitus agmine affabrè eleganterque
diſpoſito. Maria autem eiuſmodi eſt, vt
ſit, *caſtrorum*, ſiue vt legit Ambroſius:

Caſtrorum acies.

admirationum acies ordinata: quas vt co-
minus ſingulas contempletur non eminùs
B Dei filius, Virgineis interſerit ſe ſuaque
omnia bona viſceribus perbeatè fruiturus
parentis conſortio, amicaque dulcedine.
Si Chriſtus eſt Verbum illud æternum &
immutabile vbi poterat exarari, deſcribi-
que felicius, ne deleretur ab ijs, qui cla-
mabant: *eradamus eum de terra viuen-
tium, & nomen eius non memoretur am-
plius*, quam in Virgine, quæ *liber incom-*

Liber incomprehenſus.

prehenſus dicitur à S. Epiphanio? Deni-
que ſi Chriſtus Dei filius eſt *pulchritudo il-
la tam antiqua, tam noua*, de qua loquitur
Auguſtinus? Si recõdita quædam voluptas,
ſi penitùs inacceſſa maieſtas, ſi Diuinita-
tis plenitudine imbuta ſubſtantia, ſi om-
C ninò Deus Deo parente non minor, quem
locum Mariæ ventre pulchriorem, quàm
ſedem Virginis animæ pretio ſuperiorem
aut etiam parem, quem nidum Virgineo
pretioſiorem corde, quàm digniorem Dei-
para creaturam, in qua è cœlo deſcendens
aulam ſuam ſeque ipſum ſtatueret vt po-

Aula deſtinata.

tentiæ ſuæ ac prouidentiæ calliditate vo-
naretur terrarum orbem vniuerſum, po-
terat inuenire?

Maria ſcilicet, vt eſt procreatarum re-
rum omnium flos non ſecus emicat ac
pulchritudinis, venuſtatiſque compen-
dium, & gemma bonorum omnium abſo-
lutiſſima complexione perilluſtris. Maria

Pulchritudinis compendium.

D ſiquidem tot prædita meritis cælo caput
extulit, vt ſola Angelorum omnium, ſan-
ctorumque virorum, ac fœminarum meri-
tis omnibus ſimul ſumptis, & in vnum col-
lectis antecellat: nam ſi cumulus meri-
torum omnium fieret, quibus Prædiſtinati
omnes clarent, ſiue ij homines ſint, ſiue
cœleſtes Spiritus ex vna parte; ex altera
verò B. Virginis tantùm merita colloca-
rentur, infinita penè quadam ratione effer-
rent ſe ſe merita magnae matris ſupra me-
rita omnium Angelorum, hominumque;
quorum omnium cumulus longè minor
cumulo ſolius Virginis cerneretur. Quod
non Theologi ſolùm docent, ſed arithme-
ticis

ticit etiam regulis, numeriſque prorſus eminent tum ex Dominicana Familia Theologus inſignis pariter, & concionator F. Richardus ſer. in litanias decimotertiò; tum verò Areſius amœnitate ingenij, & Epiſcopatus dignitate conſpicuus; in Nube quam pro inſigni proponit, & explicat eruditè. Hinc illa ſunt S. Anſelmi de laudibus Virg. cap. 9. *pura ſanctitas, & ſanctiſſima puritas pijſſimi pectoris eius omnem omnis creaturæ puritatem, ſiue ſanctitatem tráſcendens incomparabili ſublimitate hoc promeruit, vt reparatrix perditi orbis digniſſimè fieret &c.* B. Laurentij Iuſtiniani ſer. de Aſſumpt. *Meritò quidquid honoris, quidquid felicitatis habebatur in ſingulis, totum abundabat in Virgine: Hinc Sanctorum admiratio de Maria &c.* ac denique B. Petri Damiani ſer. de Aſſumpt. *Virgo*, inquit, *inter animas ſanctorum & Angelorum choros ſupereminens & electa, merita ſingulorum, & omnium titulos antecedit &c.* Vbi ſine dubio, vt animaduertit noſter Suarez, duæ illæ particulæ *ſingulorum*, & *omnium*, energiam aliquam habere videntur, cùm præſertim dicat ibidem Damianus, ita ſuperari à Virgine ſanctos omnes in gratia, ſicut à Sole ſtellæ vincuntur luce, & claritate: ac denique ita rem totam concludat vt nemo poſſit dubitare, quin ſola Virgo cæteris ſimul omnibus antecellat: *Virgo*, inquit, *in illa inacceſſibili luce perlucens, ſic vtrorumque ſpirituum hebetat dignitatem, vt ſint, quaſi non ſint, & comparatione illius nec poſſint, nec debeant apparere &c.* Imò verò S. Bernardinus Senenſis neſcio quid audet dicere, quod incredibile propemodum videtur, cùm tamen veriſſimum ſit, longeque certiſſimum: Docet enim B. Virginem eo tantùm fidei obedientiæ, & humilitatis vnico actu, quo ſe hodierna die Ancillam Domini, & compellauit & credidit, cum Dei mater eligenda aſſenſum Angelo præbuit, plus meruiſſe quàm omnes ſimul Angeli homineſque vnquam meruerint omnibus virtutum omnium actibus, quas dum viuerent hi, dum in via illi eſſent exercere potuerunt. Cuius ſanè opinio ſolitaria non eſt, nam eandem referunt, ac ſequuntur Suarez Theologiæ lumen alterum tom. 2. in 3. part. diſput. 18. ſect. 4. §. dico 2. in fine, Barradius tom. 1. lib. 6. cap. 10.

Imò vnico actu ſuperauit vniuerſos.

Quæ cùm omnia veriſſimè dicantur, quid miramur Dei filium Virginis vterum elegiſſe; vbi tanquam in Auguſto domicilio ſui ſecurus, & ſuæ dignitatis non omninò obliuioſus conquieſceret? Erat planè Deipara tot vndique naturæ, vt vidi-

A mus, gratiæque dotibus inſignis, tot dotata virtutibus, vt magnetica quadam potentia prædita videretur ad alliciendam ad ſeſe, trahendamque ſuauiter Diuinitatem, quæ in auream quodammodò fibulam transformata, aureum Virginis reclinatorium congruenter expeteret, in quo dulciter requieſceret.

Virgo magnes trahẽs diuinitatem

Hinc Sanctorum Patrum ſententia duxit originem, vim quodammodò ſua pulchritudine B. Virginem intuliſſe cælo ac Deo, vt nos citiùs in eius vtero conueniret. S. quidem Bonauentura cùm in pſalterio loquitur de Virgine ingentis Verbi hoſpitatrice, ſimul exiſtimat, ac docet

B vim quãdam intuliſſe Deo, vt ad ſe quamprimùm vnionem, ac pacem firmaturus accederet: *quia ergo*, inquit, *Domina humillima fuiſti, Verbum incarnatum ex te carnem ſumere coëgiſti &c.* Coëgit, me iudice, non ſolùm vt quamprimùm aduentaret in vterum, ſed vt in illo moras quoque necteret, & propemodum illaquearet importunas, vt niſi ſe tandem excuteret, exire in apertam lucem, & exoriri non poſſet. Nazianzeni certè ſunt illa orat. 2. in Paſcha. *Ex Virgineis*, inquit, *& maternis vinculis pro poteſtate, & violenter erupit &c.* Cui ſubſcribit Ambroſius ſerm. 28. *Sinus*, inquit, *Chriſti erat in Deo Patre*

Vim quodã modo Deo intulit.

C *Diuinitas, in Maria matre Virginitas, cuius ſic tenebatur pulchritudine, ſic irretiebatur amore, vt ni ſibi inferret vim, ab illa exire nequiret &c.* Imò locus ille Virginalis vteri amœniſſimus erat, atque eximijs delitijs conſitus: erat quippe vt loquitur Hieronymus, *hortus deliciarum, in quo condita ſunt omnia florum genera, & odoramenta Virtutum*: erat hortus, non Iouis; de quo diſſerit ex Platone Ambroſius de bono mortis cap. 5. & Sophocles apud Stobæum ſerm. 101. in quo ſolùm beatam ineſſe ac gigni felicitatem comminiſcebantur: erat, inquam, non falſi, ſed veri hortus Iouis, qui vt nos omnes

D iuuaret, è cælo veniebat Dei filius Patri coæquenus, non tamen ſatis ipſe ſibi, vt ita dicam, violentus ad deſerendam, qua per nouem iam menſes fruebatur, pulcherrimam ſtationem, ac portum planè fidelem, in quem ſe ex cæli nauigatione contulerat, & retinaculis propemodum inſolubilibus, quia dulciſſimis, detinebatur. Quare ipſa ſcilicet omnipotentia, ac Pater æternus debuit obſtetricis munus curamque peragere, vt ex pulcherrima ſe poſſeſſione Dei filius tandem aliquando liberaret, & mortalium bono viſibilis fieret, & non amplius eſſet vt antea diſſociabilis. *Nulla*, inquit S. Hieronymus aduer-

Omnipotentia obſtetricem egit.

A aduerſus Heluidium: *ibi obſtetricum nulla mulierum ſedulitas interceſſit; ipſa pannis inuoluit infantem, ipſa mater, & obſtetrix fuit &c.* Imò ſubdit idem: *ipſa Dei omnipotentia fuit obſtetrix, ipſa enim ex ventre clauſum mirandum in modum extraxit.* Id quod ipſemet Dei filius, qui ægrè admodum conclaue illud amatorium amaſius ipſe relinquebat, fatetur ingenuè contigiſſe; nam verſus ad patrem: *Tu es*, inquit, *qui extraxiſti me de vtero matris meæ*. Id eſt, *de vtero S. Mariæ*, vt in eum locum ait Hieronymus, id eſt, de vtero Virginali. Quem tamen locum Tertullianus cùm affert de carne Chriſti c.2. illuſtrat etiam longè nobilius: *Tu auulſiſti me*, inquit,

Chriſtum ex vtero extraxit.

B *ex vtero matris meæ*; Statimque ſubdit: *quid auellitur niſi quod inhæret, quod infixum eſt ei, quod auellitur? ſi non adhæſit vtero, quomodò auulſus eſt? &c.* inhærebat ſine dubio mordicus, quod vt ſepararetur, auellendum fuit. Carnem ex Mariæ viſceribus excerpſit, in quibus proinde ſuam quietem, ſuum nidum, ſuum collocauerat cœlum. Sed tu Pater primùm, ac mox etiam meus erga homines amor ad exitum compuliſtis, licet tantiſper ingratum exeo, quod dulciſſimè detinerer in loco voluptatis vtero Virginis. Nam cùm Chriſtus homines deperiret delicias ſuas, & vt loquitur B. P. Damianus ſerm.

C de Annunc. *è duobus locis voluptatis egreditur, ex vtero Patris, ex vtero Virginis &c.* nec poſſet omninò è ſinu Patris auelli (rectè enim S. Fulgentius ſer. de Nat. Chriſti; *ſemper Dei filius apud Patrem, ſemper de Patre, ſemper in Patre*) vt humano generi clara omninò ſui aduentus oſtenſione conſuleret; quod potuit, auelli ſe paſſus eſt ex vtero Virginis illibato, *Loco*, ſcilicet, *voluptatis*, inquit Damianus, *quem Deus omnibus gratiæ diuitijs cumulauit &c.* vt pro mortalibus vnionem, quam inchoauerat in vtero Deus homo, aliquando tandem ſua paſſione perficeret. *Studeamus igitur* (ſunt verba S. Bernardi ſer. 2. de Aduentu) *& nos dilectiſſimi ad ipſum per eam aſcendere, qui per ipſam ad nos deſcendit; per eam venire in gratiam ipſius, qui per eam in noſtram miſeriã venit: per te acceſſum habeamus ad filium, ò benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater ſalutis, vt per te nos ſuſcipiat, qui per te datus eſt nobis.*

Hiſce porrò hactenùs allatis licet ſatis ſuperque dictum videatur de dignitate, quam vnigenitus Dei traxit ex vtero Virginis; adhuc tamen ſequenti paradoxo de Chriſto Domino mortalitatis humanæ ſordibus exaltato vberiùs, & enucleatius eſt diſſerendum.

IN CA-

IN CAPVT DECIMVM TERTIVM
A Num. XXXI. ad XXXVI.

Aliam parabolam propoſuit eis, dicens: Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminauit in agro ſuo: quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus: cùm autem creuerit, maius eſt omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius. Aliam parabolam locutus eſt eis. Simile eſt regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatū eſt totum. Hæc omnia locutus eſt Ieſus in parabolis ad turbas: & ſine parabolis non loquebatur eis: vt impleretur quod dictum erat per Prophetā dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi.

PARA-

PARADOXVM VI.

Dei filius humana vilitate exaltatus.

QVONIAM grauiſſimi, gratiſſimique argumenti incidit mentio (quid enim gratius, aut grauius quàm donatam diuinitate humanitatem) examinari debet attentiùs, quo pacto fuerit Natus Deo vilitatis humanae ſordibus exaltatus. Siquidem cum ſe maieſtas ſumma imbecillitati noſtræ copulauit, non ſolùm quae iacebat ingloria, ſublimis iterum natura ſurrexit humana, erigente illam Deo; ſed ipſe quoque Deus, qui vt illam attolleret, depoſuerat maieſtatem, & inclinauerat ſe ſe, mira quadam ratione, ac nouo prorſus inauditoque prodigio, dum deijci videtur, eleuat ſe ſuper ſe; & quanquam neſcia creſcere, creſcit ipſa ſublimi hac humilitate Diuinitas.

Quod humana natura Deo in terras deſcendente ſurrexerit, ita vt amici Numinis deſcenſio, fuerit hominis ad cælum vſque prouectio, certum eſt, & multò notius, quàm vt vlla probatione ſit opus.

D

Dei deſcenſio fuit hominis prouectio.

Huc ſpectant illa Tertulliani lib. 2. aduerſus Marcionem cap. 27. *Deus puſillus inuentus eſt, vt homo maximus fieret*. Huc Sanctus Ambroſius in concione de obitu Theodoſij. *Humiliauit ſe Chriſtus, vt omnes eleuaret*. Huc illa Sancti Bernardi ſermone 1. in Salue Regina. *Verbum caro factum eſt, Deus humilis, & homo ſublimis*. Huc Sanctus Ildephonſus cap. 8. de Virginitate Sanctæ Mariæ. *Pro humanis*, inquit, *humiliantur diuina, & in diuinis ſubleuantur humana; quod ſublime eſt cedit humili, & humile dirigitur in ſublime*.

A

Huc ea, quæ fusè docet Richardus de Sancto Victore in pſalm. 28. vbi inter cætera hæc habet. *Si contriſtaris in Adam primo, congratulare in ſecundo, maior hic ad erigendum, quàm ille ad deijciendum*. Huc Idiota de Amore Dei cap. 5. cum Chriſto Domino loquens. *Feciſti te propter nos hominem, ſubiecisti te, & ſuſcepiſti nos, inclinaſti te, vt nos erigeres; exinaniſti te maieſtate, vt impleres nos diuinitate; deſcendiſti vſque ad nos, vt aſcenderemus ad te*. Huc S. Ephrem tum ſermone primo de pœnitentia.

B

Propter te, inquit, *Deus excelſus de cælo deſcendit, vt te ex terra in cælum eleuaret*. Tum de Antichriſto in primum metrum: *Chriſtus*, inquit, *mitis ac humilis in terris viſus eſt, vt nos è terra in cælum ſublimaret*. Huc ſæpè Beatus Petrus Damianus: *deijci voluit* (ſic loquitur ſermone de natiuitate Domini) *vt nos ad ſumma proueheret. Sublimitas*, ſermone de S. Columba, *inclinata eſt, vt deiectos erigeret. Idcircò Deus*, ſermone de Sancto Barbatiano Presbytero, *deſcendit, vt homo aſcenderet; idcircò humiliari dignatus eſt, vt hominem exaltaret. Niſi Deus humiliaretur infra ſe, nequaquam homo exaltaretur ſuper ſe*.

C

Dei firmitas noſtram extulit infirmitatem.

Sermone primo de Sancto Seuero, & ſermone ſecundo de eodem: *inde*, inquit, *ſurrexit vltra ſe infirmitas noſtra, vnde ſub ſe infirmata eſt firmitas Dei*. Sed in ſermone de Sancto Luca plurima hinc inde non vno loco congerit, cum enim perpendit Sanctum Matthæum in texenda linea Saluatoris progredi deſcendendo, quam eandem Sanctus Lucas conficit aſcendendo. *Ille*, inquit, *aſtruit Chriſtum ad terram miſericorditer deſcendentem, iſte fatetur eum nos ad celeſtia ſubleuantem; ille itaque docet Dei filium ad nos humiliter inclinatum; iſte pronunciat nobiſcum ſimul cum triumphali gloria cælitus exaltatum: deſcendit enim Chriſtus ad iacentes, vt eos ſecum proueheret in aſtra victores. Redemptor noſter & ipſe de morte ſurrexit, & nos ad cæleſtia viuentes de mortuis eleuauit. Ipſe itaque principaliter conſurgens ſiue eleuans dicitur, quoniam ad hoc de morte ſurrexit, vt nos in morte proſtratos erigeret; ad hoc aſcendit in cælum, vt ſecum nos ad cæleſtia ſubleuaret; ad hoc dignatus eſt de ſummis ad ima noſtra deſcendere, vt nos ſecum ab infimis ad propria ſubleuaret*. Huc ſæpe etiam ſuis

in ſermonibus Sanctus Leo: nam ſerm. 5. de natiuitate. *In aſſumptione* inquit, *natura noſtra, nobis factus eſt gradus quo ad ipſum per ipſum poſſimus aſcendere.* Et iterum ibidem: *Creatoris ad creaturam deſcenſio, credentium eſt ad æterna prouectio. Agnoſcat igitur catholica fides in humilitate Domini gloriam ſuam.* Et ſermone 7. de natiuitate: *Ita ſe nobis, nos quoque inſeruit ſibi, vt Dei humana deſcenſio fieret hominis ad diuina prouectio.* Et ſermone primo de paſſione; *Humilitas diuinitatis noſtra prouectio eſt, nos tanto redimimur pretio, nos tanto curamur impendio.* Et ſermone primo de SS. Petro, & Paulo. *Verbum caro factum, ita diuinam naturam naturæ vniuit humanæ, vt illius ad infima inclinatio, noſtra fieret ad ſumma prouectio.* Ac denique ſermone primo de Reſurrectione: *Vt nos in ſua proueheret, in noſtra deſcendit.* Sed Gregorius Papa citatus ab Hugone de Sancto Victore lib. 4. de clauſtro animæ, quia finalem exprimit cauſam, clariùs etiam collineat in rem noſtram: *Is*, inquit, *qui propter nos minor Angelis extitit, æquales nos Angelis virtute ſua minorationis fecit.* Et Sanctus Chryſoſtomus, illo longe antiquior homil. 2. in Matthæum fortaſſe dilucidiùs eandem reddidit, explicauitque ſententiam. *Non fruſtra*, inquit, *nec vanè ad tantam humilitatem ipſe deſcendit, ſed vt nos ex humili ſublimaret.* At quàm ſublimes extulit? tam ſublimes, vt contra ſapientiſſimi Regis præceptum altiora nobis non tam quæſiuiſſe, quàm tenuiſſe videamur, eòque gloriemur prouectos, quò nulla poſſit pertingere creatura; quàm omnem humana natura iacentem deſpectat inferiùs, cum ſupra ſe nihil planè niſi Deum videat.

Pulchra de Iride conſideratio.

Qui naturam ſcrutati ſunt vniuerſam, docent, Iridem Solis filiam verſicolorem in nubis velut vtero tantiſper concauæ gigni, Patriſque periluſtris referre imaginem, nihil de nigra matre trahentem. Sed vt arcus elatis alte coloribus diffuſas vndique nubes imbuāt, & ex multis veluti gemmis compacto diademate circinent ad nitorem, diffuſaſque procul terras ex altiore cæli faſtigio ſublimes ingenteſque deſpectent, neceſſe eſt vt Sol ipſe ſe deprimat, & infernè quodammodo iaceat; alioquin ſi alto velit ipſe tramite prouehi, arcus iacebunt. *Sunt ſublimes*, inquit Plinius lib. 2. cap. 59. *humili Sole, humileſque ſublimi.* Quod ante Plinium ſcripſerat Seneca natural. quæſt. lib. 1. cap. 3 *vbi Iris*, inquit, *nunquam non aduerſa ſoli eſt, ſublimis aut humilis prout ille ſe ſubmiſit, aut ſuſtulit contrario motu: illo enim deſcendente altior eſt, alto depreſſior.* Sol ſine dubio Deus eſt omnium confeſſione clariſſimus; noſtra verò per Iridem natura ſignificatur, vt multi SS. aſſerunt Patrum in illud; *Ecce Dominus aſcendit ſuper nubem leuem.* Et Rupertus Abbas in Geneſim moltò diſertiùs, cùm arcus in nubibus pictus à Sole, ſuæ maieſtatis amaſio non minus in cælo, quàm fuerit Narciſſus in terris, non ſit imago Solis verius, vt Seneca cæterique Philoſophi voluerunt, quàm ad imaginem Parentis Dei, & ſimilitudinem diuini vultus hominis natura fuerit efformata, ac multiplici virtutum veluti colorum varietate depicta. Quid ergo quærimus, quam hæc ſublimis extiterit hodierna die cum Solem ita depreſſum videamus æternum? *Chriſtus*, inquit Bernardus ſerm. 53. in Cantic. *humilitate ſua Incarnationis vicit hominum humilitatem.* Et apud Tertullianum de Chriſti carne cap. 4. *Chriſtus propter hominem omni ſe humilitate deiecit.* Sed maius neſcio quid protulit Caſſiodorus lib. de anima, pagina penultima. *Tanta fuit*, inquit, *in ſancta Incarnatione humilitas, quanta eſt in diuinitate incomprehenſibilis maieſtas.* Sed hæc maieſtas vt eſt incomprehenſibilis, ita illuſtrior aut maior eſſe non poteſt etiam humilitas inenarrabilis, ac proinde naturæ noſtræ, hoc eſt, myſticæ Iridis altitudo omnium oculis accidet planè mirabilis, ſi non etiam inuidioſa. Et verò vſque adeò certum, verumque eſt, Solem Deum in Incarnatione inſimum locum tenuiſſe, vt Solem hunc noſtrum corporatam eius imaginem etiam rebus in maximis, ſymbolum tamen eſſe ſignumque voluerit ſuæ deiectionis: quare Sol ſub terris mirum quantum iacebat, cum mediae noctis tempore Chriſtus erupit: praeterea non modò Sol in Auge non erat, ſed vt ab aliis concludi video, & nominatim ab Areſio impreſſ. ſecunda, hoc eſt, in Panthera pro Chriſto Domino diſcurſu tertio illi maximè oppoſitus, atque adeò ſi vnquam aliàs ferè maximè terris proximus, humiliterque proiectus: vt non immeritò concludere poſſit Auguſtinus de Trinitate cap. 9. *Sicut ipſa diuinitas quò ſe deponeret humiliùs non habuit, ita tanta fuit natura humana ſubuectio, vt quò altiùs attolleretur nō haberet.* Id quod

Incarnationi applicatur.

Deus in Incarnatione maximè abiecit ſe, hominem verò maximè extulit.

S. Leo

A S. Leo ſæpenumerò extulit explicatius: nam ſermone primo de Aſcenſione, cum de loci altitudine quæreret, in quem ſe natura alienæ gradibus humilitatis promouebat. *Super omnium*, inquit, *creaturarum cæleſtium dignitatem, nec vllis ſublimitatibus modum ſuæ prouectionis habitura niſi æterni Patris recepta conſeſſu, illius gloriæ ſociaretur in throno, cuius natura copulabatur in filio.* Et ſermone 2. dè Aſcenſione: *vltra omnium altitudinem poteſtatum ad Dei patris eſt prouecta conſeſſum.* Ac denique apud eundem ſermone 3. de Pentecoſt. Chriſtus ipſe ſic loquitur: *ſuper omnes* B *cælos ad patris dexteram collocanda veſtra in me humilitas eleuatur.* Cum Sancto Leone conuenit Theodoretus qui conferens illud pſalm. 112. 7. *Suſcitans à terra inopem*: cum verſu 8 primi Regum cap. 2. *ſuſcitat de puluere egenum.* tandem de Deo loquens hac ratione concludit: *ſic humanam naturam, cum in ipſum mortis profundum decidiſſet, aſſumpſit & ſurſum erexit, & collocauit ſuper omnem principatum, & poteſtatem, & dominationem; & omne nomen quod nominatur non modò in ſeculo hoc, ſed etiam in futuro.* Atque hinc facilè intelligitur, cur Angelus in veteri teſta- C mento adorari ſe paſſus ſit ab hominibus, in nouo autem adoratorem Ioannem in Apocalypſi ſemel, iterumque reſpuerit, dixeritque: *Deum adora.* Nam humana natura, quæ ante Chriſti aduentum infra Angelos iacebat ingloria, poſt Verbi Incarnationem ſupra omnes Angelos conſtituta non debet illi ſubiici, ſed æquari. Audiamus Richardum de S. Victore in Apocalypſim parte 2. libro 7. cap. 8. *Quare Angelus*, inquit, *in veteri teſtamento ſe ab homine adorari ſuſtinuit, ſed in nouo id ipſum fieri conſtanter prohibuit? videlicet ab homine adorari recuſauit, ex quo humanitatis no-* D *ſtræ naturam ſupra ſe in Redemptore mundi glorificatam vidit. Deum adora, quaſi diceret: illi iam ſoli hunc exhibere debes honorem, cuius ego tecum ſupra me vereor, & veneror regnantem humanitatem. Ego nimirum à te adorari amodò non patior, quia tuam naturam Diuinitati conregnantem contemplor.*

Angelus in veteri teſtamento adorari ſe permittit, non item in nouo.

Et tamen cum haec omnia veriſſimè dicantur, & nos Dei filius iam proſtratos, atque abiectos tanta ſui demiſſione amabiliter, quia ad vitam venaturus, euexerit, vix eſt qui recogitet, nedùm qui rependat beneficium, vel agnoſcat, A ac ſequatur benefactorem ſuum. Elephas non aliter quam ſtans quietem ac ſomnum capit, eum ſi corpus planè deponat, ac ſe omninò in ſomnum reſolutus proſternat, exurgere deinde non queat: vt autem tutiùs dormiat atque commodiùs; arborem prægrandem quærit, eique tota ſui mole corporis adhæreſcit feſſa diuturno labore membra vtcunque ſopiturus; animaduertunt hoc callidi venatores, qui vt turritis illis belluis, animatiſque, vt ita loquar, muntibus potiantur, arbores aliquantulum ſecant; eas ſuo pondere dum Elephantes premunt, cogunt penitùs ruere, qua- B rum ipſi quoque ruina ſuccumbant, & cadant neceſſe eſt: cum autem aſſurgere per ſe, vt diximus, nequeant, adſunt conſcij rei totius venatores, qui belluam, licet immanem dum ſubleuant, mitem & obſequentem experiuntur, ſibique planè deuotam. Quippè erectus Elephas ſtatim, ne ingrati animi vitio teneri videatur, ſequitur erectorem ſuum, cuius beneficium vidit, inſidias quia non vidit, eludere, aut cauere non potuit. Videndi ſunt Ælianus de hiſtoria animalium, Philoſtratus de Vita Apollonij Thyanæi. Sanctus Ambroſius lib. 6. examer. cap. 5. Hugo de Sancto Victore tom. 2. tum C lib. 1. de clauſtro animæ capite 7. tum lib. 2. de natura animalium cap. 26. Pierius in Elephante, alijque Græcorum qui hæc de Elephante litteris tradiderunt: imò & Plinius, qui non nihil indicat lib. 8. capite 8 ſed præcipuè Caſſiodorus qui lib. 10. variarum epiſt. 30. fusè, & eleganter proſequitur hæc omnia incipit autem epiſtola, ne ſit in editionibus error: *Relationis veſtræ tenore comperimus.* Imò Solinus, qui hoc cap. 33. indicat de Elephante, aſſerit clarè diſertèque de alio quodam animali, & apud Tartaros quandam eſſe gentem, quæ in cruribus caret flexu poplitis, ideòque cum ceci- D derint eius gẽtis homines, nequeant exurgere, tradunt Apoſtolicæ ſedis legati ad illas gentes lib. 1. cap. 6. de rebus Tartaricis apud Maiulum colloq. 2. pagina penultima. Hoc autem totum, quod de Elephante, eiuſque venatoribus locupletiſſimi auctores referunt, licet multas patiatur à veritate difficultates, Chriſto tamen nobiſque penè conuenit adamuſſim: nos quippe in amæno illo voluptatis vireto prorſus omnes in Adamo ad arborem illam ſcientiæ boni & mali infeliciter appliciti, quanquam non vt Elephas, de periculo certoque diſcrimine à Deo moniti cecideramus: Chriſtus verò in tem-

Mira Elephantis capiendi ratio

Elephantis gratitudo.

Homo lapſus aſſimilatur Elephanti.

A pore homini, humanoque generi perhumaniter adſuit, manuſque ſic præbuit auxiliatrices, vt dicere poſſit illud Canticorum cap. 8. 5. *Sub arbore malo ſuſcitaui te*. Atque hoc ipſum illud eſt, quod fatetur ingenuè Sanctus Ambroſius lib. 4. Epiſt. 17. ad Clericos quoſdam tom. 5. vbi ad illa verba Eccleſ. 4. *melius eſt duos eſſe ſimul, quàm vnum*; docet alterum ex his Chriſtum eſſe; nam ſicut lib. 4. Reg. cap. 4. proiecit ſe Eliſæus vt mortuum erigeret; ita Chriſtus proiecit ſe vſque ad noſtram fragilitatem, vt nos erigeret: proiecit ſe, non cecidit, ſed erexit conſortem. Vnde pulchrè Eccl. 4. quoniam qui cecidit, alter erigit ſocium ſuum. B Fatetur hoc idem Sanctus Auguſtinus tùm lib. 1. de ſymbolo cap. 3. *Exaltauit*, inquit, *ſe homo, & cecidit; humiliauit ſe Deus, & erexit. Humilitas Chriſti quid eſt? manus Deus homini iacenti porrexit; nos cecidimus, ille deſcendit; nos iacebamus, ille ſe inclinauit, prendamus, & ſurgamus, ne in pœnam cadamus*. Tùm verò in pſalm. 3. vbi ad illa verba: *Tu autem Domine ſuſceptor meus es. Secundùm hominem*, inquit, *dicitur Deo, quia hominis ſuſceptio eſt Verbum Incarnatum*. Fatetur Sanctus Gregorius lib. 12. in Iob. *Creatura*, inquit, *ne ſub ſe defluat, ſed in incorruptione perſiſtat, ad incorruptibilitatis ſtatum auctoris ſui dextera C leuatur*. Fatetur S. Leo ſerm. 6. de paſſione: *Crucifigitur Chriſtus per lignum, erigitur lapſus in ligno*. Ac denique Idiota cuius illa ſunt cap. 7. de Amore Dei: *Me deuiantem reduxiſti, ignarum docuiſti, dum peccarem ad pœnitentiam expectaſti, proſtratum erexiſti*. Vt reuera poſſimus cum Damiano ſerm. 1. in Natali Virginum exclamare: *De infirmitate cõſtantia, de captiuitate victoria, de ruina eſt aſcenſio procurata*. Et tamen cum ſolus Chriſtus erigere potuerit, & erexerit nos, cum hoc erigendi officium ad ſimplicem hominem D pertinere non poſſet (nam veriſſimè Plutarchus de Doct. Princip. ſiue ad Principem ineruditum: *non eſt cadentis alium erigere*) imò eum ita erexerit, vt penè videamur non cecidiſſe, & noſter ad ſublimitatem profecerit caſus, vt ad vnumquemque transferri poſſint ea propemodum verba quæ D. Leo ſerm. de paſſione 9. protulit de S. Petro, *Adfuit dextera Domini Ieſu Chriſti, qui labentem te priuſquam deiiceretur, exciperet, & firmitatem ſtandi in ipſo cadendi periculo recepiſti*. Cum ita, inquam, & tam mirabili nos ratione, ſuique plane neceſſaria directione Chriſtus erexerit; nemo penè agit

Sed per Incarnationẽ erigitur.

Nec tamen elephantis gratitudinẽ imitamur.

A elephantem, qui ſtatim atque aliena ope ſurrexit, nunquam deſerit benefactorem ſuum; vt iure de illo dixerim aliquando: Ducem ſequetur erectus; nos præeuntem humana pro ſalute Deum, ſemitaſque aperientem lætiſſimas, ſequi dedignamur, atque contemnimus, mundi potiùs, noſtræque perditionis veſtigia ſectantes. O dementiam, ò improbitatem! repetamus tandem iter & curſum, & viam vitæ recordientes, veſtigia dirigamus: nam hoc ipſum illud eſt, quod à nobis Chriſtus ſuo iure repoſcit & flagitat, atque infimis extorquet propemodum precibus. *Hinc*, vt loquitur Beatus Petrus Damia-B nus ſermone de S. Columba, *hinc*, inquam, *dilectæ ſuæ ſponſus in canticis cùm præmiſiſſet: ſub arbore malo ſuſcitaui te. conſequenter adiunxit: Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum. Ac ſi dicat, quia ego te in tantum dilexi, vt per mortem crucis te mortuam ſuſcitarem; tu etiam me alterum tantum dilige, meque in tuis non modò cogitationibus, ſed & operibus velut integri, atque perfecti amoris ſignaculum pone. Nam arborem Malum Dominicam Crucem debemus accipere, cui videlicet arbori ipſum alibi Chriſtum comparat dicens: ſicut malus C inter ligna ſiluarum, ſic dilectus meus inter filios. Arbor ergo mali Crux eſt Chriſti per quam ſuſcitata eſt anima, à mortis ſcilicet æterna vinculis abſoluta*. Quare cùm nihilominùs ingenitæ nobilitatis obliti ſequi dedignemur antecedentem Deum, regni cæterumque obliti noſtrarum, admonemur in tempore à Sancto Chryſologo ſerm. 148. & in viam noſtri venatoris acri ſcilicet illa cohortatione reducimur. *Homo*, inquit, *quare tibi tam vilis es, qui tam pretioſus es Deo? quare ſic honoratus à Deo te ipſum taliter inhonoras, quare quæris vnde factus ſis, & ad quid factus ſis non requiris?* Nec D diſſimilia Sanctus Cyprianus de ſpectaculis; *Nunquam*, inquit, *humana opera mirabitur quiſquis ſe cognouerit filium Dei. deiicit ſe de culmine generoſitatis ſuæ, qui admirari aliquid poſt Deum poteſt*. Hoc igitur agamus, vt vnuſquiſque noſtrum ad Deum ſponte reuerſus dicere non immeritò poſſit cum Regio Vate: *viam mandatorum cucurri, cum dilataſti cor meum*. Nam qui nos ſponte, & clementer erexit, *proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum*: imò, quod Hebræa ſuggerit lectio, *Deus ſalutis noſtræ portabit nos. Ille*, inquam, *portabit*, vt loquitur Bernardus, *qui por-*

Amor Dei erga nos, amorem noſtrum iure repoſcit.

Homo pretioſus Deo, cur vilis ſibi.

taſ

tat omnia verba virtutis ſuæ; qui nullo pondere deprimi, aut flecti poteſt: Atlas indefeſſus, aut potiùs palma nobilior ac generoſior, quæ ſaxis ſuperimpoſitis grauatur, vt acquirat celſitudinem ex onere longè maiorem. Atque hoc illud eſt, quod probandum mihi ſupereſt: Deum nempe humili in terras declinatione non modò nos erexiſſe, quod vidimus, verùm etiam ſibi gloriam quæſiuiſſe, quod ſupereſt conſiderandum.

Deus per humilitatẽ Incarnationis ſublimior euaſit.

Id autem vt oſtendam quàm clariſſimè, aio Deum exinanitum quidem cum in terras deſcendit, verùm euaſiſſe tandem ipſa humilitate ſublimiorem. Sed pedetentim incedamus, atque gradatim; ſic enim ipſa ſe veritas per partes explicata diffundet illuſtriùs. Principio illud aſſero: nihil penitus deſcendendo, vel deſcendiſſe, vel amiſiſſe diuinitatem. Sancti Leonis auctoritate nititur ſententia noſtra, qui ſerm. 8. de Natiuitate: *Verbum*, inquit, *caro factum eſt prouectione carnis, non defectione Deitatis*: quæ ſcilicet ita ſe geſſit, *vt noſtra ſuſcipiendo proueheret, & ſua communicando non perderet*. Et ſerm. 8. de Natiuitate, *formam ſerui ſine ſua detrimento maieſtatis accepit, vt in ſua nos proueheret, non ipſe in noſtra deficeret*. Nec minùs eleganter S. Leoni accinit B. Damianus C ſerm. in Natiuitate Domini: *Deus, qui vt nos erigeret ſe miſericorditer inclinauit, nos quidem in ſuam gloriam tranſtulit, ſed nihilominus ipſe in ſua diuinitate permanſit; nobis contulit, ſibi nihil minuit. Ita magnus in forma Dei, ſic breuis in forma ſerui, vt nec iſta breuitate magnitudo illa minueretur, nec illa magnitudine iſta breuitas premeretur*. Quæ poſtrema verba deſcripſit ab Auguſtino ſer. 27. de Trinitate Damianus. Huius autem rei afferri video rationem à S. Chryſoſtomo ingenioſè non minus, quàm eleganter: nam cum locum illum pſalm. 46. præ manibus habet, *omnes gentes plaudite manibus, iubilate* D *Deo in voce exultationis*: ſic ratiocinatur. *Quando ergo*, inquit, *audieris crucifixum eſſe Dominum, fuiſſe ſepultum, ad inferiores terræ partes deſcendiſſe, ne labaris, ne angaris: eſt enim altiſſimus, & natura altiſſimus: quod eſt autem altum natura, ab altitudine minimè vnquam receſſerit, nec ſi humile quidem fuerit, ſed etiam in eius humilitate, eius altitudo manet, & oſtenditur*.

Deindè verò illud amplius doceo, vt noſtra ſenſim cum deſcendente ſimul & aſcẽdente Deo aſcendat oratio: Chriſtum Dominum ita non ruere, atque ima petere

A deſcendendo, vt dubitare non immeritò poſſimus, vtrum dum videtur deſcendere, reuera deſcendat, an potiùs aſcendat, & ſurſum efferatur ad gloriam. Narrant aliqui Polygnotum eximium ſcilicet pictorem ita gigantem ſcalæ impoſitum coloribus expreſſiſſe, vt nemo poſſet decernere quò potiſſimum tenderet ſurſumnè, an deorſum, adeo greſſus gigantis erat ambiguus, ac planè dubius, vt animo licet allaborante deficerent oculi, nec quid omninò viderent, quid non viderent, poſſent clarè, definitèque concludere. Hunc eundem Polygnotum cum celebrat Plinius lib. 35. cap. 9. docet eius eam fuiſſe tabu-B lam, in qua dubitatur, inquit, aſcendentem pinxerit, an deſcendentem. Sed artem gratia vicit, & amor quo nos homines complectitur Deus: quippe verus eſt ille gigas de quo dicitur pſalm. 18. *Exultauit vt gigas ad currendam viam, à ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius*. Sic enim Chriſtum Dominum vocat eo loco, & in Iſaiæ c. 3. D. Hieronymus. Hic ergo gigas cum per Virginem, tanquam per ſcalam Iacob venit ad nos hodierna die, ita deſcendit humiliter, vt eodem ſimul tempore ſublimiter aſcendere, eòque ſit viſus, dubium certè relinquat contem-C plantis obtutum, vt nequeat certam, nec pro deſcenſu ferre, nec pro aſcenſione ſententiam. Damaſcenus quidem orat. 1 de natiuit. B. Virginis, illam Iacob ſcalam Mariam eſſe definit, per quam, inquit, *Deus ad nos ſine vlla ſui migratione deſcendit*. Quod ipſum ſignificant Sanctus Dionyſius, qui in fine cap. 9. de diuinis nominibus: *immobilis*, inquit, *Dei motus eſt*. S. Leo ſerm. 2. de natiuit. *Ingreditur*, inquit, *hæc infima Ieſus Chriſtus Dominus noſter de cæleſti ſede deſcendens, & à cæleſti gloria non recedens*. Et ſerm. 3. de Pentecoſte: *ſic*, inquit Chriſtus, *ab illo* (Patre) *ad vos veniens non recedo, quem-D admodum & vos ad illum rediens non relinquo*. Ac denique S. Cryſologus ſer. 162. vbi ipſemet item Chriſtus: *proceſſi*, inquit, *à patre, à patre penitus non receſſi*. Imò non modò ambigua res non eſt, nec dubius in ancipites curas diſtrahitur animus, vtrum Deus deſcendat, an aſcendat dum per ſcalam, ſiue ſinum Virginis ad nos amicè ſuauiterque demittitur: ſed etiam, quod magis mirere, certiſſima res eſt Chriſtum Verbum patris ita deſcendere, vt non deſcendat, ſed ſublimis vt ſemper, in Patris corde, ac ſinu perbeato commoretur; quod expreſſit Ambroſ. in illud pſalm. 87. 10. *Traditus ſum*,

Artificioſa pictura Polygnoti.

Applicata Incarnationi.

& non egrediebar. *Cum deſcendiſſet*, inquit, *in terras vt crucifigeretur, & ſepeliretur, non emigrauit à patre, ſed in patre manſit; nec depoſuit quod erat, ſed reſeruauit; nec deſijt eſſe in Dei forma, ſed perſeuerauit, non imminuta per ſuſceptionem corporis Dei gloria, ſed manente, triumphum acquiſiuit, potentiam non amiſit*. Concludat igitur S. Cyprianus de Baptiſmo Chriſti, & manifeſtatione Trinitatis rem totam, diſertiſque verbis egregiè peroret. *Non eſt*, inquit, *minoratio maieſtatis prouectio paupertatis, nec altitudinem Dei in aliquo humilitas diſpenſatoria dehoneſtat*. Itaque ex hoc ſaltem capite veriſſimum eſt, Deum deſcendendo non deijci, non vilem reddi per humilitatem, inclinatione profunda non proſterni, nec cadere, nec terrae turpiter affigi; ſed potiùs tanquam verum, ac planè mirabilem Antæum vim ex caſu maiorem, roburque conſequi, quo poſſit ſe ipſo ſublimiùs euolare. Idquod nobis ſignificat Moyſes Geneſ. 28. nam vbi dicitur: *Dominus innixus ſcalæ*, Chaldæa transfert lectio; *& ecce gloria Domini ſtabat ſuper ſcalam*. Vt intelligamus eam ipſam ſcalam per quam dubitari poterat deſcenderetnè Deus, an aſcenderet cum venit ad nos, miniſtram fuiſſe, & veram imaginem gloriæ Dei, quae gloria tunc potiſſimum non periclitaretur, ſed planè ſtaret, ſi vnquam aliàs planè ſublimis, cum deſcendere videretur, ac minui: vt mirer Petrum Chryſologum ſerm. 146. dixiſſe. *Quod naſcitur Chriſtus diuinæ maieſtatis eſt, non eſt imbecillitatis humanæ, eſt gloria Deitatis*. Imò admirabili ac nouo prorſus prodigio (quod videndum ſupereſt) ipſa ſui deſcenſione creſceret, & efferretur in faſtigium nunquam antea delibatum.

Scio equidèm Deum tam magnum eſſe, vt magnitudinis eius non ſit finis: ſed ſcio etiam ipſa ſui exinanitione aliquam ſibi, eamque inauditam, nouamque magnitudinem quæſiuiſſe, & verò feliciter comparaſſe; vt transferre non iniuria in illum poſſimus B. Damiani verba ex ſer. 2. de S. Seuero: *Quod alijs ſæpe deſectionis eſt cauſa, hoc illi prouectionis probatur extitiſſe materia: & inde ſibi profectionis culmen eſt auctũ, vndè plerumque non ambigitur imminutum*. Nec non & S. Ambroſius id conceptiſſimis verbis enunciat comment. in 1. Timoth. 1. *Humilitas*, inquit *iſta non ad imminutionem eius profecit, ſed ad gloriam*. Atque hoc ſine dubio ſignificare videntur Euangeliſtæ voluiſſe, cum eorum alter Domini Genealogiam deſcendendo, alter aſcendendo contexuit: voluerunt enim, me iudice, ſimul oſtendere, Dei propter nos deſcenſum, eiuſdem fuiſſe deſcendentis aſcenſum. Neque tamen ea de cauſa Deum aſcendiſſe crediderim, quòd nos ſuo deſcenſu in ardua Diuinitatis erexerit, quanquam enim hoc veriſſimum duco, & aſſeritur à Sancto Leone ſerm. 2. de reſurrectione. *Sed quia*, inquit, *Verbum, & caro vna perſona eſt, non diuiditur à ſuſcipiente ſuſceptus; & honor prouecti, prouehentis nominatur augmentum, dicente Apoſtolo ad Philip 2. propter quod & Deus exaltauit illum*. Sic & Theodoricus Italiæ Rex apud Caſſiodorum lib. 3. Epiſt. 11. *Quid tam*, inquit, *regium, quàm feciſſe felicem? & eò vſque præſtare, quò ſe erectus ſtupeat attigiſſe: beneficia ſiquidem ſunt, quæ regna ſublimant, & libertatis Dominus iugiter poteſt creſcere, ſi ſibi ſubiectos ſtudeat ampliare*. Tamen aliunde viſa eſt melius aſcendiſſe deſcendendo diuinitas; quod vt probem, ſic demum exordior. Qua ratione fieri, quo auxilio euinci poteſt, vt quis infinitè ſublimis ac magnus, fiat porrò ſublimior, ac maior? nulla certè ſatis apta excogitari ratio poteſt: ſi tamen infinitum illud eſt, cui nulla ex vllo capite contingere acceſſio poteſt: Sed Deus vbique, ac ſemper omnipotens, ingenioſus, atque amabilis inuentor magnitudinis ſuæ fuit, videturque eam penè opinionem comprobaſſe (quæ probari tamen nullo modo poteſt) vnum infinitum maius alio dari poſſe; cum infinitus ipſe, modum quo vlteriùs creſceret, & ſe ipſo magnificentior appareret, reperire potuerit. Plinius in Traiani panegyrico diuinum æmulatus ingenium, eſt etiam verbis eius propemodum felicitatem aſſecutus, quibus nonæ in Deo rationem magnitudinis adamuſſim expreſſit. *Cui nihil*, inquit, *ad augendum faſtigium ſupereſt, hoc vno modo creſcere poteſt; ſi ſe ipſo ſubmittat, ſecurus magnitudinis ſuæ; neque enim ab vllo periculo fortuna principum longius abeſt, quàm ab humilitate*. A Plinio non diſcrepat Caſſiodorus cuius illa ſunt lib. 5. variarum epiſt. 44. *Sic eſt in principibus humilitas glorioſa, quemadmodum in mediocribus odioſa poteſt eſſe iactantia*. Et Sidonius Apollinaris lib. 2. ep. 3. *Honorū*, inquit, *tuorum creſcit communione faſtigium, raroque genere exempli altitudinem tuam humilitate ſublimas*. Ac denique Velleius Patereulus in fine lib. 2. *Facere*, inquit, *rectè ciues ſuos princeps optimus faciendo docet: cumque ſit imperio maximus, exemplo maior eſt*. Nam ſicini argumentum valet, altiſſimus etiam ex

Deſcenſus Dei fuit aſcenſus.

Beneficia augent benefactorem.

Humilitas Principum glorioſa.

hoc

hoc capite Deus eſt. *Exemplum*, inquit Chriſtus, *dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Quod enim aliud, oro vos, exemplum illud fuit, quàm infimæ humilitatis? Quid mirũ igitur eum ſe ipſo per illam quodammodò maiorem euadere; & vt aliqua tandem ratione creſcat, qui creſcere nunquam poteſt, gradibus humilitatis innixum mirum tandem in modum glorioſum, ac ſublimem exurgere? Hanc Plinij, deinde Caſſiodori, Sidonij, Velleij, aliorumque ſententiam Sancti Patres, Sacri Doctores, multò luculentiùs, & illuſtriùs reddiderunt; cum præſertim id, quod de principibus viris à Plinio cæteriſque blandientis, & adulantis in morem dictum eſt, de Deo ab his veriſſimè, ac mirabiliter efferatur. Tertulliani, ſiue Nouatiani de Trinitate cap. 17. illa ſunt: *Si Chriſtus*, inquit, *exinanitur in eo quod naſcitur formam ſerui accipiendo, quomodo homo tantummodo eſt? de quo verius dictum fuiſſet, locupletatum illum eſſe tunc cum naſceretur, non exinanitum; niſi quoniam auctoritas diuini Verbi ad ſuſcipiendum hominem interim conquieſcens, nec ſe ſuis viribus exercens, deycit ſe ad tempus, atque deponit, dum hominem fert, quem ſuſcipit.* Deinde verò fusè explicat à Chriſto Domino ſuæ fructum humilitatis ingẽtem planè fuiſſe relatum, fructumque fuiſſe, ſupra omnes aſcenſum, ita vt, qui videbatur creſcere non poſſe, caput humili deſcenſione ſuſtulerit, vtque vitis repaſtinata demittitur, ſæpiùſque tumulatur vt creſcat, & extendat palmites ſuos vſque ad mare; ſic Chriſtus vitis vera, cum terram, terræque cor, vt ipſe loquitur, depoſitus per humilitatem tetigit, aſſurrexit indè vegetior, atque melior, & gloriæ ſuæ, & amplitudinis ramos verè ſublimes vndequaque circumtulit. Suppar Tertulliano S. Cyprianus pauciſſimis verbis idẽ enunciat: *Chriſtus*, inquit, *per humilitatis gradus aſcendens*. S. Chryſoſtomus hom. 3. in Matthæum de Chriſto loquens: *ſublimium*, inquit, *illa maxima gloria eſt, humiliari ſponte ſubmiſſius*. S. Ambroſius de Chriſti humilitate verba faceret in 1. ad Timoth. 1. *Humilitas*, inquit, *iſta non ad diminutionem eius proficit, ſed ad gloriam; & non ſolùm eius, verùm etiam in ipſo credentium*. Vide eundem plurima afferentem in pſalm. 118. Sanctus Auguſtinus in pſal. 7. *Chriſtus ipſa humilitate exaltatus eſt.* S. Anſelmus ad Philip. 2. *Deus*, inquit, *illum ſecundum humanam naturam exaltauit, in qua & diuina natura poteſt dici exaltata ſecundum oſtenſionem; quia cœpit ſciri quod erat.* Euſebius Emeſenus hom. 1. de ſymbolo, dum illa S. Pauli verba perpendit: *propter quod, & Deus exaltauit illum*; ſtatim ſubdit: *vt ſublimior appareret & Angelis & hominibus, inclinata eſt ſublimitas.* Sed omnium optimè S. Bernardus ſer. 2. de Aſcenſione: *Chriſtus*, inquit, *cùm per naturam diuinitatis non haberet, quo creſceret vel aſcenderet, quia vltra Deum nihil eſt, per deſcenſum quomodò creſceret inuenit; veniens incarnari, pati, mori, ne moreremur in æternum: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur.* Sola via aſcendẽdi humilitas eſt, *qui aliter vadit*, inquit S. Bernardus, *cadit potiùs, quàm aſcendit, quia ſola eſt humilitas quæ exaltat, ſola quæ ducit ad vitam*. Vidit hanc Dei in ſumma humilitate exaltationem, & in ipſo mirabilem planè deſcenſu aſcenſionem Malachias, quare cap. 1. 3. *Ecce Dominus*, inquit, *egredietur de loco ſuo, & calcabit ſuper excelſa terræ*. Vbi prorſus in rem noſtram 70. *Dominus deſcendet, & aſcendet.* Quaſi dicerent ſimul, dum mitis corde, humiliſque deſcendet ad nos, etiam aſcendet, deſcenſuſque illi vſque adeò proficiet ad aſcenſum, vt ille ipſe deſcenſus admirabilis ſit futurus aſcenſus, quo creſcere videbitur, qui creſcere omninò non poteſt. Imò in ipſo fimo humilitatis noſtræ, ac luto humanitatis, corpus, ac veluti maſſam conſtituiſſe Chriſtum Dominum, ex qua eius vndique ſublimis gloria redundaret, auctor eſt S. Leo ſer. 2 de paſſione. *Erigamur*, inquit, *ad eum qui puluerem abiectionis noſtræ, corpus fecit gloriæ ſuæ.*

Atque hoc illud eſt quod indicare videtur Dauid voluiſſe, aut cœleſtes potiùs ſpiritus apud ipſum, cum Chriſto Domino in cælum redeunte ſe ipſos hortantur, ac dicunt: *Attollite portas principes veſtras; & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Quaſi dicerent tam magnus euaſit in terris per humilitatem ſuam, vt portæ redeunti non ſufficiant, quæ exeuntem penitus admiſerunt. Sed videamus Patres, nam S. Hieronymus to. 9. ep 27. examinans ea ipſa verba ex pſal. 23. 7. quæ nos paulò ante protulimus: *Pulchrè* inquit *eleuari iubentur portæ, & in ſublime erigi; ſiquidem iuxta diſpenſationem carnis, & myſterium, & victoriam crucis maior regreditur ad cælos, quam ad terras venerat.* Et S. Ambroſius lib. 4. de fide c. 1. eadem verba perpendens. *Quamuis*, inquit, *ſcirent Angeli nihil Deo accedere ex carne potuiſſe, quia infra Deum omnia ſunt, tamen trophæa crucis (cuius principatus*

Deus demiſſione maior euadit.

Non ſolùm humanitas, ſed ipſa diuinitas creuit per humilitatem.

Portæ cæli redeunti Chriſto laxandæ fuerunt.

patus ſuper humeros eius) & triumphantis æterni manubias intuentes, quaſi eum, quem emiſerant, cæli portæ capere non poſſent, maiorem viam quærebant aliquam reuertenti, adeò nihil exinanitus amiſerat. Debuit tamen nouo victori nouum iter parari, quia non vnus homo, ſed totus in omnium redemptore mundus intrabat. Quaſi nimirum, ex eo quòd ſe humiliauerit, potuerit abiectam proſtratamque naturam attollere, ſibique coniungere, vnde maior videri poſſet, atque ſublimior. Idē indicat Nazianzenus Gregorius or. 42. quæ eſt altera in paſchat. *Portis*, inquit, *vt attollantur, ac ſublimiores fiant*, *imperat, quæ Christum à paſſione ſublimiorem capiant.* Licet enim eximius ille Theologus vni paſſioni adſcribere videatur elationem illam, cùm tamen Chriſtus pati voluerit, ne nos pateremur, & ad mortem vſque ſeſe demiſerit, vt nos ex mortis faucibus liberaret, & in priſtinum aſſereret regnum, ſublime, maximum, excelſiſſimum; non eſt quod negare poſſimus filium Dei ex noſtra, quam ille ſuo diſcrimine pepererat magnitudine, aliquam ſibi gloriam quæſiuiſſe, venatumque eſſe feliciter eam ſibi ſublimitatem, quam aliūde nequicquam attentaſſet eruere. Et verò ſi id naſcituro Domino petebat Iſaias cap. 64. *Vtinam diſrumperes cælos, & deſcenderes.* Quomodò cæli portas illibatas, atque integras cæleſtes illi ciues relinquerent è terris in ſinum patris remeanti; multis vtique exuuijs, & ſpoliorum honeſtiſſimis manipulis infra ſupraque, & vndique onuſto, atque adeo ſuo quaſi iure maiorem aditum repetenti. Certè triumphantes diſruptis olim Vrbis mœnibus admittebantur à Romanis, non ſolùm vt oſtenderent eam ciuitatem muris non indigere, quæ tam illuſtriū virorum robore vallabatur, ſed etiam vt aperirent, cum Imperatorem non modò bello confectum, attritumque non fuiſſe, ſed etiam ſe maiorem, auguſtioremq; redire; vt quem animaret, inflaretque ſalubriter gloria, non poſſet eas portas ingredi, quæ vt illum admitterent, eius certè gloriam, belloque partam magnitudinem pro ſua ipſarum exilitate vel nolentes excluderent. Quod Plutarchus indicat 2. Sympoſiacon q. 5. Et poſt illum Olympiorum victoribus contigiſſe docet Alexand. ab Alex. lib. 5. c. 8. Quid ergo mirum, ſi curia illa cæleſtis nobilitate præcipua, multitudine innumerabilis ad ſpectaculum, atque triumphum ſui Principis, tripliciique de hoſte, peccato ſcilicet, morte, ac Dæmone victoris vndique effuſa de portis attollendis, eleuandiſque conſilium inierit?

Idem ſactitatum in triumphis Romanorū.

videbat nimirum illum, eundémque, & alium longo poſt liminio reuocatum feliciter adeſſe præſentem; intelligebat Chriſtum Dominum feciſſe vtraque vnum, nouoque miraculo in admirabilem amplitudinem conglobari; non ignorabat deniq; in vno illo Diuinitatem pariter humanitatemque hoſpitari concordi nexu, & nulla mortis vitæque diſcordia; nulla temporis omnia frangentis, ac diffluentis edacitate diſſoluendo; ac ſui propterea muneris eſſe arbitrabatur fores Imperatori optimo, ac triumphanti, nouamque magnitudinem inferenti, atque adeò quæſitam meritis ſumenti ſuperbiam laxiores dare, ſolitoque faſtigio celſiores. Dicat igitur S. Leo ſer. de paſſione: *Mirabilior nobis fit in Deo humilitas, quàm poteſtas.* Quia nimirum per poteſtatem, Deus conſtituitur; at per humilitatem, erigitur quodammodo ſupra Deum. Dicat S. Bernardus ſer. in fer. 4. hebdom. Sanctæ: *O nouiſſimum, & altiſſimum, ò humilem, & ſublimem; nemo illo humilior, nemo illo ſublimior.* Dicat Sanctus Auguſtinus de Sancta Virgin. cap. 34. *Itane magnum eſt eſſe paruum, vt niſi à te, qui tam magnus es, fieret, diſci omninò non poſſet?* Dicat Caſſiodorus ad finem lib. de anima: *Ad te, Sancte Domine, nemo ſe erigendo peruenit, ſed potiùs humiliatus aſcendit, cum altiſſimus ſis, proximior redderis ſupplicatione curuatis.* Dicat denique B. Petrus Damianus in fin. 3. ſer. de S. Ioanne Baptiſta: *O beatæ humilitatis excelſa maieſtas, quæ dum ſuo iudicio in ima deprimitur, diuina prouehente clementia ad cæleſtia ſubleuatur: dumque Deo ſe humiliter ſubijcit, ad Dei conſortium excellenter aſſurgit.*

Et nos, dum videmus hodierna die Deum, B. Virginem, & humanam naturam vniuerſam per humilitatis gradus tam ſublimiter aſcendiſſe, vt prodigioſa quædam, & ficta potiùs videatur eſſe, quàm vera ſublimitas; deſinamus aliquando tandem ſperare dementes aliunde gloriam, venari magnitudinem, quærere dignitatem? *Si putas*, inquit Sanctus Ambroſius, in pſalm. 118. *quòd Chriſto profuit humilitas ſua, cui ergo non proderit? ſi illum exaltauit, quem non augebit?* Et S. Leo ſer. 3. de Nat. *Chriſtus formam nobis ſuæ manſuetudinis, & humilitatis inſinuans ea nos virtute imbuit, qua redemit. Simus igitur eius humilitati ſimiles, cuius gloriæ volumus eſſe conformes.* Nec minùs eleganter, & multò copioſius ſer. 2. de Reſurrectione: *Ieſu Chriſti humilitas*, inquit, *nulli aſpernanda diuitum, nulli eſt erubeſcenda nobilium, nec enim in tantum* pro-

Nulla alia via creſcendi quàm humilitas.

A *prouehi poteſt qualibet felicitas humanæ faſtigium, vt æſtimet ſibi pudendum, quod manens Deus in forma Dei non eſt arbitratus indignum (ipſum igitur imitemur) quoniam ſicut ille paupertate diuitias non amiſit, gloriam humilitate non minuit, æternitatem morte non perdidit: ita & vos eiſdem gradibus, eiſdem veſtigijs, vt cæleſtia apprehẽdatis, terrena deſpicite.* Quòd ſi Beata Virgo omnibus vndique fuit, tanquam vera non inanium Deorum, ſed Sanctiſſimæ Trinitatis Pandora, cumulata virtùtibus, & inſtructa; nulla magis eam extulit, quàm humilitas: hæc micat inter omnes velut

Omnes virtutes B. Virginis ſoluſſe tributum eius humilitati.

B inter ignes Luna minores; huic faſces ſponte ſubmittunt reliquæ Virtutes; huic tanquam Imperatrici, ac veluti Deæ donaria deferunt, tributa perſoluunt. *Cuncta*, inquit Rupertus in cap. 2. Cantic. *virtutes, omnes gratia, cuncta dona, quæ Virginem Mariam exornabant, humilitati eiuſdem tributa pendebant.* Dixerit ſanè Chryſoſtomus hom. 79. in Matthæum Annæ humilitatem, demiſſionemque commendans: *Si ex auro*, inquit, *os eius conſerretur & gemmis, non ita præfulgeret, atque hoc humilitatis ornatu reſplendet.* Nam licet Anna plusquam Beroſus (cui

Statua Beroſi habẽs linguam aureã.

C veteres ob egregia volumina ſtatuam collocauerunt ita exornatam, vt eius in ore aurea lingua radiaret) aurum pro lingua redderet, & vel Chryſoſtomos referret, vel etiam Chryſologos, non poſſet illa tamen cum B. Virginis eximia humilitate certare, quæ vna tot radios vibrat, vt vnica ſcintilla omnes alios omnium nitores obruere videatur. Quare exemplo Virginis, quæ ex humilitate gradum ſibi fecit ad dignitatem omni humana maiorem, adhortabor omnes ijs verbis, quibus Auguſtinus ſolas Virgines ad hanc virtutem accendit. 52. de S. Virgin. *Pergite*, inquit, *Virgines Dei, via ſublimitatis, pede humilitatis.* Neque enim alia nos ratione Chriſtus cælo vim patitur inferre ſublimes, quàm humilitate ſubnixos; neque mater ſua deſerentem veſtigia ſubleuaret. Audiamus igitur tum S. Ambroſium, cuius illa ſunt in illud 2. ad Cor. 12. 10. *Placeo mihi in infirmitatibus. Si gloriandum eſt*, inquit, *Chriſtiano, in humilitate gloriandum eſt, de qua creſcitur apud Deum.* Tum verò S. Bernardum ſer. 34. in Cant. *Oportet*, inquit, *humiliter ſentire de ſe nitentem ad altiora, ne, dum ſupra ſe attollitur, cadat à ſe, niſi humilitatis merito maxima minimè obtinentur.* Ac denique, vt omnis concludamus: *Fuerit* (inquit Petrus Chryſologus ſerm. 117.) *neceſſitas, quod de terra concreti ad cæleſtia aſpirare nequiuimus, quod de concupiſcentia nati, concupiſcentiam non valuimus euitare, quod illecebris dominantibus acquiſiti coacti ſumus illecebrarum turpitudinem ſuſtinere, quod ſeculi huius habitaculo recepti captiui fuimus malis ad inſtar noſtri Domini, ſicut diximus; iam renati, quos vtique concepit Virgo, viuificauit Spiritus, portauit pudor, genuit integritas; nutriuit innocentia, edocuit ſanctitas, virtus exercuit, Deus adoptauit in filios, imaginem totam tota ſimilitudine noſtri portemus auctoris; non maieſtate qua ſolus eſt, ſed innocentia, ſimplicitate, manſuetudine, patientia, humilitate, miſericordia, concordia, qua dignatus eſt nobis fieri, & eſſe communis. Ceſſet vitiorum pruritus peſtifer, delictorum lethalia blandimenta vincantur; execrandus furor, criminum comprimatur origo; diſcutiatur à ſenſibus caligo tota pompa ſecularis; abijciatur à mentibus mundanæ cupiditatis illuſio; appetatur paupertas Chriſti, quæ diuitias in cæleſtibus poſſidet ſempiternas: tota ſanctitas animæ cuſtodiatur, & corporis, vt non magnitudine, ſed actu imago Creatoris noſtri portetur, & clareſcat in nobis.*

Egregia ad humilitatẽ adhortatio.

EVANGELIVM
Secundum Matthæum.

CAPVT DECIMVM QVARTVM

1 IN illo tempore audiuit
Herodes tetrarcha fa-
2 mam Ieſu : & ait pueris
ſuis: Hic eſt Ioannes Ba-
ptiſta : ipſe ſurrexit à
mortuis , & ideo virtu-
3 tes operantur in eo . Herodes enim te-
nuit Ioannem, & alligauit eum : & poſuit in
carcerem propter Herodiadem vxorem
4 fratris ſui. Dicebat enim illi Ioannes: Non
5 licet tibi habere eam. Et volens illum oc-
cidere, timuit populum: quia ſicut prophe-
6 tam eum habebant. Die autem natalis He-
rodis ſaltauit filia Herodiadis in medio, &
7 placuit Herodi. Vnde cum iuramento pol-
licitus eſt ei dare quodcunque poſtulaſset
ab eo

8 ab eo. At illa præmonita à matre ſua, Da
mihi, inquit, hic in diſco caput Ioannis Ba-
9 ptiſtæ. Et contriſtatus eſt rex: propter iura-
mentum autem, & eos, qui pariter recum-
10 bebant, iuſsit dari. Miſitque & decollauit
11 Ioannem in carcere. Et allatum eſt caput
eius in diſco, & datũ eſt puellæ, & attulit ma-
12 tri ſuæ. Et accedentes diſcipuli eius, tule-
runt corpus eius, & ſepelierunt illud: & ve-
13 nientes nunciauerunt Ieſu. Quod cùm au-
diſset Ieſus, ſeceſsit inde in nauicula, in lo-
cum deſertum ſeorſum: & cum audiſsent
turbæ, ſecutæ ſunt eum pedeſtres de ciuitati-
14 bus. Et exiens vidit turbam multam, & mi-
ſertus eſt eis, & curauit languidos eorum.
15 Veſpere autem facto, acceſserunt ad eum
diſcipuli eius, dicentes: Deſertus eſt locus,
& hora iam præteriit: dimitte turbas, vt eun-
16 tes in caſtella, emant ſibi eſcas. Ieſus autem
dixit eis: Non habent neceſse ire: date illis
17 vos manducare. Reſponderunt ei: Non ha-
bemus niſi quinque panes, & duos piſces.
18 Qui ait eis: Afferte mihi illos huc. Et cum
19 iuſsiſset turbam diſcumbere ſuper fœnum,
acceptis quinque panibus, & duobus piſci-
bus, aſpiciens in cælum benedixit, & fregit,

& dedit

& dedit diſcipulis panes,diſcipuli autem tur-
20 bis. Et manducauerunt omnes, & ſatura-
ti ſunt. Et tulerunt reliquias, duodecim co-
21 phinos fragmentorum plenos . Mandu-
cantium autem fuit numerus, quinque mil-
lia virorum, exceptis mulieribus, & paruu-
22 lis. Et ſtatim compulit Ieſus diſcipulos a-
ſcendere in nauiculam , & præcedere eum
trans fretum, donec dimitteret turbas. Et
23 dimiſsa turba , aſcendit in montem ſolus
orare. Veſpere autem facto ſolus erat ibi.
24 nauicula autem in medio mari iactabatur
25 fluctibus:erat enim cōtrarius ventus. Quar-
ta autem vigilia noctis venit ad eos ambu-
26 lans ſuper mare.Et videntes eum ſuper ma-
re ambulantem ,turbati ſunt, dicentes :
Quia phantaſma eſt.Et præ timore clama-
27 uerunt. Statimque Ieſus locutus eſt eis, di-
28 cens: Habete fiduciam : ego ſum, nolite ti-
mere. Reſpondens autem Petrus dixit: Do-
mine , ſi tu es, iube me ad te venire ſuper
29 aquas . At ipſe ait : veni . Et deſcendens
Petrus de nauicula, ambulabat ſuper aquā
30 vt veniret ad Ieſum. Videns verò ventum
validum, timuit : & cùm cœpiſset mergi ,
31 clamauit dicens: Domine, ſaluum me fac.

Et con-

Et continuo Ieſus extendens manum, ap-
prehendit eum: & ait illi: Modicæ fidei, qua-
32 re dubitaſti? Et cum aſcendiſsent in naui-
33 culam, ceſsauit ventus. Qui autem in na-
uicula erant, venerunt, & adorauerunt eum,
34 dicentes: Vere filius Dei es. Et cum tranſ-
35 fretaſsent, venerunt in terram Geneſar. Et
cum cognouiſsent eum viri loci illius, miſe-
runt in vniuerſam regionem illam, & obtu-
36 lerunt ei omnes male habentes: & roga-
bant eum vt vel fimbriam veſtimenti eius,
tangerent, & quicunque tetigerunt, ſalui
facti ſunt.

IN CAPVT DECIMVM QVARTVM

A Num. I. ad XI.

In illo tempore audiuit Herodes tetrarcha famam Ieſu: & ait pueris ſuis: Hic eſt Ioannes Baptiſta: ipſe ſurrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo. Herodes enim tenuit Ioannem, & alligauit eum: & poſuit in carcerem propter Herodiadem vxorem fratris ſui.

PARADOXVM I.

Seruus Dei inter vincula maximè liber, & expeditus ad præclara perficienda facinora.

AVDIS Ioannem coniectum in vincula, non tamen ligatum aut vinctum, & multò minus libertate ſpoliatū putes: quandoquidem certo certius eſt, ſeruum Dei maximè liberū eſſe inter vincula Pulchrè ſanè S. Ambroſius Ep. ad Simplicianū (quæ 15 eſt in editione Romana) ſic habet ante medium: *Ioſeph venditus in ſeruitutem eſt, & electus eſt ad poteſtatem, vt ſuis emptoribus imperaret. Non dedignabatur tamen obſequium fidelitatis, ſed tenebat virtutis faſtigium, conſeruabat libertatem innocentiæ, integritatis auctoritatem. Vndè pulchrè Pſalmiſta ait: in ſeruum venundatus eſt Ioſeph, humiliauerunt in compedibus pedes eius. In ſeruum, inquit, venundatus eſt; non ſeruus factus. Humiliauerunt pedes eius, non animam eius.* Intonat Euangelicus Iſaias cap. 52. verſ. 2. *Solue vincula colli tui captiua filia Sion.* Nemo eſt qui, vel me tacente, non animaduertat, iuberi pugnantia; nam ſi captiua eſt, ſi ligata, quomodo colli ſui vincula ſoluet? Verùm filiam Sion alloquitur Iſaias, non filiam Babylonis: Sion viſio pacis interpretatur; illa ergo anima quæ pacis internæ viſione læta eſt, vinculis ligari poteſt, detineri omninò non poteſt, libera quippe maximè eſt, cum captiua videtur. Cap. 3. Danielis num. 91. & deinceps dicitur Rex Nabuchodonoſor admiratione perfuſus maxima, cum videt tres Iuuenes ſolutos, & ambulantes, quos ligatos in fornacem conijci iuſſerat. Verba ſacri textus: *Tunc Nabuchodonoſor rex obſtupuit, & ſurrexit properè, & ait Optimatibus ſuis: Nonne tres viros miſimus in medium ignis compeditos? Qui reſpondentes regi, dixerunt: Verè rex. Reſpondit, & ait: Ecce ego video quatuor viros ſolutos.* Miratur homo Ethnicus, qui neſcit flamma caritatis abſumi vincula, quibus ſerui Dei ligantur; æſtuet in cordibus noſtris flam-

C

D

Anima pacifica ligari non poteſt.

man-

mantibus globis diuinus amor, & nulla
nos tenebunt vincula. Diſſoluentur quip-
pe aduerſitatum nodi, & catenæ tribula-
tionum diſrumpentur. Conſiderat Chry-
ſoſtomus hom. 8. in cap. 4. Epiſ. ad Epheſ.
verba eiuſdem Regis Nabuchodonoſor
relata cit. c. 3. n. 93. *Tunc acceſſit Na-
buchodonoſor ad oſtium fornacis ignis ar-
dentis, & ait: Sidrach, Miſach, & Ab-
denago ſerui Dei excelſi egredimini, &
venite*. Interrogat Chryſoſtomus: *Quo-
modo egredientur ô Rex? vinctos in ignem
abiecisti: quomodo vocas eos? Iam præ-
ueniens dixit; ſerui Dei altiſſimi: ſeruis
enim Dei omnia poſſibilia ſunt*. O nobi-
lis prærogatiua ſeruorum Dei, qui vin-
culis ligati omnia poſſunt! Quæris cur
poſſint omnia? reſpondet citatus Chry-
ſoſtomus aliquanto poſt: *Videtis quanta
ſit vinculorum potentia?* Quis crederet?
omnium vis miraculorum vinculis tri-
buenda eſt. Nimirum miraris animum
indignati regis miteſcere? hoc faciunt
vincula; Miraris roris inſtar flammarum
incendia refriguiſſe? hoc faciunt vincula;
Miraris Dei nomen etiam ab ethnicis
laudibus exaltatum? hoc faciunt vincu-
la; Denique conſumptos incendio car-
nifices, captos miraculo potentiũ animos,
Dei magnalia ab ipſo rege celebrata mira-
ris? & hoc faciunt vincula Siquidem quid
quid poſſunt, quid quid præſtant, quid
quid perficiũt miraculoſi Iuuenes, ſi Chry-
ſoſtomo credimus, totum vinculis eſt tri-
buendum. *Videtis quanta ſit vinculorum
potentia?* Sanctus Gregorius lib. 3. dial.
cap. 16. narrat de ſancto monacho qui
Martius dicebatur. Hic arctioris vitæ de-
ſiderio flagrans, pedem ſuum catena fer-
rea ligauit, qua ingenti ſaxo reuincta
detinebatur, ne progredi poſſet vlterius,
neue præfinitos vltra limites euagari: Id
cum ſciuiſſet Sanctus Benedictus, certum
hominem ad Martium miſit, cui hæc vt
breuiter, ita ſapienter prolata nunciaret.
*Si ſeruus Dei es, non te teneat catena
ferrea, ſed catena Chriſti*. Aurea ſanè
vox, qua monemur longè diuerſum eſſe
catenæ genus, quo ſerui Chriſti vinciun-
tur, ab iis vinculis, quibus homines mun-
di detinentur captiui: Hi nanque cate-
na ſtringuntur ferrea, qua coacti deti-
nentur in ſeruitute; at verò qui catena
ligantur Chriſti, eò liberiores in omnem
feruntur partem, eò expeditiores hac il-
lac feruntur, quia ſtatim atque hac Chri-
ſti catena ſtringuntur, ſoluantur neceſſe
eſt ferrea mundi catena. Nimirum ve-
riſſimè citatus Chryſoſtomus paulò ante
finem pronunciauit: *Verè tum maximè*

Serui Dei nõ ligantur catena ferrea, ſed Chriſti.

A *feruent iuſti, quando in afflictionibus,
& vinculis ſunt*. Ergo *ſi ſeruus Dei es,
non te teneat catena ferrea, ſed catena
Chriſti*. Catena vtique caritatis, quæ
non onerat, ſed ornat, non deprimit,
ſed extollit ad præclariſſima quæque perfi-
cienda.

Notiſſimus à fortitudine Sampſon fa-
uet ſcribenti mihi exemplo ſuo: Etenim
capite 15. lib. Iudicum dicitur ligatus,
& quidem duplici nouo fune: edidiſſe ta-
men ad internecionem hoſtium roboris
ſui monumenta planè admiranda. Exci-
pe verba textus num. 13. *ligauerunt eum
duobus nouis funibus, & tulerunt eum de*
B *petra Etam*. Ecce nodis reuinctum cen-
tenis robuſtiſſimum virorum: Hoſtes Phi-
liſthæi deludunt, quaſi de debellato Sam-
pſone ouantes, immanique vociferatio-
ne Pæan victoriæ conclamantes: At ve-
rò longè aliter ſe ſe res habuit, quàm
crediderunt Philiſthæi; Sampſon quippe
ſolutus, alijs validior; ligatus funibus ſe
ipſo fortior viſus eſt: neque enim captus
& ligatus funibus ſegniorem, ſed prom-
ptiorem expeditioremque ſe præbuit, ad
inimicorum centurias perdendas truci-
dandaſque. Vnde ſequen. num. leges: *Qui
cum veniſſet ad locum Maxillæ, & Phi-
liſthÿm vociferantes occurriſſent ei, irruit*
C *Spiritus Domini ſuper eum: & ſicut ſo-
lent ad odorem ignis lina conſumi, ita
vincula quibus ligatus erat, diſſipata
ſunt, & ſoluta. Inuentamque maxillam,
id eſt, mandibulam aſini, quæ iacebat,
arripiens, interfecit in ea mille viros*.
O prædicandum roboris inauditi cona-
tum! Spiritu Domini Sampſon incale-
ſcens fortior fit, tantum abeſt vt vin-
cula impediant prælianrem. Non ſecus
ac Sampſon cum Philiſthæis, verus Dei
ſeruus cum hoſtibus animæ in arenam
dimicaturus deſcendit, ſemper victor,
ſemper triumphans: hic ſi fortè laqueis
tentationum circumſeptus ſtringitur,
D maiores ſumit animos ad lanienam ini-
micorum. *Tunc enim verò irruet ſuper
te Spiritus Domini*. Hoc eſt, impetu ma-
ximo ſe aget in prælia, cum inter ho-
ſtiles nodos detentus aduerſariorum ra-
biem, ludibria, vim pati compelleris in-
uitus.

Dux inclytus Eleazarus, dimicantibus
Antiochi regis, & Machabæorum exerci-
tibus, cũ vidiſſet inter inimicas acies ele-
phantem, & magnitudine, & ornatu con-
ſpicuum, irruit per hoſtium copias, impe-
tu facto, inuaſurus elephantem multipli-
ci militum aduerſariorum manu ſtipatum.
Quo te proripis Eleazare? Siſte: nec te

Sampſon vinctus fortior euadit in hoſtes.

militaris abripiat impetus, bellica virtus apertum amat, & refugit arctari qui dimicat: quo ergo conſilio hoſtium manipulis te committis? an non intelligis facile fore vt captus, & in vincula coniectus abducaris in ſeruitutem? Eleazarus interea acrioribus gloriæ ſtimulis actus, anguſtas inter aduerſariorum acies conijcit ſe ſe, certo ſciens præſtantem virtute animum tunc triumphare glorioſius, cum videtur arctius detineri. Circumſtent ergo Eleazarum legiones Antiochi, ſepiant vſquequaque, & intercluſo aditu captiuum captumque detineant, non minuent, ſed augebunt materiam illuſtrioris gloriæ inuicto præliatori. Conſule cap. 6 lib. 1. Machab. & à num. 43. & deinceps hæc leges. *Vidit Eleazar filius Saura vnam de beſtijs loricatam loricis regis: & erat eminens ſupra cæteras beſtias. Et cucurrit ad eam audacter in medio legionis interficiens à dextris, & à ſiniſtris, & cadebant ab eo huc atque illuc. Et iuit ſub pedes elephantis, & ſuppoſuit ſe ei, & occidit eum, & cecidit in terram ſuper ipſum, & mortuus eſt illic.* Tangeris fortaſſe commiſeratione ob necem tanti viri? Doles mortem illius, quem timebas fore captiuum hoſtilibus reuinctum catenis, abductumque in ſeruitutem? Sed audi Ambroſium lib. 1. officiorum cap. 40. in hunc modum, hac ſuper re decernentem. *Beſtia ruina incluſus, ſuo eſt ſepultus triumpho.* Lamentabaris acerba morte abreptum Eleazarum? lætare potiùs cum eodem glorioſiſſimè triumphante. Illi videlicet qui pro Deo, & Deo duce dimicant, quò arctioribus detinentur anguſtijs, eò illuſtriora edunt facinora, & dum capti videntur cadere, altius extolluntur.

Vinculis gloriatur Paulus.

Nobiliſſimo veluti titulo gloriabatur Paulus Apoſtolus, cum ad Epheſios ſcribens, vinctum ſe Chriſti nominauit. Sic enim habes cap. 3. Epiſt. ad Epheſ. n. 1. D *Huius rei gratia Ego Paulus vinctus Chriſti Ieſu.* Nihil potuit non modò glorioſius proferri ab Apoſtolo, ſed nec aptius ad declarandam vim, atque efficaciam, qua & numero plurima, & genere præſtantia, & conditione diuina perfecerat opera ad Chriſtiani nominis dignitatem toto terrarum orbe ſtabiliendam atque amplificandam: Vincula enim non tam ligarunt Paulum, quàm vim & energiam quandam tribuerunt, ad Chriſtiani adminiſtrationem imperij bene, & cum laude gerendam; imò, ſi dicere fas eſt, ad bene merendum de Deo ipſo. Audiamus Chryſoſtomum homil. 8. in ejus

A cap. non multò ante finem ſic diſſerentem. *Nihil eſt illa anima beatius. In quibusnam gloriatur? In vinculis. Et iterum propter Iſraël, inquit, catena iſta circumdatus ſum. Et rurſus, in quo legatione fungor in catena. Quid igitur hoc eſt? Non erubeſcis? Non vereris, quod vinctus orbem circuis? Non metuis, ne quis imbecillitatem Dei tui cognoſcat? Ne quis ob hoc ipſum ad fidem, quam prædicas, non accedat? Vincula mea, inquit, talia non ſunt: nouerunt & in regum curiæ ſplendeſcere. Ita, inquit, vt vincula mea manifeſta facta ſint in toto prætorio, & plures ex fratribus in Domino* B *freti vinculis meis, vberius auſi ſint impauidè ſermonem loqui. Vides maiorem eſſe vinculorum, quàm ſuſcitationis mortuorum virtutem. Vinctum me viderunt, & confidentius agunt. Vbi quippe vincula ſunt, ibi neceſſe eſt magnum quid fieri.* Huc vſque Chryſoſtomus. Aduerte Paulo diligenter aditũ patefeciſſe in regijs principum vincula. Aduerte Paulum Summi Pontificis Chriſti Ieſu legatione functum, accepta vi, & auctoritate à catenis. Aduerte Paulum Miniſtris verbi Dei virtutem, auctoritatem, maieſtatem communicaſſe, aut conciliaſſe non miraculorum aut donorum cæleſtium largitione, ſed C præſidio vinculorum: Vinculorum ſiquidem nodi præſidium, & decus ſunt Seruorum Dei, qui eò potentiores redduntur ad præſtantiſſima quæque perficienda, quò arctius cuſtodiuntur, & ligantur tenacius.

Cur Iudith ſecũdo ictu caput Holopherni amputarit.

Iudith, fabuloſa Amazonum fortitudine longè celebrior, Holopherne obtruncato illuſtrior quàm à me dici queat, ideo tantum facinus, vtpote notiſſimum, proſequi pluribus prætermitto: Vnum tamen illud animaduerto, non ſemel, ſed bis caput Holophernis fuiſſe percuſſum ab hebræa Heroina: ſic enim legimus capite 13. Iudith. num. 10. *Et percuſſit bis* D *in ceruicem eius, & abſcidit caput eius.* Sine dubio imbellis fœmina tantum moliri facinus nequiuiſſet, ſine peculiari opitulantis Dei præſidio. Cur ergo bis ceruicem petit, quæ vnico ictu, ſuperna munita ope, nefarium caput potuit detruncare? At verò par fuit vt repetito vulnere cederet Holophernem, quia c. 10. dicitur Iudith non ſemel, ſed bis inter vincula detenta à ſatellitibus, & exploratoribus Holophernis. Vt autem manifeſtum fiat tantundem virtutis tribui ſeruis Dei ad præclara perpetranda, quantum anguſtiarum iniectis vinculis patiuntur, ideò ictu repetito Holophernem

pro-

A. proſternit, quæ repetitis nodis facta fuerat Holophernis captiua. Cap 10. cit. n. 11. leges: *factum eſt autem, cum deſcenderet montem, circa ortum diei, occurrerunt ei exploratores Aſſyriorum, & tenuerunt eam.* En primo vinctam Iudith eod. cap. à n. 16. & deinceps leges: *Duxeruntque illam ad tabernaculum Holophernis, dixeruntque ad eum ſatellites eius.* Capta primo ab exploratoribus, tradita deinde cuſtodiæ ſatellitum, detruſa in carcerem mulier cula catenas inter & nodos captiuitatis, quid valeat contra validiſſimum & munitiſſimum imperatorem, lectiſſimo ſtipatum exercitu? At toties percutiet, B toties vulnerabit, & ſi dicere fas eſt, toties interimet, quoties vel ligata, vel capta, vel detenta memoratur. Vis enim mira eſt vinculis pro Deo toleratis, ad difficillima quæque, ac præſtantiſſima peragenda.

Ioſeph in Ægypto imperans agnitis fratribus, qui fame compulſi aduenerant frumentum empturi: vultu ſimulans indignationem increpat tanquam exploratores. Sic enim cap. 42. n. 9. ait ad eos. *Exploratores eſtis: vt videatis infirmiora terræ veniſtis.* Dum obiectam diluunt calumniam ſic illi num. 13. *Duodecim, inquiunt, ſerui tui, fratres ſumus, filij viri* C *vnius in terra Chanaan minimus cum patre noſtro eſt, alius non eſt ſuper.* Creſcebat in corde Ioſeph deſiderium videndi Beniamin. Quid ergo conſilij capiat vt fiat voti compos? Quis credat? Decernit fratres aduenas in vincula conijciendos. Imò verò dicet aliquis, ſi fuiſſent vincti, erant vinculis abſoluendi, vt iter caperent patriam verſus, & fratrem natu minimum adducerent quàm citiſſimè. Non ſic videtur Ioſepho, qui fortaſſe miram quandam, & occultam vim recognoſcit in nodis, à quibus qui ligantur expeditiores fiunt ad regis iuſſa capeſſenda. Audi imperantem Ægypti D proregem num. 16. *Vos eritis in vinculis, donec probetur quæ dixiſtis. Tradidit ergo illos cuſtodiæ tribus diebus. Die autem tertio eductis de carcere, ait: facite quæ dixi, & viuetis: Deum enim timeo. Si pacifici eſtis, frater veſter vnus ligetur in carcere: vos autem abite, & fratrem veſtrum minimum ad me adducite.* Primò iniecta omnibus vincula, tum vnus inter catenas detentus, quorſum? Vt expeditius & celerius fiat quod à Principe imperatum fuerat. An non potuiſſet certos homines mittere, qui per vim abducerent Beniaminum? An non muneribus ampliſſimis propoſitis adoleſcentem à parentibus impetrare licuiſſet? Ita ſanè: ſed nullum efficacius remedium eſt, quàm rem totam vinculorum committere præſidio. Eodem planè modo nobiſcum agit ſummus rerum princeps Deus, qui pro comperto habet, nulla re noſtram ſocordiam inflammari ardentius, non minis, non promiſſis, non muneribus; ſed vinculis iniectis. Hinc immeritò conquerimur, ſi fortè rei familiaris anguſtijs quibuſdam veluti nodis detinemur; Iniuſtè lamentamur, ſi calumnijs circumuenti, arctis veluti catenis cōſtringimur. Hæc in eam gratiam accidunt nobis vt cariora, per Beniaminum adumbrata, Deo alacrius offeramus. B Per quàm appoſitè de Iona propheta verba faciens S. Zeno, pronunciauit: *Vigilat in ceto, qui in naui ſtertebat.* Conſidera Ionam profugum, repugnantemque imperio Dei quo vſque libero, & expedito illi in omnem partem licuit euagari. At tempeſtate oborta, detentus à nautis, & captus primò, tum in tenebroſum ceti carcerem detruſus, ſummi Principis captiuus, quid non peregit? modum poſuit ventis, procellas cohibuit, & quod mirabilius eſt, Niniuitarum animos flexit, ipſum regis caput non modò ſpoliauit diademate, ſed cinere reſperſit, & celeberrimam vrbem ſeruauit in- C columem, irati Dei ſententia deuaſtandam. Vides quid captiuus, & ligatus faciat, qui ſolutus & liber nihil omninò perficere valuiſſet.

Vincula nos expeditiores reddunt ad magna peragenda.

Mox apertius declarabo quo pacto omnibus Chriſti fidelibus contingat hiſce, de quibus loquti ſumus, vinculis ligari, vt opera ad Dei gloriam perficiãt præſtantiſſima. Dicet autem fortaſſe non nemo: Nunquam contigit mihi neque nodis necti, neque detineri funibus, neque vinciri catenis, neque detrudi in carcerem: carebo ergo tanto præſidio ad præclara peragenda? Nequaquam. Quæris ergo D quibus ligandus ſis vinculis, vt facilius, alacrius, expeditius operam ponas in exercitatione virtutum? Audi Chryſoſtomum hom. cit. non multo ante finem, dubitationem hanc proponentem, & ſoluentem hiſce verbis. *Sed iam non eſt, quod catenis quiſquam ligetur, niſi quod aliud quoddam catenæ genus eſt, ſi quidem voluerimus. Quod illud? Vt manum ſcilicet cohibeas, vt ad auaritiam paratus non ſis: hac ſcilicet catena ligemus nos ipſos, pro ferro ſit nobis timor Dei.* Paucis, fateor, ligari contingit vt Ioſeph, pauciſſimis datur vinculis ſtringi vt Sidrach, Miſach, & Abdenago; rari ſunt qui vt Paulus carceres patiuntur, & catenas; pauci ar-

Timor Dei catena eſt qua homines à vitijs cohibentur.

ctantur, vt Eleazarus; ferè nemo detinetur, vt fratres Ioſeph: at nemo eſt qui timore Dei ligari non debeat. Itaque ad præſtantia atque ſumma perficienda ſacinora, *pro ferro ſit nobis timor Dei*, & nullum non vincemus inimicorum certamẽ, nullam non coronam triumphi conſequemur. In quam ſententiam dixit eleganter Beda, explicans illud Prou. c. 7. ver. 16. *Intexui funibus lectulum meum. Nomine funium aliquando ſolent diuina præcepta figurari, quæ nos vitijs coërcenda religant.* Aut certè ſi quæres iterum, quibus ligandus ſis vinculis? reſpondebit Hieronymus, tibi faciendum eſſe quod de Vlyſſe traditur, qui ad malum nauis reuinctus Sirenum blanditias, hoſtes ſcilicet validiſſimos, feliciſſima victoria ſuperauit. O te felicem, ſi centenis temperantiæ nodis ad crucem, quæ Eccleſiaſticæ nauis malus eſt, ligatus de blandientium voluptatum lenocinijs triumphaueris. Scribit Hieronymus epiſ. 49. ad Ruffinum data. *Delectatus eſt Vlyſſes Symphonia Sirenum, ſed quia Sirenum voces, & Circes pocula cognouit, virtutis vinculis ſibi vim fecit, vt vitaret voraginem. Ego autem in Domino ſperans adijcio, quod Vlyſſis imitator eris.* Diſce virtutis vinculis tibi vim facere.

Diſciplina Dei vincula ſunt.

Aut certè ſi tertio interroges, quibus ligandus ſis vinculis? reſpondebit Auguſtinus, qui concione ſecunda in pſalm. 101. exponens ver. 11. *Intret in conſpectu tuo gemitus compeditorum.* ait huiuſmodi compedibus diſciplinam Dei intelligendam: illi vtique cõpedes, de quibus Dauid pſal. 149. ver. 8. mentionem fecit, *ad alligandos reges eorũ in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.* Rogat vt potentiæ animæ noſtræ Superiores (quas *regum* nomine intelligit, & potentiæ eiuſdem animæ inferiores, quas *nobiles* vocat) ligentur compedibus, videlicet diſciplina Dei, auctore Auguſtino, qui loco citato paulò poſt initium ait: *Agnoſcantur, & compedes diſciplinæ Dei.* In hiſce compedibus, quibus tam enixè potentias animæ ligari poſtulat Sanctus Rex, religioſorum votorum vincula recognoſco, quibus qui ſtringitur, ſit in ſpiritualibus prælijs Heros inuictus. Sed quia non omnia poſſumus omnes, moneo ſaltem, vt ligemur vinculis caritatis; illis, inquam, vinculis, quæ commemorat, & commendat Oſeas cap. 11. num. 4. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis.* Vincucula caritatis quid non poterunt? quid non impetrabunt ſi ijs tanquam validiſſima machina vtatur Deus?

Religioſorũ vota vincula.

[A] Perbellè idem, quem initio attuli, Ambroſius philoſophatur, propoſito Lazaro quatriduano à mortuis excitato, de quo Ioan. 11. num. 44. *Et ſtatim prodijt, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus inſtitis; & facies illius Sudario erat ligata.* Vides ligatos non ſolùm pedes, ſed & manus, & faciem. Quorſum hæc? niſi vt intelligas, Deo ſolenne eſſe inter vincula, multa licet & arcta, tribuere motum, & quidem facilem & expeditum. Verba Ambroſij lib. de fide reſurr. *Comprehende ſi potes, quemadmodum clauſis oculis iter carpat, vinctis pedibus gradũ dirigat, virtute enim diuinæ præceptio-* [B] *nis operante, natura ſuum non requirebat officium, non iam ſuo ordine, ſed diuino nutui ſeruiebat: agebatur prius, quàm parabatur inceſſus.* Ne quæras, quomodo maximè liber ſit Dei ſeruus, ad ſui Domini obſequia, cum teneri vinculis videtur. Nimirum prius agitur, quam parari poſſe credatur, quod à Deo præcipitur. Et quia iubente Deo, natura ſuum non requirit officium, iubeat Deus, & inter nodos aduerſitatis gemens animus, ad tolerandum pro Deo animoſior fiet. Iubeat, & inter perſequentium anguſtias arctata mens, teret expeditius culmen perfectionis; iubeat, & inter tentationum nexus, [C] chriſtianum cor promptius excurret mandatorum viam.

Ligat nos ſæpenumero Deus vt liberet, & dum videtur vincula inijcere, vim tribuit ad agenda præclara. Teſtis mihi ſit Samaritanus Euangelicus eximiæ commendatione pietatis ſuper æthera notus, qui vt ſcribitur Lucæ cap. 10. num. 33. *appropians alligauit vulnera eius.* Homo videlicet ab Hieruſalem recedens, hoc eſt, pacis viſionem, & Dei ſedem deſerens nulla re æquè eget, ac ligamine. Hinc idem Ambroſius ſerm. 21. in Pſalm. 118. *Dominus*, inquit, *Ieſus ipſe eſt medicus, qui vulnera noſtra curauit, infundens vinum,* [D] *& oleum, & alligans vulnera Adæ illius, qui deſcẽdens ab Ieruſalem in Iericho à latronibus vulneratus eſt. Bona alligatura, quæ fracta animæ tuæ oſſa connectat, & ſoliditate reparata, in priſtinas vires reformet, ac diſciſſos artus, ſine vlla cicatricis offenſione reſtituat.* Veriſſimè ſcripſit Seneca lib. 5. de benef. cap. 20 *Multa eſſe beneficia quæ triſtem frontem, & aſperam habeant, quemadmodum ſecare, & vrere vt ſanes, & vinculis coërcere.* Quis mihi det vt ligetur voluntas mea nexibus diuini amoris, cur non captiuum ducitur cor meum redactum in ſeruitutem Dei. *Eripe me*, ſic Caſſiodorus alloquitur Dominum lib.

Dum magis à Deo ligamur tùc magis liberi in via Dei reperimur.

lib. de anima in fine. *Eripe me, & conſerua me in te. Impugna quod feci, & vindica quod feciſti: Tunc ero meus, cùm fuero tuus.*

Videri poſſunt quæ dixi 1. tom. parad. 9. in cap. 4. libertas ſerua, ſeruitus libera.

Præterea videri poteſt P. Ioannes Lo- A rinus in pſalm. 15. verſ. 5. & 6.

P. Cornelius à lapide in cap. 3. epiſt. ad Epheſios verſ. 1. & in epiſt. 2. ad Timot. cap. 2. verſ. 9. & in epiſt. ad Philippenſes cap. 1. verſ. 13. & in epiſt. ad Coloſſ. cap. 4. veſ. 18.

Videatur etiam P. Didacus de Baeza tom. 2. in Euan. hiſt. lib. 8. cap. 3. §. 43.

IN CAPVT DECIMVM QVARTVM

A Num. I. ad XI.

In illo tempore audiuit Herodes tetrarcha famam Ieſu: & ait pueris ſuis: Hic eſt Ioannes Baptiſta: ipſe ſurrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo. Herodes enim tenuit Ioannem, & alligauit eum: & poſuit in carcerem propter Herodiadem vxorem fratris ſui. Dicebat enim illi Ioannes: Non licet tibi habere eam. Et volens illum occidere, timuit populum: quia ſicut prophetam eum habebant. Die autem natalis Herodis ſaltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. Vnde cum iuramento pollicitus eſt ei dare quodcunque poſtulaſset ab eo. At illa præmonita à matre ſua, Da mihi, inquit, hic in diſco caput Ioannis Baptiſtæ. Et contriſtatus eſt rex: propter iuramentum autem, & eos, qui pariter recumbebant, iuſsit dari. Miſitque & decollauit Ioannem in carcere.

PARADOXVM II.

Superbia hoſtis ſæuiſsimus ſimul, & ſuauiſsimus.

AB Herode mancipio vilisſimo fœditatis tàm dirum facinus inauditumque perpetrante, diſco Chriſtianæ pietatis, & veritatis effatum huiuſmodi: Superbia hoſtis ſæuiſſimus ſimul, & ſuauiſſimus cordis humani. Ne contra ius faſque datæ fidei deeſſe videatur Herodes, fit perfidus innocentiæ ſanctitatiſque perduellis, in ſe ipſum æque, atque in innocentem ſæuus. Hoſtem fouet blandum eundem, & truculentum, qui turbidam elationem inanibus nutrit in corde fallacijs vnà cùm Herode. Furit, vt vides, inter epularum lautitias clarus Tetrarchæ animus, quia ſuperbia conuiuijs paſcitur ſimul, & necibus recreatur; exardeſcit inter pocula vehementiùs, quæ vini ſuauitatem, ſanguinis, funeriſque temperat acerbitate.

Bis inuenies apud Danielem rerum viſibilium ſimulacris, Deo artifice demonſtratam olim fuiſſe humanae ſuperbiae conditionem, ſed modò longè diuerſo. In primis conſule cap. 2. Danielis, in quo ſuſe deſcribitur ſtatua illa toties memorata, qua Nabuchodonoſori indicare voluit Deus quatuor regnorum genera, totidem adumbrata metallis, auro, argento, aere, ferro. cit. cap. à num. 31. *Tu rex videbas, & ecce quaſi ſtatua vna grandis: ſtatua illa magna, & ſtatura ſublimis ſtabat contra te, & intuitus eius erat terribilis. Huius ſtatuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porrò venter, & femora ex ære: tibiæ autem ferreæ.* Idem Daniel quid ſibi velint iſta declarat eodem cap. à num. 36. *Hoc eſt ſomnium: interpretationem quoque eius dicemus coram te, rex. Tu Rex regum es: & Deus cœli, regnum, & fortitudinem,*

Ambitio ſimilis ſtatuæ Nabuchodonoſoris.

A *& imperium, & gloriam dedit tibi, &c. Tu es ergo caput aureum. Et poſt te conſurget regnum aliud minus te, argenteum, & regnum tertium aliud æreum, quod imperabit vniuerſæ terræ. Et regnum quartum erit velut ferrum.* Vt audio, exhibent haec metalla multiplex regni genus: ſed animaduerto hoc idem, ab eodem veritatis auctore Deo, eidem Danieli ſymbolis longè diuerſis fuiſſe declaratũ. Quippe cap. 7. Danielis à num. 1. *Daniel ſomnium vidit: viſio autem capitis eius in cubili ſuo. Videbam in viſione mea nocte: & ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno. Et quatuor beſtiæ grandes aſcen-*
B *debant de mari diuerſæ inter ſe. Prima quaſi leæna, & alas habebat aquilæ. Et ecce beſtia alia ſimilis vrſo in parte ſtetit: & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius. Et ecce alia quaſi pardus. Et ecce beſtia quarta terribilis, atque mirabilis & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus ſuis conculcans, & habebat cornua decem.* Feræ tàm horribiles, & monſtra tàm truculenta quid repraeſentent, non ipſe Daniel explicat proprio marte, ſed vnus è caeleſtibus ſpiritibus declarat apertè his verbis num. 17. cit. cap. *Hæ quatuor beſtiæ magnæ, quatuor ſunt*
C *regna, quæ conſurgent de terra.* O magnum, ò mirum diſcrimen! Regna Nabuchodonoſori videntur, aurum, argentum, æs, ferrum; metalla vel pretio gratiſſima, vel firmitate maximè vtilia ad propulſandas iniurias, & ad rebelles cohibendos. Videlicet nihil non optabile, nihil non iucundum, & deſiderabile in dominatu ac principatibus humana agnouit ambitio; at Danieli, imò Angelicis ſpiritibus regna videntur immaniſſimae ferae, & monſtra ſupra quàm dici poſſit truculenta, & horrida. Ea nempè ſuperbiæ conditio eſt, vt blandiatur tanquam aurum, & diſcerpat ſicuti Leo; allicit tanquam argentum, ſed
D laniat velut beſtia, verè ſaeuiſſima fera eadem, & ſuauiſſima. Innuit id Euſebius in Cat. Graeca S. Lucae cap. 1. *Regi itaque per modum imaginis ſomnium apparebat: Prophetæ autem belluarum ſub formis brutorum, atque ferarum oſtendebatur.* Cùm ſuperbos audis dicentes, nil iucundius excogitari poſſe, quàm imperare alijs; nil gratius quàm aequales opprimere: Nabuchodonoſor loquitur, aeſtimans quouis theſauro pretioſius, facere ſatis indomitae cupiditati dominandi: At ſerui Dei vnà cum Daniele dicent, nullam beſtiam ſaeuam adeò atque immitem eſſe, quae comparari queat cum ambitione, animum men-

Superbia ſimul lenit, & laniat.

menteṁque diſcerpente atque dilaniante.

Neque longè nobis petenda ſunt exempla, pro re praeſenti confirmanda, ab ipſa Herodis domo oe efferamus pedem; ipſum Nabuchodonoſor non praetereamus, & quod contendo meridiana luce patebit clarius. De Herode Act. Apoſt. cap. 12. à num. 21. ſcribitur: *Statuto autem die Herodes veſtitus veſte regia, ſedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis. Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini, eò quòd non dediſſet honorem Deo, & conſumptus à vermibus expirauit.* De Nabuchodonoſor autem ſic leges Danielis cap. 4. num. 26. *Poſt finem menſium duodecim in aula Babylonis deambulabat. Reſponditque Rex, & ait: Nonne hac eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis mea, & in gloria decoris mei? Cum ſermo adhuc eſſet in ore Regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonoſor Rex: regnum tranſibit à te, & ab hominibus eijcient te, & cum beſtijs & feris erit habitatio tua.* Et paulò poſt num. 30. *Eadem hora ſermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor, & ex hominibus abiectus eſt.* Herodes, & Nabuchodonoſor geminum ſuperbiæ monſtrum, planè demonſtrant elationem tam ſæuam eſſe, quàm ſuauem. An non vterque mille alijs, & quidem turpiſſimis, vixit ſceleribus commaculatus? Herodes ſanè furore percitus Eccleſiae principes vexauit, fecit captiuos, ſuſtulit è medio, Petrum maximum Pontificum detruſit in carcerem, Iacobum Chriſti Apoſtolum morte damnauit: nec tamen Dei vindicis iram expertus eſt: ſed *conſumptus à vermibus expirauit*, cum elatus ſuperbia tumeſcebat inter imperij decora, & fauſtas populi acclamationes. Innuere viſus eſt id S. Ioan. Chryſoſtomus hom. 27. inquiens: *Vide, quando Apoſtolum occidit nihil tale fiebat.* Expirat ſuperbus conſumptus à vermibus, niſi fallor, Deo mortalium animis inſinuante, tam inuſitato ſupplicij genere, eo pacto à ſuperbia animum & cor dilacerari, quo modo corpus Herodis à vermibus, ex ipſo ſcaturientibus corpore, legimus fuiſſe conſumptum, conficit, corrodit, conſumit ſuperbiae vermis. Similiter Babylonicus Tyrannus non cadit ictus fulmine, cùm innoxios pueros in fornacem coniectos deſtinauit incēdio; cum profanus, imò ſacrilegus aurea templi vaſa attrectat non lepra putreſcit; cum execrandus idolatriæ auctor ſtatuam erigit adorandam, oon cadit ſubita morte correptus: at quando ſe ſe magnificè circun-

Superbia elatus Herodes viuus à vermibus conſumitur.

Propter ſuperbiā Nabuchodonoſor in feram conuertitur

A ſpicit, quando effertur ſupra ſe ipſum, quando gloria tumeſcit inani, diuinae decreto ſententiae pœna corripitur horrore pleniſſima. *Ab hominibus eijcient te, & cum beſtijs & feris erit habitatio tua. Eadem hora ſermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor, & ex hominibus abiectus eſt.* Cum ſuauiſſimè blanditur ſibi, cum ſua iactando recreat ſeſe ſuperba mens, eadem hora ab hominibus abijcitur, & cum beſtijs & feris eſt. Notandum reor, non ſolùm dici *cum beſtijs*, ſed *cum beſtijs, & feris*. Feris vtique, & in alios, & in ſeipſas.

Apocalypſis cap. 17. à num. 1. & deinceps, atrox deſcribit ſpectaculum Ioan-
B nes in magna illa meretrice his verbis: *Veni, & oſtendam tibi damnationem meretricis magna, qua ſedet ſuper aquas multas, cum qua fornicati ſunt reges terra, & inebriati ſunt, qui inhabitant terram.* Videns hanc mulierem ornatam purpura, coccino conſpicuam, auro nitentem, gemmis fulgidam, ſedentem ſuper aquas multas, hoc eſt, Angelo eodem cap. interpretante, *populis multis* dominantem, agnoſco ſuperbiam, cuius amore depereunt reges terrae, & principes orbis. Sed vim mentis Euangeliſtae percipere non poſſumus, niſi attendamus mulierem hanc tam nitidam, tàm diuitem, tam benè comptam,
C benequе depexam non ſolùm habere cornua decem, ſed iiſdem cornibus ab ipſis amaſijs ſuis dilacerari. Sic cit. cap. n. 16. loquitur Angelus. *Et decem cornua, qua vidiſti in beſtia: hi odient fornicariam, & deſolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipſam igni concremabunt.* Percipio iam quid ſibi velit dilectus Deo Ioannes. Vis emblema adamuſſim ſuperbiam repræſentans? Pinge hanc meretricem à Ioan. conſpectam, & attende qualis ſit, quàm vehemens, quàm caecus, quàm ardens erga meretricem amor effraenatus impudicis amatoris; & ſimul conſidera ſi amor huiuſmodi in odium
D vertatur, qualis ſit furor: Quàm blanda eſt meretrix ludens, tàm fera eſt ſæuiens. Quid audeat amor degeneras in furorem, quis ignoret? Meretrix ambitio eſt, quia breui tempore delectat, & cùm diù amari nequeat, mox ſæuiùs cruciat, quàm paulò ante ſuauiùs recreauerat. Mentem Ioannis ſic accipe ex Ruperto lib. 10. in Apocalyp. *Mirum hoc, tamen verum eſt. Quis neſciat de Principibus mundi, quantis odijs fuerint inquieti? Et cui ſua inquietudine fuerint infeſti, niſi ipſi cupiditati, vel gloria mundi, cum qua fornicati ſunt præferendo illam ſuo creatori.* O miſeram deplorandamque ſuperborum calamita-

Superbia ſimilis meretrici Apocalypticæ.

tem

tem! Rixantur & pugnant cum ipſa ioani gloria, qua tantopere recreantur. Vno verbo, vis noſſe qualis ſuperbia ſit, & quæ conditio hominis ſuperbi? finge tibi iuuenem meretricis amore captum, cum eadem meretrice, mutato in odium amore rabie implacabili ſurentem debacchantemque.

Audio verba Moyſis, & fortaſſe etiam percipio myſticum ſenſum illius præcepti Deuter. cap. 21. num. 3. & 4. *Tollent vitulam de armento, qua non traxit iugum, nec terram ſcidit vomere, & ducent eam ad vallem aſperam, atque ſaxoſam, & cædent in ea ceruices vitula.* In vitula cornua attollente, quis non agnoſcat ſuper-
B biam? præſertim cum nullo ſubactam iugo audiat, nullo labore contritam, & nemini planè flectentem ceruicem. Superbia prorſus hæc eſt: Sed heu nimium ſæuit, dùm bene paſta pingueſcit, deſignata ad cædem; dum inter delicias, & lautitias omni bonorum genere ſatiatur. Superbia ſuos paſcit, vt mactet, eò ſæuior mactando, quò ſuauior paſcendo. Quid ni dicere poſſim huiuſmodi vitulam, victimam eſſe Luciferi. Superbiae principi dicata hoſtia eſt ea vitula, quae cornua attollit, quae terram aratro ſcindere dedignatur, quae iugum quoduis portare recuſat, ſuperbos
C vtique animos repraeſentat quos elatio oblectat & iugulat. O vitulam planè victimam ſuperbi principis tenebrarum, paſcitur delicioſè, vt caedatur atrociùs. Accommodatiſſimè pro re praeſenti Minutius felix in Octauio, ſic loquitur. *Niſi fortè vos decipit, quod Deum neſcientes diuitijs affluant, honoribus floreant, polleant poteſtatibus. Miſeri in hoc altius tolluntur, vt decidant altius. Hi enim vt victima ad ſupplicium ſaginantur, vt hoſtia ad pœnam coronantur.* Infelices planè victimae, ſuperbae animae ſunt quae nec Deum timent, nec homines reuerentur, dum florent honoribus, & poteſtatibus
D pollent, coronantur, ſed ad pœnam; ſaginantur, ſed ad lanienam; tolluntur, ſed ad caſum. Exemplum affert Seneca in Alexandro ſuperbiae alumno notiſſimo, ex quo fit manifeſtum animi elationem torquere magis, dum extollit altius. *Multi inueniuntur*, verba Senecae epiſt. 94. *qui ignem inferant vrbibus &c. Nemo illis venientibus reſiſtit, Sed neque ipſi ambitioni reſtiterant. Tunc cum agere viſi ſunt alios, agebantur. Agebat infelicem Alexandrum*, viuum ac ſpirans fortitudinis exemplar; en cor magnanimum gloriæ cupidum, en regem Macedoniæ alium mundum quaerentem ſibi, en Imperatorem

Superbus Luciferi victima.

A tot triumphis clarum, tot debellatis hoſtibus inuictum, tot victoriae monumentis immortalem. Quid tum? felicemne credes Alexandrum? Dum rebus tot tantiſque praeclarè geſtis, dum optata potitur gloria, dum effertur humanam ſupra conditionem: maiorem ſuſtinet cladem, quàm inferat; vaſtatur à furore ſuperbiae, dum militari robore hoſtes delet. Videlicet ſemper ſaeua, & ſemper ſuauis ſuperbia eſt. *Cùm agere viſi ſunt alios, agebantur.*

Verùm exempla à Seneca mutuari non debeo, cum è ſacrarum literarum monumentis habeam in promptu, quod narratur cap. 5. Eſther. Aman Aſſuero regi in
B primis gratioſus, ſummi honoris apicem attigiſſe ſe narrat amicis ſuis, & Zaræ vxori. Sic enim à num. 10. cit. c. *Conuocauit ad ſe amicos ſuos, & Zares vxorem ſuam: & expoſuit illis magnitudinem diuitiarum ſuarum, filiorumque turbam, & quanta cum gloria ſuper omnes principes, & ſeruos ſuos rex eleuaſſet. Et poſt hæc ait: Regina quoque Eſther nullum alium vocauit ad conuiuium cum Rege, præter me: apud quam etiam cras cum rege pranſurus ſum.* O Aman mortalium excelſiſſimum! O Aman bonorum omnium acceſſione beatum! Omnia ſuccedunt ex voto, præfertur omnibus, regi carus, reginæ in delicijs,
C abũdat diuitijs, exultat honoribus, triumphat in regia. Siſte parumper, & interroga ipſum Aman, quid de ſe ipſo ſentiat, tam ſecundos, tam iucundos inter honorum gradus? Si mentem ſuam ſine fuco & fallacijs aperire voluerit Aman, diris ſe laniari cruciatibus, & duris diſcerpi angoribus aſſeret, atque dilacerari: premit ille altum corde dolorem, cum reuera diſciſſo corde furijs agitetur. Vnius Mardochæi deſideratum obſequium magis cruciat, quàm recreent ciuium, Optimatum, principum exhibiti honores; Imò atrociore conficit dolore humuncionis vnius inurbanitas quàm ſubleuet Regis & reginæ tàm ſingu-
D laris, & ampla beneuolentiæ ſignificatio. Nunquam videlicet ſuperbia ſoanis eſt, quin ſæua ſit etiam & truculenta; nunquam adblandiens ridet, quin derideat indignata. Eodem cap. num. 9. *Egreſſus eſt itaque Aman eo die lætus & alacer. Cumque vidiſſet Mardochæum ſedentem ante fores palatij, & non ſolùm non aſſurrexiſſe ſibi, ſed nec motum quidem de loco ſeſſionis ſuæ, indignatus eſt valdè, & diſſimulata ira reuerſus in domum. &c.* Cum videris ſuperbos homines inter honores efferentes ſe ſe, & triumphantes fauſtas inter acclamationes, nimium ne crede colori hilaritatis, intus in corde latet hoſtis,

Aman ad ſummos honores euectus miſere ab ambitione torquetur.

intra

Intra pectus bacchantur furiae, ver iucunditatis ridet in fronte, gliſcit in venis & medullas depaſcitur amaroris virus. *Nemo illis venientibus reſiſtit*: quid carius? *Sed neque ipſi ambitioni reſtiterunt*: quid triſtius, aut acerbiùs? Vndè Baſilius breuiſſimè, & apertiſſimè in Conſtit. monaſt. cap. 11. monebat. *Dulce quid humana imperitis gloria eſt*.

Sed fortaſſe dicet non nemo, vera quidem hæc eſſe quæ in præſentia afferuntur: negari tamen non poſſe damna grauia, adeò ac deploranda ab vltrice, & carnifice ſuperbia inferri ſolùm hominibus perditiſſimis, do Herodem, do Nabuchodonoſor, do fornicarios cum meretrice principes, do ſuperbiæ furentis ideam Alexandrum, do ſceleſtum Aman; vt vltrò concedam inſinuantem ſe ſe ſuauiſſimè ſuperbiam, ſæuiſſimè furere se deuaſtare: Huiuſmodi porrò bellua tam fera, tam rabida diſcerpere nequit quos Chriſti humilitas erudiuit. Quid ſi ſuperbia, qua nulla efferatior fera eſt, nulla crudelior beſtia, in viros etiam ſanctitate præſtantes eò furat, feriatque ſæuius, quò ſuauius peruadit, & molliùs, ac dulciùs inſinuat ſe ſe. Adeſte obſecro, in hac enim ſententia in primis eſt Philo, qui libro de Ioſeph conſiderat, cur dicant fratres Ioſeph eundem à fera peſſima dilaceratum; & ſic loquitur. *Idem à feris circumuentus inducitur, quod huic inſidietur immanis beſtia vana gloria, corripere ac deuorare tales ſolita*. Placet hoc loco inueſtigare fratrum Ioſeph conſilium, decernunt enim inter ſe de Ioſeph perdendo, & poſt multa ſtatuunt illum trucidare, & parenti nunciare à fera peſſima fuiſſe dilaceratum. Gen. 37. num. 20. *Venite occidamus eum, dicemuſque: fera peſſima deuorauit eum*. An non conſultiùs proſpexiſſent ſibi iniqui fratres, aſſerendo ſe nihil omninò ſcire de Ioſeph? Cur potiùs non mactant, & mactatum terræ committunt profitentes ſe omninò ignaros eius quod Ioſeph contigiſſet. Quorſum iſta feræ peſſimæ mentio? Neſcientes quid dicant, vaticinantur. Iactauerat ſe ſe innocens Ioſeph, & narratione ſomniorum ſuæ gloriæ prædicator extiterat: nil mirū ergo ſi dicatur à fera peſſima dilaceratus; huic nempe inſidiatur immanis beſtia vana gloria, *corripere ac deuorare tales ſolita*. Ioſepho quis ſanctior, qui ſua fretus innocentia huiuſmodi beſtiam non debeat pertimeſcere? Eadem inanis gloria quaſi per ſoporem illuſtribus Solis, Lunæque imaginibus recreat, eadem cum fratribus, coram patre colloquentem Ioſeph delectatione perfundit, & eadem quaſi beſtia peruadit, & concutit. Idem ſanè paulò ante allatus S. Baſilius ibidem decernit. *Gloriola inanis cupiditatem, eſſe dulcem ſpiritualium opum expoliatricem, iucundum animarum noſtrarum hoſtem*. Quo loco notandum eſt ſermonem fieri cum hominibus virtute præditis, & perfectioris vitæ ſtudioſis; præterquam quod non niſi veſtitus expoliari poteſt. Caueat ergo qui ſpiritualibus abundat opibus, ne tam dulci expoliatore denudetur. Plus nimio ſuæ virtuti fidit, qui ſe credit tutum eſſe à ſuaui aequè ac ſaeua beſtiae tam efferatae laniena. Profectò Gregorius re & cognomento Magnus fatetur ſe expertum inanem gloriam tanquam amicam, & itineris ſociam ſe ſe interſerentem, vt veluti domeſticus latro, & furaretur ſimul, & blandiretur. Sic autem Gregorius cap. 16. lib. 35. moral. *Dum radicem meæ intentionis inſpicio, Deo quidem ex ea me ſummopere placere voluiſſe agnoſco; ſed eidem intentioni, qua Deo placere ſtudeo, furtim ſe neſcio quo modo, intentio humanæ laudis interſerit. Quod cum iam poſtmodum tardèque diſcerno, inuenio me aliter agere quod ſcio me aliter inchoaſſe. Sic etiam ſæpe intentionem noſtram dum ante Dei oculos rectè incipitur, occultè ſibi ſubiuncta, & eam velut in itinere comprehendens, intentio humanæ laudis aſſequitur*. Sine ſtrepitu, ſine vi; imò amicè & iucundè ingerit ſe ſe humanae laudis amica voluptas, quae virtutem perimit, cor commaculat, Deum aufert. O furem blandum, ò dulcem depopulatorem, ò hoſtem graſſatoremque ſimulatæ amicitiae ſpecie mentientem! O elatum ſpiritum ſocium ſimul itineris, & domeſticum proditorem!

Superbia blandè ſe inſinuans furit etiam in Dei ſeruos.

Ioſeph cur à fera peſſima deuoratus dicatur.

Inanis gloria bonorū operum prædatrix.

Videri poteſt P. Didacus de Baeza to. 3. in Euangel. hiſt. lib. 15. cap. 6. §. 3 & lib. 18. cap. 1. §. 1. Et tom. 5. de Chriſto figurato lib. 9. cap. 3. §. 2.

IN CAPVT DECIMVM QVARTVM

A Num. I. ad XII.

In illo tempore audiuit Herodes tetrarcha famam Ieſu: & ait pueris ſuis: Hic eſt Ioannes Baptiſta: ipſe ſurrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo. Herodes enim tenuit Ioannem, & alligauit eum: & poſuit in carcerem propter Herodiadem vxorem fratris ſui. Dicebat enim illi Ioannes: Non licet tibi habere eam. Et volens illum occidere, timuit populum: quia ſicut prophetam eum habebant. Die autem natalis Herodis ſaltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. Vnde cum iuramento pollicitus eſt ei dare quodcunque poſtulaſset ab eo. At illa præmonita à matre ſua, Da mihi, inquit, hic in diſco caput Ioannis Baptiſtæ. Et contriſtatus eſt rex: propter iuramentum autem, & eos, qui pariter recumbebant, iuſsit dari. Miſitque & decollauit Ioannem in carcere. Et allatum eſt caput eius in diſco, & datum eſt puellæ, & attulit matri ſuæ.

PARA-

PARADOXVM III.

Luxurioſus, Hydrus vitiorum.

HERODEM vitiorũ Hydrum ore multiplici ſcelerum venena vomẽtem aſpice; imò deſpice & abominare, dum turpibus, fęce libidinis contaminatis hominibus, idem demonſtro contingere, quod de Herode narrat Euangeliſta. Herodem ſplendido cum magnatibus epulantem conuiuio ſuperbum, pocula inter epulaſque ſe ſe ingurgitando guloſum, ocio deditum, & veternoſæ natum pigritiæ nõ agnoſcis? Herodem innoxio Ioannis ſanguine maculatum proculcaſſe Iuſtitiæ iura ſacroſancta, iuratam fregiſſe fidem, & maluiſſe honoris, & exiſtimationis, quàm temporalium bonorum facere iacturam, cum audis; an non percipis ſanguinarium ſimul & inuidum, & luxu corruptum; vno verbo, an non luce clariùs meridiana patet, Herodem, & cum Herode quemcunque libidinoſum ſeptem capitalium vitiorum reum eſſe, omniſque integritatis, & iuſtitiæ perduellem, hoc eſt, flagitiorum omniũ Hydrum turpiſſimum, atque teterrimum?

Liberat me ſuſpicione mendacij ſummi Dei hiſtoricus ſacroſanctus Geneſ. c. 6. n. 2. & 5. *Videntes filij Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperunt vxores ſibi ex omnibus quas elegerant*. Subdit paulò poſt: *Videns autem Deus, quòd multa malitia hominum*. Quomodò dicitur multa malitia, ſi vnius tantum laſciniæ facta eſt mentio? Reſpondet S. Io. Chryſoſtomus hunc textum examinans his verbis. *Videns autem quòd multa malitia hominum eſſet in terra. Ex hoc enim malo opere, quaſi fonte quodam multa etiam alia ſuboriebantur peccata, & ideò dicit, quòd multa malitia hominum. Nam vbi ſcortatio, & luxuria, & tanta intemperantia, veriſimile eſt ibi & ebrietatem, & crapulam, & magnam iniuſtitiam, & auaritiam, & innumera alia naſci mala*. Vbi luxuria, ibi vitiorum barathrum, ibi ſcelerum chaos, ibi humanorum diuinorumque iurium perturbatio, atque cõfuſio luctuoſiſſima Id Chryſoſtomum mutuatum fuiſſe crediderim à Daniele c. 16. n. 49. Vbi Ieruſalem increpans: *Ecce*, ait, *hæc fuit iniquitas Sodomæ Sororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis & abundantia, & ocium ipſius & filiarum eius, & manum egeno & pauperi non porrigebant*. O luxuriam ſcelerum colluuiem, flagitiorum matricem, fodinam criminum inexhauſtam!

Libido fons vberrimus vitiorum.

Aſſerere non dubitarem libidinem adũbratam fuiſſe, in quinta plaga, qua ad infringendam Pharaonis temeritatem Deus dicitur Ægyptios percuſſiſſe, fuit autem peſtis animalium, vt legimus Exodi c. 9. n. 3. *Ecce manus mea erit ſuper agros tuos, & ſuper equos, & aſinos, & camelos, & oues, peſtis valdè grauis*. In hac, inquam, plaga exiſtimo libidinem adumbrari, non modò, quia ſicuti monet Auguſtinus lib. de decem præceptis, & decem plagis, *more pecudum viuit ac moritur, qui ratione, ac lege diuina contempta, illicitas ſectatur libidines*: Verùm etiam multò magis, quia ſicuti peſtis malorum maximum, omnia malorum genera complecti videtur; ita etiam non vna fœdatur lue, ſed omnibus maculatur criminibus luxurioſus. Conſidera decem Ægypti plagas ſanguinis, ranarum, ciniphum, muſcarum, veſicarum turgentium, grandinis, locuſtarum, tenebrarum, cædis primogenitorum; nullam inuenies feralem adeò, nullam tàm feracem malorum, quàm peſtilentiam; ità planè inter ſcelera nullum tàm noxium comperies quàm libidinem, ideò cum peſte meritò conferendam. Peſte nulla nocentior infirmitas, quippè cum certa ſit, & quaſi fatalis parens mortis calamitoſæ, quod libidini tribuitur à S. Baſilio in pſal. 1. his verbis: *Ipſe quoſdam noui, qui per ætatis teneræ florem, ad obſcœnas carnis affectiones delapſi per conſuetudinem quoque mali iſtius, immortui ſunt peccatis*. Sicut itaque peſtis morborũ omnium receptaculum dici poſſe videtur, eò quòd mortem corpori afferat ferè ineuitabilem; ità dicetur cũ laude libido metropolis vitiorum, cum animæ mortem inferat longè lamentabiliorem. Peſtis morborum omnium vim tabificam; libido ſingulorum ſcelerum virus in ſe cõtinet & concludit. Vt meritò ab altero Baſilio Seleuco, orat. 5. libido dicatur: *viuax peſtis*. Verè ſcripſit Seneca de Beata vita capite 13. *Conſtante tibi pudicitia, virtus ſalua eſt*. Sicut enim omnia virtutum virent germina, conſtante pudicitia; ita eadem pudicitia

Libido in quinta Ægyptiorum plaga adũbrata.

Libido animi peſtis.

A ſublata, nihil honeſti remanet, nil ſancti, aut impolluti.

Habeo in promptu acumen ingenioſum mulieris Samaritanæ de qua Io. cap. 4. poſt habitum cum Chriſto colloquium, concinibus ſuis communicatura rem maxima dignam admiratione, aſſerit inuentum à ſe hominem homine diuiniorem, qui præteritæ vitæ ſuae ſcelera omnia ſingillatim, & diſtinctè nunciauerit. Errat hæc mulier fœminea leuitate inſaniens, audiamus tamen eius verba, fortè enim ab ipſa ſtultitia, documenta ſapientiæ hauriemus: Sic ait cit. cap. à n. 28. & deinceps: *Reliquit hydriam ſuam, & abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus: Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci.* Quomodò dixit omnia quaecunque feciſti? Si hiſtoriam conſideremus attenti, inueniemus à Chriſto Domino, de ijs quae ad anteactae vitæ ſcelera pertinebant, ſolùm fuiſſe factam mentionem impudicitiae num. 18. *Quinque viros habuiſti, & nunc quem habes non eſt tuus.* Fallor niſi dicere voluit mulier, ſcelera omnia mea mihi dixit is, qui laſciniam exprobrauit: Nullum enim flagitium eſt, quod non contineat incontinentia. Innuere id videtur S. Io. Chriſoſtomus tract. de Samarit. tom. 6. inquiens. *Vnum tantùm* C *dixit ei ſcortationis peccatum Chriſtus, & illa relicta hydria currit ad vrbem dicens: Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci.* Nempè vnum hoc vitium, omnium trahit ſecum colluuiem vitiorum. Expreſſum id eleganter inuenio à Sidonio Apollinari lib. 3. epiſ. 13. vbi laudibus extollit Apollinarem filium ſuum eo nomine, quod conſuetudinem vitauerit impudicorum. *Quibus*, verba Sidonij, *nihil penſi, nihil ſancti eſt, in appetendis, garriendiſque turpitudinibus; quibus quod verbis inuerecundis aurium publicarum reuerentiam inceſſant, granditer ſibi videntur facetiari.* Noto illa D verba: *quibus nil penſi, nil ſancti eſt.* Da impudicum, & aio non vnius aut alterius peccati reum, ſed omnium ſentinam vitiorum: *Cui nil penſi, nil ſancti.*

Chriſtus vnam impudicitiam Samaritanæ detegens ei omnia ſcelera ſimul detegit.

Magno, hoc eſt, ſolito cum acumine Auguſtinus proponit, & ſoluit quaeſtionem, dignam ſanè quae à ſtudioſis ſacrarum litterarum attentè audiatur. In c. 46. n. 6. & 7. Geneſ. examinat ingenioſiſſimus Doctor ea verba, quæ de Patriarcha Iacob in Ægyptum proficiſcente dicuntur. *Venitque in Ægyptum cum omni ſemine ſuo, filij eius, & nepotes, filiæ, & cuncta ſimul progenies.* Quomodo fit mentio filiarum Iacob, cum certum ſit vnam tantùm filiam habuiſſe Iacob? Sic autem ſcribit Auguſtinus in quæſt. ſuper Geneſ. *Iuxta alia exemplaria eſt: Intrauit in Ægyptum Iacob, & omne ſemen eius, filij, & filij filiorum eius, & filiæ filiarum eius cum eo. Quærendum quomodo dicat filias, & filias filiarum eius, cum filiam vnam legatur habuiſſe?* Reſponſio ad propoſitam dubitationem, & maximè notanda, eſt huiuſmodi. *Sed nunc dicit filias filiarum, propter vnam Dinam pluralis numerus pro ſingulari poſitus eſt.* Vt ſententiam aſſequaris Auguſtini reuoca in mentem Dinam de qua Geneſ. 34. Dinam, inquam, illam cuius amore deperijt Sichem vſque adeò vt eam raperet, ac violaret. Reuoca, inquam, in mentem Dinam illam ſtupro famoſam, à qua & domeſtica dedecora, & triſtes parentum curae, & turpes fratrum ſolicitudines, & luctuoſa ſtrages Sichimitarum duxerunt originem miſerandam. Hinc non erit difficile ſententiam Auguſtini percipere. Vna Dina non vnum intulit damnum, ſed multiplex; vna Dina non vnius necis, ſed multarum origo fuit; ab vna Dina non vnum deductus, aut incommodum, ſed numero plura, & conditione grauiſſima mala profluxere: *Propter vnam Dinam pluralis numerus pro ſingulari poſitus eſt.* Quod de libidine contaminata Dina protulit Auguſtinus, nos de ipſa libidine non ſine laude affirmabimus: Vna cum ſit libido non tamen vnam fœditatem, aut culpam, non vnum ſcelus, aut vnam perniciem, ſed numeroſam, atque multiplicem infert, adeò vt iure optimo, & dici, & haberi debeat libidine contaminatus omnium ſcelerum reus, & omnium mancipium vitiorum. Sicut vna Dina multiplex illatis malis; ita vna libido numeroſiſſima ijs, quas affert ſecum, calamitatibus fœditatum. Vidit id D. Cyprianus lib. de ſing. Cler. de incontinentia loquens his verbis: *Præcipitia inſtruit, interitum fouet, confuſionem mercatur, theſaurizat opprobrium: per infinita dedecora multiplices mortes inuehit in perniciem perditorum.* Siſte in illis verbis: *Per infinita dedecora, multiplices mortes.* Vna quidem luxuria eſt, ſed non vnum dedecus; Vna ſanè libido, ſed non vnica mors quam ſecum trahit. Dedecus, & mortem à peccato afferri alibi demonſtro; hic ſtatuo tot à libidine profluere mala, tam multa dedecora à libidine manare, quot ſunt genera peccatorum, quia libido vna cum ſit omnium ſcelerum turpitudinibus conficitur, & vt ita dicam, coagmentatur, & coaleſcit.

Ab vnius Dinæ libidine quã plurima mala exorta.

Pla-

A Placet ire per ſingula, vt re tota enucleatius examinata, innoteſcat manifeſtiùs hominem luxurioſum eſſe non poſſe, quin ſit etiam ſanguinarius, ſuperbus, inſolens, iniuſtus, helluo, denique omnium contagione ſcelerum execrandus. Age à ſuperbia, quae prima & omnium maxima eſt vorago vitiorum, ducamus exordium. Erit pro nobis Richardus Victorinus, qui adducit in medium quod de Daniele notiſſimum ſacrae teſtantur paginae. Videlicet priùs corruit confracta Tyrãni Nabuchodonoſor ſtatua, deindè verò fornacis incendium caeleſti prodigio reſtinctũ: attende ordinem. Neceſſe fuit vt ſuperbia
B dirueretur, vt flammae voraces poſſent extingui: Nimirum flammae libidinis, ſine ſuperbiae fomento nequeunt aeſtuare. Audi Richardum in pſ. 28. *Priùs in Daniele elatio in aurea ſtatuae deſpectione calcatur, poſtea in fornacis refrigeratione flamma libidinis extinguitur. Ità & hic priùs cedri franguntur, poſtea flamma ignis intercidit* (explicat enim Richardus citato pſalmo num. 5. & 7. illud: *Vox Domini confringentis cedros: Vox Domini intercidentis flammam ignis*) *Nam ſi priùs non flectitur rigor elationis, abſque dubio non extinguitur flamma libidinis*. Habes ex Richardo nexum infelicem libidinem inter atque ſuperbiam.
C

Libidinoſus, Superbus.

Vis videre turpem amatorem alieno tingi ſanguine, in caedes ſemper iniuſtas anhelantem? Depingit luminibus eloquentiae ſuae D. Zeno huiuſmodi hominem, ſicarium, humani cruoris auidum, & foeditate aeque, ac feritate actum in furias. Sic autem inquit, amoris impuri formans ſimulacrum, ſerm. de fide, ſpe, & charitate. *Eſt & alius amor ſaluti noſtra contrarius, cui rectè figura hominis tribuitur, quia temporalis, & fragilis eſſe cognoſcitur. Ideò pennatus depingitur, quia in quemcunque conceperit, velociter ruit; ideò telis facibuſque conſtructus, quia illicitis amoribus ſemper*
D *iunctus eſt gladius*. Semper ſtricto gladio ſaeua libido, nunquam non efferа, non truculenta, nunquam non rabie concitata. Affert Sidonius Apollinaris ad id confirmandum, illuſtrandumque exemplum Seronati, Seronatum fuiſſe ſaeuum, quia libidinoſum. Sic autem ſcribit epiſt. 1. lib. 2. *Scitote in eo per dies ſpiritum diù diſſimulati furoris aperire: apertè inuidet, abiectè fingit, ſeruiliter ſuperbit; indicit vt Dominus, exigit vt Tyrannus, addicit vt iudex, calumniatur vt barbarus; non ceſſat furta vel punire, vel facere: ructat inter Ciues pugnas, inter barbaros litteras: in conſilio tacet, in conſeſſu iocatur, in conuiuio praedicat, in cubiculo damnat, in quaeſtione dormitat: implet quotidie Siluas fugientibus, altaria reis, carceres clericis; exultans Gothis, inſultans Romanis, illudens praefectis, leges Theodoſianas calcans, Theodoricanas proponens, veteres culpas, noua tributa perquirit*. Heu quot, & qualia in vno Seronato ſunt crimina! Heu ſcelera quàm multa, quàm palmaria vnum inficiunt hominem, atque commaculant! Vnde tam ferax ſcelerum ſeges? Vndè multitudo tàm numeroſa flagitiorum? Ex vna profectò peccatorum matrice impura libidine. Sic idem Sidonius paulò ante definiuerat breuiſſimè, ſed apertiſſimè pronuncians: *A cupiditate terribilis*. Seronatum vides ſuperbum, furore percitum, tyrannide ſaeuum: Praua id fecit cupiditas. Audis Seronatum, calumniatorem, barbarum, furem: à ſola libidine homo facinoroſus tantorum criminum hauſit inſtitutiones. Accipis Seronatum omnia humana, ac diuina iura conculcantem, excitantem inter ciues ſeditiones, manus ſacrilegas in clericos inijcientem, altaria profanantem: id quoque à libidine ac cupiditate tanquàm à fonte perenni criminum omnium profluere certò ſcias. O libidinem non ſolius ſaeuitiae, & crudelitatis, ſed matrem omnium iniquitatum. Mutato nomine de te luctuoſiſſima narratur hiſtoria, quiſquis vna cum Seronato ſis à cupiditate terribilis.

Libidinoſus Sãguinarius

De ebrietate autem, & gula indiuiſis turpiſſimae libidinis ſocijs nihil attinet dicere, cum certiſſimum ſit & notiſſimum. Tertullianus lib. de ſpectaculis, c. 10 *Veneri, & Libero conuenit. Duo iſta Daemonia conſpirata, & coniurata inter ſe ſunt ebrietatis, & libidinis*. Similiter Bernardus ſermone de conuerſione ad clericos, cap. 12. *Gula*, inquit, *eſt libidinis illecebroſa vorago*. Paulò ſuperius memorata Dina dicitur violata fuiſſe à Sichem Geneſ 34. num. 2. *Quam cum vidiſſet Sichem filius Hemor Heuai, princeps terra illius, adamauit eam: & rapuit, & dormiuit cum illa. Sichem* autem, vt Lyranus in hunc locum, in moral. aduertit, interpretatur *Ebrius*. Vt hinc pateat luxuriae nexus, & ebrietatis. De Dauid ſanè legimus lib. 2. Reg. cap. 11. numer. 8. regijs epulis Vriam excepiſſe. *Vade*, verba Dauid alloquentis Vriam, *in domum tuam, & laua pedes tuos*. Seu, vt interlinearis exponit, *vtere balneis*. Et quod notandum eſt, ſtatim atque Vrias è palatio egreſſus eſt: *ſecutus*

Libidinoſus guloſus.

tus eſt eum cibus regius. Interrogat Lyranus, qua de cauſa Dauid non modò ſe tam beneuolum, ſed etiam tam ſolicitum præbeat de balneis, & de epulis Vriæ? Reſpondet ſibi Lyranus. *Vt ſic per balneum, & cibum delicatum ad libidinem prouocaretur*. Vbi libido, ibi ingluuies; & luxuries à gula ſeiungi non poteſt.

Verùm ne multis. Iam, ſi ſapis, luxuriam non vitium, ſed multitudinem dixeris vitiorum, dummodò tui compos ſis; libidinem non crimen, ſed ſeptem capitalium criminum congeriem credas congregationemque: Credas autem non dicenti mihi, ſed Hugoni de Sancto Victore affirmanti: Etenim Miſcellan. 2. lib. 1. tit. 19. conſiderans mulierem in adulterio deprehenſam, & à Scribis Phariſæiſque ad Ieſum adductam, vt ſcribit S. Ioan. cap 8. ſic habet. *Venit ergo Ieſus, & ita ſe omni manſuetudine exhibuit, vt peccatricem animam ſeptem Dæmonijs adulteram, de manibus lapidantium eriperet*. Non ſemel adultera dicitur, quæ laxatis impudicitiæ habenis tot adulteriorum rea eſt, quot genera inueniuntur capitalium peccatorum. Clariùs id perſpicies in Magdalena de qua Lucæ cap. 7. num. 37. *Ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix*. En mulierem, cognomento peccatricem. Non ſola quippè libidine contaminabatur, ſed omni peccatorum genere. Sic Seruius in Cat. Græca S. Lucæ. *Ecce mulier peccatrix, vtpotè non vni, ſed omnibus peccatis, adeòque fornicationi obnoxia*. Vis eſt non ſolùm in ſeptenario numero, qui capitalium peccatorum eſt numerus, ſed multò magis in particula: *Adeòque*, quæ cauſalitatem quandã ſignificat, vt cũ philoſophis loquar. Videtur enim ſententiæ aculeus is eſſe vt ſignificetur, mutuam quandam, & quaſi neceſſariam conſpirationem, libidinem inter & multitudinem reliquam peccatorum, ita vt libido chorum ducens vitiorum, nuſquam ſedem figere poſſit, quin ſecum ducat reliquas omnes iniquitates quaſi pediſſequas, & famulatrices. Et id quidem tam obuium eſt, tam planum, vt ipſemet Plinius haud obſcurè innuere viſus ſit, cum in exordio ſuæ panegyricæ orationis Traianum exornaturus pronunciarit. *Quid præſtabiliùs aut pulchriùs, quàm caſtus & Sanctus Princeps?* Videlicet Ethnici etiam hominis iudicio, ſtringuntur arcanis qui-

Magdalena quia luxurioſa omniũ criminum rea.

Nil caſto principe præſtabiliùs

A buſdam nodis caſtitas & Sanctitas, vt ſicuti omnibus abſoluta numeris morum integritas, hoc eſt, Sanctitas ſine caſtitate inueniri non poteſt, ità ablata caſtitate omnis auferatur Sanctitas neceſſe ſit. Imò alexander, vt tradit Plutarchus in eius vita, cum à libidine vacabat. Deum ſe arbitrabatur; cùm verò vi libidinis proſterneretur, hominem ſe imbecillem, turpem, miſerum agnoſcebat, ac deplorabat. Videlicet nihil habet humanæ fœditatis, ſed diuinitatem ſpirat & ſapit, qui vitæ integer eſt, & ſceleſtæ luxuriæ purus. Sed cur à profanis ſcriptoribus petimus quod nobis ſacræ litteræ tradiderunt? An B non gentium doctor Paulus 1. ad Tim. 2. n. 2. *Obſecro orationes fieri pro Regibus, & pro omnibus, qui in ſublimitate ſunt conſtituti; vt tranquillam vitam agamus, in omni pietate, & caſtitate*. Vides ibi omnem eſſe pietatem, vbi caſtitas inuenitur; è contrario nullum pietatis veſtigium remanere ſublata caſtitate.

Alexander à libidine vacans ſe Deum, illi ſuccumbẽs ſe hominẽ cionem exiſtimabat.

Nec me pœnitet, vt verum fatear, Hydro comparaſſe libidinoſum, vt initio proponebam, cum ſciam ab Euſebio lib. 7. de præparat. Euangel. cap. 2. turpem ſenſus voluptatem, *Hydram multorum capitum* nuncupari. Non inquam, me pœnitet huiuſmodi ſimilitudinem vſurpaſſe, C quia legi ab Haymone in 2. ad Cor. 12. veriſſimè dici, & propriiſſimè: *venenum libidinis*. Vnum tantæ perniciei remedium ipſæ poëtarum fabulae ſubminiſtrant. Hydram, vt poëtæ commenti ſunt, Hercules non ferro, aut vi, ſed igne domitam extinxit: Sola profectò incendij vis monſtrum tam virulentum, tam noxium, tam horrendum domare poteſt. Verùm pudeat rudimentum haurire à fabulis poëtarum. Audi Chryſoſtomum hom 10. in 2. ad Cor. ſic monentem. *Si libidinis igne flagras, ignem illum appone* (loquitur de igne inferni) *atque hic confeſtim extinguetur, & euaneſcet; ſi quid, quod turpe* D *& abſonum ſit, loqui geſtis, dentium ſtridorem cogita, & frans inſtar tibi hic metus erit*. Sicut clauus clauo truditur, veteri prouerbio, ità incendium libidinis abſumitur inferni incendio voraciore. Audi S. Petrum Damianum epiſ. 6. *Veniet, veniet profectò dies, imò nox, quando libido iſta tua vertatur in picem, qua ſe perpetuus ignis in tuis viſceribus inextinguibiliter nutriat*.

Libidinis flammæ infernorum incẽdijs ſunt extinguendæ.

IN CA-

IN CAPVT DECIMVM QVARTVM

A Num. I. ad XII.

In illo tempore audiuit Herodes tetrarcha famam Ieſu: & ait pueris ſuis: Hic eſt Ioannes Baptiſta: ipſe ſurrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo. Herodes enim tenuit Ioannem, & alligauit eum: & poſuit in carcerem propter Herodiadem vxorem fratris ſui. Dicebat enim illi Ioannes: Non licet tibi habere eam. Et volens illum occidere, timuit populum: quia ſicut prophetam eum habebant. Die autem natalis Herodis ſaltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. Vnde cum iuramento pollicitus eſt ei dare quodcunque poſtulaſset ab eo. At illa præmonita à matre ſua, Da mihi, inquit, hic in diſco caput Ioannis Baptiſtæ. Et contriſtatus eſt rex: propter iuramentum autem, & eos, qui pariter recumbebant, iuſsit dari. Miſitque & decollauit Ioannem in carcere. Et allatum eſt caput eius in diſco, & datum eſt puellæ, & attulit matri ſuæ.

PARADOXVM IV

Libidinoſus fit per luxuriam Monſtrum, Idololatra, Hæreticus, Atheus.

ADESTE frequentes: Adeſte attenti quotquot turpem libidinis nefariæ culpam, vel in humanam imbecillitatē, vel in inſidias carnis domeſtici hoſtis, vel in multiplices quæ ſe ſe offerunt occaſiones transferentes, conamini minuere turpitudinis tam criminoſæ nequitiam. Ego ſanè ad alia gradum non faciam, niſi priùs euicero labem nullam inueniri adeò noxiam; nec peſtem tàm abominabilem, & purulentam excogitari; malum denique nullum, tot malorum aggregatione nocinum reperiri vſquam poſſe, quod cum fœditate, atque prauitate libidinis conferendum vlla ex parte videatur. Id autem facilè me aſſecuturum ſpero, planiſſimè demonſtrando: libidinoſum fieri per luxuriam, Monſtrum, Idololatram, Hæreticum, Atheum.

Ordior à primo. Mõſtroſius monſtrum noſtris oculis obijcere, ſe minime poſſe arbitratus eſt Horatius Poëta non ignobilis, quàm depingendo humanae faciei connexa in piſcem deſinentia membra. Vndè lib. de arte poetica

——— turpiter atrum
Deſinat in piſcē mulier formoſa supernè.

Tale planè, de quo loquor, monſtrum eſt, de quo fit mentio lib. 1. Reg. cap. 5. n. 1. *Tuleruntque Philiſthijm Arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & ſtatuerunt eam iuxta Dagon.* Dagon, vt Caietanus cum Vatablo hoc loco, supernè hominem referebat, infernè verò piſcē. In Dagone verò ſimulacrum agnoſco hominis turpi libidine maculati, quia apud D. Bonauenturam in pſalm. 28. numer. 1. lego: *Dagonem nil aliud fuiſſe quàm Idolum Veneris. Philiſthæi*, inquit Bonauentura cit. *poſuerunt arcam Domini iuxta Idolum Veneris Dagonem.* Atque hic ego accommodatè ſubiungo, quod Seneca Philoſophus de falſis dijs aſſerit his verbis. *Si viui illa fuiſſent forma præditi, quam eorum ſimulacra præſeferebant, non vt numina colerentur, ſed vt mõſtra ab omnibus fugerentur.* Arrige aures quicunque cæco amoris furore correptus, Deam nuncupas, & tanquam Deam colis eam, cuius amore deperis. Conſiderato eius ſimulacro, intellige non vt numen colendum, ſed fugiendum vt monſtrum. Scias Dagonem, Idolum Veneris. Porrò piſces, & marinos Deos in erudita antiquitate hieroglyphicum fuiſſe laſciuiæ, teſtis eſt Pierius Valerianus lib. 31. circa finem. In Dagone itaque tuæ pellicis agnoſce monſtriferam deformitatem. Monſtrum eſt, quod numen putas.

Libidinoſus monſtrum capite hominem, pedibus piſcem referens.

Deuteronomij cap. 22. num. 5. Deus ipſe peculiari edicto prohibet. *Non induetur mulier veſte virili, nec vir vtetur veſte fœminea.* Eſtne tanti momenti propria hominibus, & mulieribus indumenta præſcribere, vt Deus ipſe debeat ea definire? Fortaſſe par fuit ad tollendam monſtroſam partium repugnantiam, vt ſapientiſſimus, ac optimus rerum Dominus decerneret muliebria ornamenta cum indumentis virilibus miſcenda non eſſe. Æquum enim eſt vt conſonent, ſibique cohæreant partes omnes, cum nihil tàm monſtroſum ſit quàm ſine modo, ac ſine lege, quæ inter ſe ſunt diuerſa, confundere ac commiſcere. *Annon* (inquit Clemens Alexandrinus huius præcepti Diuini rationem inueſtigans lib. 2. ſtromatum) *nos vult eſſe viros, & nec corpore, nec factis, nec mente, nec verbis effœminari?* Appoſitè ſanè, ſed planius, & expreſſius pro noſtro inſtituto loquetur Ambroſius Epiſt. 15. ad Irenæum ſcribens in hunc modum. *Arbitror quod non tantè de veſtibus, quàm de moribus dixerit: Quàm deforme virum facere opera muliebria?* Perturbant naturæ ordinem, & deturpant pulchritudinem homini datam, & mulieri diſtributam, qui mores imitantur muliebres: at hoc veriſſimè monſtrum eſt. Quos vides comptos, calamiſtratos, pronos ad leuia, imò profuſos ad turpia, leuitate plus quàm fœmineа, hos tanquam monſtra turpiſſima, atque teterrima auerſeris. Deus ducit indignum ſi permutentur veſtes inter homines, & mulieres, quantò indigniùs, & inconuenientiùs haberi debebit, ſi mores, & affectus nimio libidinis impetu permutentur?

Cur Deus muliebre veſtimenta viris, virile mulieribus prohibuerit?

Credes? & tamen ſine dementiae temeritate

Salomon per libidinẽ lapſus in idololatriã.

ritatiſque nota negari non poteſt, hominem luxurioſum diuinitate contempta, debitum Deo cultum, per ſummum ſcelus, tribuere idolis. Didicit id propria experientia, qui ſua ſapientia inſtituit orbem terrarum Salomon, qui effraenata libidine Aſtarthen Sidoniorum deam, & Chamos Deum Moabitarum, & Moloc idolum Ammonitarum non coluit modò; vt ſcribitur lib. 3. reg. cap. 11. Sed aedificato templo, & quidem contra Hieruſalem, colenda propoſuit; quaſi verò parum eſſet tam indigno ſacrilegio thura adoleuiſſe, & immolaſſe hoſtias Daemonibus, niſi etiam veri Dei auferre cultum, religionemque ſuperſtitione opprimere conaretur, qui fœminarum captus amore car nis licentiae ſeruiebat. Vtar monito D. Ambroſij lib. 6. epiſt. 36. ſcribentis: *Vbi cæperit quis luxuriari, incipit deuiare à fide vera. Ita duo committit maxima crimina opprobria carnis, & mentis ſacrilegia.*

Luxurioſus deuiat à vera fide.

Vtinam non audirentur frequentes petitæ à diuinitate ſimilitudines, quibus amatores inſani peritura fallaceſque pulchritudines conantur extollere. Vtinam non tribuerentur nomina, & commendationes Deitatis ſcortis & pellicibus. Vtinam turpiſſimæ meretriculæ, ſummo cũ religionis dedecore, Deæ non nuncuparentur. Nimirum, vt monet Ambroſ. *Vbi cæperit quis luxuriari, incipit deuiare à fide vera.* De quibus dici meritò poteſt, quod pronunciauit de Salomone Tertullianus lib. 5. contra Marc. *Salomon etiam quam habuit in Deo gloriam, amiſit per mulierem, in idololatriam vſque pertractus.* Quantam habeat libido cum idolatria coniunctionem declarat S. Athanaſius orat. contra Idola, his verbis. *Olim certè Phœniſſæ mulieres ante idola proſtituebantur, dedicantes numinibus ſuum quaſtum, perſuaſæ meretricatu ea propitiari.* Quod etiam feciſſe accepimus Virgines Babylonias, Syras, Medas, Perſicas, Lydias, aliaſque. Fuerit hic turpiſſimus error, atque teterrimus à voluptate fallaci mentibus fidei lumine deſtitutis, facilè inſinuatus: Nos verò qui bono veritatis euangelicæ in lumine turpes impuræ libidinis notas perſpicimus, quonam pacto fieri poteſt, vt ſcorta tanquam numina, & meretrices veluti Deas cultu planè execrando veneremur?

Gentiles quædam putabant ſe obſequium præſtare Deo fornicando.

Reprehẽſos olim fuiſſe Iudæos à Chriſto Domino Matth. 23. ſciunt omnes; ſed non omnes fortaſſe vim percipiunt obiurgationis; & pauciores ſunt qui animaduerterint, non tam Iudæos reprehendi, quàm impudicos, qui per luxuriam mores

A & licentiam infidelium imitantes, fidem quodammodò proterunt, atque conculcant ipſis infidelibus audaciores. Mox quod contendo manifeſtum fiet. Citato cap. à num. 35. Verba Chriſti Domini pro re præſenti ſunt. *Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare.* Nota nomen *Zachariæ* interpretari *memoriam Dei*: hanc conculcant, imò delent, & perimunt etiam in ipſo templo, imò in ipſo altari, hoc eſt, ſacratiſſimo in loco, atque ſanctiſſimo, illi qui corruptis impudi-

B citiæ moribus fœditati ſeruiunt, atque libidini: Expoſitio non mea, ſed Origenis eſt, tract. 26. in Matth. ſcribentis: *Inter templum etiam, & altare ab impijs memoria interficitur Dei, quando templum Dei à laſciuis corrumpitur.* Quaſi dicat, nullum crimen eſt adeò deteſtandum, vt Dei memoriam à templis auferat, præter laſciuiam. Deus immortalis! non memoria ſolùm, ſed cultus, ſed religio, ſed ſanctitas in templis, & in aris florere deberet; & tamen non modò hæc reijcit à ſacris ædibus libido, ſed ipſam quoque memoriam eliminat, atque amandat. Et dubitabimus num criminum crimlnoſiſſima

C haberi debeat libido, cui non templa, non ſacraria, non altaria ipſa ſacra ſunt; ſed nil tam ſanctum eſt, ac venerabile, quod ſua profanatione non polluat atque corrumpat. Pudeat nos abuſus tam ſacrilegi teſtes eſſe, cùm noſtris etiam temporibus videamus in templis, ante aras, in maxima populi frequentia, in ſumma ſacrorum celebritate; nulla temporum, nulla ſacrificiorum, nulla Dei habita ratione, qua laſciuientium oculorum procacitate, qua turpi loquendi libertate, qua geſtus, & totius inceſſu corporis licentia impudenti, exultare libidinem, & impudicitiam triumphare. Heu quàm appoſitè Ambro-

D ſius; *Vbi cæperit quis luxuriari, incipit deuiare à fide vera.* Nimirum ex Origene, *Inter templum etiam, & Altare ab impijs memoria interficitur Dei, quando templum Dei à laſciuis corrumpitur.* Scelus tàm immane, tàm deteſtandum, tàm execrabile non à ſuperbis, aut ſanguinarijs, non à rapacibus, aut guloſis; vno verbo, non ab alio quàm à laſciuo, ac libidinoſo perpetratur. Sola quippe libido omnem Dei memoriam aufert, atque peſſundat, ita vt nullum ſuperſit veſtigium chriſtianæ pietatis, aut veræ religionis, vbi impudicitia dominatur.

Acutè ſanè Tertullianus examinat allatàm

tam ab Adamo excuſationem Geneſ. 3. vbi cùm rationem redderet violati præcepti, ſic ait: num. 12. *Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi*. Velit, nolit primus parens dum admiſſum ſcelus tegere conatur, longè turpiùs, & grauiùs crimen detegit: cùm enim fateatur maluiſſe ſe fœminæ ſeducentis ſequi inſtitutiones, quàm Dei iubentis parere præceptis, declarat ſe receſſiſſe à Deo, vt mulieri aſſentiretur, & aſſentaretur. Audi Tertullianum lib. 2. in Marcion. *Adam confeſſus eſt ſeductionem, non occultauit ſeductricem rudis adhuc hæreticus*. Habes quo fonte hæreſis cadat: nimirum à vehementi mulierum amore. Vis aculei in eo eſt: *Rudis adhuc hæreticus*. Hanc percipies conferens cum Adamo, hoc eſt, cum rudi tunc hæretico, vt cum Tertulliano loquar, hæreticos noſtri temporis, hoc eſt, acutiores & inſtructiores, qui mille modis conantur abſcondere turpitudinem ſuam, & exquiſitis tergiuerſationibus ſatagunt celare originem ſuae perfidiae, atque vt dici ſolet, non cauſam, pro cauſa afferunt, cùm reuera abducantur à fide, & ab Eccleſiae gremio extrahantur impetu libidinis. Teſtes ſunt locupletiſſimi, & luctuoſiſſimi Lutherus, Caluinus, Menno, Beza, Bucerus aliique impuriſſimi Ganeones. Vt taceam ex antiquioribus Nicolaum Diaconum, qui vt ad vxorem rediret, receſſit à fide; vt taceam Marcionem, qui cùm Virginem violaſſet triplex excogitauit baptiſmi genus, quæ tamen ſatis eſſe non potuerunt ad abluendam animæ impuriſſimæ fœditatem. Iſti ſanè non rudes, ſed eruditi hæretici ſunt, qui contendunt ſummam honeſtare turpitudinem, & cum reuera à luxuria in hæreſim fuerint acti precipites, mille tamẽ inuentis, ac innumeris mendacijs, ſeductricem conantur abſcondere, quod non fecit Adam; noſtri profectò cautiores, atque eruditiores, ne fortè exardeſcant, & inflammentur iuſto furore homines, contra tam funeſtam, tam diram, tam tartaream peſtem, & furiam pluſquàm æternalem in Deum ipſum, ac religionem inſurgentem inſultantemque. Neque verò reprehendi meritò poſſum, quaſi hyperbolico vtar dicendi genere, cum peſtis nomine libidinem nuncupo, niſi fortè quis audeat reprehendere ſanctiſſimum, & eloquentiſſimum Cyprianum, lib. de ſingularitate cleric. ſic ſcribentem. *Fœminæ copulatio ſemper infeſta eſt. Fœdere ſub magnae moleſtias præſtat, & cui adhæſerit contra fas, inſanabilem ingerit plagam. De carbonibus ſcintillæ deſſiliunt, de ferro*

Adam propter fœminam hæreticus.

Hæreticos à vera religione ſola libido traduxit.

A *rubigo nutritur, morbos aſpides ſibilant, & mulier fundit concupiſcentiæ peſtilentiam*.

Contra hos inuehitur Paulus ad Rom. cap. 1. num. 21. & 2. vbi *obſcuratum* ait *inſipiens cor eorum*, præſertim in cognitione Dei, *qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium*. Quid ſibi velit Apoſtolus exprobrando *cor inſipiens*, & obiurgando *commutatam veritatem Dei in mendacium*, declarat Chryſoſtomus affirmans ſenſum Apoſtoli eſſe vitium carnis primum, & veram eſſe hæreſeos originem. Verba Chryſoſt. in 1. ad Tim. cap. 1. ſunt, B *Malè viuentes, ne futurorum metu & expectatione crucientur, perſuadere ſibi omni ſtudio curant, falſa eſſe omnia quæ noſtra religio continet, nempè de peccatis, reſurrectione, iudicio futuro, & ſimilibus*. Siſte, obſecro, in illis verbis: *Perſuadere ſibi omni ſtudio curant falſa eſſe omnia quæ noſtra religio continet*. Intelligis quales hæreticos faciat luxuria? nempe Atheos non vnam aut alteram religionis noſtræ partem impugnantes, ſed omnia omninò euertentes, ac quantum fieri poteſt deſtruentes, abolenteſque. Quod didicerunt fortaſſe à Dauide Paulus, & Chryſoſtomus: ſic enim cecinit pſal. 13. num. 1. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* C *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt.* Vox chaldæa, pro *inſipiens*, ſonat, *pinguis, obeſus, craſſus*. Vt intelligamus eum ſolum, *cuius venter Deus eſt*; & corruptela carnis, delitiæ, auſum fuiſſe negare diuinitatem. Ex verbis ſequentibus confirmatur vlterius quod volo. Corrupti dicuntur, & abominabiles iſti Athei Deum negantes: nihil equidem tam corruptum, nihil tàm abominabile, quàm fœda libido. En quo euadant, qui deprauati, & corrupti impotenti luxuria, fiunt hominum abominatio; eò, inquam, euadunt, vt affirmare non vereantur: *Non eſt Deus*. Verùm neque luculentiùs, neque grauiùs de hac re dici poteſt, quàm D dicatur cap. 2. Sapientiæ vbi ex profeſſo luxurioſi de ſe ipſis loquuntur his verbis à num. 6. & deinceps. *Venite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creatura celeriter. Vino pretioſo, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis antequam marceſcant: nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nemo veſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ ⁊c.* Poſt multa, quid concludant turpiſſimi homines, diligenter eſt obſeruandum: ſtatuunt quippe Dei filium è medio collere, & negauerunt Sacramenta, pœnas impijs futuro ſeculo

dandas

Libido hæreſum omnium origo.

Luxurioſi Athei.

dandas, & præmia beatitudinis à Deo iuſtis retribuenda. Vno verbo omnia veræ fidei, Chriſtianæque religionis ſacroſancta myſteria neglexerunt à nu. 12. & deinceps cit. cap. inquiunt. *Circumueniamus ergo iuſtum. Videamus ſi ſermones illius veri ſint; ſi enim eſt filius Dei ſuſcipiet illum, morte turpiſſima condemnemus eum. Hæc cogitauerunt, & errauerunt: excæcauit enim illos malitia eorum. Et neſcierunt Sacramenta Dei, neque mercedem ſperauerunt iuſtitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarum.* Quis non exclamet: O libidinem, ſcelerum voraginem! O luxuriam barathrum iniquitatum! O laſciuiam Scyllam criminum! Nulla præmij ſpe allicitur, nullo ſupplicij metu in officio continetur is, quem noxiæ voluptates excæcant: nimirum nec Sacramenta agnoſcit, nec Deum reueretur; imò nec fatetur, aut agnoſcit planè Atheus.

Quæ cùm ita ſe habeant, mirum videri non debet ſi Patres ſanctitate, & ſapientia laudatiſſimi, conantur hominum animos à libidine auocare allatis ſimilitudinibus, quæ horrorem incutiant. Propterea Origenes appellat *incendium*: Ambroſius *vaſtitatem*: Baſilius Seleuciæ Antiſtes *præcipitium*: Gregorius Nyſſenus *telum ignitum*; vt hiſce potentioribus veluti machinis admotis, prona ad luxum carnis humanę imbecillitas contineatur à lapſu. Origenes hom. 5. in Geneſ. De Loth verba faciens, ait: *Vritur ille flammis mulierum, quem ſulphurea flamma non vſſit.* Ergo cauendum magis incendium luxuriæ incendio Sodomorum. Quid tàm horrendum? S. Ambroſius in Apologia Dauid, de Samſone ſic ſcribit. *Samſon validus & fortis Leonem ſuffocauit, ſed amorem ſuum ſuffocare non potuit, vincula ſoluit hoſtium, ſed ſuarum non ſoluit nexus cupiditatum; meſſes incendit alienas, & vnius ipſe mulieris accenſus igniculo, meſſes ſua virtutis amiſit.* Nullus tam rabidus Leo, nulla tam inimica vincula, nulla bonorum dilapidatio tàm miſeranda, quæ cum impuro amore conferri queat; furit vt Leo, ſtringit vinculis pluſquam adamantinis, bona omnia peſſundat ac perdit, vt implacabilis hoſtis. Heu lacrymis deplorandam luxuriæ vaſtitatem. S. Baſilius Seleuc. orat. 17 De Rege Dauid hæc habet. *Cum regiè Dauid epulatus eſſet, ac pollucibili menſa emollitus animo, meridiana ſe ſe oblectaret obambulatione, tunc Diabolus, tunc animis curaque neruum remiſſum conſpicatus, & mentem paſſionum aurigam indiligenter frænis ſuccinctam, ac paruula quadam ſui parte nudatam ab armis opti-*

Loth non ſulphuris, ſed mulierum flamma vritur.

Samſon à libidine ſuperatus.

Etiam Dauid.

A *matum, furtim cecidit, ipſis iuſti oculis vſus pro telo, & momento à via virtutis abreptum in adulterij præcipitium deturbauit.* O præcipitium verè funeſtum. Vides quanto conatu, quaque vigilantia opus ſit, ne humanus animus abreptus cupiditatibus, præceps in tale præcipitium deturbetur. Dicto citiùs, hoc eſt, ictu oculorum, volat telum laſciuiæ, vt confoſſam lethali vulnere animam agat præcipitem. Sed hoc parum videtur Gregorio Nyſſeno, quo auctore non volat modò, ſed inflammat; non vulnus modò, ſed incendium inferens praui telum amoris. *Ignitum eſt telum fornicationis.* Verba ſunt Gregorij, B in illud Apoſtoli: *Omne peccatum, quod fecerit homo.* Loquitur autem de Patriarcha Ioſeph Ægyptiæ mulieris lenocinia contemnente. Quis non corripiatur horrore percipiens blanditias inhoneſtæ voluptatis ſęuire tanquam Leones, vaſtare tanquam barbaros, præcipitare tanquam perſecutores, vulnerare tanquam ſagittas, abſumere tãquam flammas deuaſtatrices. Quod Salnianus de infamibus luxuria vrbibus protulit, ſecum ipſi conſiderent, qui eodem æſtuant incendio cupiditatum. *Diu*, verba Salniani lib. 4. *profectò flagitioſiſſimus ille populus ignē illum accenderat, quo peribat, & ideo completis iniquitatibus ſuis* C *arſit flammis criminum ſuorum. Tam male enim de Deo meruit, vt gehennam, quæ in futuro iudicio datur, etiam in hoc ſeculo ſuſtineret.* Ergo parum ſit dixiſſe per luxuriam hominis animum fieri mõſtrum, deficere à fide, abduci in Hæreſim, imò degenerare in atheum; parum à libidine diſcerpi, dilacerari, agi præcipitem: niſi dicamus etiam gehennæ incendio etiam in hoc ſeculo cruciari. I, nunc & ad minuendam impudicitiæ labem, tribue carnis imbecillitati. I, & crimen tam execrandum, puta excuſari poſſe vel à iuuentute; vel ab occaſionibus oblatis, vel ab oblectamentis fallacibus ſociorum. Quod malum tam D graue, quod incommodum adeo damnoſum, quæ calamitoſior aut nocentior infelicitas excogitari poteſt? Vndè ingeniosè non minus quàm religioſè ſcriptum reliquit Tertullianus lib. aduerſus Phyſicos. *Sanctitati inimica luxuria eſt. Quomodo enim per illam parcetur religioni, cum non parcatur pudori? Vbi graſſatur luxuria, & luxuriat impudicitia, ibi nullus Dei cultus, nullum ſupereſt veſtigium religionis &c.*

IN CA-

IN CAPVT DECIMVM QVARTVM

A Num. XXI. ad XXIV.

Manducantium autem fuit numerus, quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & paruulis. Et ſtatim compulit Ieſus diſcipulos aſcendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et dimiſſa turba, aſcendit in montem ſolus orare. Veſpere autem facto ſolus erat ibi.

PARADOXVM V.

Adulatio maga. Adulatores magicam artem exercent.

DVPLEX me capit, rapitque admiratio dum attentius conſidero ex vna parte hos homines, qui licet pauperes ſint, abiecti, & infimae notae, cogitant tamen de Chriſto Domino rege eligendo. Ioannis enim cap. 6. num. 15. vbi hoc idem narratur, habemus: *Ieſus ergo, cùm cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.* Ex alia verò parte non poſſum non admirari Chriſtum Dominum non modò compellentem diſcipulos vt fugiant à enrbis, ſed ipſummet fugam arripientem. *Et ſtatim compulit Ieſus diſcipulos aſcendere in nauiculam. Fugit in montem ipſe ſolus.* Quis non admiretur pauperculos homunciones factos illico electores regis? In tanta mutatione recognoſco aſſentationis vim, & aſſentatoris ingenium, quod ad corrumpendos C mores tantam vim habet, vt fugiant non ſolùm Apoſtoli, ſed ipſe Dominus ac magiſter Apoſtolorum, ad noſtram eruditionem, non niſi fugiendo vitari hoſtis adeò validi incommoda. Ergo dum mutatos video homines terrae filios in Senatores; dum obſeruo eorundem conſilium renunciandi regem eum, cui fauere volebant, intelligo adulationem magam eſſe, quia conuertit abiectos, & fame laborantes, in principes electores imperij; & ſimul percipio, adulatores magicam exercere artem, dum video eos facere regem eum cui blandiuntur.

Tam multae ſunt, tam variæ, tam fre- D quentes, tam ſubitae metamorphoſes quas ab adulatione fieri obſeruo, vt ea mihi Maga non immeritò videatur. Iob c. 38. n. 14. vbi vulgata legit: *Reſtituetur vt lutum ſignaculum.* Hebraeus exponit: *Vertet ſe ſicut lutum figuli.* Vbi ex Hugone Cardinali inſinuatur vis adulationis, quae conuerſionem, & commutationem quamlibet in adulatore facit eo modo, eaque facilitate, qua lutum figuli formas quaſlibet ſuſcipit & effingit. *Vertet ſe ſicut lutum figuli.* Hoc eſt, ſicut maſſa luti conuertimini, & migratis in varias facies. Audi Chryſoſtomum homil. de auaritia. *Tempus*, inquit, *malum eſt, non eſt amicus tutus, non frater firmus, ſublatum eſt pacis & charitatis donum, innumerabiles vbi-*

Adulatio figuli luto per quam ſimillima.

que

quæ larua, ſimulatæ facies, multa ouina pelles, & innumeri lupi ſub his occultati, qui prius adulabantur, blandiebantur, & manus oſculabantur, comperiuntur eſſe lupi. Nota modum loquendi: *innumerabiles vbique laruæ, & ſimulatæ facies*. Vnde niſi ab adulatione huiuſmodi metamorphoſes? *qui prius adulabantur, blandiebantur*. Et nega magnam non eſſe adulationem, ſi potes.

Emblema Alciati 53. ad viuum exprimit meam ſententiam, propoſita & explicata proprietate Chamæleontis.

Adulator Chamæleõti ſimilis.

Semper hiat, ſemper tenuem, qua veſcitur, auram
Reciprocat Chamæleon;
Et mutat faciem, varios ſumitque colores
Præter rubrum, vel candidum.
Sic & Adulator populari veſcitur aura.
Hianſque cuncta deuorat.
Et ſolum mores imitatur Principis atros
Albi, & pudici neſcius.

Duo obſeruo, videlicet non ſolùm ab adulatore varios exprimi colores, ſed eos ſemper atros eſſe, nunquam candidos, aut pudicos, vt hinc intelligam magā eſſe adulationem, quæ non modo variat aſpectus, ſed eos ſemper aſſumit qui turpes, qui fœdi ſint, hoc eſt, ad perniciem, & malum, nunquam ad ſeruandam aut reſtituendam integritatem. Diſſimulare opportunè in gratiam probitatis prudentiæ eſt; ſimulare ad deceptionem, atque perniciem, impudentis ac noxiæ magiæ execranda impoſtura eſt.

Exempla habeo in promptu ex antiquitate petita, quibus id confirmem apertè. Conſule Plutarchum de adulatoris, & amici diſcrimine 4. columna in folio poſt init. vbi leges, quod ſubijcio. *Syracuſis, cùm eò iam ante Plato philoſophorum quaſi Deus, vt cum inſanientibus ethnicis loquar, appuliſſet, & vehementi exarſiſſet Dionyſius ſtudio philoſophiæ, totam planè regiam ferunt, gemmarum loco, puluere fuiſſe completam, ob eorum multitudinem, qui, quod adulantes obſequerentur regi, incommodarent interim ſibi, geometrica inſtrumenta tractarent, figuraſque deſcriberent: at poſteaquam gratia excidit Plato, deſijtque vacare Dionyſius philoſophiæ, vino rurſum nugiſque atque libidini vehementer intentus, omnes pariter aulicos tranſuerſos egit Circe non voluptatis, ſed adulationis architecta veneficij; adeo vt inſcitiam obliuionemque, acſi lethæo de flumine largè potaſſent, affectarent*. Neque verò ab hiſce ineptijs magnopere diſtant ea, quæ vel idē Plutarchus mox cit. de Ptolemæo Rege

Adulationis damna.

A poſteritati commendauit, vel iure laudantur in Aurelio Imperatore, & ab Herodiano lib. 1. referuntur: cùm enim Aurelius languentia vellet philoſophiæ ſtudia rurſus animare, primus ſe literariam in palæſtram contulit, quem ciues illicò ſecuti ſunt omnes. An non fateris adulationem eſſe veneficam, quæ homines ex aulicis literarum faciat ſtudioſos; & honoris diuitiarumque cupidos, reddat, ſed in ſpeciem vt magarum mos eſt, ſapientiæ ſectatores?

Conſule cap. 22 lib. 3. Regum vbi leges Regem Achab expeditionem in Syriæ regem adornantem, petijſſe conſilium à prophetis. *Congregauit ergo*, verba cit. cap. B verſ. 6. *Rex Iſraël Prophetas, quadringentos circiter viros, & ait ad eos: Ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quieſcere? Qui reſponderunt: Aſcende, & dabit eam Dominus in manu Regis*. Iſti tam falſi prophetæ ſunt, quàm veri adulatores, Achab quippe non modò non reportauit victoriam, ſed in prælio perijt infeliciſſimè. Sed non eſt hoc quod dicere volebam. Lege inferiùs cap. cit. verſ. 11. vbi ſic habes. *Fecit quoque ſibi Sedecias filius Chanaana cornua ferrea, & ait: Hæc dicit Dominus: His ventilabis Syriam donec deleas eam*. In quo ſediciæ facto, vel potiùs facinore agnoſco adulationem non mentiri C modò, nec peierare tantùm in ſummam Dei nominis contumeliam: *Hæc dicit Dominus: His ventilabis Syriam*. Vt blandiaris, Sedecia, tam ſplendidè mendax es, vt Deum ipſum teſtem appelles falſitatis tuae? ſed hoc adulationi eſt parum, niſi inſuper execrando veneficio ferrea cornua addat Sedeciæ, quibus horridus, & quaſi ex homine in belluam immutatus, efficaciori aſſentationis genere, ſuo principi blandiatur. *Fecit ſibi Sedecias cornua ferrea, & ait: Hæc dicit Dominus: His ventilabis Syriam, donec deleas eam*. Modo omninò diſſimili geſſiſſe ſe Senecam cum Nerone ſcribit ipſemet lib. 2. de D Clemen. c. 1. his verbis: *Diutius me morari hic patere, non vt blandiar auribus tuis: nec enim mihi hic mos eſt. Maluerim veris offendere, quàm placere adulando*. Dignum planè tanto viro monitum, quod ſapientes omnes non laudent modò, ſed ſequantur.

Adulatio Homines in belluas trāſformat.

Matthæi c. 2. dicitur: Magis ab oriente aduenientibus vniuerſa Ieroſolyma perturbata, ſtatim atque vulgatum fuit natum Iudæorum regem. Sic enim habes n. 2. & 3. *Ecce Magi ab oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes: vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? Audiens autem Herodes rex, turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo.*

Cur

Liberos in ſeruos vertit.

Cur, obſecro, perturbantur Iudaei audientes, natum eum *qui regat populum Iſraël?* Laetari ſanè debueras Ieroſolyma non turbari, futurum eſt enim vt tyrannum extermines, nato iam rege: imò ſi rex veſter natus eſt, vt principes orientis nunciant, *liberi eſtis*, ô Iudaei, *qua libertate Chriſtus vos liberauit*. Quo pacto ergò Iudaeus fit è libero ſeruus, qua ratione ex ingenuo mutatur in captiuum? ſola id praeſtitit adulatio planè venefica, quae ſuis incantationibus ac praeſtigiis dum tyranno Herodi facit blandientes, diuerſam inducit formam, adeò vt qui tot annis à ſeruitute liberari petierant, iam geſtiant ſeruitutis, & captiuitatis ignominiam retinere. In Afranio Burro Neronis gratioſo exemplum inuenio manifeſtum: ſcribit enim Cornelius Tacitus lib. annal. 14. Afranium aegerrimè tuliſſe probra, & dedecora Neronis, cum pro Imperatore citharœdum, & hiſtrionem ageret. Audi Tacitum: *Ipſe ſcenam inſcendit multa cura tentans citharam, & praemeditans aſſiſtentibus familiaribus: acceſſerat cohors militum, centuriones, tribunique, & maerens Burrus, ac laudans*. Expende haec vltima verba, & in Burro aulico, adulationis agnoſce vim, quae facies mutat, & fingit vultus. Ecce tibi Burrum mœrentem ſimul ob dedecora Neronis, & tamen eadem laudantem. Oris habitudo componitur ad riſum, & cor inter curarum anguſtias ingemiſcit; frons hilaris explicatur, & mens curis anxia anhelat; mœrore conficitur animus liquatus in lacrymas, & protenduntur labia in cachinnos. O rerum, aut potiùs ò facierum vices, magica adulationis arte confictas.

Varij adulantium mores.

Ridiculum eſt quod ſubdo, accommodatum tamen ad noſtri confirmationem argumenti. Æthiopum inepta & ſtolida conſuetudo fuit illa, quam recenſet Diodorus Siculus de fabulis antiquis cap. 4. Hi ſuorum vſque adeò principum imitatores eſſe, viderique cupiebant, vt ſi quem ſortirentur monoculum, illicò ſibi oculum eruerent, ſi claudum crus debilitarent ſuum, ne quà in re ſuis abſimiles regibus viderentur. Quòd idem alij de non nullis Arabum populis tradiderunt: Et ſcurra (Cliſophus dicebatur) Philippi Macedonis adumbrauit, qui, cùm Philippus in Argiuae cuiuſdam ciuitatis oppugnatione oculum reliquiſſet, ipſe quoque poſtridie ſe in omnium conſpectum dedit oculo faſcia circumligato; rurſumque cùm eidem Regi crus fractum in pugna conſpexiſſet, illum non niſi obligato crure, & planè claudicans inuiſebat. Intelligitis, vel me

A tacente, deformitates, ſeu potiùs deformationes, ab adulatione in aſſentatoribus variatas: quippe aſſentationibus mirificè dediti, ſaepius quod probauere retractant, quod repudiauere commendant, ac denique tot animi formas induunt, quot alios poſſe viderint affectionibus deliniri.

Scio Theophylactum, & Eutimium declarauiſſe adulatores eos, qui acceſſerunt ad Ieſum, vt habetur Matthaei 22. num. 15. & ſeq. *Tunc abeuntes Phariſaei conſilium inierunt, vt caperent eum in ſermone. Et mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis, dicentes: Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces*: B Et quae ſequuntur. Addunt citati auctores. *Arbitrati ſe demulſuros illum laudibus, adulantur*. Bene eſt. Sed quod conſidero eſt primum verbum quod proferunt iſti adulatores, nimirum: *Magiſter*, Profitentur ſe ſine dubio diſcipulos eius, quem Magiſtrum vocant. Ita ſanè, quia perfidos, odio exardeſcentes in Chriſtum, mutat in diſcipulos, quae maga eſt, & venefica adulatio. Vidit id etiam Plutarchus lib. de adul. & amici diſcrim. ſic inquiens col. 4. in fol. *Adulator, ſtabilem nullam cum habeat ſuorum morum ſedem, neque certum aliquod viuendi delegerit genus ſibi quod placeat, ſed quod alteri, cumque* C *alteri ſeſe effingat, atque accommodet, non ſimplex eſt, aut vnius modi, ſed varius, ac multiplex, ex alia in aliam ſubinde formam tranſiens*. Dici non potuit accommodatius ad indicandam adulationis naturam: Ex alia in aliam ſubinde formam tranſit adulator. Quod vt confirmet citatus auctor affert exemplum Alcibiadis paulò poſt his verbis: *Alcibiades Athenis ſalſe dicta iaciendo, equos alendo, vitamque facetam, & gratioſam agendo notus; Sparta raſo capillo, palliatus, frigidaque lotus degebat: idem in Thracia militabat, ac potabat: vbi ad Tiſaphernem ventum eſt, mollitie, ac luxu, atque arrogantia vtebatur: hocque* D *modo omnes demulcebat, eorum ſe moribus ſtudijſque aſſimulans*. Vide apud eundem loco citato plura. Vide etiam S. Baſilium lib. de legendis libris gentilium, & orat. 7. de virtute, ac vitio. Nec non Euſtathium in 4. Odyſſeæ. Ego interea illud Homeri ex Odyſſea 10. referam in adulatores:

Adulator ſemper varians.

Alcibiades imago adulatoris.

Vilibus at pannis mox eſt exutus Vliſſes.

Licet enim hoc ijs accommodari ſoleat, qui vitae genere, quacunque tandem de cauſa, repentè mutato, è pauperibus diuites, è ſqualidis nitidi, è triſtibus hilares euadunt, alijque, & ijdem, quod de Sole cecinit Horatius, in aliorum ſe conſpectu eſſe.

efferunt, quia nimirum Vlyſſes ſtatim atque pannos exuit, quibus mendicum malè ſordidatus egerat apud Procos, magnificis mox veſtibus decenter ornatus, intus & re vera viſus eſt alius. Placet tamen in adulatores torquere, qui omniũ ſe ſtudijs, mimi extemporales, docente vel iubente aſſentatione, accõmodant, adeò vt, qui paulò antè apud Philoſophiæ deditum prolixam barbam, palliũque geſtauerat, ſi forte fortuna inciderit in deditum voluptatibus, ac ſerulentem delicijs, continuò mutata ſigna Sardanapalus fiat.

Vtinam de noſtra ætate dici non poſſet, quod cũ maximo doloris ſenſu Seneca lamentabatur de ſua lib. 6. de beneficijs c. 30. his verbis: *Monſtrabo tibi cuius rei inopia laborent magna faſtigia, quid omnia poſſidẽtibus deſit. Scilicet ille, qui verum dicat, & hominem inter mentientes ſtupentem, ipſaque conſuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorãtiam veri perductum, vindicet à conſenſu, concentuque falſorũ. Non vides quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas, & fides in obſequium ſeruile ſubmiſſa, dum nemo ex animi ſui ſententia ſuadet, diſſuadetque, ſed adulandi certamen eſt, & vnum amicorũ omnium officiũ, vna contentio, quis blandiſſimè fallat.* Hæc Seneca, qui ſequenti c. 31. confirmat exemplo Xerxis, quod videri poteſt. Ego interea conſidero non tam deplorandum eſſe fallentium amicorum officium, quàm execrandum maleficium adulatorum, qui cõcentu, & conſenſu falſorum, eum cui adulantur, in virũ alterum, & non rarò in belluam mutant; cum ipſi dum blandiuntur, non in horas modò, ſed in momenta mutentur. Quis igitur animaduertens adulatorem tot induentem, exuentemque perſonas, tot fingentem habitus, tot facies mẽtientem, non vſurpet Horatianum illud lib. 1. epiſt. ad Mecœnatem:

Quam deplorandum ſit adulatorum maleficium.

Quo teneã vultus mutantẽ Protea nodo?

Proteum, inquam, illum verſipellem, ac multiformem, quem ex homine in leonem, tigridem, ſerpentem, ſuem, & alia animãtia; ab his verò in aquam, aërem, & ignem migrare ſolitum poëtæ fabulantur: atque eo ſymbolo adulatoris ingenium adumbrare volebant, qui vt blandiatur, cum à ſemet ipſo in aliud quidpiam tranſit, non modò in hominem diuerſum demigrat, ſed etiam à natura ſua & ſpecie diſſiliens in leonẽ, aut ſerpentem; imò & à genere quoque extractus in aquam aut ignem diſcedit nouus Proteus, ex contrario videlicet in maximè contrariũ traductus veneficio adulationis.

Adulator Proteus.

Vidimus mutationes quibus ab aſſentatione fit obnoxius adulator, ob quas com-

A pellor dicere magam eſſe adulationem. Videndum iam eſt quo pacto adulatores dum aſſentantur magicam exerceant artem, vt vitium hoc, vtpote omnium maximè noxium, & execrandum, ab humanis mẽtibus radicitus extirpemus. Didici id ego iã pridem ex prophetia Danielis, mecum conſiderans, quæ ſcribuntur c. 3. n. 8. & ſeq. in hunc modum. *Accedentes viri Chaldæi accuſauerunt Iudæos: dixeruntque Nabuchodonoſor regi: Rex in æternũ viue: tu rex poſuiſti decretũ vt omnis homo proſternat ſe, & adoret ſtatuã aureã.* Hæc illa ſtatua eſt quam Rex erigi iuſſerat ad oſtendendã, oſtentandamque potentiam regni ſui. At ſi
B ita eſt, debuerat potius tale erigere ſimulacrũ, quale fuerat ei diuinitus in ſomnijs repræſentatũ. Et ſanè c. 2. proximè ſuperiori diſcribitur ſimulacrũ repræſentans potentiam, maieſtatemque Regis Nabuchodonoſor longè diuerſo modo. dicitur enim n. 31. *Ecce quaſi ſtatua vna grandis: ſtatua illa magna. Huius ſtatuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem, & brachia de argento, porro venter, & femora ex ære. Tibiæ autem ferreæ, pedum quædã pars erat ferrea, quædam autem fictilis.* En ſtatua quæ Deo auctore, & interprete Daniele fortitudinem, imperium, gloriã Nabuchodonoſoris regis repræſentat. Cur ergo ea ſtatua
C quæ & argento, & ære, & ferro, imò & luto cõſtare debuerat, & erigitur, & dicitur tota aurea. Fallor, niſi dixerim hanc artem adulatorũ eſſe planè veneficam, quæ præſtigijs blandientibus, æs, ferrum, lutum ipſũ in aurum mutat. *Accedentes viri Chaldæi dixerunt Regi: Rex in æternum viue.* pleniſſima obſequij verba, & ad alliciendũ animum accõmodata. Quid tum? *Omnis homo proſternat ſe, & adoret ſtatuã auream.* Hoc eſt artificium, imò veneficium adulatorũ, qui eò vſque blandiũtur, vt ex ære, ex ferro, ex luto faciant aurum; Eſto habeat ex aũro caput is cui ſeruis, ſed pedes illi ſunt fictiles; Eſto argẽteum gerat pectus, at crura
D ſunt ferrea: Profecto ſibi non facit ſatis aſſentator, niſi & crura ferrea, & pedes luteos in aureos commutauerit.

Adulatorũ effectus magici.

Euolue c. 4 lib. 1 reg. & inuenies fuſũ fugatũq; exercitũ Iſraelitarũ Philiſtæis fortiſſimè dimicãtibus, inuenies ſemel atq; iterum profligatos Iſraelitas, inuenies triginta millia peditũ cecidiſſe, Ophni & Phinees ſublatos è medio, & quod caput eſt Arcam fœderis captam, captiuãque. Ecce tibi tot inter clades vir de Beniamin, quẽ aduentãtem ſentiens Heli, neq; enim videre poterat, cum octauum ſupra nonageſimũ annũ ageret oculis orbatus, percunctatus quiſnam eſſet? & cum audiſſet adeſſe militem,

qui belli euentum nunciaret, ſtatim dixit,
A vt habetur nu. 17. *Quid actum eſt fili mi?*
Cur filium vocat, quem certò ſcit eſſe ſer-
num? Reſpondeat pro me magnus Gre-
gorius, qui examinato hoc loquendi mo-
du, quo hic vtitur Heli, ſic habet lib. 3. in
lib. Reg. *Eum itaque filium vocat, à quo,
quid actum fuerit, ſcire cupit, vt profectò
ille pro impenſo honore adulationis, ſeriem
peruerteret veritatis.* Ergo adulantis Heli
verba ſunt illa: *fili mi*, ſi Gregorio credi-
mus. Mirari ergo deſine, ſi audis à me præ-
dicari, magicam artem ab adulatoribus
exerceri: an non vides quo pacto ſeruum
mutet in filium, & abiectum mancipiũ na-
B tos inter amantiſſimos numeret? Si ſapis,
fictitias formarum varietates ab aſſentato-
ribus inductas, caueas diligentiſſimè, quia
eo nocẽrius fallit adulator, quo ſuauius, &
facilius rerũ formas adulterat, & peruertit.

Geminos ſeligo mihi teſtes ex annalibus
veterum, Caium Caligulam, & Magnũ Ma-
cedonem. Primum, ſi Suetoniũ audiamus,
adulatores frequenti viciſſitudine fecere
ridiculum: non modò enim mutauerũt il-
lum in Darium puerum, ſed pluribus mu-
tationibus fecere obnoxium: ſic enim ha-
bes apud Suetonium cap 19. *Quadrigario
habitu, curriculoque biiugi famoſorũ equo-
C rum, præ ſe ferens Darium puerum ex Par-
thorum obſidibus, comitante prætorianorũ
agmine, & in eſſedis coborte amicorum.* Ec-
ce factum ex Caligula Darium. Sed hoc
parum eſt, niſi fiat inſuper Alexander. In
hanc gratiam vt idem auctor ſcribit c. 52.
Eiuſdem Alexandri thoracẽ induebat. Sal-
ue Macedonum inuictiſſimè, ſed mentita
blandientium aſſentatione, non autem rei
veritate. At hoc quoque parum eſt. muta-
tur inſuper in Deum. Huc reuoca illa mox
laudati auctoris ex cap. 22. diuinam ſibi aſ-
ſeruit maieſtatẽ. atque adeo ſimulacris nu-
minum, religione, & arte præclaris capite
dempto ſuum imponebat, qua ratione cum
Iouis etiam Olympij minuiſſet imaginem,
D quidam eum Latialem Iouem conſalutaue-
runt. Exorbitant iſta omnium iudicio: ſed
ſi quæras vnde originem habeant? eſt in
promptu et ſponſio: à veneficijs, quibus
vtuntur adulatores principibus blandien-
tes. Audi Suetonium cap. cit. ante mediũ.
*Verum admonitus, & principum, & regum
ſe exceſſiſſe faſtigium, diuinam ex eo maie-
ſtatem aſſerere ſibi cœpit.* Non deſunt hu-
iuſmodi admonitores egregij, quorũ ver-
bis magica prauitate fallentibus, principa-
tus faſtigium, quod principes tenent faſti-
dientes, mutantur in numina, imò in nomi-
na planè inania, & deridenda. De Alexan-
dro nihil attinet dicere, cum ſatis notum

Caligulæ obſtẽtationes ſtultitia.

A ſit omnibus, quod ſcribit Henricus Ste-
phanus in apologia pro Herodoto, illũ &
finxiſſe ſe, & haberi voluiſſe modò Iouis fi-
lium, modò Mercuriũ, modò denique Her-
culem. Vt interim omittam Perſarum re-
ges, quos ſicuti fratres ſolis fecerat adula-
tio, ita cum quidam veluti in terris Dij ha-
beri vellent, aurea inter capitis pilos blã-
da varietate diſcriminatos fila gerebant;
imò etiam barbam ea ratione cohoneſta-
bant. Quare Chryſoſt. hom. 7. in Epiſt. ad
Coloſſenſ. *Etiam num*, inquit, *Rex Perſa-
rum barbam habet auream.* Agnoſco arti-
ficium, ſeu potius maleficium adulatorum,
quibus aſſentantibus fit ſolis frater, qui vix
B dignus eſt haberi terræ filius, & filis aureis
caput ſuperbum coronat is, qui capite ple-
ctendus eſſet multis nominibus. Heu di-
tas, execrandaſque metamorphoſes!

Aureum ſanè monitum dedit S. Petrus
Damianus opuſc. 58. in prœmio, excla-
mans. *O infelix, & deceptioni ſemper obno-
xium humanæ faſtigium dignitatis.* Caueãt
à deceptoribus, qui dignitate præcellunt.
Cum autem nullum omnino genus homi-
num ſit à quo frequentius Principes deci-
piantur quàm ab adulatoribus, quod cen-
ſeo dignũ animaduerſione eſt illud, *ſemper.
Deceptioni ſemper obnoxium.* Itane verò
nullum tempus eſt, quo ab huiuſmodi inſi-
C dijs tuti viuant, qui cæteris imperaut? Ita
planè nullum. Quod profani etiam ſcripto-
res Velleius Paterculus, & Q. Curtius di-
ſertè ſcripſerunt. Ille quidem lib. 2. inquiẽs:
Adulatio ſemper magnæ fortunæ comes.
Hic verò lib. 8. ſic pronuncians. *Adulatio
perpetuum malum regum, quorum opes ſa-
piùs aſſentatio, quàm hoſtis euertit.* Conſi-
derabam loquendi modos, quibus vtuntur
allati auctores, quorum iudicio, & malum
dicitur perpetuum, & omni tempore, & sẽ-
per noxia adulatio. Nullum ergo remediũ
tanto malo poterit inueniri? Nullum erit
tempus, quo non noceant Principibus aſ-
ſentatores? Nullum. Adulatio perpetuum
D malum regum. *Adulatio ſemper magnæ for-
tunæ comes; deceptioni ſemper obnoxium
humanæ faſtigium dignitatis.* Hæc cogitãti
mihi venit in mentem, quod iam dudum
legerã, de Saule notiſſimo Iſraeliticæ gẽtis
rege: fluctuabat incertus cõſilij Saul ob me-
tũ Philiſthinorũ, qui multis agminibus in-
ſtructis extremam Iſraelitis perniciẽ ma-
chinabãtur: *Et vidit*, verba c. 28. lib. 1. reg.
n. 5. *Saul caſtra Philiſthiim, & timuit, &
expauit cor eius nimis Cõſuluitq; Dominũ,
& nõ reſpondit ei, neque per ſomnia, neque
per ſacerdotes, neque per prophetas.* Ecce
rex Saul ancipiti cura diſtractus omni ſpe
deſtitutus deſperationem vltimam iniqui-
tatis

Adulator ſẽper magnæ fortunæ comes eſt, & perpetuum Regum malum.

-tatis lineam attingit, & opem quam à ſuperis fruſtra petierat, ab inferis demens poſtulat, & expectat num. 7. *Dixitque Saul ſeruis ſuis: quærite mihi mulierem habentem pythonem, & vadam ad eam, & ſciſcitabor per illam.* Quo loco ingenioſiſſimus Caietanus quærit, quo pacto Saul imperat ſuis, vt quærant veneficam aliquam incantatricem, cum eodem cap. ſuperius, hoc eſt, num. 4. dicatur: *Et Saul abſtulit magos, & ariolos de terra.* Si regis imperio hoc hominum genus ablatum fuit exterminatumque, quo pacto idem Rex adduci imperat magum aliquem; aut mulierem veneficam? Reſpondet Caietanus in hunc modum. *Quod Saul vir prudens, cogitabat id quod communiter accidit, remanere ſemper aliquem occultum.* Licet nullam diligentiam prætermittant principes, vt adulatores reijciant, & exterminent, tamen remanet ſemper aliquis occultus, quia incantatorum genus eſt, cui in more poſitum eſt ſemper nocere principibus, ſemper magnæ fortunæ comites ſe facere, & perpetuum eſſe malum regum: Eiecisti non modò à conſuetudine, ſed ab aſpectu tuo aſſentatores, quare adhuc diligentius, quia ſemper aliquis manet occultus, vt hinc ſolum pateat quanta diligentia adhibenda ſit ei, qui adulatorum veneficia, vt fallacia, ita perniciosiſſima auerſatur. Quàm merito Plato in Phædro, adulatores nominat non modò feras peſtilentes, ſed veneficis, imò impuris dæmonibus ſimiles. Veneficium prorſus execrandum, quod malitiam honeſtatis colore depingit, & vitium fuco probitatis colorat. Vt propterea merito Paulinus Epiſt. 14. ad Celantiam, adulationes tanquam peſtes animæ præcipiat fugiendas: Vt propterea meritò moneat Auguſtinus in pſal 59. plus detrimenti afferre linguam adulatoris, quàm manus perſequentis. Vt propterea ipſo monentis cæli oraculo Prou. 17. num. 15. dicatur adulator, *abominabilis apud Deum.*

Adulator peſtis animæ,

Tam è veteri, quàm è nouo teſtamento petitis exemplis explico mutationem, quam ſuis incantationibus perficiunt adulatores. Eſther fæmina illa ſapientiſſima, & in ſacris litteris celeberrima, Artaxerxem allocatura, cum ſciret omne datum optimum de ſurſum eſſe, piiſſimis precibus à Domino poſtulat, vt loquendi appoſitè tribuat facultatem, ſic autem habes cap. 14. nu. 13. *Tribue Domine ſermonem compoſitum in ore meo in conſpectu leonis.* Leonem appellat regem quo audiente verba facere nō audet Eſther niſi ope ſummi Dei ſuffulta. Hoc, vt verum fatear, nullam mihi parit admirationem: mirum enim videri non debet, imbelli mulierculæ regem præpotentem ac præferocem incutere metum, ſic enim legimus cap. 15. n. 9. *Reſidebat ſuper ſolium regni ſui, indutus veſtibus regijs, auroque fulgens, & pretioſis lapidibus, eratque terribilis aſpectu. Cumque eleuaſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet, regina corruit, & in pallorē colore mutato, laſſum ſuper ancillulā reclinauit caput* En exanimata concidit Eſther irati regis ſupercilio perterrefacta: Miretur qui neſcit, minas regum nuncias eſſe mortis: quod narratur paulò poſt non poſſum nō demirari, cùm dicatur n. 16. cit. cap. regina allocuta regem his verbis *Vidi te Domine quaſi Angelum Dei, & conturbatum eſt cor meum præ timore gloriæ tuæ: Valde enim mirabilis es Domine, & facies tua plena gratiarum.* Vnde tanta mutatio? qui prius leo ignem ſpirans videbatur, & dicebatur, qui toruis erat oculis, & aſpectu truci, nunc tāquam Angelus ſpecie, & forma ſupra humanam ſpectabilis prædicatur. Agnoſco mores, aut potiùs mutationes adulatori familiares: ſæpe angelum conſalutat, quem veluti Leonem terrificum perhorreſcit, & eum quem infra homines, & inter belluas reputat, humanum ſupra faſtigium molli euehit aſſentatione. Teneo Magdalenæ adorantis petitionem, quae ex Ioan. cap. 20. n. 15. fuit huiuſmodi. *Illa exiſtimans quia hortulanus eſſet, dicit ei: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi.* Quid audio? ſi hortulanum exiſtimat, qua ratione tanquā Dominum conſalutat? hortulani cōditio, & magnifica domini appellatio quomodo conſonant? fallor niſi mores adumbrantur adulatorum, qui dicto citiùs ex hortulano dominum faciunt.

Horrore perfundor quoties animo verſo illud quod de Herode ſcriptum reperio c. 12. act. Apoſt. vbi n. 20. ſic leges. *Statuto autē die Herodes veſtitus veſte regia, ſedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis. Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini, eò quòd non dediſſet honorem Deo: & conſumptus à vermibus expirauit.* Hic ille Herodes eſt mortalium nequiſſimus, qui Iacobum Chriſti Apoſtolū interfecerat, qui Petrum Apoſtolorū principem fecerat captiuum, mox capite damnandum, qui denique diris modis Eccleſiā perſequebatur. Hunc autem facinoroſiſſimum circunfuſa plebecula, putida aſſentatione tāquam Deum loquentē dum veneratur, facit, aut ſaltem Deū facere conatur. Sic ſe res habet: chlamyde veſtitus aurea,

Herodes dum ab adulatoribus honoratur vt Deus ab Angel. percuſſus interijt.

ſceptro fulgens, regia poteſtate praecellens inſanientis vulgi animum rapit, adeò vt pro Deo habeatur: Verùm ſæpe numerò qui ab hominibus adulantibus fit Deus, à Deo plectitur, & miſerrima morte, & pœna æterna. O fallaces adulantium mutationes! O veneficia aſſentantium execranda, quæ efficiunt, vt appareat quod non eſt, cum tanta veritatis iniuria, atque integritatis.

Conati ſunt quaſi certatim S. Auguſtinus, & D. Petrus Damianus auertere hominum mentes ab adulationis vitio gemina ſimilitudine, ſed in idem collimante. In hanc gratiam Auguſtinus interpretatur parabolam Virginum fatuarum. Epiſt. 120. cap. 31. quæ habetur tom. 2. vbi inueſtigans, quid per oleum fruſtra quæſitum à virginibus fatuis Matth. 14. à num. 3. intelligi debeat, ſic monet animam religioſam. *Sis in virginibus ſapientibus, vbi dicat quod ait Apoſtolus: nam gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ: Hoc enim eſt oleum ferre ſecum, non à vendentibus emere, hoc eſt, ab adulantibus: Adulatores namque laudem ſuam tanquam oleum vendttant ſtultis*. Petrus verò Cardinalis Damianus ſimilitudinem accipit ab hirundinibus, quibus excæcatus fuiſſe Tobias dicitur, in eius hiſtoria cap. 2. Verba Damiani ſunt: *Quid leuiter volantes hirundines, niſi leues adulantium, & blanda loquentium ſignificant mores? Qui dum blandiloquij ſui ſuauitate demulcent, dum adulationis oleo caput audientis impinguant, interiores oculos, ne ſolita luce perfruantur, excæcant*. Quae licet apta ſint ad inſinuandum, quanto ſtudio abhorrere ab adulatione debeamus, longè tamen grauiora ſunt damna, quae ſuis maleficijs pariunt adulatores: niſi dicere velimus maleficos, & magicas excantationes malis artibus exercentes, cum oleo perfundant blandiſſimorum ſermonum, & è ſapientibus fatuos faciant, oculiſque animi deploranda excæcatis orbitate, dementent. Quae porrò damnoſa magis, aut aeque miſeranda cogitari poteſt permutatio? quae conuerſio tam luctuoſa, quàm ex homine ratione prædito, in ſtultum tranſire.

Videatur P. Salazar in Prouerb. cap. 16. verſ. 16. num. 160. & cap. 11. verſ. 9. num. 38. & cap. 14. verſ. 20. num. 85. & alibi.

Videatur etiam P. Didacus de Baeza tom. 4. in Euangelicam hiſtoriam lib. 16. cap. 23. §. 26. & tom. 1. de Chriſto figurato lib. 1. §. 36. & tom. 2. de Chriſto figurato cap. 8. §. 8.

Videri poteſt etiam P. Didacus Niſſenus Dominica 22. poſt Pentec. Aſſump. 1.

IN CAPVT DECIMVM QVARTVM

A Num. XXII. ad XXIV.

Et ſtatim compulit Ieſus diſcipulos aſcendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et dimiſſa turba, aſcendit in montem ſolus orare. Veſpere autem facto ſolus erat ibi.

PARADOXVM VI.

Oratio ſpirituale certamen, in quo vincit qui ſolus eſt: auditur, qui cordis ſecretiore ſilentio loquitur.

CÆLESTIS Sapientiæ Magiſter bene orãdi, imò exorandi Dei, præcepta hominibus traditurus, totus in co eſt, vt ſecretũ ſuadeat, propterea & noctu orat, & ſolus; nõ in populi frequenti concurſu, non in plateis, aut in ſynagogis: ſed in ſemoto montis receſſu, hoc eſt, cum cordis, & animi tranquillitate, & omni ſemoto ſtrepitu preces ad Deum fundendas eſſe demonſtrans, vt D. Chryſoſtomo conſentiamus hom. 51. hunc locũ his verbis exponente: *Propterea Dominus crebrò deſerta petit, & ſolus orans plerunque pernoctat, vt eius exemplo, tam à tempore, quàm à loco tranquillitatem orandi quæramus: tranquillitatis quippe mater eremus eſt, quietis portus, omnis turbationis expultrix.* Mirarer, cum ſciam oratione à nobis & præſidium à Deo petendum, & excidium hoſtibus inferendum: mirarer, inquam, imperari orantibus ſolitudinem tantam, tamque profundum & noctis, & ſolitudinis ſilentium, niſi probare poſſem Orationem ſpirituale certamen eſſe, in quo vincit qui ſolus eſt, auditur qui ſecretiſſimo cordis ſilentio vociferatur. Et licet primo aſpectu nihil videatur habere commune orationis quies cum tumultu certaminis: re ipſa tamen nullum certaminis, aut armorum genus eſt, quod non conueniat orationi. Diſco id in primis à S. Ambroſio lib. de viduis dicente. *Eccleſia non armis ſecularibus vincit aduerſarias poteſtates, ſed armis ſpiritualibus. Et ideo Siſara ſitis, lactis poculo reſtinguitur, quia oratione ſuperatur: quod enim nobis ſalutare ad eſcam, hoc aduerſariæ poteſtati lethale ad infirmitatem.* Orationes ſpiritualia arma dicuntur, & ſunt. David, interprete Hieronymo, id ipſum enucleatius, cum Dominum ſuum alloqueretur pſal. 17. nu. 35. *Poſuiſti vt arcum æreum brachia mea.* A vi brachiorum qua dilaniauerat vrſos, & leones proſtrauerat, gradum facit Hieronymus ad rem noſtram his verbis: *Cum leuauerimus manus noſtras, orationes noſtræ ad Deum arma ſunt contra diabolum.* Æneum robur orantis eſt ad dilaniandas prauarum cupiditatum immanes belluas; imò ad gigantem inferni trucidandum. Copioſum profero S. Hildeberti teſtimonium ſic ſcribentis ep. 56. *Enimuerò ſapiens contra fortunam (quam dicitis) nunquam imparatus, nec inermis inuenitur; ſecum habet quo præcaueat inſidias, quo iacula fruſtrentur inimici: extra ſe nullum pugnæ quærit apparatum. In omni caſu ſe ipſo tutus eſt: pectus eius pharetra fertilis, & armamentarium copioſum, quibus ille munitus, & fortunæ miſſilia* contem-

Orationes ſunt arma contra hoſtes.

contemnit, obſequenteque pariter; & perſequente ſuperior. Dum ea blanditur ingratus eſt; dum intonat aſpernatur; nullis rerum mouetur euentibus, exultans vniuerſis. Quippe nihil eſt, vnde non triumphet animus triumphator. Vides bene armatum animum illum, qui triumphat ſemper, nec aperto certamine, nec occulta vi poteſt expugnari. Quæris quod ſit huiuſmodi genus armorum? Audi eundem Hildebertum exclamantem: *O bene munitum precibus, quo ſe fortuna minorem erubeſcit.*

Non mediocrem faciunt difficultatem verba quibus Iacob allocutus olim fuit Ioſeph, Geneſ. 48. n. 22. *Do tibi partem, extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Nouum eſt & inauditum pro hoc agro, prædioue obtinendo armis vſum vnquam, aut pugnauiſſe; quomodo ergo dicit: *tuliſſe ſe de manu Amorrhæi in gladio & arcu?* Chaldæa paraphraſis nodum ſoluit: legit enim pro vulgata: *in gladio, & arcu. Oratione mea, & obſecratione.* Quàm acutus gladius oratio, quàm fortis arcus deprecatio. Nimirum ſerui Iacob contra Sichimitas arma tractantes pugnabant; ſed Iacob preces ad Deum fundens expugnabat. Vnde Euſebius Emeſenus in illud Matthæi: *dabo vobis os.* Ait: *Sancti non armis pugnant, ſed voce,* vtique deuotæ precis, & plenæ Deo orationis. Ad hæc capeſſenda hortabatur B. Petrus Damianus tract. ad Domin. cap. 6. *ad ſemper victricia arma orationis pio ſtudio recurre.*

Atque ne, qui fortè minùs digne quàm par eſt de orationis præſtantia ſentiat, exiſtimet orationis certamen ſingulare eſſe ad digladiandum ſolummodò cum paucis; longè aliter ſe ſe res habet: Orationis certamine innumeri fugantur exercitus inimicorum, Aſa Rex Iuda teſtis eſt contrà militem Æthiopum innumerabilem pugnaturus. Euolue 2. Paralip. c. 14. num. 9. *Egreſſus eſt Zara Æthiops cum exercitu ſuo, decies centena millia, & curribus trecentis. Porro Aſa perrexit obuiam ei, & inuocauit Dominum Deum.* Quis exercitum moribus barbarum, odio efferatum, numero infinitum, non dico conterere, ſed ſuſtinere poſſit? Sanctus Rex opem à Domino ſupplex expetit, & ſemper vincente armorum genere munitus, infinitam Æthiopum multitudinem repentè proterit, atque diſpergit. nu. 11. cit. cap. quid conſilij capiat certus, ait: *Domine non eſt apud te vlla diſtantia vtrum in paucis auxilieris, an in pluribus: adiuua nos Domine Deus noſter: in te enim, & in tuo nomine habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem. Domine, Deus noſter tu es, non præualeat contra te homo.* Quid audio? *Homo* dicitur, hominum innumerabilis numerus? Ita eſt. Quaſi homo ſolus, & debilis, & inermis videtur infinita hoſtium multitudo, ſi in arenam deſcendat cum ijs, qui armis orationis ſunt muniti. Benè eſt: *Adiuua nos Domine Deus noſter:* dicat pietate inſignis Ioſias, en copiæ, en machinæ bellicæ, en manipuli militum, en exercitus inuictus, en terror hoſtium, Oratio. Vndè immediatè poſt num. 12. ſequitur: *Exterruit itaque Dominus Æthiopes, & perſecutus eſt eos Aſa. Grandis quippe cunctos terror inuaſerat.* Fit apud me extra controuerſiam, oratione fidelium perterrefieri infernalium Æthiopum exercitum, licet rabidum, licet infeſtum, licet innumerabilem. Quæ quamuis apertè ſatis euincant quod proſequor: opportunius tamen futurum eſt demoſtrare, ab orante certamen fieri, & arma tractari quibus cælum, imò Deus ipſe vincatur. Num. 16. nu. 41. commota in Moyſen, & Aaron populi furentis ſeditione, ob mortem Core, Dathan, & Abiron, ignis diuini furoris exarſit in rebellantium perniciem Iudæorum; armata Dei dextera ſæuiebat, & quatuordecim millibus interfectis, delere iam iam meditabatur gentem adeò peruicacem. Sed ecce tibi, orat pro populo Aaron, hoc eſt, cum armato Numine, homo munitus orationis armis congreditur, & triumphat. Huc ſpectat ſapiens Sap. cap. 18. 20. *Sed non diu permanſit ira tua. Properans enim homo ſine querela deprecari pro populis, proferens ſeruitutis ſuæ ſcutum, orationem, & per incenſum deprecationem allegans, reſtitit iræ, & finem impoſuit neceſſitati.* Ex alia verſione: *Propugnauit pro populis.* Dicat Ambroſius orat. funebri, de obitu Valent. Imperat. Tom. 5. *Bonum ſcutum oratio, quo omnia aduerſarij ignita ſpicula repelluntur.* At hoc parum eſt. Dicamus: non modò bonum ſcutum oratio: ſed glorioſum certamen oratio, quo ſummi vires imperatoris, ſi non debellantur, ſaltem cohibentur.

Verùm opportunius fortaſſe videbitur alicui conſiderare, quo pacto in hoc certamine vincat qui ſolus eſt; & audiatur is, qui ſecretiſſimo cordis ſilentio vociferatur. Et primò quidem ſimilitudinum coloribus exprimenda potiſſimum, atque delineanda hæc veritas eſt. Salomon Prouer. 28. num. 1. Leoni comparat virum iuſtum: leoni, inquam, fortiſſimo ſcilicet, ac ſemper inuicto animantium principi, ac regi ſyluarum, cuius præcipua commendatio

Aſa oratione ſuperat hoſtes.

datio

Cur ſolus Leo non timeat.

datio ab imperio petenda eſt, quod rebus A præclarè geſtis, hoc eſt, dilaniatis dilaceratiſque hoſtibus tuetur glorioſiſſime. Verba Salomonis: *Iuſtus quaſi leo confidens abſque terrore erit*. Lubet interrogare, vnde oriatur inuicta, & imperterrita leonis magnanimitas? Scio hanc quæſtionem ab Alberto Magno fuiſſe propoſitam, ſic dicente: *Quid cauſæ eſt, quod leo vnus etiam inter maximam ferarum multitudinem interritus eſt? Certè leoni hos animos naturale robur non facit.* Non proponit modò, ſed auget dubitationem, cùm à naturali robore tantos ſpiritus, tamque ingentes animos leo non habeat, elephas enim leone robuſtior, tau- B rus à leone non ſuperatur, & ſic de alijs: vnde ergo habebit? Reſpondebit Baſilius in Exam. hom. 9. id leoni tribui à ſolitaria vita quam facit. Sic autem loquitur Baſilius: *Vna cum leone animoſitas, & ad tacandeſcentiam iræ propenſio, illi agnata eſt vita ſolitaria, expers ſocietatis, adeo quæ genus ſubeunt idem; velut enim tyrannus quidam animantium rationis expertium pares honores, congreſſioneſque cum cæteris non acceptat*. Habes ex Baſilin à ſolitariæ vitæ inſtituto leonem terrori eſſe animantibus reliquis. Si quæras iterum, cur ante leonem victa cadant animantia reliqua? Reſpondebit Cyrillus Alexandri- C nus, haberi id à leonis rugitu, ſic enim lib. 12. in Ioan. cap. 14. ait: *Fertur igitur leo cum animal aliquod capere velit, mirabilem ſolere rugitum edere, eoque quæ propinqua ſunt animalia, perterrita cadunt*. Duas itaque habemus cauſas, cur inuictus leo ſemper victor proſternat hoſtes: quia videlicet & ſolus, & vociferans eſt. Conſulamus iam Ælianum oculatum naturæ leonis indagatorem, & ab eodem cap. 6. & 7. diſcemus, quàm propria ſit leoni, & ſolitudo, & vociferatio, tunc maximè cum proſtraturus egreditur, ac profligaturus reliquas feras. Egreditur D enim à ſpelunca, vel catulis relictis, vel patre iam ſeneſcente, vt ſemper ſine ſocio dimicet, ſine auditore clamet. Vbi leo à ſpelunca pedem effert veſtigia obliterat cauda: *partim obliterat*, verba Æliani, *ne venatores luſtrum, vbi cum ſuis catulis habitat inuenire poſſint*. Et idem cap. 6. ait: *rugitu edito parentem ſuum, vt conuiuium ineat tanquam conuictores ad prandium conuiuam inuitat*. En ſemper ſolus eſt, cum in arenam deſcendit. Nimirum cum leo ſolus eſt tunc vociferatur, tunc vincit. *Iuſtus quaſi leo confidens abſque terrore erit*. Sicut leo tunc fortior, cum ſolus; tunc auditur cum relictis omnibus

Cur Leo ſemper victor.

A leunculis, vel leone iam ſene ſolus clamat; Ita etiam iuſtus cum in Eremo clauſi cubiculi, & in antro cordis ad Deum clamat. Id autem oranti potiſſimùm conuenire monuit Chryſoſtomus hom. 53. in acta dicens: *Non enim leonis rugitus beſtias ſic fugat, vt iuſti oratio dæmones*. Beſtias ferociſſimas tuarum paſſionum vt proſternas, diſce à leone qui in ipſa ſyluarum ſolitudine ſolitudinem quærit, egrediens ab ipſo antro in quo cum leunculis habitat. Et tu non ſolùm ab hominum commercio, ſed ab ipſo tuarum tumultu cogitationum refugias, vt ſolus, ipſa ſocietate repudiata, ſis fortior, & nullo audiente clamans B exaudiaris. Neque prætermittendum puto quod ex Alberto dicebamus, videlicet: *leoni hos animos naturale robur non facere*. Vt hinc etiam ſciamus imbecillitatem noſtræ mortalitatis licet naturali robore deſtitutam ad proſternendas feras ſiue tentationum, ſiue prauarum cupiditatum, fieri tamen potentem ſi à leone diſcamus ſoli in arenam deſcendere, & ſecretiſſimo in loco vociferari.

Exodi 14. cum Populus Iſrael Pharaonis exercitum iam iam irruentem, atque irrumpentem extimeſceret, minimè ſibi conſulere poterat fuga, & multò minùs agmine facto tumidum inſolentia regem vi C repellere, aut retardare. Quid ergo conſilij capiant? excitato omnium clamore Diuinam opem implorauerunt. Vnde nu. 10. cit. cap. dicitur: *Cumque appropinquaſſet Pharao, leuantes filij Iſraël oculos viderunt Ægyptios poſt ſe, & timuerunt valdè, clamaueruntque ad Dominum*. Clamant Iſraëlitæ, ſed nõ audiuntur à Domino: Propterea commotum timore populum ſic alloquitur Moyſes eodem c. 2. num. 14 *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis*. Mira conditio hæc eſt quam Moyſes adiungit: quaſi dicat, non eſt cur clameris vociferationibus inconditis: an neſcitis à Deo audiri ſilentium, non D vociferationem? Non enim in commotione, aut ſtrepitu Dominus excitatur, ſed ſecretiſſima cordis taciturnitate, quaſi concutitur ad arma capienda pro ſui populi ſalute. *Dominus pugnabit pro vobis*. En pugna cuius claſſicum à ſilentio cauitur; *& vos tacebitis*. Obſeruas deprecationem fuſam à multitudine conclamante ad aures Dei non peruenire. Sed pergamus in eodem textu. Etenim poſtquam dixit Moyſes: *vos tacebitis*. Subdit immediatè Dominus hæc verba: *Dixitque Dominus ad Moyſen: quid clamas ad me?* Liceat Deum humillimè alloqui: Domine, Moyſes non clamauit, vt patet legenti

In oratione tacendum.

citatum

citatum caput, imò clamantibus indixit ſilentium: *vos tacebitis*. Benè eſt: clamare dicitur, quia ſilentiom amat. Noſti Moyſes ad Deum clamare eum, qui ſecretiſſimo cordis ſilentio arcana mentis exponit; Noſti Deum arma ſumere ad conterendos exercitus inimicos, ſi exoretur non à confuſa multitudine, non immani vocis ſtrepitu; ſed profunda cordis amantiſſimi prece. Do Gregorium Nyſſenum Lib. de vita Moyſis hunc locum ſic expendentem: *Monemur ſonoram eſſe illam vocem, & vſque ad diuinas aures magnitudine ſua peruenire, quæ non contentione clamoris, ſed puritate cordis, ſua meditatione concipitur.* Intrà in cubiculum, clauſo enim oſtio orabis ita vt exores & Dei opem, & certaminis victoriam glorioſiſſimam. Armentur inimica caſtra, inſtruantur hoſtiles acies, perſequi, furere, minari, inuadere non dubitent noſtrae ſalutis hoſtes, nos ſi ſoli, ſi ſilentes caeleſte praeſidium poſtulemus, & inuicti reperiemur quia ſoli, & audiemur quia taciti. Vnum adiungit Ambroſius notatu digniſſimum: Moyſeo videlicet gracilis fuiſſe vocis, & parum aptae ad clamorem excitandum. Vnde ſerm. 19 in pſalm. 118. ait. *Gracili voce erat Moyſes, nec loquebatur, plus tamen omnibus audiebatur, vnde dictum eſt ei: Quid clamas ad me? clamabat affectu pio, & perſonabat in cœlo: clamabat populus, & non audiebatur, audiebatur tamen Moyſes, qui tacebat, tu ſolus, inquit, ad me clamas, qui de me ſperas, qui virtutem meam excitas, tu ſolus ad me clamas.* Hoc etiam innuere viſus eſt Bernardus dicens: *clamemus moribus magis, quàm vocibus.*

Solitudo & ſilentium optimæ cõditiones orationis.

Valdè vereor ne fortè aliquis minimè intelligat quid dicere velim, dum commendo hoc genus orationis, qua ſilentes clamamus, & ſoli fortiores ſumus. Declarabit meam ſententiam B. Laurentius Iuſtinianus in ligno vitæ cap. 6. in hunc modum. *Talis oratio cordis eſt, non labiorum, nec enim precantis verba intendit Deus, ſed orantis cor aſpicit. Quid oratio prodeſt ſtrepitu labiorum, vbi eſt cor mutum? ſicut enim vox ſine modulatione auribus hominum oneroſa exiſtit: ſic oratio, abſque deuotione auribus Dei inexaudibilis eſt.* Cordis affectu in Deum intendens, rerum humanarum omnium laudabili obliuione captus, Deum iugi oratione deprecans is eſt, qui ſilens vſque ad Dei aures clamat, & qui ſolus fortiſſimè dimicat contra inimicos.

Labia ſonãtia & cor mutum non audit Deus.

Id quidem in Salomone, in Iacob, in Iona ſatis habemus expreſſum. De Salomone Cant. 3. hum. 7. Non ſine admiratione dicitur: *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiūt ex fortiſſimis Iſraël: omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi: vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.* Perbellè ſanè hoc emblema complectitur meum animi ſenſum: oratione reficitur animus longè ſuauiore quiete quàm corpus ſomno recreetur: Vt autem inter amicas noctis vmbras dormiamus, nullius ſocietate, aut fragore diſtrahi debemus; ita etiam vt oremus, & ſoli, & ſilentes eſſe debemus. Ergo Salomon cùm in lecto maximè ſolus, maximè tacens, tunc lectiſſimorum manipulo militum fortior eſt. Et nos eodem modo ſi ſilenti cordis voce, ſi ſolitario mentis affectu preces fundamus, habebimus Angelorum cuſtodiam tenentiom gladios, qui vtpotè ad bella doctiſſimi, omnem retundant hoſtium impetum, & nos reddant inuictos. Iacob ideò pollet viribus non ſolùm ad deſcendendum in arenam cum cæli Heroë, verùm etiam ad præualendum, quia in eremo ſolus, & nequaquam clamore vocis, ſed voce ſilenti lacrymarum opem petit. Vnde Oſeæ 12. num. 3. & 4. de eo dicitur: *In fortitudine ſua directus eſt cum Angelo, & inualuit ad Angelum, & confortatus eſt, fleuit & rogauit eum.* De Iona demum nil mihi dicendum eſt, cum pro me aptiſſimè, & eloquentiſſimè verba faciat in hunc modum D. Chromatius Aquileienſis antiſtes cap. 5. in hunc locum Matth. 6. num. 3. *Quid de Iona dicemus, qui non modò cubiculo, ſed vtero belluæ clauſus, in taciturnum orans meruit exaudiri, vt de profundo maris, & de ventre tam immanis belluæ incolumis, ac vacuus euaderet: Exauditus autem à Deo eſt, non quia voce, ſed quia fide clamabat.* Ionas in naui inter nautarum clamores, fragoreſque tempeſtatis inimicæ vi iactatus, reſiſtere non valuit, exaudiri non debuit: recipiat ſe intra clauſtra omni remoto ſtrepitu, vbi quia ſolus, quia nemine audiente orat, non auditur modò, ſed exauditur. Fauces non timeat belluæ immanis, mortis ictum non metuat, præualebit ſine dubio munimento ſecretæ & ſolitariæ deprecationis.

Comparatione res fiet clarior: hanc autem ſuppeditabit hiſtoria, quam legimus lib. 3. reg. cap. 18. vbi dicuntur Pſeudoprophetæ Achab, cum Elia in contentionem veniſſe, totamque controuerſiam ab oratione, ex vtraque parte facta, fuiſſe diremptam. Orauerunt enim Prophetæ Baal, & nihil impetrarunt; orauit Elias, & obtinuit quod petebat. Obſeruandum eſt

Prophetæ Baal cur nõ auditi à Deo ſuo.

diſcri-

diſcrimen iſtarum precum: Prophetæ mendaces, in clamore, & contentione vocis vim totam reponebant, vnde meritò deridebantur ab Elia num. 27. *illudebat illis Elias dicens, clamate voce maiore*. Et paulò poſt ſeq. num. 28. *clamabant ergo voce magna*. E contrario Elias antequam oret, poſtulat primò vt recedant à frequentia vrbium, atque ad ſolitudinem Carmeli montis ſe ſe recipiant, quotquot adeſſe volebant petitioni Deo faciendæ num. 19. *Congrega Iſraël in monte Carmeli*. Sunt Eliæ verba loquentis cum Achab; tum verò ſine clamore, ſed voce ſubmiſſa num. 39. Elias propheta ait: *Domine Deus Abraham, & Iſaac, & Iſraël, oſtende hodie, quia tu es Deus Iſraël, & ego ſeruus tuus, & iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc*. Peruenit ad aures Dei Eliæ petitio, quia & in ſolitudine montis, & non modò prætermiſſo clamore, ſed voce ſubmiſſa funditur amantiſſimo cordis affectu. Propterea num. 38. *Cecidit ignis Domini, & vorauit holocauſtum, & ligna, & lapides, puluerem quoque, & aquam, quæ erat in aquæ ductu lambens*. Nullam non ſuperat vim contrariam efficax orationis potentia. Clament Pſeudoprophetæ vt exibilentur; ſubmiſſa voce alloquatur Dominum Elias, vt de inimicis Dei triumphet. Sed non poteſt aptiùs quidquam proferri, quàm illud quò breuius eò ingenioſius effatum S. Ambroſij in pſalm. 45. dicentis: *Diabolus ſonum quærit, Chriſtus ſilentium. Intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem*. Victæ ſemper profligatæque recedent vires repugnantium inimicorum.

Cur auditus Elias.

Rapitur hinc celeberrima illa populi Dei victoria Ioſue ducente exercitum, illa, inquam, victoria quæ in Amalecitas pugnarunt alacres, & expugnarunt. De hac vt diſſeramus in mentem reuocare debemus quod Exodi 17. memoriæ proditum eſt: ad infringendas cōterendaſque hoſtiles acies Moyſes decernit, vt Ioſue lecto milite inimicum adoriatur, ſpondetque ſe in vertice collis preces ad Deum fuſurū remotis arbitris, ſocijſque Aaron & Hur. cit. capite num. 9. *Dixitque Moyſes ad Ioſue, elige viros & egreſſus pugna contra Amalec: cras ego ſtabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea. Fecit Ioſue, vt locutus erat Moyſes, & pugnauit contra Amalec: Moyſes autem, & Aaron, & Hur aſcenderunt ſuper verticem collis. Cùmque leuaret Moyſes manus, vincebat Iſraël.* Benè monet Chryſoſtomus ſerm. 1. de Moyſe: *Fit Moyſe orante occulta pugna,*

A *manifeſta victoria; latenter dimicat, vt euidenter vincat*. Adiunge Chryſoſt. Damianum hunc locum pertractantem Apol. de cont. c. 27. his verbis: *Orantis manus præliantium manus roborabant: & quia illæ imbelles ad cælum patebant, idcircò iſtæ dimicantes victoriam caſis hoſtibus obtinebant. Iſtarum quippè fuerit pugna, ſed illarum non ambigitur fuiſſe victoria, quia vt iſtis daretur vincere, illæ meruerunt diuinitùs impetrare. Si illæ manus ad corripienda arma deponeret, victoriam hoſtibus præbuiſſet.* Certamē ſpirituale orationis agnoſcis, & ſimul etiam animaduertere debes Moyſi in remotiorem montis partem, re-

B licta turba, fuiſſe recedendum. Arma enim precum noſtrarum, vt valida ſint ſecretum amant; & voces opem implorantium vt perueniant ad Dei aures, non in frequētia populi ſunt fundendæ. Hinc Tertullianus lib. de orat. c. 13. *Sonos*, inquit, *vocis ſubiectos eſſe oportet. Deus non vocis, ſed cordis auditor eſt, ſicut conſpector*. Occultum nobis, & diuturnum contra mentis noſtræ hoſtes certamen eſt, vt ſtemus in acie victores, orationis armis certare debemus, atque auxiliares copias ab Imperatore cæli, exorante pro nobis ſilentio cordis, impetrare. Propterea Bernardus, & Ambroſius rectè monebant; Ille quidem

Vt preces vt validæ ſint ſecretum amant.

C in pſ. *Qui habitat*. Ser. 16 *Dei auribus deſiderium vehemens, clamor magnus*. Hic autem in pſalm. 118. num. 145. aiebat. *Aduerſus diabolum, non vocis magnitudine, ſed magnanimitate cordis vtendum eſt. Clamat ergo cor noſtrum non ſono corporis, ſed cogitationum ſublimitate, concentuque virtutum*. Sed melius Origenes ho. 11. ſuper Exod. loquitur in hunc modū. *Nobis etiam pugna eſt aduerſus Amalec, hoc eſt, aduerſus principes, & poteſtates, & rectores tenebrarum harum: eleua & tu manus ad Deum*. Et paulò poſt ait: *Populum Dei non tam manu, & armis, quàm voce, & lingua pugnare, id eſt, orationem*

D *ad Deum fundendo*.

Percellit aures, imò concutit corplanctus mœſtiſſimi ſonus, qui intempeſtæ noctis ſilentio auditur. Can. 5. num. 7. *Percuſſerunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum*. Accurrite ciues, honeſtiſſimæ ſponſæ vox eſt, imò luctuoſiſſima, & acerbiſſima lamentatio matronæ celeberrimæ, & veneratione digniſſimæ. Quis ſæuus adeò, atque efferatus fœdare ſe ſe auſus eſt ſanguine tam inclyto? iſtane eſt reuerentia ſexui debita? iſte ſponſæ exhibitus honor? In publica nobilis vrbis via graſſantur ſine lege prædones nefarij? Quis Princeps crimina tam immania, tā

Cur ſponſa clamet ſe vulneratam.

inaudita, tam turpia lętus videat, ſuſtineat immotus? At interea excepta fuſtibus, conſoſſa ictibus miſerrima innuuis, vſurpare poſſe mihi videtur illud Iob. c. 30. nu. 20. *Clamo ad te, & non exaudis me: Sto, & non reſpicis me. Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tua aduerſaris mihi.* Cur ſponſus, qui & princeps eſt ciuitatis, ſi non amore, Saltem commiſeratione commotus; ſi minus atrocitate facinoris, ſaltem compaſſione deprecantia excitatus, ne crudelis videatur, & durus non accurrat feſtinus, vt à tanto vendicet diſcrimine cam cuius affectabat paulò ante amorem, & amplexus flagrantiſſimè cupiebat, vt patet ex eodem capite citato num. 2. *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* In tam inopinato, tamque infelici euentu, mutato nomine, de nobis res tota narratur. Dum enim anima noſtra annulo fidei, & virtutum dotata diuitijs, Chriſto deſponſata, intra cubiculum religioſae circumſpectionis ſola eſt, tuta degit ab impetu hoſtilis temeritatis, propinquum habet ſponſum quem alloquatur, & non auditur modò, ſed allocutione iucundiſſima recreatur: verùm ſi aperto libertatis oſtio vagari incipiat, violentas inimicorum manus euadere non poteſt, & quod deterius eſt, clamat, & non auditur. Non eſt ſponſus factus crudelis, non obduruit amantiſſimum cor: ſed tu orationis armis deſtituta gemere cogeris praedonum licentia lacerata, ſed tu quia clamas conatu vocis, & non impetu cordis, audiri non debes. Audi Sanctum Chromatium paulò ante citatum: *Intra cordis, ac conſcientiae ipſius ſecretum à Domino iubemur orare: vt ab eo qui ſecretorum, & occultorum eſt cognitor, recipiamus orationis occultae mercedem. Religioſa enim mentis eſt, Deum non clamore, vel ſono vocis: ſed deuotione animi, ac fide cordis orare.*

Triſtis infortunij ſui nuncius factus Rex Iſraël pſalm. 21. num. 3. vaticinabatur: *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies. In te ſperauerunt patres noſtri: ſperauerunt, & liberaſti eos. Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt.* Interrogare lubet, cur, ò Dauid, te clamantem à Deo minimè audiendum prædicis? Sanè attentæ ſunt, & benignæ aures eius ad preces ſeruorum ſuorum: Vnde dicis pſalm. 33. num. 16. *Aures eius in preces eorum.* Praeterquam quod tu ipſe fateris Maiores tuos exauditos à Deo, cùm clamarent, cur ergo ſi clames ipſe non audieris?

Dauid clamàs per diē non exauditur.

A *Clamabo per diem, & non exaudies.* Fortè non exaudietur Dauid quia clamabit, ſed per diem, hoc eſt, in ſtrepitu multiplicium negociorum: Quietum amat noctis ſilentium refuga diurni tumultus oratio. E contrario primi patres Iſraeliticae ſanctitatis clamabant ſperantes, qui autem ſpem ſuam in Deo collocat ſolus eſt, quia ſeiunctus ab omni rerum creatarum amore, & deſperans humani patrocinij praeſidium. *Clamabo, & non exaudies*, quia non ſolus, non ſecretus clamo, ſed in die humanae proſperitatis mille modis diſtrahor: at clamauerunt, & exaudiſti, quia B ſpem ſuam in te vno collocantes ſegregati ab omni humano ſubſidio opem à Deo expoſcebant. A S. Ambroſio ſerm. 19. in pſalm. 118. introducitur Deus loquens cum Moyſe his verbis: *Solus ad me clamas, qui de me ſperas.* Spe in Deo, ſoli efficimur, & ideo mirum non eſt, ſi taliter orantium clamor ad Dei perueniat aures.

Quomodo Moyſes ſolus ad Deū clamet.

Diutius differenda non eſt reſponſio ijs, qui cùm non exaudiantur orantes, in ſpirituali certamine ſuccumbunt ſaepiſſimè. Quo ergo pacto, dicet iſtorum non nemo, verum eſſe credemus validiſſima orationis arma eſſe, & implorato noſtra prece C diuino praeſidio hoſtium victoriam eſſe certiſſimam, ſi oppoſitum nobis experientia demonſtret. Pro me loquetur S. Ioan. Chryſoſtomus hom. 19. ad populum his verbis: *Is corpore humi proſtrato, & ore in caſſum nugante, mens totam domum, & forum circumeat: quomodo talis dici poterit quod in conſpectu Dei precatus ſit?* Si cor noſtrum more ſuo, hàc illàc vagum, & errans preces noſtras non audit, indigni profectò ſumus, qui exaudiamur à Deo. Nunc intelligo ſententiam Dauidis 2. reg. c. 7. n. 27. caelorum regem maximum, ſic alloquentis: *quia tu Domine exercituum Deus Iſrael reuelaſti aurem ſerui tui, di-* D *cens: Domum aedificabo tibi: propterea inuenit ſeruus tuus cor ſuum, vt oraret te oratione hac.* Modus planè nouus, & inauditus diſponendi ſe ad allocutionem Dei. Audiueram accedenti Moyſi ad rubum calceamenta humanorum affectuum deponenda; ſciebam Samuele docente, ad Dei colloquium accedere debere eum, qui prius ſuae puluerem vilitatis nouerit; legeram Iob pronum in terram corruiſſe ad reuerentiam animi ſignificandam, quæ praeuia eſſe debet cum ſummus Dominus noſtram ſuo dignatur alloquio mortalitatem. Nil horum facere ſe profitetur Dauid, ſed ſolùm declarat inue-

Dauid orauit poſtquā inuenit cor ſuum.

inueniſſe ſe cor ſuum, vt oraret. Sententiam Dauidis explanabit Auguſt. in pſ. 85. *Attendat*, inquiens, *quiſque, & videat quãta agantur in corde humano: quemadmodum ipſæ plerumq; orationes impediantur vanis cogitationibus, ita vt vix ſtet cor ad Deum ſuum. Et vult ſe tenere, vt ſtet, & quodammodò fugit à ſe, nec inuenit cancellos, quibus ſe includat, aut obiees quoſdam quibus retineat auolationes ſuas, & vagos quoſdam motus*. Habes ex Auguſtino quomodo contingat vt fugiat à nobis noſtrum cor. Si igitur cum Dauide cor tuum inueneris, accede ad orandum, omni amota dubitatione, imò ſpe plenus obtinendi quod petis. Subdit ibidem B Auguſtinus in verba Dauid: *Inuenit ſeruus tuus cor ſuum, vt oraret ad Dominum: Inuenire ſe dixit*, loquitur Auguſtinus, *cor ſuum quaſi ſoleret ab eo fugere, & ille ſequi quaſi fugitiuum, & non poſſe comprehendere, & clamare ad Dominum, quoniam cor meum dereliquit me*. Cor igitur cùm ſocietatem creaturarum quærit, cùm ſolum, & ſeiunctum ab alijs omnibus eſſe non vult, neque ad orandum, neque ad clamandum aptum eſt, ea oratione quæ grata ſit Deo, eo clamore qui ad caelum vſque perueniat. De hoc ſilenti clamore accommodatè non minùs quàm eloquenter diſſeruit S. Cyprianus de oratione Dominica non longè ab initio in hunc modum: *Debemus non paſſim ventilare preces noſtras inconditis vocibus, nec petitionem commendandam modeſtè Deo, tumultuoſa loquacitate iactare. Quia Deus non vocis, ſed cordis eſt auditor: nec admonendus eſt clamoribus, qui cogitationes videt*. Inueni cor tuum cuius clamores auribus Dei accedunt gratiſſimi; & audieris beneuolè, imò illicò exaudieris. Quanta autem Deus voluptate perfundatur oratione huiuſmodi, teſtis eſt ipſe Dauid, quo auctore aures quodammodò videtur arrigere, vt attentiùs vocem audiat deprecantis. Pſalm. 114. num. 2. *Inclinauit aurem ſuam mihi*. Inclinat aures qui auidus dicentem excipit. *Inclinauit aurem ſuam vt faceret*, ait D. Baſilius in hunc locum, *quod facere ſolemus erga eos, qui ſubmiſſè loquuntur, propè admouendo aures vt ex propinquo, ſenſu excipiamus id quod quis loquitur*. Ex Baſilio igitur non ſolùm benignas Dei diſcimus aures, atque amicas: verùm etiam quod proſequimur confirmamus; clamorem ſcilicet tacentis ſilentij, & deuoti cordis deſiderium, quia huic proximae fiunt bibulae aures Dei, cui non ſono vo- A cis, ſed affectu cordis nos noſtaque committimus, cùm preces fundimus. Tunc enim verò armis inſtruimur ad pugnam, niſi potiùs ad internecionem hoſtium noſtrorum aptiſſimis. *Magna ſunt arma*, loquitur Chryſoſtomus homil. 30. in Geneſ. *preces: modò vndequaque mente noſtra collecta Dominum adeamus, totique nitamur ita loqui, vt non ſolùm verba, ſed & mens verborum comes ad Deum accedat*.

Cor perdere quid ſit.

Deus eſt auditor cordis, non vocis.

Verùm, quis aut manifeſtiùs declaret, aut certiùs manifeſtet, omnem orationis vim in eo ſitam eſſe, vt à ſolo, & cum ſilentio ab orante procedat, quàm totius B cæleſtis curiæ ſuffragium? teſte enim Ioanne Apocalyp. cap. 8. num. 1. ſilentium factum fuiſſe dicitur accedentibus Sanctorum orationibus. Silent cæleſtis ſymphoniæ chori, voce reſonante deprecantis; quid ergo Deo gratius oratione? ſilent Angelicae cantilenae; ergo orationes iuſtorum vſque adeo ſolitudinem amant, vt ne ipſam quidem beatorum concentuum ſocietatem admittant. Perſonante prece hominum ipſa caeleſtis Ieruſalem remotiſſimae ſolitudinis inſtar ſilet, vt vox orantis diſtinctiùs excipiatur, & faciliùs impetret, quod proponit. O ſilentium omni loquacitate facundius, ò C ſolitudo quauis ſocietate validior ad reportandas ab armamentario caeli, pro auxiliaribus copijs vires Dei! Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtochium ſcribebat: *Solus deſerta penetrabam, ſicubi concaua vallium, aſpera montium, rupium prærupta cernebam, ibi mea orationis locus*. Satagit, & ſolus, & ſecretus eſſe oraturus, quia probè tenet eum vincere, qui ſolus eſt, & ſilentium audiri. Veniunt in mentem Numa Pompilius, & Themiſtocles ſcriptorum monumentis celeberrimi principes. Ille quidem ſecundus Romanorum rex audiens à finitimis populis lectiſſimum in- D ſtrui exercitum ad delendum Romanorum principatum, reſpondiſſe fertur; *At ego ſacrifico*. Quaſi verò ridere debeat conatus inimicorum, qui inito precibus ac ſacrificijs cum caelo fœdere, Numine patrocinante praeliatur. Benè eſt: habeo ex ſententia principis ethnici validiſſimas ad bellum gerendum vires ſacrificijs, ac precibus obtineri. Me ne inſolentia, aut vis hoſtium deterrebit? *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates*, ſcribebat Paulus ad Eph. 6 n. 12. Felix qui ſuper altare cordis affectus ſui victimas, per orationem Deo offerens dicere

Themiſtocles toto anno Perſarũ linguam didicit, vt ſine interprete cum Xerxe loquatur.

poteſt. *At ego ſacrifico*. De Themiſtocle accepimus, maluiſſe per annũ dare operam ad perdiſcendam linguã Perſarũ, quàm per interpretem Xerxem alloqui. Indignum exiſtimabat Themiſtocles reuerẽtia Principis, & à negociorum peragendorum grauitate alienum, teſtem habere eorum, quæ cum ſolo Xerxe tractanda indicabat. Quid indignius quàm conſortẽ admittere, quoties cũ Deo Imperatore maximo per orationem nobis loquendum eſt. Soli ergo ſimus vt audiamur, & omni præſidio humani auxilij deſtituti, vt victoriam reportemus. Excitat nos Ieremiæ admonitio Thr. 2. n. 19. *Conſurge, lauda in nocte in principio vigiliarum*. Per amica noctis ſilentia, B omnibus ſomno conſepultis qui orat, profectò & ſolus, & ſecretus orat, vt nõ ſit mirum ſi exoret. Lege S. Bernard. ſer. 86. in Cant. *Quàm ſecura aſcendit de nocte oratio, ſolo arbitro Deo, ſanctoque Angelo, qui illam ſuperno altari ſuſcipit præſentandã? quàm grata, & lucida verecundo colorata rubore? quàm ſerena, & placida, nullo interturbata clamore, vel ſtrepitu?* In ſumma, *intra in cubiculum, & clauſo oſtio ora*, ſicuti ipſemet Orationis auctor docuerat cap. 6. Matth. num. 6.

Cur Moyſes ſolus aſcendat mõtem.

Sed cur, vt ſolus eſſe diſcã, à Themiſtocle; vt fortis ad præliũ, à Numa erudiri debeo? mittantur iſta ex annalibus profanorum, C adeſt è ſacrorum geſtorum hiſtoria Deus ipſe magiſter, ſiquidem Exod. 24. n. 1. & 2. imperat in hunc modum. *Adorabitis procul: ſoluſque Moyſes aſcendet ad Dominum, & illi non appropinquabunt*. Domine populus tuus vagatur adhuc nec firmam habet ſedem, mille vexatus conatibus inimicorum cogitur arma tractare, vix ab Ægyptijs ſe ſe fuga eripuit, & cum Amalecitis pugnare debuit. circunſtant alienigenæ, & aduerſarij conſpirant: cur ergo non aſſueſcat militaribus diſciplinis? ſtare debent in acie ad mactandos hoſtes, non ad aras pro victimis offerendis, igitur militare diſcãt non ſacrificare. Et tamen Deus D totus eſt in tradendis regulis perfectæ orationis, inter quas prima eſt, vt Moyſes ſolus accedat, relictis omnibus; & implorandum è cælo auxilium non totius populi clamoribus, ſed ſecretæ Moyſis deprecationi committitur. *Soluſque Moyſes aſcendet ad Dominum*. Nimirum tota vis, & robur exercitus populi Dei ab oratione accipitur, quæ vt audiatur à Deo, ſecreta debet eſſe. *Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum*, Dauidis oraculũ fuit pſal. 33. n. 16. in quem locum Saluianus lib. 2. de prouidentia paulò poſt initium ſic habet: *Quod ſcriptura ait, aures Domini in*

A *precibus ſemper eſſe iuſtorum: non audientia tantum Dei, ſed quadam quaſi obedientia Dei deſignatur*. Quid non poſſit cui Deus obediat? quem timeat inimicum, quem hoſtem non proterat, quam victoriã non conſequatur is cui militat Deus? Deo autem eam, quæ ſine tumultu clamat, eam quæ ſola vincit, hoc eſt, orationem cordis offeras, non ſonum labiorum. Miſeros nos, ſi de nobis dici poſſit quod de ſe olim affirmabant Hebræi Oſeæ 14. n. 5. *Reddemus ei vitulos labiorum noſtrorum*. Vituli labiorum ſunt illæ preces, quæ proferuntur lingua, non concipiuntur mente. Reſpicit, deſpicitque huiuſmodi hoſtias quæ ſine corde ſunt, qui ſuper omnia humani cordis amator eſt Deus. *Fili, præbe mihi cor tuum*. Imò Oſeæ 7. num. 11. *Factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta non habẽs cor*. Perinde ac ſi ne ipſa quidem columbæ innocentia placere poſſit, ſi corde careat. Itaque non labiorum vitulus, ſed cordis holocauſtum Deum flectit: neque enim audiuntur orationes oris, ſi cordis abſit conſenſus & concentus. Iſaiae 29. n. 13. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me*. Clama igitur profunda deprecatione cordis, qua ratione exclamaſſe dicitur pudica Suſanna, Danielis 13. n. 42. *Exclamauit voce magna Suſanna & dixit: Deus æterne, qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia antequam fiant, tu ſcis quoniam falſum teſtimonium tulerunt contra me: & ecce morior*. Mirum ſanè in cauſa tam dubia exclamantem Matronam tam venerabilem à nemine fuiſſe auditam, & tamen rei nouitate, & acerbitate permoti confluxerant turmatim omnium ordinum homines. Benè reſpondet Hieronymus: *Magna erat exclamatio eius Deo, quæ ab hominibus non audiebatur*. Illa voce, hoc eſt, deſiderio cordis, quæ ab hominibus non auditur ita clamemus, vt liberemur à ferocienti hoſtium calumnia cum Suſanna: Væ nobis, ſi corde careamus: Væ nobis ſi vitulos labiorum noſtrorum tantummodò Deo reddiderimus. De Caio Cæſare annales antiqui tradiderunt, eo die quo ab inimicis fuit confoſſus vulneribus, cùm oblatam à ſe victimam ſine corde reperiret, mortem ſibi infauſto præſagio prænunciaſſe. Traderis inimicorum furori, quo die victimam labiorum ſine corde litaueris. Clamet ergo vox cordis, & vt ſola ſit, & ſilens, remotis amicorum arbitris, & ipſo inanium cogitationum ſtrepitu amoto, intra cubiculum mentis tuae, & clauſo oſtio multiplicium negociorum, exauditus à Domino Deo exercituum, ſecurus victoriae, timendus

Vituli labiorum Deo nõ offerendi.

hoſti-

hoſtibus, triumphans ſubeas ſpiritualia A alcam certaminis. Audi Chryſoſtomum lib. de orando Deo: *Si dæmones nos conſpexerint oratione communitos, illicò reſiliunt, non aliter quàm prædones ac facinoroſi, vbi conſpiciunt militis gladium in caput ſuum vibrari. Quod ſi contingat aliquem eſſe nudum orationis præſidio, hic auulſus deportatur à dæmonibus, & in calamitates, variaque mala impellitur.* Atq; ne ſcutum ad excipiendos inimicorum ictus deſiderare poſſis, nunquam mente excidat illud S. Ambroſij ep. 82. *Bonum quippè ſcutum oratio.* Hoc ſcuto munitus oppugnari quidem poteris, non expugnari.

IN CAPVT DECIMVM QVARTVM

A Num. XXX. ad XXXII.

Videns vero ventum validum, timuit: & cum cœpiſset mergi, clamauit dicens: Domine, ſaluum me fac. Et continuo Ieſus extẽdens manum, apprehendit eum: & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitaſti? Et cum aſcendiſsẽt in nauiculam, ceſsauit ventus.

PARADOXVM IX.

Vis omnis, & efficacia orationis ab afflictione orantis.

IMPETRAT afflicti, gementiſque Petri in præſentiſſimo certiſſimoq; periculo conſtituti, flebilis quidem, ſed breuis admodũ oratio, vt reddita mari trãquillitate eripiatur periculo naufragij, quod præcedenti nocte Apoſtolorum omnium vota nequiuerant obtinere: cum num 24. *Nauicula in medio mari iactabatur fluctibus.* Rurſus Dominus Ieſus docturus diſcipulos ſuos modum orandi, remotis arbitris, montem petijt, n. 43. *Aſcendit in montem ſolus orare.* Cum igitur ex vna parte habeamus ab exemplo ſeruatoris, conſcẽ- C dendum oraturo, & quidem omni amicæ ſocietatis ſolatio deſtituto, prærupti cacumen montis, quod ſine magno labore fieri nequit; ex alia verò parte cõfectum anguſtia hominem non audiri modò, ſed exaudiri, Petri experimento diſcamus, nullo negotio percipere poſſumus: Vim omnẽ, atque efficaciam orationis ab afflictione orantis prouenire, ſiue ſit ſermo de quæſita corporis caſtigatione piæ manu ſeueritatis; ſiue de illato animæ cruciatu à conflictu concurſuq; conſpirantiũ calamitatũ.

Hoc axioma iàm diu è cælo veniſſe animaduerti euoluens hiſtoriam Danielis quẽ c. 10. n. 12. alloquitur Angelus verbis illis: *Ex die primo, quo poſuiſti cor tuum ad in-* D *telligendum, vt te affligeres in conſpectu Dei tui, exaudita ſunt verba tua.* Miraris Daniele preces fundente, vindicatũ à ſeruitute populum fuiſſe in libertatem aſſertum? Miraris vincula in torques mutata? Miraris ex ſqualore exilij Iudæos ad dignitatum amplitudinem tranſiuiſſe? Nimirùm Daniel afflictionem cum oratione coniunxit. Miraris hominem nuncij cæleſtis fruẽtem alloquio? Miraris terræ filium participem arcanorum diuini conſilij? Miraris superni maieſtatẽ Imperatoris quaſi mortalium dictis audientem nihil non concedere poſtulanti? Sed nil mirum eſt, cùm nequeat Pater luminũm votis non an-

Daniel exauditus à Deo ex quo ſe afflixit.

nuere

nuere deprecantis, dummodò preces voluntariæ munimento afflictionis obarmentur: Cuius rei ea ſubit in mentem ratio ex ipſa miſerationis diuinæ natura repetita. Videtur mihi ſummi Dei pijſſima miſeratio bonorum omnium, & nominatim humanæ mater felicitatis: Propterea eo prorsùs modo, quo matres ſolent, ſe ſe cum hominibus gerit miſericordia Dei. Videmus frequenter matres non ſtatim infantulis poſtulantibus per nutus, & blanditias concedere conſueuiſſe, quod ſe velle inſinuant: Verùm ſi eiulatu, lacrymiſque obortis, fletu, ſingultibus, anxietate pectoris innuant ſe aliquid exoptare; tunc ſanè ſe vllo modo continere non poteſt maternus affectus, quin dicto citiùs quod infantulo in votis eſſe cognoſcit libentiſſimè largiatur. Quauis matre humanior eſt miſerentis Dei benignitas, hanc oramus vt filij, ſed profectò non exoramus, niſi diſcruciemur.

Id quidem adumbrauit Dauid; expreſſit autem ad viuum Dauidis filius Dominus Ieſus; quemadmodum didici ex B. Brunone Epiſcopo Herbipolenſi pſalterium exponente: Sic interpretatur pſal. 142. vbi non tam de ſua, quàm de Chriſti oratione canit Vates purpuratus, nu. 6. & 7. *Expandi ad te manus meas: velociter exaudi me*. Abſque vlla trepidatione, non modò audiri rogat, ſed vt ita dicam, imperat exaudiri. Etenim extenſio manuum, non ſolùm laborans, & fatiſcens corpus defatigat, & conterit, ſed etiam gementis præ angore animi indicium eſt. Verba Brunonis ſunt: *Hic extenſione manuum Chriſtum in cruce deſignauit, vnde & qui expanſis manibus orat, illam crucem Redemptoris imitatur*. Chriſti è cruce pendentis *oratio exaudita fuit pro ſua reuerentia*, vt loquitur Apoſtolus Paulus, quia Deus non poteſt non reuerenti affectu proſequi, ac quodammodo venerari orationem, quæ cruciatibus, doloribus, anguſtijs obuallatur. Hinc conſuetudo illa laudatiſſima duxit originem, qua religioſi illi ſanctioris vitæ profeſſores, expanſis orare manibus conſueuerunt, vt ſcribit Ioan. Caſſianus lib. 2. de can. noct. orat. & pſal. modo c. 8. imò longè antè & tres pueros in Babylonica fornace, & Ionam in ventre Ceti, dum orarent, ſuſtuliſſe manus in formam crucis, auctor eſt S. Andreas Epiſc. Cretenſis, orat. 2. de exaltat. ſanctæ crucis. Dicat Bruno: *Qui expanſis manibus orat, illam crucem Redemptoris imitatur*. Placet hic attexere Tertulliani ſententiam exponentis hanc Chriſtianorum conſuetudinē orandi ma- A nibus in crucis formam expanſis. Tertulliani verba c. 30. Apol. *Sic itaque nos ad Deum expanſos vngula fodiant, cruces ſuſpendant, ignes lambant, gladij guttura detruncent, beſtiæ inſiliant: paratus eſt ad omne ſupplicium ipſe habitus orantis Chriſtiani*. Sic ſic orantis animus efferueſcat, vt non ſit ſatis ſupplicium crucis, addantur vngulæ, accedant beſtiæ, ignis, gladius, omnia tormentorum genera coniungantur: Tantus eſt nexus orationis, & cruciatuum.

Antiqui orabant expanſis in modū crucis manibus.

Igitur ne oratio ſeiungatur à cruce, propoſito tibi Chriſto Domino clauis confixo trabalibus; *inſpice & fac ſecundum exemplar*: Eas nempe, quæ ſine afflictione B corporis, & amaritudine animi funduntur preces audit Deus, non ſemper exaudit: Verùm contriti cordis, corporiſq; inedia vigilijs, laboribus confracti poſtulationes ſummus ipſe rerum Princeps religioſè reueretur, ac colit. Poſſum proferre mutuatam à Climaco ſiue admonitionem, ſiue ſimilitudinem ex Gradu 7. non longè ab initio his verbis: *Sta in orationis prece tremens, nec aliter quàm reus Iudici aſſiſtens, vt & interiori, & exteriori habitu fauorem iuſti iudicis concilies. Neque enim animam patitur deſpicere viduam ſibi anxiè aſtantem, moleſtiaſq; inuiolabiliter patientem*. En cur preces noſtræ ſæpenumerò C repulſam patiantur: quia ſcilicet non tanquam rei accedimus ad iudicem. Quanto concuſſa tremore paupercula vidua, quanto pauore conſternata rea, de bonis, de fama, de capite miſera muliercula ad infenſum Iudicem ſupplices tendit manus? *Et tu ſta in orationis prece tremens, nec aliter quàm reus Iudici aſſiſtens*. Tende in oratione manus ſemper memor moniti Brunonis: *Qui expanſis manibus orat, illam crucem Redemptoris imitatur*. Quanta, Deus immortalis! conficiatur triſtitia neceſſe eſt ei, qui orat: ſi debet Redemptoris crucem, non tam expanſis manibus adumbrare, quàm re ipſa perpeſſis crucia- D tibus animi, corporiſque doloribus imitari. S. Bonauentura in vita Chriſti Domini cap. 3. refert teſtatum id fuiſſe luculenter à B. Virgine. Cum enim Eliſabeth non tam Vngariæ Principatu, quàm prærogatiua ſanctitatis inclyta, abalienata, vt ſolebat, à ſenſibus vacaret Deo, Dei ipſius Genitricis teſtimonio audiuit nullum ferè donum à Deo hominibus dari, niſi interuenientibus precibus vnà cum corporis afflictatione coniunctis.

Standum in oratione rei inſtar ante iudicem.

Reuelatio S. Eliſabethæ.

Hæc commemoranti mihi annuit Rex Ezechias pietatis fama notiſſimus, de quo ſic habes lib. 4. Reg. cap. 20. nu. 2. *Conuertit*

tis

tit faciem ſuam ad parietem,& orauit Dominum. In hunc textum rationē affert Iſidorus Clarus,cur oraturus Ezechias dicatur conuertiſſe ſe ad parietē,ait enim:*Conuertit faciem ſuam ad parietē, quo ſe magis colligeret ad orandū,& flere liberiùs poſſet.* Idem ferè repetit in c. 38. Iſaiæ, inquiens. *Conuertit faciem ad parietē, vt in illa mœſtitia ſe magis colligeret ad orandum.* Contemplare Ezechiam decumbentem in lecto morboque grauiſſimo laborātem: Inſpice regem ſingultus inter atque anhelitus fatigatum quærere adhuc liberiore,& vberiore fletu mœſtitiam triſtiorem, ſic ſcilicet anguſtiores intra limites arctando ſe ſe, vides quo pacto ſatagat augere mœrorē, vt precibus ad Deum fuſis miſerationū cæleſtiū munera cōſequatur. Tēpus orādi maximè opportunum faciūt aduerſa valetudo, moleſtiæ mentis, cruciatus corporis, tormēta cordis; vno verbo, conſpirātes genere variæ, numero copioſæ, cōditione grauiſſimæ calamitates. Dei præcepto iubebatur, ne aſinus boui iūgeretur ad arandū, ſic Deut. c.22.n.20. *Non arabis in boue ſimul et aſino.* Quis vnquam credet tantæ molis eſſe, aſinum à boue ſeiūgere in ſcindendo terrā aratro, vt Deo praecipiente debeat declarari? fallor niſi in cultura agri, is qui nō dedignatur agricola nominari, imò eſſe. Io: c. 15.n.1. *Pater meus agricola eſt.* Fallor, inquam, niſi animæ noſtrae culturā inſinuare velit huiuſmodi inſtitutionibus: Scio à S. Antiocho hom.81. trahi id ad orationē in hunc modū: *Non arabis in vitulo,& aſino, hoc eſt, in munda ſimul, & immunda cogitatione nō offeres orationē.* Quoniā ad orationem transferre poſſumus ex Antiocho hoc Dei mandatū, diceremus ideò interdici, ne aſinus boui iungatur, quia bos ad labores ferēdos aptiſſimus,& quaſi à natura factus, tunc etiā cum aſſiduitate defatigatur in colēda terra maiori nititur conatu; bos quippe laſſus fortiùs figit pedem: aſinus è cōtrario animal pigrū eſt,& laboris parum amans: Igitur aſinus boui nō iungatur cū ſtudio orationis,& cultura piarum precum animae noſtrae ſubigendū eſt ſolum: nihil etenim remiſſū, nihil pigrū, nihil languidū in orante ferre poteſt Superum Pater, hominūque rex Deus Procul ab orante lētae aſini morae; procul detritæ vires, languidi trementia genua ægrè trahentis in morem bouis; infracta virtus, probatū robur, obfirmatę vires ad tolerādū factae orātem decent, hoc eſt, arantem iuxta Dei praeſcripta cordis ſui terrā, vt nunquam effœta gaudeat frugum, fructuūque fœcunditate. Igitur qui bouis inſtar ſibi non parcit, ſed iugo colla ſupponens, vt patiens corpus culturae accommodet labore conatur improbo, is preces ad Deum fundat, cùm certus ſit planèque dignus, cui faciles praebeat aures ex praecelſo tabernaculo maieſtatis ſuae Deus Deorum in Syon.

Cur non arandum in boue & aſino.

Siſto parũper in petita ab arādo ſimilitudine, cùm eā inueniā praeſenti inſtituto maximè accomodatā: cum enim ſermo ſit de cruce cū oratione iūgēda vt cordis humani terra fructus ferat feraciores: quis nō animaduertat crucē aratro nō repreſētari modò, ſed fieri. Hinc D. Maximus in hom. Hyem. hom.3. de cruce, aiebat: *Bonus agricola cùm parat terra ſolum vertere,& vitæ alimenta perquirere, nō niſi per ſignū crucis id facere conatur. Dum enim aratro dētale ſubijcit, ſtiuā inſerit, figurā crucis imitatur: cōpactio enim ipſa ſimilitudo quadā eſt Dominicæ paſſionis.* Intelligis quid paulò ante dicere voluerim, cùm ab arāte boue orationis perfectę pręcepta conarer eruere: Crux orāti ferēda eſt ſicut bos arās debet aratro colla ſupponere, ſupponat autē, vt ſociū nullo modo aſinum admittat, ſiquidē prona quadā, promptaq; ad laborē alacritatē aduerſitatū crucē ferre debet, qui exaudiri à Deo deſiderat, vt ſuapte natura quaſi bos, nō aliena vi,& fuſtibus adactus quaſi aſinus, cogi cōpelliq; videatur. Accinit loco cit. mox laudatus Maximus, vbi paulò poſt ſubdit. *Inceſſus hominis cùm manus leuauerit, crucē pingit: atq; ideò eleuatis manibus orare præcipimur, vt ipſo quoq; membrorum geſtu paſſionē Domini fateamur, tunc citiùs noſtra exauditur oratio, cùm Chriſtum, quem mēs loquitur, etiam corpus imitatur.* Crucem ergo vim, ac neruum orationis eſſe, quis neget? Conſonat ſanè mirum in modū cū D. Maximo mellitus Ambroſius ſerm.36. cadē vſus metaphora, in hunc modū: *Terra aratris ſcinditur, vt mūdanis ſit congrua frugibus: mea terra ieiunijs inaratur, vt caeleſtibus ſit apta ſeminibus. ſicut enim reditum vberiorē capit, qui frequentiùs vexādo exercet campū, ità maiorē gratiā percipit, qui exercet corporis ſui campū ſępius ieiunando.* Quod de ſolo ieiunio pronunciauit Ambroſius, nos de voluntaria quauis afflictione corporis non minùs accommodatè proferamus; ità vt à ſimilitudine petita à cultura terræ, intelligamus locupletiorē donorū caeleſtium meſſem noſtrae orationis reſponſurum, ſi ab aratro, hoc eſt, à cruce non ſeiūgatur. Scindatur terra, bos allaboret, exprimatur patientis Chriſti imago, Praecepta ſūt aptiſſima ad inſinuandū, quo pacto vim habitura noſtra oratio ſit: habebit autem ſi caſtigationibus, cruciatibus, angoribus cōtinenter afflicti, Deū noucrimus exorare. In Ambroſij ſententiā venit Chryſologus, quò breuiore verborū ambitu, eò fortaſſe legēti gratiore; ait enim ſerm.43. *Eſt orationis anima ieiuniū.* Quid praeſtent orationi caſtigationes declarat perbellè vis ea quam viuens ab

Crux neruus orationis.

Anima orationis ieiunium.

anima

anima accipit: compone cadauer exangue A
cũ corpore viuente,& intelliges quid ſibi ve-
lit Chryſoſtomus: Anima vitæ principiũ vim
omnem, atque efficacitatem viuenti tribuit;
animaque ablata nihil niſi tabidum ſupereſt,
atque emortuum cadauer. Vt viuentis inſtar
poſſit,polleatq; oratio deprecãtis,afflictatio-
nibus,inedia,ieiunijs, vno verbo, pia ſeueri-
tate lacerãtibus pœnis animetur,atq;viuiſcat.
Exemplo res fiet clarior, quod profero li-
bẽter, quoniam apud Nazianzenum Grego-
rium inuenio accommodatiſſimum orat. de
ſe ipſo Cathedr. Conſtantinopol. affect. vbi
calumniatores ſuos alloquitur in hunc mo-
dum. *Egregij illius Alexandri diſcipuli eſtis,*
magni Trinitatis propugnatoris, & præconis,
qui & verbis & rebus impium errorem depu- B
lit, ac profligauit. Nequã enim memoria vobis
excidat Apoſtolica illa oratio, qua impietatis
auctorem, atque Antiſtitem ſuſtulit. Hic ille
eſt Alexander Cõſtantinopolitanus Antiſtes,
(quemadmodũ notat Iacobus Billius in ſuis
ſcholijs) qui, vt omnes Eccleſiaſtici ſcribunt
hiſtorici, cum Euſebianos fraudibus ſuis, &
machinis ab Imperatore Conſtantino ani-
maduertet extorſiſſe, vt Arius in Eccleſiam
reciperetur, ad arma ſanctorum confugit, at-
que ad templi ſacrariũ prouolutus, tota no-
cte cum lacrymis Deum precatus eſt, ne hãc
peſtem ingredi Eccleſiam, ac pernicioſiſſima
doctrinæ contagione, gregem ſuum infici pa-
teretur. Cuius orationis vim horrenda mors C
Arij poſtero die ſecuta cõprobauit. O pre-
clarum orantis ſpecimen, ô ſingulare perfe-
ctæ orationis exemplar. Iure quidem optimo
Gregorius in Alexandro Antiſtite Conſtan-
tinopolitano modum orandi agnoſcit præ-
ſtantiſſimum, quem ideò appellat Apoſtolicũ.
Nimirum tota nocte, cũ lacrymis vberrimis
orauit, par igitur fuit vt exoraret: non enim
pati poteſt repulsã ea deprecatio, quæ & no-
cturnam vigiliarum incommodis, & lacryma-
rum amaritudine crucem, & quidem aſperri-
mam grauiſſimamque poſtulationi coniũge-
bat. Nunquàm memoria vobis excidat Apo-
ſtolica illa oratio irrigata lacrymis, ſociata
vigilijs, vlciſcentis vindictæ cæleſtis prodigio D
comprobata. Lacrymarum porrò afflictatio-
numque coniunctio quantam vim orationi
tribuat, ex Sponſa ſanctiſſima diſcemus, inter-
prete D. Iuſto Epiſcopo in explicat. Cantic.
Cantic. paulò ante med. ad illa verba Can. 3.
n. 6. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſi-*
cut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, &
thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij? Sic
habet citatus Iuſtus: *orationes dicit, quæ cor-*
dis compunctione ad Dominum aſcendunt à
Sanctis: Solet enim fumus lacrymas excitare.
Myrrha, & thus, & vniuerſi pulueris pigmen-
ta, mortificationis inſignia inſinuant. Huius
generis orationem fuiſſe Niniuitarum te-
A ſtantur ſacrarum monumenta literarum.
Ionæ c. 3. leges Niniuitas, vt Dei clemen-
tiam precibus expugnarent, indutos ſacco,
indixiſſe ieiunia, conſperſiſſe cinere capita,
inter quæ mandatum regis fuit n. 8. eiꝰ cap.
Clament ad Dominum in fortitudine. Ille
nimirum clamat in fortitudine, qui oratio-
nem ſuam firmat munimento ieiuniorum,
lacrymarum, afflictationum. Friget oratio
illa omninò lãguida, quæ à delicato viro,
& ſuorũ commodorum ſtudioſo effũditur, Oratio delicati viri frigida;
quippe qui oſcitare potiùs, quàm orare vi-
deatur. Hinc facilè aſſequemur, quid dice-
re voluerit Tertullianus de orat. c. 12. illis
verbis. *Item quod aſſignata oratione aſſi-*
dendi mos eſt quibuſdã, non percipio ratio-
B *nem, niſi ſi Hermes ille, cuius ſcriptura fe-*
rè Paſtor inſcribitur, tranſacta oratione,
non ſuper lectũ aſſediſſet. Damnat hoc lo-
co Tertullianus, vt patet, morem, ſeù po-
tiùs abuſum eorum, qui poſt orationem
ſolebant in lecto quieſcere; quemadmodũ Damnatur mos eorum qui poſt oratioñe ſolent in lecto recumbere.
Hermeti fuit in more, qui abſoluta oratio-
ne ſuper lectum dicitur ſe ſe extendere, &
otiari conſueuiſſe. Videtur Tertulliano,
non ſine magna orationis iniuria tolerari
poſſe, vt quis ab oratione ad lectum, & ab
obſecratione ad otiũ ſe conferat, deſidiam
que: abhorret quippe ab otioſa quiete ora-
tio, quæ labore, cruce, defatigatione viget,
cùm vero verius ſit: Vim omnem, & ef-
C ficaciam orationis, ab afflictione orantis
tanquàm à ſuo fonte, atque à vera origene
promanare.
Quæri ſolet à ſtudioſis ſacrarum litera-
rum, qua de cauſa Summus Sacerdos olim
Sancta Sanctorũ ingrediens, põtificias non
indueret veſtes: Imò verò cùm intra con-
claue ſecretius admittitur nô auro fulgeat,
vt etiam externo indumentorũ ornatu di-
gnus appareat alloquio Dei? Rationem
petas, reddit Abulenſis Exod. 39 *Cùm Sũ-*
mus Sacerdos introibat in Sancta Sancto-
rum, ingrediebatur gemens, & afflicto cor-
de, quam ob cauſam non cõueniebant ei ve-
ſtes exultationis, & ornatus magni. Non
D aurum, non gemmæ, non acu phrygia di-
ſtinctæ veſtes, molles præbent aures loquẽ-
ti cum Deo: Gemitus, cordis afflictio, tri-
ſtitia, angor, vim tribuunt deprecanti,
vt quoties orauerit, toties exoret ſine re-
pulſa.
Videatur ex 1. Tom. Parad. 3. in cap. 6.
pag. 395.

F I N I S.

BIBLIOTECA ... ROM.

IN-

INDEX RERVM NOTABILIVM QVAE IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Prior numerus paginam, ſecundus columnam, littera columnæ locum indicat.

A

AARONIS in Moyſen obtrectationes, 343. 1. D
Aaronis virga Sacerdotis ſymbolum, 70. 1. B
Abelis & Caini cordium diſſimilitudo à manibus dignoſcitur, 35. 1. D
Abraham ſtellis ab obedientia coronatur, 46. 1. C
Abraham aſper in coniugem, & filium, 139. 2. C
Abraham palatium Deo dignum conſtruxit, 145. 1. D
Abraham quercus vmbra contectus, 194. 1. D
Abrahami vexatio diuinae amicitiae nundinatio, 99. 1. D
Abraham ſpretis opibus animatur à Deo, 113. 2. D
Abrahami laborum terminus quiſnam, 143. 2. B
Abrahami moleſtiae iucunditate compenſantur, 143. 1. C
Abrahae domus cur carior Deo, quàm domus Iacobi, 411. 1. D
Abrahamo de terra Chaldaeorum egreſſo cur terrae dominatus promittatur, & non ante, 302. 2. C
Abrahami, & Iephte ſacrificium comparatur, 413. 1. C
Abraham gemit ſub pondere diuitiarum Ægypti, 428. 1. B
Abrahami domus hoſpitalitatis exemplum, 224. 2. A B C
Abſalon capillitio ſuo quaeſtum fecit, ac eodem ſuſpenſus interijt, 424. 2. D. 425. 1. B
Abſalonem cæſaries grauat, 425. 2. B
Abſalon mortem euaſiſſet, niſi intempeſtiuum honoris exhibendi ſtudium militem ab auxilio ferendo retardaſſet, 432. 2. D
Accuſans alios ſe ipſum damnat, 9. 2. C
Accuſatores Furij ſe ipſos produnt inconſultos, 10. 2. B
Adam cur poſt peccatum indutus pellibus, 14. 1. B
Adam cum vxore cur tunica pellicea indutus, 125. 1. B
Adamo vxor cur noxia, 231. 2. C
Aduerſa, ſunt Dei dona, 449. 1. D
Aduerſa ſunt pietatis verbera, 449. 2. B
Aduerſa vt filij, non vt ſerui ferre debemus, 102. 2. C
Aduerſa fiunt à charitate facilia, 138. 1. A B C
Aduerſa militant Dauidi ad liberationem, 141. 2. D
Aduerſa compellunt ad portum felicitatis, 142. 1. A
Aduerſa ſeruis Dei mutantur in proſpera, 141. 2. A
Aduerſa iuſtorum felicitatibus à Deo compenſantur, 144. 1. C
Aduerſa turbinibus comparantur, 144. 1. C
Aduerſa iuſtorum quàm felicia, 145. 2. B
Per aduerſa patet iter ad gaudia, 146. 1. B
Aduerſa nos probant. 147. 1. A
Aduerſa coniuncta ſolatijs, 147. 1. D
Aduerſa iter aperiunt ad proſpera, 147. 2. D
In Aduerſis nos Deus ſolatur, 137. 1. A
Aduerſis creſcentibus diuina creſcit conſolatio, 137. 2. D
Aduerſis iuſti recreantur, 139. 1. B.
Aduerſitas frangit imbelles animos, 50. 2. A
Aduerſitas iuſtos erigit, peccatores deprimit, 50. 2. D
Aduerſitas infula eſt capiti calamitoſi, 51. 2. A
Aduerſitas Virginis corona, 51. 2. D
Aduerſitas aurea corona, 52. 1. A
Aduerſitas nutrix virtutum, hoſtis vitiorum, 52. 2. A
Aduerſitatem pro Deo tolerans triumphat, 51. 2. B
Aduerſitates vtiles, 49. 2. C
Aduerſitates qualia conferant commoda, 50. 1. A
Aduerſitates impijs noxiæ, iuſtis vtiles, 50. 1. B
Aduerſitates pro Deo toleratæ fiunt iucundæ, 145. 1. A
Aduerſa pro Deo tolerata Dei clementiam prouocant, 311. 1. C D

INDEX RERVM

Adulatio figuli luto perſimilis, 490. 2. D
Adulatio homines in Belluas transformat, 491. 2. C
Adulatio liberos in ſeruos vertit, 492. 1. A
Adulationis damna, 491. 1. D
Adulantium mores varij, 492. 1. B
Adulationis imago Alcibiades, 492. 2. D
Adulator ſemper varius, 492. 2. C
Adulator Chamæleonti ſimilis, 491. 1. B
Adulator Proteus, 493. 1. D
Adulator ſemper magnæ fortunæ comes eſt, & perpetuum regum malum, 494. 2. C D
Adulator peſtis animæ, 495. 1. B
Adulatorum quàm deplorandum maleficium, 493. 1. D
Adulatorum effectus magici, 493. 2. C
Adulatores dum veluti Deum Herodem honorant, hic ab Angelo percuſſus interijt, 495. 2. D
Ægyptus Idolorum patria, 358. 2. D
Ægyptij quomodo creatorem pingant, 358. 1. A
Ægyptij animalia occidere crimen exiſtimabant, 359. 1. C
Ægyptij viui demerguntur, mortui ſupernatant, 322. 2. D
Æthiopes quare nigri, 439. 1. A
Æthiopes ſuorum principum imitatores perquàm ſtudioſi, 492. 1. D
Ætna ſimul niuibus rigens, & flammis æſtuans, 142. 2. D
Affectiones prauæ mactandæ, 121. 1. D
Agrippæ pro ferrea catena aurea donatur, 195. 2. B
Alcibiades monſtrum, 38. 1. D
Alcibiades cur pulcher aſpectu, vitijs deformis, 38. 2. A
Alcibiades adulationis imago, 491. 2. D
Alexander magnus Sacerdoti proſternitur, 71. 1. C
Alexander Deorum veſtem mentitur, 94. 2. D
Alexander prædo, Veſanus, 116. 2. C
Alexander à libidine vacans, ſe Deum; illi ſuccumbens, ſe hominem exiſtimat, 484. 2. B
Alexandri facinus memorabile in obſidione Niſæ, 412. 2. D
Alexandro quàm fuerit medicus fidus, 294. 2. B
Alphæi fluminis admiranda natura, 285. 1. D
Aman ad ſummos honores euectus, ſuperbia miſere torquetur, 478. 2. C D
Aman ad conuiuium vocatus ab Eſther Regina, 293. 1. D
Ambitio. Vide Superbia.
Amicitiae impudicorum inimiciſſimae, 150. 1. D
Amicitia. Vide Conſuetudo.
Amor eſt greſſus, & curſus, 25. 1. C
Amor Dei erga nos, amorem noſtrum iure depoſcit, 460. 2. B
Amor dulces facit labores & mortem, 191. 2. D
Amor homines allicit, ac Deum trahit, 380. 2. B
Amor vita hominis, 382. 1. A
Amor Diuinus quod tributum à nobis exigat, 333. 1. C
Amor Diuinus ſimilis virgae Aaronis, 383. 2. B
Amor carnalis diſſoluit nuptias cum Chriſto, 384. 2. A
Amor erga Deum Reginae Sabae, & Niniuitarum 397. 1. A
Amor vetus totum ſibi vendicat amatorem, 399. 2. C
Amori cur ara ſit excitata in Athenienſis academiae foribus, 288. 1. C
Anaxagoras veris diuitijs inhiat, 114. 2. A
Angeli ſacerdoti ſeruiunt, 71. 1. C
Angeli phialas irae Dei effundentes, cur albis induti veſtibus, 102. 1. D
Angeli ſunt inimici honoris mundani, 434. 1. A
Angelorum vrbanitas inurbanitati daemonum comparatur, 326. 1. C.
Angelorum ſinguli ordines Chriſtum ſeorſim venerantur, 376. 1. A
Angelus in veteri teſtamento ſe adorari permittens, cur non permittat in nouo, 459. 1. C
Anima orationis, ieiunium, 507. 2. D
Anima virtutibus exornata in Ezechiele depingitur, 106. 1. C
Anima tota aurita, 47. 1. A
Anima pacifica ligari non poteſt, 470. 2. C
Animus virtute praeditus diues, non arca, 107. 1. A
Animalia quaedam ex vento concipiunt, 379. 1. D
Anna Samuelis mater quod voluit, oratione elicit, 20. 2. D
Annibalis ingenioſum inuentum, 92. 1. C
Anſeres olim Dij habiti, 361. 1. B. C.
Antiochus vilem induit togam regali depoſita 94. 2. D.
Antonij pij emblema: fulmen iacens in lecto, 292. 1. A B
In anulis quidam varias heroum imagines exprimebant, 449. 2. A
Apellis effatum, 212. 1. C
Apes ſilentium nos docent, 77. 2. C
Apes ex Ariſtotele non audiunt, audiunt ex Plinio, 77. 2. D
Apes docent inanis gloriolae contemptum, 325. 2. D.
Apes fucis infeſtae, 132. 2. D
Apoſtoli mundum docturi à Spiritu Sancto docentur, 367. 1. B
Apoſtoli à Sancto Spiritu rationales in volucres commutantur, 368. 1. A
Apoſtoli Herculibus gallicis conferuntur, 369. 2. D
Apoſtoli quo vino ebrij, 371. 1. A
Apoſtoli oſſibus conferuntur, 388. 1. A
Aqua poſt annum lapideſcens, 55. 2. A
Aqua primo hauſta amara, deinde dulcis, 140. 1. D
Aqua quae dicatur inſana, & quare, 347. 2. A
Aqua referens vinum, 349. 1. D
Aquarum encomia, 354. 1. C
Aquae nonnullae obdurant in lapidem quidquid immergitur, 227. 2. D

Arabum

NOTABILIVM.

Arabum mos in eleemoſynis largiendis, 223. 2. D
Arbor morte viuens, 51. 1. A
Archytae lignea columba volans, 359. 1. D
Argenti vilitas, 119. 1. B
Aries pro Iſaac immolatus quid innuat, 142. 2. B
Artemiſia cineres coniugis condit ſepulcro pectoris, 127. 1. B
Aſa oratione hoſtes ſuperat, 498. 1. D
Aſellus quis ſit, 444. 2. C
Aſini primogenitus cur oue mutandus, 142. 1. C
Aſini primogenitum cur Deus in ſacrificio cum oue iuſſerit permutari, 401. 2. C
In aſino & boue cur non arandum, 507. 1. B
Athenienſes cur aram ignoto *Deo* conſtruxerint, 100. 1. B
Auaritia morbus immedicabilis, 116. 1. B
Auaritia veſania, 116. 2. D
Auaritia ſtultum facit Nabal, 117. 1. B
Auaritia febris, 117. 1. D
Auaritia ſtulta, 117. 2. *D*
Auaritia excæcat, 118. 2. A
Auaritia ſola cauſa damnationis, 188. 2. D
Auari mendicitas, 118. 1. B
Auari Epulonis ſtultitia, 118. 1. D
Auari vilitas, 119. 1. B
Auari ligati, 118. 2. D
Auarus ſtultus, quia aliena putat ſua, 118. 1. B
Auarus nullius, imò nec ſuus eſt, 111. 2. D
Auarus concupiſcendo omnia amittit, 114. 2. B
Auarus fingit ſibi diuitias, 115. 1. D
Auarus Midas minimè fabuloſus, 115. 2. B
Auarus in abundantia ſe inopem arbitratur, 116. 1. D
Auaro copia rerum morbus eſt, non opulentia, 116. 1. D
Auarus non poſſidet, ſed poſſidetur, 117. 2. A
Audacia filiorum Heli, 5. 1. A
Auguria veterum ridenda, 37. 1. C
Auguſtus moriens mimum ſe egiſſe teſtatur, 86. 2. C
Auri foſſores fiunt auro concolores, 229. 1. C
In auro laqueus, 118. 2. *D*

B

BAAL Sacerdotes acerbè laborantes nihil impetrant, 26. 1. C
Baal prophetæ à *Deo* cur non auditi, 500. 2. D
Babylonij infirmos ſine medico quomodo curent, 299. 2. B
B. Baſilio Athenienſis vrbs vitijs plena, ſchola virtutum fuit, 285. 1. C
Beatorum patria terra viuentium cur dicatur, 273. 2. C
Bello puniceа veſte Lacones vtebantur, 393. 1. A
Belluarum vilitas, 14. 2. C
Benedicti XI. ſumma in pontificatu humilitas, 300. 1. C
Beneficentia Principis virtus, 63. 2. B
Beneficentia erga homines maxima *Dei* gloria, 67. 1. D
Beneficentia in *Deo* neceſſaria, 68. 1. D
Beneficentia diuina nobis imitanda, 69. 1. A
Beneficentiæ diuinæ ſol præclarum ſymbolum, 182. 2. B
Beneficia augent benefacientem, 462. 2. B
Beneficium tacens ingratus, 63. 1. *D*
Beneficus in alios, ſibi benefacit, 69. 1. A
Beroſi ſtatua habens linguam auream, 465. 2. B
Bloſij Cumani improba cum Tito Braccho neceſſitudo, 445. 1. D
Bona temporalia inſtabilia, 26. 1. B
Bona contrarijs oppoſita ſiunt manifeſtiora, 58. 2. B
Bona temporalia mendacia, 86. 1. D
Bona mundi dum florent, defloreſcunt, 87. 1. C
Bona fortunæ, ſepulcra, 108. 2. *D*
Bona huius vitæ minimè bona, 117. 2. D
Bonis ſecularibus detineri puerile eſt, 281. 2. C
Bonitas miſericordiæ parens, & germana, Deum potentem facit. 182. 2. A
Bonus Latro fortior in cruce quàm in fauce, 145. 1. *D*
In Boue & Aſino cur non arandum, 507. 1. C
Bos quis ſit, 444. 2. C
Brachium, & cor ſibi reſpondent, 37. 1. C
Braſilienſes muſica ad Deum conuertuntur, 370. 1. B

C

CADAVERA vt cremarentur quomodo flamma excitabatur, 384. 1. C
Cæli portæ Chriſto redeunti laxandæ fuerunt, 463. 2. D
In caelo falsò feræ collocatæ, 356. 2. *D*
Caelum falsò Semidies, & Heroibus refertum, 356. 2. A B C
Caelum inacceſſum Herculi propter feras, 357. 1. B C
Cælum innumeris Dijs oneratum, non ornatum à Romanis, 361. 2. C
Cæſar à purpura proditur, 433. 1. B
Caeſaris Germanici cor cremari non potuit, 388. 1. C
Caini & Abelis cordium diſſimilitudo à manibus dignoſcitur, 35. 1. D
Cain ſe ipſum morte damnat, 126. 1. A
Cain ideò peccator, quia non timuit, 438. 2. B
Calamitas infelix benedictionis parens, 139. 2. C
Calamitas dulcem facit Chriſtiani vitam, 140. 1. C
Calamitas virtutum diſciplina, 162. 1. *D*
Calamitas pietatis magiſtra, 162. 2. D
Calamitas mortalium mentes caeleſtibus imbuit diſciplinis, 163. 1. D

INDEX RERVM

Calamitas diuini amoris erga nos index, 163. 1. A
Per calamitates ad Dei Arcam, atque ſecuritatis aſylum facile tranſimus, 164. 2. D
Calamitatibus eruditur Chriſtiana mens, 163. 1. A
Calamitatibus humanus animus ad æternitatem nutritur, 164. 1. D
Calamitatibus patefit amor erga nos Cæleſtis Patris, 165. 1. B ibidem 2. B
Calamitatum ſpinis non laceramur, ſed defendimur, 164. 2. A
Calamitatum aquæ diuini amoris in nobis flammas accendunt, 165. 2. D
Caleb & Ioſue magis clari ſodalium timore, quam ſua virtute, 446. 2. B
Caligula Hiſtrionum Imperator, vel Imperatorum Hiſtrio, 94. 1. D
Caligulæ ob aſſentationes ſtultitia, 494. 1. C
Candela inextinguibilis ex Cardano, 235. 1. A
Canis in Apulia ſæpe ingeminans: Deus meus, 356. 1. A
Capilli, Vide Coma.
Caput aureum benè conſentit cum luteis pedibus in ſtatua Nabuchodonoſor, 303. 1. B
Caracallæ nummi hypocritæ, 92. 1. A
Carneades alta voce clamans in Academia, vt demiſſius loquatur monetur, 21. 2. C
Carnis afflictio, ſacrificium iuſtitiæ, 122. 2. B
In carnis conuerſatione nil niſi mortuum, 125. 1. A
Carnis corruptela integerrima puritatis diſciplina ſæpius eſt, 287. 2. D
Carnium eſum cur Deus permiſerit, 360. 2. C
Caro noſtra ſcelerum ſchola, virtutum ſæpe eſt magiſtra, 185. 2. D
Caſtitatis præcipuum exemplum in Ethnico Rege, 188. 2. B
Caſto principe nil praeſtabilius, 484. 1. D
Caſtus pulchrior fit integritate, 228. 1. C
Cedareni miſerrimè viuunt, 230. 2. D
Cenſor planè cæcus, 6. 1. D
Centurio ex ſermone Diuinitatem Chriſti cruci affixi cognoſcit, 237. 2. A.
Centurio licet Ethnicus perfectae fidei abſolutum exemplar, 286. 2. B
Centurionis largitas filij ſanitate compenſatur, 222. 1. D
Ceruorum proprietas, 326. 2. A
Chamaeleon animantium Hiſtrio, 91. 1. B
Chamaeleonti quinam ſimiles, 91. 1. C
Chami libido nec aquis diluuij reſtringuitur, 439. 2. C
Charitas virtus virtutum, 168. 1. D
Charitatem ergà proximum nos docet natura, 68. 2. D
Charitatis praeceptum cur à Chriſto nouum dicatur, 213. 2. B
Charitatis diuinae præceptum nunquam veteraſcit, 213. 2. D
Chiroboli orientis qui, 383. 2. D
Chriſti opera eius diuinitatem oſtendunt, 36. 1. A
Chriſti deſcenſus fuit aſcenſus hominis, 457. 1. D
Chriſti humanitas grano ſinapis adumbrata, 448. 1. C
Chriſti firmitas noſtram extulit infirmitatem, 457. 2. C
Chriſti Incarnatio Iridi ſimilis, 458. 2. C
Chriſti Incarnatio Deum abiecit, hominem extulit, 458. 2. D
Chriſti Incarnatio. Vide Incarnatio.
Chriſti ſanguis purpura animae, 121. 1. B
Chriſti latus, quaſi vitae oſtium lancea apertum, 144. 2. D.
Chriſti diuinitas miſerando elucet, 185. 1. B
Chriſti gratiae plenitudo linguae donum, 237. 1. C
Chriſti diuinitas proditur per eius ſermonem, 237. 2. B.
Chriſti humilitati quanta correſpondeat gloria, 307. 2. D
Chriſtianus ſtabilitur tormentis, 30. 1. C
Chriſtiani milites precibus pluuiam impetrant, 440. 1. D
Chriſto redeunti caeli portae laxandae fuerunt, 463. 2. D
Chriſto baptizato cur caeli pateſiant, 353. 2. B
Chriſto per crucem ſublato multi pro illo loquuntur, 168. 2. D
Chriſto ad caelum aſcendenti Angeli gratulantur, 375. 2. C D
Chriſtum Angelorum ſinguli venerantur, 376. 1. A
Chriſtus ab oratione vires ſumit in horto, 17. 2. A
Chriſtus cur matre petente, reſponderit filijs, 19. 1. C
Chriſtus Rex quia Redemptor, 64. 2. D
Chriſtus flori & virgae confertur, 68. 1. B
Chriſtus eſt pecunia pauperis, 114. 1. B
Chriſtus per paſſionem maior effectus, 464. 1. B
Chriſtus aſcendens à Caeli portis non capitur, 464. 1. A
Chriſtus obiurgans Virg. Mariam tunc maximè diligit, 99. 2. B.
Chriſtus cur dicatur butyrum, & mel comediſſe, 138. 1. D
Chriſtus pietatem erga Matrem in cruce exhibens ſe Deum oſtendit, 181. 2. C
Chriſtus orantis Paradiſus, 205. 2. A
Chriſtus in templo diſcipulus ſimul ac Magiſter, 212. 2. A
Chriſtus cur ſuper Ieruſalem fleat, 291. 2. C
Chriſtus paſſionis ſuae ſordibus ornatior, 298. 1. B
Chriſtus vulneribus ſpecioſus 298. 1. D
Chriſtus à Deorum numero à Romanis cur ſit excluſus, 362. 2. A
Chriſtus modeſtiae ſimulacrum, 406. 1 A
Chriſtus vnam impudicitiam Samaritanae detegens, ei ſimul omnia ſcelera detegit, 482. 1. C
Circe venefica, 11. 1.

Cœna-

Cœnaculum ad docendum peropportunum, 367. 2. B.
Coma Nazaræorum Corona, 415. 1. B
Coma Abſalonem grauat, ac ſuſpendit, 425. 2. D
Concordia ſeruorum Dei dæmonem fugat; 391. 2. B
Concordia ſola Dæmoni terrorem incutit, 392. 1. C
Concordia in Adami coſta, ex qua Eua formata fuit, adumbratur, 392. 1. D. 2. C.
Concordia hoſtes falluntur. 393. 1. B
Concordia intima vigente, bellum non timendum ab exteris, 393. 2. C.
Ex Concordia vnanimi ſecuritas & fiducia, 394. 1. C
Concordibus viris non pertimeſcenda ferarum rabies, 392. 2. D.
Confeſſio Sacramentalis ingenti voluptate pœnitentem perfundit, 196. 1. C
Conſcientia hominis inſcrutabilis, 35. 1. C
Conſtantini ſolium admirabile, 451. 1. A
A Conſuetudine proborum integritas, 228. 1. D
Conſuetudo ſceleſtorum maximum malorum, 227. 2. D
Conſuetudo ſceleſtorum trahit reluctantem, 228. 1. A
Conſuetudo proborum quantam vim habeat, 228. 2. D
Conſuetudo inita cum improbis, virtutis colorem immutat, 229. 1. D
Conſuetudo peccantium ignis vorans, 230. 1. A
Conſuetudo peccatoris, iuſtum facit alieni criminis reum, 230. 1. D
Conſuetudo peccatorum in ſcelera agit præcipitem, 230. 2. B
Conſuetudo cum peccatore cogit nolẽtem vt peccet, 230. 2. C
Conſuetudo malorum quàm pernicioſa, 232. 1. D
Conſuetudo peccatorum etiam Sanctis vitanda, 233. 2. C
Conſuetudo peccatorum confertur cuidam machinæ militari, 234. 1. D
Cor ab operibus patet, 35. 2. B
Cor non diſſonat à moribus, 36. 2. C
Cor & brachium ſibi inuicem reſpondent, 37. 1. C
Cor impurum ab aſpectu deprehenditur, 39. 2. D
Cor Germanici Cæſaris cremari non potuit, 388. 1. C
Cor hominis ob peccatum Deo mortuum, cur inter Sancti Spiritus flammas non reuiuiſcat, 388. 1. D
Cor mutum Deus non audit, 500. 1. D
Cor perdere quid ſit, 503. 1. C
A corde mundo vera voluptas, 88. 1. C
Cordis ſecreta oculis & facie deteguntur, 37. 1. D ibidem 2 D
Cordis, & oculorum conſonantia. 38. 1. D
Cordis terra excolenda, 109. 2. B
Cordis humani lapideſcentis miſeria, 227. 2. C
Cornelia pro theſauris filios ſuos oſtentat, 183. 1. A
Corona ex quercu quibus à Romanis dabatur, 67. 2. B
Corona triumphanti ex quo conflabatur, 219. 2. C
Coronarum prima fuit ex hedera, 87. 1. A
Corpus virtutum Schola, ac Spiritus domicilium, 285. 1. B
Crucis amaritudo Chriſtianæ perfectionis ſuauitate dulceſcit, 193. 1. D. ibidem 2. B C
Crux pro regio inſigni S. Paulo, 120. 2. B
Crux neruus orationis, 507. 2. C
Curioſorum horrenda pœna, 5. 2. C

D

DÆMON primus falſorum Numinum præco, 366. 1. D
Dæmon à ſeruorum Dei concordia ſuperatur, 391. 2. B
Dæmon noſtram ſolam concordiam pertimeſcit, 392. 1. C
Damnati ipſi non ſunt damnandi, 7. 1. A
Daniel auditus à Deo ex quo ſe afflixit, 505. 2. D
Dauid humilitate Regni ſtabilitatem conſequitur, 302. 1. C
Dauid humilitate euaſit mortem, & veniam impetrauit, 309. 2. C
Dauid humilitate Deum placat, 310. 2. D
Dauid humilis ſimul & ſuperbus. 325. 1. A
Dauid regis reſpuit ornamenta, 333. 1. A
Dauid ſitiens, & non bibens non laude dignior Philippo Nerio amphoram vini apprehendente, & bibente, 345. 1. C
Dauid pacis amator tartareos hoſtes profligat, 391. 1. D
Dauid armatus modeſtia, vincit omnia, 407. 2. C
Dauid clamans per diem non exauditur, 502. 1. D
Dauid à libidine vincitur, 489. 1. D
Dauid orauit poſtquam inuenit cor ſuum, 502. 2. D
A Debito abſolutus plura debet, 63. 2. D
Debris fons nocte feruens, Die frigens, 58. 1. A
Dei beneficentia in homines, 64. 1. B
Dei vox maximè operatrix, 77. 1. B
Dei amor erga nos, amorem noſtrum iurè repoſcit, 460. 2. B
Dei deſcenſus fuit aſcenſus, 457. 1. D 462. 1. D
Dei voci obediendum, 239. 2. A
Dei miſericordia magna, & parua, 293. 2. D
Dei immenſitas, 352. 1. C D
Dei firmitas noſtram extulit infirmitatem, 457. 2. C
Dei prouidentia in ſe quærentes abſquè vlla ſollicitudine de rebus ſuis, 397. 1. A
Deliciæ vini hominis ſepultura, 127. 1. D
Deo feſtus dies ſalus humana, 68. 2. B
Deo ignoto cur ſit ara conſtructa ab Athenienſibus, 100. 1. B & 361. 2. A
Deo nullum nomen tam proprium, quàm hominum miſereri, 184. 2. D

INDEX RERVM

Deo perexigua quæcunque Templa, cui Templum eſt Mundus, 352. 2. B
Deo Templū erigendum in noſtro corde, 352. 2. B
Deæ Cloacinæ origo, 361. 2. A
Deorum cultores eorundem ſcelerum imitatores, 364 1. A
Deorum præco primus Dæmon fuit, 366. 1. D
Deorum triginta millia Græci numerauerunt, 360. 1. C
Deos colore ſtultitia maxima, 362. 1. A B C D
Deſertum. Vide Solitudo.
Detractores Dæmonem in ore ferunt, 372. 2. D
Deum iratum cur Dauid ambiat, Iob refugiat, 101. 1. C
Deum miſereri decet, quia Dominus eſt, 184. 1. C
Deum timere voluptas maxima, 179. 1. C
Deum loquentem non audire, crimen immane, 239. 2. C
Deum videre cupienti, non tam oculis, quàm pedibus opus eſt, 396. 2. A
Deus ſibi iudicium reſeruat, 6. 1. B
Deus flagellando viuificat, 49. 2. D
Deus neſcit quieſcere, niſi nobis benefaciat, 64. 2. C
Deus vendens, pretium recuſat, 65. 1. C
Deus donando lucratur, 65. 1. D
Deus magna erga nos dona, minima æſtimat, 65. 2. C
Deus hominibus benefaciens exonerat ſe, 65. 2. D
Deus ſe ipſum reficit beneficia largiendo, 66. 1. C
Deus donat, quaſi debeat, 66. 2. D
Deus hominibus proſpiciens exaltatur, 67. 2. D
Deus non poteſt non benefacere, 68. 1. B
Deus benefaciens reſpirat, 68. 2. B
Deus concupiſcendus, in quo eſt vera felicitas, 90. 2. C
Deus vlciſcens propitius eſt, 100. 2. C
Deus inſtar Apis ex amaris elicit dulcia, 101. 2. B
Deus viſitat cum percutit, 101. 2. D
Deus flagellans viſitat, infenſus miſericors eſt, 102. 1. A
Deus nullum peccatum diſſimulans, gaudium nobis debet afferre, 103. 1. A
Deus ſe formidabilem exhibens aperit aditum ad Cælum, 103. 1. D
Deus ex alienis vulneribus medicamentum nobis conficit, 104. 1. C
Deus vulnerans medetur, 104. 2. A
Deus cur pios cædat, impijs blandiatur, 104. 2. B C D
Deus vult hoſtias viuas in Sacrificio, 120. 2. D
Deus inſtar Atlantis, 461. 1. A
Deus inſtar palmæ, 461. 1. A
Deus inſtar Antæi, ex deiectione Incarnationis maior aſſurgit, 462. 1. B
Deus demiſſione maior euadit, 463. 1. B.
Deus verus Alchimiſta, 452. 2. A
Deus noſtræ animæ vita, 126. 1. D
Deus quò grauius percutit, eò blanditur ſuauius, 137. 1. C
Deus noſter, Deus eſt extremarum calamitatum, 137. 2. A
Deus blandus ſimul, & ſæuus, 138. 2. D
Deus Iuſtorum recreatio, ſupplicium Reorum, 138. 2. D
Deus noſter, Deus eſt afflictorum, 139. 2. D
Deus venator, 151. 2. A
Deus Pater miſericordiarum appellari voluit, 182. 2. D
Deus à data ſalute agnoſcitur, 183. 2. B
Deus ità ſua nobis communicat, vt maiora ſemper communicanda remaneant, 214. 1. B
Deus & anima quibus linguis colloquantur, 238. 2. C
Deus maximè iraſcitur, cum miſeretur, 294. 1. C
Deus tripliciter eſt Deus paruulorum, 301. 2. D.
Deus humilitatis Magiſter, 305. 2. D 327. 2. D
Deus cur pepercerit Ciuitati Niniue, 309. 2 D
Deus, niſi alijs omnibus ſeciuſis, amari non poteſt, 402. 1. D
Deus eſt auditor cordis, non vocis, 503. 1. C
Diabolus hominem oppugnat, 57. 2. C.
Diabolus nolens iuuat, 57. 2. C
Diana lapides minax, & blanda apparebat, 22. 2. D
Dies hominis cur menſurabiles, 84. 2. D
Dignitas terrena arundini comparata, 281. 1. C
Dignitates præcelſæ puluis ſunt, 325. 1. D.
Dignitatibus ſeculi minimè fidendum, 281. 1. A B
Dij propemodum infiniti à Romanis culti, 360. 2. A
Dij apud Barbaras gentes, 362. 2. D
Dij hominibus ignobiliores, 362. 1. B C
Dijs hominum cæde ſacrificia fiebant, 363. 1. D
In diluuio cur Deus non miſerit pluuiam totam vno die, 439. 1. D
A Dinæ libidine quàm plurima mala exorta, 482. 2. B
Diſſidia ſolùm inter calamitates Eccleſia deplorat, 393. 1 D
Diſſidij expers Michael cum fidelibus Angelis de rebellibus Deo Spiritibus triumphat, 394 2. C
Ex Diſſidio hoſtium parta Romanis victoria, 394. 1. C.
Diues ex ipſa opulentia anguſtiatur, 426. 2. D
Diuinæ naturæ cum humana vnio planè admirabilis, 450. 1. C.
Diuinæ naturae cum humana vnio glutino Spiritus Sancti confecta, 450. 1. D
Diuinitas creuit per humilitatem, 463. 2. A
Diuinitas fermento adumbrata, 448. 1. B
Diuites huius ſeculi nunquam locupletantur, 107. 2. C
Diuites egent, 112. 2. A
Diuitiæ illaqueant, & ſtrangulant, 25. 1. D
Diuitiæ onus & periculum, 87. 1. D.
Diuitiæ viles, inſidiæ, ſomnia, fallaces, 88. 1. A
Diuitiæ fabula, fumus, onera, 88. 1. B C
Diuitiæ mendaces, 90. 2. D
Diuitiæ calcandæ vt poſſideantur, 112. 1. B

Diui-

Diuitiæ ſunt in diuitiarum contemptu, 113. 1. C
Diuitiæ veræ, nempe virtutes expetendae, 113. 1. D
Diuitiae inſidiae, 116. 1. A
Diuitiae catenae Diaboli, 118. 2. C
Diuitiae viles, 119. 1. B
Diuitiae plenae periculis, 119. 2. B.
Diuitiae tribuunt nobilitatem, 184. 1. D
Diuitiae in vnum coactae pereunt, in pauperes diffuſae creſcunt, 223. 1. D
Diuitiae mentem grauant, & implicant, 425. 2. B
Diuitiæ pauperibus erogatæ multiplicantur, 223. 2. B
Diuitiae mentem angunt, 426. 1. B
Diuitiae quò magis creſcunt, eò magis illarum creſcit anxietas, 426. 1. D
Diuitiae fragili nituntur fundamento, 427. 1. A
Diuitiae potentiſſimum Daemonis telum, 428. 2. B
Diuitiarum fugacitas à Beliſario cognoſcitur, 107. 2. C
Diuitiarum ſectatores pauperrimi, 111. 2. A
Diuitiarum vitia quæ dicantur, 111. 2. C
Diuitiarum amor ſemper valentior, 116. 1. A
Diuitiarum damna non ſolùm improbos, ſed probos etiam afficiunt, 427. 2. D
Diuitiarum ſub pondere Abraham gemit, 428. 1. B
Diuitias erogando efficimur diuites, 110. 2. C.
Diuitias contemnens plusquàm homo, 114. 1. C
Diuitijs nunchus remittendus, 119. 2. B
A diuitijs quanta pernicies, 429. 2. A
Diuitiis tutum conſilium, 426. 2. B
Diuitum duo genera, 110. 1. D
Diuitum egeſtas in obſidione Hieroſolymae, 112. 2. B
Doctoris Chriſtiani laus eximia, ſcire vt diſcat, non vt doceat, 215. 2. A
Dolores augentur ad gaudium, 145. 2. D
S. Dominicus Loricatus à conuiuijs excruciatur, 345. 1. A

E

ECCLESIA cur areæ praeferatur, 15. 2. D
Eccleſia multis calamitatibus agitata, ſolum filiorum diſſidia deplorat, 393. 1. D
Eccleſia eſt area habens frumentum, & paleas, 447. 1. A
In eccleſia ex belluis homines fiunt, 15. 2. A
Eleazarus ab elephante necatus, ſuo ſepelitur triumpho, 472. 1. B C
Eleemoſyna rei familiaris amittendæ timorem arcet, 224. 1. D
Eleemoſyna ſemen eſt quod ſparſum multiplicatur, 223. 1. A
Eleemoſynarum largitio genus quoddam negotiationis eſt, 224. 1. B
Eleemoſynae elargiendæ Arabum mos, 223. 2. D
Eleemoſynæ reddunt largitorem ditiorem, 222. 2. D
Eleemoſyna. Vide Largitas.
Elephas Eleazarum necat, 472. 1. B
Elephanti homo lapſus aſſimilatur, 459. 2. D
Elephantis capiendi ratio, 459. 1. B.
Elephantis gratitudo, 459. 2. B
Elias orans ſtatim exauditur, 26. 2. A
Elias mortuus ſimul, ac viuus, 123. 2. A
Eliae oratio cur exaudiatur, 501. 1. B.
S. Eliſabethae reuelatio, 506. 2. D
Eloquentia Euſtathii mira, 370. 2. B
Elymas & Simon Magus cur diuerſimodè ſint puniti, 101. 1. A
Elſearius mortuus viuit in Chriſti latere, 123. 1. C.
Ephrem Syri admirandum exemplum, 286. 1. C
Epicuri aſſeclae eius ſimulacrum in annulo ferebant, 449. 1. D
Epicuri ſchola grex porcorum, 149. 1. B
Epulo quia bona recepit cruciatur, 293. 1. B
Epulonis ſtultitia, 148. 1. D
Equi generoſitas à Deo deſcripta, 57. 1. C
Equorum multiplicatio prohibetur Iſraelitis, 232. 1. A
Eremus. vide Solitudo,
Eſther cur corruat ante regem, 37. 2. A
Eſther regalium veſtium ornatum faſtidit, 342. 1. D
Eſther veſtium luxum deteſtans, haud ſanctior Iudith ſe pigmentis, & veſtibus exornante, 342. 2. D
Euſtathij mira eloquentia, 370. 2. B
Ezechias oratione à periculis liberatur, 20. 2. B

F

FABRITII Romani diues paupertas, 113. 2. A
Ex facie animi pulchritudo dignoſcitur, 39. 2. B
Facies cordis praeco & ianua, 39. 1. D
Facies conſcientiae index, 36. 1. B
Falſitas opinionis humanae circa quæ ſit, 91. 1. D
Falſitati opinionis non fidendum, 91. 1. C.
Falſitati opinionis fidens ſit eſca Daemonis, 91. 1. D
Fames iuſtos non vexat, 113. 1. B
Famis tempore pauperes abundant, 113. 2. D
Familiaritas. Vide Conſuetudo.
Felicitas plus timenda quàm miſeria, 293. 1. D
Felicitas peccatoris cur fumo comparetur, 294. 2. D
Felicitas mundi ficta, 90. 2. B
Felicitas mundana volaticum ludibrium, & luteum lucrum, 280. 1. D
Fenellae Iuuentum mirum & dirum, 119. 1. C.
Ficulnea cur Domini maledicto areſacta, 293. 2. A

Ficus dum rigatur deteriorem fructum parit, 292. 2. C.
Fidei ſcuto inimicorum tela retunduntur, 170. 1. B.
Fidei opera ex belluis in homines, imò Reges reducimur, 170. 2. A
Fidei virtutum principatus debetur, 171. 1. D.
Fides caeleſtis ſponſæ dos eſt, 168. 2. C
Fides bonorum omnium fons, 168. 2. D.
Fides imperium donat, 169. 1. C
Fides cæleſtium donorum parens, 169. 1. C
Fides animorum ſecuritas, 171. 1. A
Fides humani cordis primogenita, 171. 2. B
Fides animæ panis, 171. 2. D
Fides pupilla mentis, 171. 2. D
Fides operum omnium perfectio atque character, 172. 1. B
Fides Muſeo ex margaritis conpacto aſſimilatur, 172. 2. A
Fides redditcaſtam animam, ac *Dei* ſponſam, 400. 2. *D*
Filius prodigus ſolo parente contentus, 401. 1. *D*
Flamma potentiſſimum inſtrumentum ad animas commouendas, 380. 2. *D*.
Flamma quomodo excitaretur in antiquorum cadaueribus comburendis, 384. 1. C.
Fœminæ maximè tacendum, 373. 2. B
Fœminæ quaedam meretricij mercedem *Dijs* offerebant, 487. 1. C
Fons *Phenei*, 54. 2. A
Fons *Debris* die frigens, nocte feruens, 58. 1. A
Fons Dodonæus accendit faces extinctas, 135. 2. A
Fons quidam oleo ſcaturiens ſolùm ignaris patet, 403. 1. *B*
In Fonte Aponi viri & mulieres ſimul ſtare non poſſunt, 155. 2. *D*
Fontes auriferi qui ſint, 354. 2. A
Fontium calidorum mira vis, 135. 2. A
Fontis in Theſſalia mira natura, 443. 2. C
Fontis Soli ſacri prodigium, 443. 2. *D*
Fornicatio à quibuſdam fœminis, vti ſacrificium *Dijs* offerebatur, 487. 1. C
S. Franciſcus ſola modeſtia concionatur, 409. 2. *C*
Furij accuſatores ſe produnt inconſultos, 10. 2. B

G

GALBA imperio infelix, 414. 1. A
Galenus ex furore moderationem diſcit, 289. 1. C.
Gallus cantare ſolitus hæc verba, Papa Leo, 356. 1. A
Garamantes non ducunt vxores, 80. 2. C
Gaudia mundana laruæ ſunt, 281. 2. *D*.
Gaudia impellunt ad labores, 147. 1. B.
Gemmæ Opali deſcriptio, 44. 1. C
Gemmæ Hexecontalithon, Pandia, Opalus obedientiæ ſymbola, 44. 1. A
Geraſeni dum Chriſtum à finibus egredi cupiunt humiles ſe ſe oſtendunt, 296. 2. *D*
Gigantum in cælum inanis conatus, 150. 1. A
Gloria mundana figura, & ſcenica perſona, 280. 2. A B
Gloria maxima ſublimium eſt, ſe ſe ſubmittere, 330. 2. C
Gloria mundana bonorum operum prædatrix, 479. 2. B
Gloriae humanae cupidus latro, 299. 1. A
Gloriolae humanae contemptum docemur ab apibus, 325. 2. B
Graeci deorum triginta millia numerabant, 360. 1. C
Gratiae Chriſti plenitudo, linguae donum, 237. 1. C
S. Gregorio Nazianzeno Vrbs athenienſis vitijs referta, ſchola virtutis fuit, 285. 1. C

H

HEDERA ab haerendo dicta, 87. 1. B
Hedera patientiae ſymbolum, 133. 1. A
Hederam inngere flamini Diali, 87. 1. B
Ex hedera Bacchi corona, 87. 1. C
Ex hedera prima corona, 27. 1. A
Heli filiorum audacia 5. 1. A
Hennetti Regis inopina mors, 119. 1. C
Hephæſtiorum montium ignea teda tactorum prodigium, 387. 1. A
Herbae lunaris mira proprietas, 343. 1. B.
Herculis laudator cur reprehenſus, 17. 1. B
Herculi cœlum inacceſſum propter feras, 357. 1. B C
Herodes dum ambit honores indebitos, ab Angelo punitur, 433. 2. B
Herodes ob ſuperbiam, à vermibus viuus conſumitur, 477. 1. B
Herodes dum honoratur vt Deus ab adulatoribus ab Angelo percuſſus interijt, 495. 2. *D*
Hexecontalithon gemma 44. 1. B
Hypocritae ſymbolum ſtruthio 346 2. D
Hypocritae ſtulti, quia videri volunt quod negligunt eſſe, 347. 1. *D*
Hypocritae maximè ſe detegunt cum ſatagunt ſe abſcondere, 347. 2. C
Hypocritae Hiſtriones, 348. 1. B
Hypocritae ventum ſtringunt, & vndas, 348. 2. A
Hypocritae ſe ipſos dilacerant ac diſcerpunt, 348. 2. B
Hypocritae vita ridicula, 349. 2. B
Hypocritarum miſeria, & labor, 349. 2. C D
Ab Hypocriſi giganteae audaciae Inſania, 349. 1. A
Homo ferus migrat in belluam, 12. 1. D
Homo duplici ſepultura miſer, 84. 1. C
Homo non peccans ſolùm rationis compos, 15. 1. A

NOTABILIVM.

Homo fabula, 82. 2. C
Homo pertranſit in imagine, 91. 2. D
Homo non ſolùm mendax, ſed mendacium, 92. 2. B.
Homo cur vltimo loco creatus ſit inter omnia, 108. 2. B
Homo creatus à Deo diues, 108. 2. D.
Homo lapſus elephanti aſſimilatur, 459. 1. A
Homo lapſus per Incarnationem erigitur, 460. 1. B
Homo pretioſus Deo; ſibi vilis, 460. 2. D
Homo homini lupus, 226. 2. C
Homo ſolus errabat in colendo Deo, 356. 1. B
Homines mundi perſonati, 90. 2. B
Homines ſolùm ſibi mutuò nocent, 231. 1. D
Hominis praecellentia 14 2. B
Hominis vita fabula, 82. 2. C
Hominis dies cur menſurabiles, 84. 2. D
Hominis ingrati animi vitium, 460. 2. A
Hominis mira compoſitio, 450. 1. B
Hominem naſci, & conteri idem, 85. 2. D
Honor & exitium ſecum copulantur, 434. 1. B
Honor mentem Sancti Petri obcaecat, 434. 2. D
Honor ſimilis ſcenae, 435. 2. B
Honor ſimilis figurae, 435. 2. D
Honores fallaces, viles, inſidiae, ſomnia, 88. 1. A
Honores fabula, fumus, onera, 88. 1. B C
Honores mundi ludicra deliramenta puerorum, 280. 2. D
Honores dum ambit Herodes ab Angelo punitur, 435. 2. B
Honoris mundani Angeli ſunt inimici, 454. 1. A
Honoris infelicitas, 434. 1. D
Honorum verè bracteata felicitas, 435. 2. A
Honorem ambientes ſunt nautae imperiti, 435. 1. B
Honore digniſſimus, qui ſe in honorem Dei deijcit, 299. 2. D
Honorum cupidi viles atque abiecti, 327. 1. A
Honoribus, & dignitatibus ſeculi fidendum non eſt, 281. 1. A B
Hoſpitalitas in pauperes theſaurus ingens, 225. 1. A
Hoſtia viuens quæ, 121. 1. C
Hoſtia viua Deo offerenda, 120. 2. D.
Hoſtia viuens qui moritur peccatis, & viuit virtuti, 121. 1. D
Humanitas grano ſinapis adumbratur, 448. 1. C
Humanitas Chriſti creuit per humilitatem, 463. 2. D
Humilitas ſola via extollendi homines, 464. 2. D
Humilitas ſumenda de propria præſtantia, 298. 2. B
Humilitas honorata virtus rara, 300. 1. B.
Humilitas ſumma Benedicti XI. in Pontificatu, 300. 1. C
Humilitas via ad honores, 302. 2. A
Humilitas Liæ habet patrocinatorem Deum, 313. 1. A
Humilitas meretur amplexus Dei, 303. 2. B
Humilitas per mulierem amictam Sole ſignificatur, 303. 2. D.
Humilitas Aſæ Patris benedictionem meretur, 304. 1. D
Humilitas à peccati labe mundat, ornatque, 304. 2. A
Humilitas arcanorum Dei cognitionem parit, 305. 2. D
Humilitas compendioſa ad cælum via, 306. 2. B
Humilitas nardo exprimitur, 300. 1. D
Humilitas facit Deum è Rege amicum, 310. 2. A
Humilitas Deum placat, 311. 1. A
Humilitas hominem à morte liberat, 311. 2. C
Humilitas calamitatis hoſtis, 311. 2. D
Humilitas tribuit immunitatem à periculis, 312. 1. B
Humilitas dat fortitudinem, 312. 2. A
Humilitas viduæ Sarephtanæ ſibi tribuit mortem filij, 312. 2. C
Humilitas facit videre, & videri à Deo, 313. 1. D
Humilitas reddit hominem ab inimicis ſecurum, 313. 2. C
Humilitas fideliſſima ad Deum ducit, 317. 1. A
Humilitas via ad regnum cæleſte, 317. 1. C
Humilitas beata lætitia, 317. 2. B
Humilitas noua ſublimatio ad gloriam, 317. 2. D
Humilitas Chriſtum exaltat, 317. 2. D
Humilitas corona, 318. 1. C
Humilitas à præſtantia animi oritur, 329. 2. D.
Humilitas nobilium virtus, 330. 1. B
Humilitas probatio diuinitatis, 331. 2. B C D
Humilitas ex hominibus facit Deos, 332. 1. A B D
Humilitas ſemper cùm magnitudine animi, 332. 2. A
Humilitas animorum eſt nobilium, non ſeruilium, 332. 2. D
Humilitas teſſera mentis inuictæ, 333. 2. B
Humilitas iniqua quænam, 333. 2. D
Humilitas principum glorioſa, 462. 2. D
Humilis Dei iram vertit, 313. 2. D
Humilis comparatur tumulo Moyſis, 313. 2. A
Humilis diuina videt, 306. 1. C
Humilis à Deo præfertur terræ magnatibus, 307. 1. D
Humiles præferuntur à Deo Angelis, 307. 2. A
Humiles Dei Contubernales, & fortiſſimi, 314. 2. D
Humiles Dei familiares, 315. 1. A
Humiles peccatores à Chriſto excepti, 315. 1. B
Humiles Dei principes, 316. 2. C
Humilitatis Magiſter eſt Deus, 327. 2. D
Per humilitatis ima penetratur ad cælum, 316. 1. B
Humilitatis Magiſter eſt Deus, 305. 2. D
Humilitati Beatæ Virginis cæteræ eius virtutes tributariæ ſunt, 465. 1. A
Humilitati tribuitur Pauli conuerſio, 304. 2. C

Humi-

Humilitati Chriſti quanta correſpondeat gloria, 307. 2. D
Per humilitatem Diuinitas & humanitas creuit, 463. 2. A
Ad humilitatem egregia adhortatio, 465. 2. C
Humilitate David Regni ſtabilitatem conſequitur, 302. 1. C
Ab humilitate inſignis fides promanat 305. 1. C
Humilitate David euaſit mortem, & veniam impetrauit, 309. 2. C
Humilitate nobilis creſcit, 330. 1. D
Ab humilitate maximum Decus, 331. 1. D
Humilitate David Deum placat, 310. 2. D
Ab humilitate libertas maior, 414. 2. A
Humilitate Ignobilis ſpectandus, 326. 1. D
Humilibus bona temporalia effuſa communicantur, 302. 1. A B
Humilium latebræ luce illuſtriores, 313. 1. A
Humilibus bona gratiæ largitur Deus, 303. 2. B
Humilibus conferuntur bona gloriæ, 306. 1. D

I

IACOB merito de Laban conqueritur, 8. 1. C
Iacob melior inter malos, quam inter bonos, 444. 1. B
Iactantia hominum illuſtrium ridenda, 90. 1. C
Iaſon Theſſalus percuſſus in vlcere, incolomis redditur, 104. 1. D
Idolorum patria Ægyptus, 358. 2. D
Ieiunium fortem iuſtum reddit, 31. 1. A
Ieiunium ſine miſericordia palmam non tenet, 187. 1. C
Iephte & Abrahami ſacrificium comparatum, 413. 1. C
Ignis elementorum princeps Chriſtianæ Symbolum perfectionis, 300. 2. C D
Ignis Spiritus Sancti inextinguibilis, 381. 1. D
Ignis Spiritus Sancti perficit omnia, 381. 2. C
Ignis ſepulcrum vniuerſi, 383. 1. A
Ignis ſpecie cur venerit Sanctus Spiritus, 376. 1. B
Igne cur omnia diuina adumbrentur, 376. 2. D
Impij Onagris dormientibus comparati, 12. 1. C
Impij. Vide Peccatores.
Impudica mulier vipera, 151. 1. B
Impudicitia clamat in cælum, 151. 1. D
Impudicitia. Vide Libido.
Impudici cor diabolicum, 155. 1. B
Impudicorum amicitiæ inimiciſſimæ, 150. 1. D
Incarnatio hominem extulit, & Deum depreſſit, 458. 2. D
Incarnatio humilitate Deum ſublimiorem effecit, 461 1. B
Incarnatio aurea fibula, 448. 2. B
Incarnatio ſimilis ſtatuæ Apollinis, miro modo coaleſcentis, 449. 1. A
Incarnatio à gemino artifice elaborata, à Patre æterno, ac Matre, 449. 1. C D
Incarnatio confertur cum Iride, 458. 2. D
Incarnatio hominem lapſum erexit, 460. 1. C
Incarnationi confertur Polignoti pictura, 461. 2. A
Indi quidam reciſas ſibi linguas idolis ſacrificabant, 374. 1. A
Infirmi cui omnia conceduntur deſperata ſalus, 294. 2. A
Ingenij humani luſus, & docilitas, 45. 2. C
Ioannes ſilentij filius, 78. 1. B.
Ioannis cum Chriſto comparatio, 445. 2. B
Ioãnis Baptiſtæ cur caput fuerit abſciſſum, 306. 2. D
Ioas Rex cur diuinos ſibi honores arrogarit, 73. 2. A
Iob præclarum ſapientiæ exemplum, 273. 1. D
Ionas verus negotiator Dei, 109. 1. C
Ionæ ſuper caput cur hedera aſcenderit, 135. 1. B
Ioſeph cum fœdari videtur, Integrior, 9. 2. B
Ioſeph cur in Beniamin ſacco Scyphum abſconderit, 100. 1. D
Ioſephi ærumnæ felici clauduntur euentu, 144. 1. B
Ioſeph in Ægypto angelicæ puritatis doctor, 112. 2. D
Ioſeph cur ſimul vir, & iuuenis appelletur, 112. 2. D
Ioſeph ſeruus magnanimus, & Rex humilis, 297. 2. D
Ioſeph cur à fera peſſima deuoratus dicatur, 479. 1. D
Ioſue magis clarus ſodalium timore quam ſua virtute 446. 2. B
Iouis ſimulacrum cur ſine auribus, 21. 2. A
Ira excitans ad bene faciendum amanda eſt, 103. 2. C
De Iride conſideratio pulchra, 458. 1. D
Iſaac per obedientiam à morte eripitur, 413. 2. C
Iſraëlitæ carnes ſuſpirant, carnibus abundantes, 116. 1. C
Iſraëlitæ cur fuerint prohibiti equos multiplicare, 232. 1. A
Iſraëlitæ pro vilibus pretioſa accipiunt, 144. 1. A
Iſmaëli à matre abiecto ſubuenit Deus, 310. 1. B
Iudas cur vocetur Amicus, & Petrus Satan, 395. 1. C
Iudas non timet cæteris Apoſtolis timentibus, 441. 2. A
Iudæ præſentia tempeſtatis cauſa, 234. 1. A
Iudæi cur tot beneficijs à Deo affecti, 292. 2. D
Iudex quàm ſapiens eſſe debeat, 4. 2. D
Iudex quàm oculatus debeat eſſe, 8. 2. B
Iudex ſit erroris expers, Templum, Sacrarium, Ara, 9. 1. A
Iudex quis, 9. 1. C
Iudex temerarius eſt fur impudens, 10. 1. C
Iudicans temerè Dei victimam calcat, 5. 1. C
Iudicans temerè, pedibus non capite iudicat, 5. 1. A
Iudicans alios ſe reum facit, 7. 1. D
Iudicans alios Iehu zelo agitur, 7. 2. C
Iudicans alios cur ſtultus, 10 1. D

Iudi-

NOTABILIVM.

Iudicando de virtutibus quàm multi errent, 95. 2. A
Iudicandum eſt cautè etiam de ſceleſtiſſimis, 7. 1. C
Iudicantium de alijs inſania, 8. 1. D & 11. 1. A
In iudicante quanta debeat eſſe circunſpectio, 5. 2. C
In iudicante integritas requiritur, 7. 2. D
Iudicium ſibi *Deus* reſeruat, 6. 1. B
Iudicium inſanum vulgi de Pompeio, 9. 2. A
Iudicium inſanum temerariorum, 10. 1. B
Iudith cum fœdatur integrior, 9. 2. B
Iudith virtutibus locuples Deo. 107. 1. C
Iudith præclarum exemplum ſolitudinis, 270. 1. B
Iudith mundo muliebri ſe concinnat, 342. 2. B
Iudith cur ſecundo ictu caput Holopherni amputarit, 472. 2. C
Iugum Chriſti ſuaue, ipſo Chriſto iuuante, 195. 1. A
Iugum onerat bones, & leuat, 195. 1. C
Iugum Chriſti licet onus, non onerat ſed leuat, 195. 1. D
Iugum Chriſti aureum, ornat non onerat, 195. 2. C
Iulianus apoſtata, à Nazianzeno greſſu, & geſtu dignoſcitur, 38. 1. A B
Iuppiter amore fœminæ in brutum tranſit, 12. 2. A
Iuſtitia humana iniuſta, 297. 1. A
Iuſtitiæ diadema è iuſtitia componitur, 219. 2. D
Iuſtus ſolùm verus homo, 13. 2. D
Iuſtus cur oui conferatur, 28. 2. D
Iuſtus à ieiunijs & laboribus fortis, 31. 1. A
Iuſtus diues in Deo, 107. 2. A
Iuſtus viuit mortuus, 120. 1. C
Iuſtus moritur mortuus, 122. 1. D
Iuſti ab aduerſis vires requirunt, 30. 1. A
Iuſti vineæ, olori, & lyræ aſſimilantur, 30. 1. D
Iuſti electro, magneti, auro perſimiles, 31. 2. *D*
Iuſti cur à Deo cædantur. 104. 2. B C D
Iuſti in dextera parte collocandi, dextrariola ſortientur, 107. 1. D
Iuſti Dei nummarij, 109. 2. A
Iuſti peccatoribus obumbrantur, 446. 2 C
Iuſti vexati maioribus augentur beneficijs, 144. 2. A
Iuſti in plateis, & vitiorum frequentia perfectiores ſunt, 285. 2. C
Iuſti mens altare, 122. 2. C
Iuſtus aurum, adamas, mons, miles armatus, 30. 1. C
Iuſtorum iter voluptuoſum, 192. 1. C
Iuſtorum mens à mundo ſciuncta, ſolitudo eſt, 266. 2. D
Iuſtis nil carius quàm viuere mortuos 123. 1. B
Iuſtis nil accidit quod ſiniſtrum haberi debeat, 145. 1. A
Iuſtis aſperitas laborum in amœnitatem tranſit, 194. 1. D

L

LABIA ſonantia, & cor mutum non audit Deus, 500. 1. D
Labiorum vituli *Deo* non offerendi, 504. 2. B
Labor fortem iuſtum reddit, 31. 1. A
Labor vires parit, 32. 2. D
Labor delectabilis feruentibus, durus remiſſis, 33. 1. B
Labor animos roborat, firmat, & nutrit, 33. 2. B
Labor bonorum omnium gloria, 275. 1. C
Laborantes à Chriſto reficiuntur, 32. 2. *D*
Laborantibus plura bona ſpondentur, 274. 2. D
Laborantibus datur in terris beatitudo cæleſtis dũ reliquis ſpondetur, 275. 2. D
Labore parta, ſumma iucunditate plena ſunt, 275. 2. B
Labore vires roborantur, 32. 1. C
In labore requies, & delectatio, 32. 1. B
Laborem patienti Deus præſto eſt, 31. 1. C
Labores ſequitur gaudium, 143. 1. A
Labores coronant, 273. 2. A
Labores alæ ſunt ſeruis Dei, 275. 1. A
Labores gaudia pariunt ſeruis Dei, 273. 2. D
Labores proſunt Chriſtianæ perfectioni, 277. 1. C
Labores ſtrennè tolerantium exempla, 277. 2. D
Labores pro Chriſto tolerati ſuaues, 196. 1. *D*
Labores dulces amanti, 191. 2. D
Laboribus quies ſuccedit, 145. 2. C
In Laboribus etiam, ſerui Dei cæleſtem ſuauitatem experiuntur, 276. 1. B
Laborum patientia cur ſuperna voluptate copuletur, 276. 2. D
Lac B. Virginis melle ſuauius infantulo Ieſu, 138. 2. B
Lactè cur loti ſint oculi ſponſæ cæleſtis, 6. 2. B
Lacones punicea veſte bello vtebantur, 393. 1. A
Lacryma ſcelerum faces extinguit, lumen virtutis accendit, 132. 1. B. 135. 1. D
Lacryma conſcientiæ aculeo peccatorum fucos repellit, 132. 2. A
Lacryma peccati mors, peccatoris vita, 133. 1. A ibidem 2. B. *C.*
Lacryma animæ vitam reddit, eamque ad terram promiſſionis reducit, 134. 1. C
Lacryma *Dominicæ* Paſſionis vicaria, 134. 2. *D*
Lacrymari homines à Chriſto ſunt docti, 133. 2. C
Lacrymarum naufragio non abſorbentur animæ, ſed viuificantur, 131. 1. B.
Lacrymæ vitiorum naufragium, 130. 2. C
Lacrymæ diluuium, 131. 1. D
Lacrymæ animam fœcundant, 131. 2. D
Lacrymæ extinguunt tela dæmonis, 132. 1. C
Lacrymæ infantium indices humanæ miſeriæ, 134. 1. A
Lacrymis noſtra corda reformantur, 134. 2. B
Lacrymis rigatæ virtutes reuireſcunt, 131. 2. C
Lacus inſaniens quis, & cur, 350. 1. A
Lapides non nulli aqua reſperſi accenduntur, accenſis iniecti carbonibus extinguuntur, 135. 1. C

Largi-

INDEX RERVM

Largitas in pauperes egregia diuitiarum tutrix, 221. 2. B
Largitas Chriſtiana Patrimonium auget, 222. 1. A. B. C
Largitas Centurionis filij ſanitate compenſatur, 222. 1. D
Largitas in pauperes lucrum eſt, 222. 2. A
Largitor quod pauperibus donat non deperdit, 225. 2. B
Latro bonus ex anteactis latrocinijs cælum furari didicit, 288. 2. D
Laudis ſacrificium Deus expoſcit, 63. 2. C
Leo cur ſemper victor, 49. 1. C
Leo ſolus cur non timeat, 499. 1. A
Leo mitis migrat in hominem, 12. 1. D
Leo dum editur in lucem matrem lædit, 323. 2. B
Lex Chriſti quò ſublimior antiqua, eò etiam eadem ſuauior, 192. 2. B
Lex Dei perfectis faſciculus, imperfectis faſcis, 193. 1. B
Lex noua, Lex amoris, antiqua importabilis 380, 1. A
Lex antiqua quia data, durior; lex noua quia facta, ſuauior, 194. 2. C
Liberalitas perfecta quæ, 63. 2. D
Libido clamus eſt, 154. 1. D
Libido Chami nec aquis diluuij extinguitur, 439. 2. C
Libido fons vberrimus vitiorum, 481. 1. D
Libido in 5. Ægypti plaga adumbratur, 481. 2. C
Libido animi peſtis, 481. 2. D
Libido *Dinæ* quàm plurima mala parit, 482. 2. B
Libido dum à Chriſto Samaritanæ detegitur, omnia illi ſcelera deteguntur, 482. 1. C
Libido Salomonem trahit ad Idololatriam, 487. 1. A
Libido *Dei* memoriam à templis aufert, 487. 2. B C
Libido hæreticos à vera religione traduxit, 488. 1. C
Libido hæreſum omnium origo, 488. 2. B
Libido Sampſonem ſuperat, & Dauidem, 489. 1. C D
Libido quae pariat damna, 489. 2. B C D
Libido dum poſſidet Magdalenam, eam omnium criminum efficit ream, 484. 1. C
Libido facit homines viles, 484. 2. B
Libido inferorum incendijs coërcenda, 484. 2. D
Libidinoſi athei. 488. 2. D
Libidinoſus ſuperbus, 483. 2. A
Libidinoſus ſanguinarius, 483. 1. C
Libidinoſus guloſus, 483. 2. D
Libidinoſus deuiat à vera fide, 487. 2. B
Libidinoſus monſtrum capite hominem, pedibus piſcem referens, 486. 1. D
Liæ humilitas habet patrocinatorem Deum, 313. 1. A
Ligni cuiuſdam in ferrum mutatio, 219. 2. A
Ligonibus regna poſtbabentur à viris illuſtribus, 333. 1. C D
Lingua diuinitatis teſtis, 241. 1. C
Lingua iuſti credentium cordibus verba æternæ vitæ inſcribit, 241. 1. D
Lingua cæleſti donatus, vir ſapiens, & diuinus, 241. 2. D
Lingua à Deo inſtructa inſtrumentum eſt ad quæuis ardua peragenda, 242. 1. A
Lingua bene compoſita Abrahamum Dei principem conſtituit, 242. 2. D
Lingua ſapiens hominem miſerijs educit, diuinitate donat, 243. 2. B
Lingua de Deo loquens iudex eſt hominis regenerati in Chriſto, 243. 2. D
Lingua de Deo loquens oſtendit Chriſtum cæli dominum eſſe, 244 1. C
Lingua abſciſſa nonnulli locuti ſunt, 368. 2. A
Lingua ignea veritatis inſigne, 371. 1. B
Lingua cordis ſecreta patefacit, 373. 1. B
Lingua horologij indici comparatur, 373. 1. D
Linguam moderari opus diuinum, 78. 1. A
Linguam gubernare ſolius *Dei* donum, 242. 1. D
Linguam chriſtianè moderari virtus eſt præſtantiſſima, 245. 1. C
Linguam diuiſam populi nonnulli ſortiti, 396. 1. D
Linguarum gubernator *Deus*, 241. 2. B
Linguas ſibi reciſas Idolis Indi ſacrificabant, 374. 1. B
Linguæ cuſtodia ſanctitatis mater, 78. 2. C
Linguæ quanta ſit adhibenda cuſtodia, 78. 1. A
Linguæ donum Chriſti gratiæ plenitudo, 237. 1. C
Linguæ igneæ cur ſupra diſcipulorum capita inſederint, 366. 2. D
Linguæ ſanctorum à Sancto Spiritu afflantur, 368. 2. C
Linguæ Deorum Babylonijs quæ, 382. 2. D
Lot deficiens à bonorum conſortio mutatur in alterum, 229. 1. A
Lot non ſulphuris ſed mulierum flamma vritur, 489. 2. C
S. Luciani modeſtiæ vis magna, 409. 1. C
Luxuries, Vide Libido.
Luxurioſi æternis addicendi ſupplicijs, 153. 2. A C
Luxurioſi cruciabuntur acerbius quam alij damnati, 154. 1. A
Luxurioſis, & hæreticis par pœna, 153. 2. C
Luxurioſus ſibimet ipſi patibulum, 152. 2. C
Luxurioſus confertur cum pyrite lapide, 155. 1. D
Luxurioſus confertur cum equis Heracleæ, 155. 2. B

M

MACHINAE militaris admirandum genus, 234. 1. C
Magdalena Chriſtum audiendo *Deum* agnoſcit, 238. 1. B
Magdalena in ciuitate peccatrix, in ſolitudine cæleſtem ducit vitam, 267. 2. C
Magdalena Deum quærens, nec ab Angelis detineri poteſt, 399. 2. C.

Magda-

Magdalena quia libidinoſa omnium ſcelerum rea, 484. 1. C
Magdalenam cur Angeli interrogent: quid ploras? 145. 2. C
Magiſter & diſcipulus eſt, qui ſapientiam cæleſtem inuenit, 112. 1. D
Malum culpæ magis lacrymis proſequendum quàm pœnæ, 146. 2. A
Manaſſes orans exanditur, 20. 2. A
Maria Virgo Dei ſolium, 451. 1. B
Maria Virgo locus, domus, Sedes Dei, 451. 2. B
Maria Virgo ſcala cæleſtis, 451. 2. D
Maria Virgo Mediatrix, 452. 1. B
Maria reconciliatrix, 452. 1. B
Maria locus pacis ſtabiliendæ, 452. 2. C
Maria officina reconciliationis, 452. 2. D
Maria Arcæ ſimilis, 452. 2. D
Maria plantatio roſæ, 453. 1. C
Maria aceruus tritici lilijs vallatus, 453. 1. C
Maria Cælum nobiliſſimum, 453. 1. D
Maria Paradiſus voluptatis, 453. 1. D
Maria Sol clariſſimus, 453. 2. A
Maria caſtrorum acies, 453. 2. B
Maria liber incomprehenſus, 453. 2. B
Maria aula Deitatis, 453. 2. C
Maria compendium pulchritudinis, 453. 2. D
Maria ſola omnium beatorum merita ſuperat, 454. 1. A
Maria magnes trahens Diuinitatem, quomodo illi vim intulerit, 454. 2. A
Maria inuentrix gratiæ, Genitrix vitæ, Mater ſalutis, 455. 2. B
Maria Virgo cur prius gratia plena, & poſtea Spiritu Sancto repleta dicatur, 353. 2. C
Maria Virgo omnes ſe amantes accendit, 376. 1. A
Maria Virgo cur ab Eccleſia, fidelis ſit nuncupata, 400. 2. C
Mariæ Virginis humilitati cæteræ eius virtutes tributariæ, 465. 1. B
Mariæ Virginis vterus Caenaculum, 451. 1. D
Mariae Virginis praeclarum ſymbolum, 451. 2. D
Mariae Virginis ſanguis, & lac materia Alchimiae, 452. 2. B
Mariae vterus hortus concluſus, 453. 1. B
Maria Virgo vnico actu, nimirum Incarnationis aſſenſu, omnium Beatorum merita ſuperauit, 454. 1. D
Mariae Virgini omnipotentia Diuina fuit obſtetricata, 454. 2. D
Ex Mariae Virginis vtero, tanquam è Paradiſo, Deus egredi nolebat, 454. 2. C
Mariae Virginis lac, melle, & lacte ſuauius infantulo Iesu, 138. 2. B
Mariae in fratrem Moyſem impiae obtrectationes, 343. 1. D
Mariam Virginem Chriſtus obiurgans, tunc maximè diligit, 99. 2. B
Per Mariam Deus ad nos deſcendit, & nos ad Deum aſcendimus, 455. 2. B
Medici fides in Alexandrum Macedonem, 294. 2. A
Mel quia voluptatis ſymbolum, à Sacrificijs reiectum, 436. 2. A
Mendacij fabricatores quinam, 93. 2. D
Mendacium aliud prolatum, aliud apprehenſum, 92. 2. C
Mens humana vinea eſt, 30. 2. C
Mens iuſti Altare, 122. 2. C
Michael quia diffidij expers de rebellibus Deo Spiritibus triumphat, 394. 2. C
Midae votum, 115. 2. C
Eiuſdem pœnitentia & odium diuitiarum, ibidem D
Milites ignaui ſtrenuis permiſcendi, 446. 1. C
Milites Nabuchodonoſoris labore confecti, 320. 2. C
Milites Chriſtiani cur Legionis fulminatricis nomen habuerit, 440. 1. D
Militum magna calamitas, 321. 1. B C D
Mimus humanae vitae, 82. 2. A
Miſer ex beato miſerrimus, 295. 1. A
Miſerando maximè elucet Incarnati Verbi Diuinitas, 185. 1. B
Miſeratio crudelis quaenam ſit, 204. 2. C
Miſeratione prae alijs omnibus gloriatur Deus, 184. 2. D
Miſereri hominum, nomen Dei proprium, 184. 2 D
Miſereri aliorum opus verè Diuinum, 189. 1. B
Miſericordia Deum nobilitat, 182. 1. C
Miſericordia maieſtatis regiae thronus eſt, 183. 2. C
Miſericordia magis Chriſtum Deum declarat, quàm tot ab eo tormenta tolerata Diuinitatem negare valebant, 185. 2. C
Miſericordia Diuinorum miraculorum maximum, 185. 2. D
Miſericordia homini ad Diuinitatem aditum aperit, 186. 1. D
Sine miſericordia ieiunium palmam non tenet, 187. 1. C
Miſericordia Regina virtutum, 187. 1. D
Miſericordia ſcala eſt ad Dei ſolium, 187. 2. A
Miſericordia facit hominem alterum Deum, 187. 2. D
Miſericordia in alios eſt opus diuinum, 188. 1. D
Sine miſericordia nec virginitas, nec charitas Deo placet, 188. 2. B
Miſericordia Dei magna & parua, 295. 2. D
Miſericordiae germana Bonitas Deum potentem facit, 182. 2. A
Miſericordiae theſauros Chriſtus oſtendens in Cruce, Rex gloriae agnoſcitur, 183. 1. C
Per miſericordiam ad Dei communicationem acceſſum habemus, 188. 1. B
Miſericors Deo aequiparatur, 186. 2. D
Miſericors non homo ſed Deus exiſtimatur, 189. 2 D
Modeſtia populos munit ad pugnam, 408. 1. C
Modeſtia ſemideos nos efficit, 405. 1. A
Modeſtia ſimilis adamanti, 407. 1. B

Modeſtia ſimilis *Arcæ* Noë, 407. 1. D
Modeſtia *D*auid armatus vincit omnia, 407. 2. C
Modeſtia virtutum maxima, 408. 1. D
Modeſtia Chriſtianorum teſſera, 408. 2. *D*
Modeſtia plurimum poteſt apud Deum, 409. 1. B
Modeſtia *S*. Franciſcus concionatur, 409. 2. C
Modeſtiae deſcriptio, 405. 1. C
Modeſtiae ſimulacrum Chriſtus eſt, 406. 1. A
Modeſtiae color colorum pulcherrimus, 406. 1. *C*
Modeſtiae facies adamantis pulchritudinem refert, 406. 2. *C*
Modeſtiae etymologia, 408. 1. D
Modeſtiae *S*. Luciani vis magna, 409. 1. C
Ob modeſtiam Nicolaus III. vocatus compoſitus, 409. 2. C
Montes metallis diuites quinam, 342. 1. *A*
Montium Hephaeſtiorum mira natura, 387. 1. *A*
Mors Ozeae, 9. 1. B
Mors iuſto cara, 121. 2. B
Mortificatio ſepulcrum, 121. 2. B
Mortificatio Martyrium, 121. 2. C
Mortificatione ſenſuum corpus fit hoſtia, 123. 2. D.
Mortuos plorantes, plorandi, 130. 1. *D*
Mortuus mundo caeli municeps, 122. 1. B
Mortuus mundo mortis trophaeum fert, 122. 1. C
Motus vis mira, 50. 2. C
Moyſes à populi furore oratione liberatur, 2. 2. *C*
Moyſes in rubo imaginem *Dei* videt, 103. 2. B
Moyſes *Deum* per vocem agnoſcit in rubo, 236. 2. *D*
Moyſis ad Deum clamor, 239. 1. B
Moyſes orantibus Aaroni, & Mariae vt Sephoram dimittat, non paret, 343. 2. *C*
Moyſes ab Ægyptijs *Deus* habitus, 358. 1. B
Moyſes quomodò ſolus ad Deum clamet, 502. 2. B
Moyſes cur ſolus aſcendat montem, 504. 1. C
Mulier impudica vipera, 151. 1. B
Mulieres ob venuſtatem inuenuſtæ, 347. 2. *D*
Mulierum conſortia vitanda, 384. 1. A
Mundi ficta felicitas, 90. 2. A
A mundi conſuetudine longè ſit, qui Deo propior eſſe deſiderat, 167. 2. B
Mundi res quò magis creſcunt, eò celerius ad ruinam feſtinant, 282. 2. B
Mundi mira conſonantia, 450. 2. B
Mundus totus mendacium, 87. 2. A
Mundus Hiſtrio, 95. 2. D
Mundus deſerendus à cupiente ad Deum habere aditum, 167. 1. B
Mundus ſemper vt puer mutatur, 282. 2. C
Mundus vniuerſus punitus eſt, 327. 1. B
Munuſculum viduæ in Gazophilacio ditiſſimum, 108. 1. D
Muſica Braſilienſes ad Deum conuertuntur, 370. 1. B
Muſicæ vis ad animos permouendos, 370. 1. C

N

NABAL ſtultus quia auarus, 117. 1. B
Nabuchodonoſor ex homine bellua, 36. 2. A
Ex bellua in hominum, Ibidem, B & 93. 1. *D*
Nabuchodonoſoris milites labore confecti, 320. 2. C
Nabuchodonoſor flectitur à tribus pueris de Deo loquentibus, 374. 1. A
Nabuchodonoſorem ſuperbia in feram conuertit, 477. 1. C
Natura humana veluti ferrum auro diuinæ naturæ ligatum, 452. 1. C
Naturæ *D*iuinæ cum humana vnio *S*piritus *S*ancti glutino confecta, 450. 1. D
Naturæ diuinæ cum humana vnio planè admirabilis, 450. 1. *C*
Nazaræorum coma corona, 415. 1. B
Nero hiſtrionem agit, 95. 1. C
Nero tandiu bonus, quàndiu vſus bonorum conſuetudine, 228. 2. A
Neronis crudelitas vnde orta, 332. 1. A B
Nicolaus III. ob modeſtiam vocatus compoſitus, 409. 2. C
Niniuitarum purus in Deum affectus, 397. 1. A
Noë pius inter impios, 146. 1. D
Nutrices infantibus olim proſpera omnia peroptabant, 273. 1. B

O

OBEDIENS fit Angelus, homo, *A*quila, Bos, 44. 2. D
Obediens debet eſſe inſtar ceræ, 45. 1. C *D*
Obediens fiat paruulus, 45. 1. D
Obediens valet quod vult, 411. 2. D
Obedienti iugum fit monile, 47. 1. C
Obedientia mare Æneum, 42. 2. A
Obedientia clauus crucifigens, 42. 2. B
Obediens virtutum mater, & cuſtos, 45. 2. C
Obedientia filia humilitatis, 42. 2. D
Obedientia vitam dat, 43. 1. *A*
Obedientia origo bonorum omnium, 43. 1. B
Obedientia facit electos, 43. 1. D
Obedientia cum Hexecontalitho, Pandia, Opalo gemmis comparatur, 44. 1. A
Obedientia compendium virtutum, 44. 2. A
Obedientia coronat ſtellis Abrahamum, 46. 1. C
Obedientia eripit à periculis, 46. 1. D
Obedientia quanti facienda, 47. 1. D
Obedientia Iſaac à morte eripitur, 413. 2. D
Obedientia donat Cælites felicitate, 414. 1. B
Ab Obedientia triumphus, 42. 2. B
Ab Obedientia exaltatio Chriſti, 45. 2. D
Obedientiæ ſymbola Cherubini, 43. 2. *A*
Obedientiae typus ex Ezechiele, 44. 2. C
Obedientiae praemium virtutum omnium datur, 46. 2. C

Obedi-

Obedientiae laudes, 412. 2. B
Obedientiam nos docent creaturæ ſenſu carentes, 47. 2. D
Oculi ſponſae caeleſtis cur loti lacte, 6. 2. B
Oculi feneſtrae mentis, 36. 1. C
Oculi animi cuniculi, 37. 2. C
Oculorum & cordis conſonantia, 38. 1. D 39. 1. C
Oculus criticus iuſtum proterit, 5. 1. D
Oculus cordis nuncius, 37. 2. B
Oculus videt, cor peccat, 39. 1. B
Opali gemmae deſcriptio, 44. 1. D
Opera bona, Dei mercimonium, 65. 1. B
Orans Æterno Verbo fruitur, ſi ſe ſibi furetur, 201. 2. A
Orans Dei templum efficitur, 201. 2. D
Orans ſuauiter Deo canit, 203. 2. A
Orans ſemper vt in Transfigurationis monte Dei gloriam contemplatur, 203. 2. C D
Orans vt Dei gloriam aſpiciat, nil terrenum videre debet, 205. 1. D
Orans mente praecurrit in cœlum, 205. 2. B
Orans intrat in gaudium Domini, 205. 2. B
Orantes cur aliquando non exaudiantur, 22. 1. B
Orantis in corde aures Dei ſunt, 21. 2. A
Orantis Paradiſus Chriſtus eſt, 205. 2. A
Orantium contemplatio lectus eſt ſuauiſſimus, 204. 1. D
Oratio poteſt quod vult, 17. 1. C
Oratio addit vires Chriſto in horto, 17. 2. A
Oratio cohibet Dei iram, 17. 2. C
Oratio vincit omnia, 17. 2. D
Oratio vincit omnipotentem, 18. 1. C
Oratio omnia poteſt, 18. 2. B
Oratio vim facit Deo, 18. 2. D
Oratio vires quaſlibet conterit, 19. 1. B
Oratio hominem Deum facit, 19. 2. C
Oratio eſt propugnaculum, 21. 1. A
Oratio animae robur, 21. 1. D
Oratio opus Diuinum, 21. 2. D
Oratio inanis quae, 22. 2. B
Oratio remedium malorum omnium, 200. 1. C
Oratio deſertum in Caelum transformat, 200. 1. D
Oratio mentis conuiuium, 200. 2. B
Oratio facilè nos introducit ad Cœlum, 200. 2. D
Oratio iuſti Deo gratior, quàm Angelicus concentus, 201. 1. B
Oratio iuſti Cœli clauis, 201. 2. B
Oratio leuamen omnium humanæ vitæ calamitatum, 202. 1. D
Oratio cithara, 202. 2. B
Oratio vinum eſt cor hominis lætificans, 202. 2. D
Oratio humanæ vitæ vnicum medicamentum, 203. 1. A B C D
Oratio lætitia & exultatio animæ dilectæ Deo, 204. 1. B
Oratio ſomnus eſt ſenſus abducens à terrenis, 204. 2. B C
Oratio iuſti ſuauiſſima cum Deo confabulatio, 205. 1. A
Oratio portus, & antidotum ægritudinum, 205. 1. B
Oratio Eliæ cur exaudita, 501. 1. B
Oratio vt valida ſit ſecretum amat, 505. 2. B
Oratio ab antiquis ſiebat expanſis in modum Crucis manibus, 506. 1. D
Oratio delicati viri frigida, 508. 2. B
Orationes ſunt arma contra hoſtes, 497. 2. C
Oratione Aſa ſuperat hoſtes, 498. 1. D
In oratione tacendum, 499. 2. D
In oratione ſtandum inſtar rei ante iudicem, 506. 2. C
Oratione expugnatur Deus, 19. 2. A
Poſt orationem in lecto non recumbendum, 508. 2. B
Orationis vis mira, 20. 1. A B C D & 21. 1. C
Orationis miracula, 20. 2. A
Orationis vis à peccatis adimitur, 22. 1. D.
Orationis ſolius viatico Paradiſus inuenitur, 201. 1. C
Orationis duplex genus, 204. 2. D
Orationis conditiones optimæ ſolitudo, & ſilentium, 500. 1. A
Otioſus à Chriſto non reficitur, 32. 2. C
Otium vires deterit, 32. 1. D
Otium onus eſt, 32. 2. D
Otium vires, & ſpiritum frangit, 33. 1. D
Ozeæ mora, 9. 1. B

P

PACE chriſtiana ſolùm fruitur qui vulneribus aſſueſcit, 257. 2. D
Pace tartareos hoſtes Dauid profligat, 391. 1. D
Pace ſponſa hoſtibus ſit metuenda, 391. 2. D
Pacifica anima ligari non poteſt, 470. 2. C
Pacis bellatricis præclarum ſymbolum, 256. 1. B
Palatium dignum Deo, ab Abrahamo conſtruitur, 143. 1. D
Paludis Alcyoniæ profunditas, 40. 1. B
Pandiæ Gemmæ proprietas, 44. 1. B
Pati pro Deo beneficium ingens, 178. 2. C
Patienti pro Chriſto, Chriſti gremium lectulus, & dextera puluinar, 136. 2. C
Patientia præclara corona, 144. 1. B
Patientia conſolationis Mater, 246. 2. C
Patientia inuulnerabilis, 246. 2. A
Patientia munitus non conteritur calamitatibus, 247. 1. C
Patientia clypeus, 247. 2. A
Patientia armata Chriſtiana pietas gloriatur in pœnis, 248. 1. A
Patientia locus proprius in bello militi Chriſtiano 248. 1. C
Patientia Chriſtianæ militiae hoſtes frangit, 248. 2. B
Patientia haſta inimicum tranſuerberans, 248. 2. C D
Patientiae Chriſtianae Imago, 249. 2. A
Patientia Dei alumna, 249. 2. B

INDEX RERVM

Patientia virtutum Regina, 249. 2. C D
A patientia Deus fortitudine magnus dicitur, 249. 1. C D
Patientia coronat, 273. 2. D
Patiens pro Chriſto Angelis felicior, 274. 1. D
Patiens pro Chriſto in hac vita, cæleſti beatitate fruitur, 274. 2. A B
Patientia laborum cum ſuperna voluptate copulatur, 276. 2. D
Patientiam labores exempla, 277. 2. D
Patientia laborum Iſaac ludo confertur, 277. 1. A
Paulinus in collato honore demiſſior, 297. 1. C D
Paulus tunc humilior, cùm glorioſior, 299. 2. B
Paulus in vinculis gloriatur, 472. 1. D
Pauperes Chriſti locupletiſſimi, 107. 2. C
Pauperes abundant, 112. 2. A & D
Pauperes quanta digni reuerentia, 117. 1. C
Pauperis manus Chriſti gazophylacium eſt, 225. 2. C
Paupertas clauis ferrea theſauri cæleſtis, 112. 1. D
Paupertas diues Fabritij Romani, 113. 2. A
Pax chriſtiana fundamentum Religionis, & armatura cæleſtis, 256. 1. A B D
Pax Chriſtianorum bellatrix, non imbellis, 255. 2. D
Pax Chriſtiana non niſi bello paratur, 257. 1. A B
Pax Chriſtiana ſecuritas inter certamina, 257. 1. D
Pax iuſtorum bellando conſeruatur, 258. 2. B C
Pax chriſtiana patientia, & charitate protecta, inter mortis anguſtias inconcuſſa ſtat, 259. 1. B C
Peccans excuſandus, non iudicandus, 5. 2. A
Peccator canis, & Sus, 11. 2. C
Peccator inter bruta à Deo reponitur, 12. 1. B
Peccator limus, 14. 2. D
Peccator ſeminanti ſimilis, 37. 1. B
Peccator pauper, 108. 2. C
Peccator mortuus, 120. 1. C
Peccator confertur Cicadæ, 125. 2. A
Peccator ſibi carnifex, 125. 2. C
Peccator deflendus vt mortuus, & ſepultus, 126. 2. D
Peccator corpore viuus, corde mortuus, 127. 2. B
Peccator à culpis, quaſi à feris ſæuientibus trucidatur, 128. 1. D
Peccator præſepultus & præmortuus meritò vocatur, 128. 2. A
Peccator peccatorum limo adhaerens fit ferreus, 229. 2. D
Peccator Onocrotalo ſimilis, 319. 2. C
Peccator Ericij inſtar ſuis laceratur aculeis, 319. 2. D
Peccator ſimilis prægnanti, ac parturienti, 323. 1. C
Peccator quomodo euaginet gladium contra Deũ, 441. 1. B
Peccatores in belluas quaſque degenerant, 11. 2. C
Peccatores à Dæmone durè tractantur, 26. 2. D
Peccatores mare vitreum, 36. 1. D
Peccatores deformes quaſi belluae, 93. 1. B
Peccatores inter cadauera recenſentur, 128. 1 C
Peccatores præcipites ruunt vt torrens, 128. 1. D
Peccatores nocentiores feris, 232. 2. D
Peccatores inter caſtè viuere non hominis eſt ſed Dei, 228. 2. C
Peccatores infecto aëri comparantur, 233. 1. C
Peccatores leproſis ſimiles, 234. 2. B
Peccatores candelæ inextinguibili conferuntur, 235. 1. B
Peccatores cur opibus affluant, 295. 2. D
Peccatores peccato mortui, oſſibus ſimiles, quomodo ad vitam reuocentur, 386. 1. D
Peccatores verè ſerui, 415. 1. C
Peccatores ſpe periclitantur, 440. 1. B
Peccatores inter innocenter viuere diuinæ virtutis eſt, 445. 2. D
Peccatorum via obſcura, 24. 1. C
Peccatorum via lutoſa & lubrica, 24. 2. B
Peccatorum via minimè iucunda, 25. 1. D
Peccatorum quantus ſit labor, 223. 2. A
Peccatorum tripudium ſaltui confertur eorum, qui in Apulia ab arancis morſi ſunt, 25. 2. B
Peccatorum via compedita & tortuoſa, 26. 1. A
Peccatorum via ſpinis, & tribulis ſepta, 28. 2. D
Peccatorum vita ludicra fabula, 83. 1. C
Peccatorum viua imago, 95. 1. A
Peccatorum felicitati diuinæ gladius vltionis impendet, 124. 2. C
Peccatorum vita mors ſpirans, 124. 2. D
Peccatoris corpus mortuae animae ſepulchrum eſt, 127. 1. A
Peccatorum vita iter arduum, & pracruptum, 192. 1. C
Peccatorum catena ferrea grauior deprehenditur, 195. 2. D
Peccatoris felicitas cur fumo comparetur, 294. 2. D
Peccatorum celſitudo non propria, ſed aliena, 298. 2. D
Peccatorum labores, 320. 1. B
Peccatorum ſeruitus duriſſima, 320. 1. C
Peccatorum miſera conditio, 320. 2. B
Peccatorum infelix ſeruitus, 321. 2. A
Peccatorum ſeruitus dura & ſine mercede, 321. 2. C
Peccatorum labores cognati, 322. 1. A B C
Peccatorum ſeruitus non ferenda, 322. 2. B
Peccatorum onus quale ſit, 323. 1. A
Peccatorum fiducia tempore Nočni, 439. 1. B
Peccatorum ſatietas peſtis, 443 1. D
Peccatorum pernicies maxima, 441. 2. D
Peccatoribus cur Deus parcat, 104. 2. B C D
Peccatum prolixa mors eſt, 126. 1. B
Peccatum ſerpente deterius, 126. 1. B
Peccatum ſimile baſiliſco, ibidem.
Peccatum vera mors, 128. 2. A
Peccatum lutum eſt, 229. 2. B
Peccatum mentitur libertatem, non donat, 415. 2. B
Peccatum daemonem ipſum terrefacit, 440. 2. C
Peccatum eſt ſpina, 28. 2. A
Peccatum demergit S. Petrum, 331. 1. C
Pecunia pro Chriſto erogata finem neſcit, 225. 1. C

Perfe-

NOTABILIVM.

Perfectionis culmen quò ſublimius eò facilius aggredimur, 191. 2. A
Perfectionis Chriſtianæ profeſſor, doctor ſimul ac diſcipulus eſſe debet, 123. 1. A
Petrus cur Satan, Iudas vocetur amicus, 295. 1. C
Petrus Apoſtolus peccato demergitur, 321. 2. D
Petro mulier noxia, 231. 2. D
Petro laboranti pro Chriſto, Angeli tanquam Beato deſeruiunt, 274. 1. B
Phaëton à Solis aurigatione Deterritus obiectu ferarum cæleſtium, 357. 1. D
Pharaonis ſeruitia ducit Hebræos ad terram fluentem lac, & mel, 143. 2. D
Phariſæi nimium oculati, pedibus carent, 396. 2. C
Philemonis mors inopina, 83. 1. A
Philippus Nerius publica in via vini doliolo os apponit, 345. 1. A
Philippi Nerij præclara laus, 344. 2. B
Pietas exhibita à Chriſto erga matrem, illum Deum declarat, 181. 2. C
Pietas prorogata damnationis ſignum, 291. 2. D
Piſces cur à ſacris arcerentur, 120. 2. C
Pœna non cruciari aliqua, pœna maxima, 294. 1. B
Pœnitentia Dei cibus, 66. 2. A
Polygnoti artificioſa pictura, 461. 2. A
Pompei Imago ex margaritis compacta, 172. 2. D
Prædonum Hetruſcorum crudelitas, 128. 2. D
Preces. Vide Oratio.
Principes quaſi Iouis exterius felices intus miſeri, 91. 1. B
Principum humilitas glorioſa, 462. 2. D
Principe caſto nil præſtabilius, 484. 1. D
Prouidentia diuina vt vigilet, ſeruo Dei dormiendum eſt, 398. 1. C
Prouidentiae diuinae ſe committenti, Deus tollit dura, & donat iucunda, 398. 1. C & 399. 1. A
In Prouidentia diuina requieſcentis quietem, ſuam Deus arbitratur, 399. 1. D
Pſaphonis diuinitatis percupidi facinus, 367. 1. C
Pueritia nil inconſtantius, 282. 1. D
Pugna facit Athletam, 51. 1. C
Purpura Caeſarem prodit, 433. 1. B

R

RABSACIS ſuperbia à Deo punitur, 112. 2. D
Rachel cur ploret, 127. 1. D
Rebeccae cur dentur pro dono inaures, 105. 2. D
Regum mentita felicitas, 124. 1. D
Rhinoceros elephantem oppugnat, 57. 2. B
Romani triumpho maiores redeuntes diſruptis mœnibus excipiebantur, 464. 1. C
Romani coluerunt Deos propemodùm infinitos, 360. 2. A

S

SABÆ Reginae purus in Deum affectus, 397. 1. A
Sacerdos totus oculus eſſe debet, 70. 2. B
Sacerdos ex diuina communione Deo perſimilis, 71. 1. B
Sacerdos nihil humanum retinere debet, 73. 1. C
Sacerdos cur olim vlcere laboranti opem non ferret, 75. 2. B
Sacerdotes antiquitus mortuos non ſepeliebant, 70. 1. A
Sacerdotes antiquae legis Angelis aequiparantur, 70. 2. C
Sacerdotes vocantur Dij à Moyſe, 71. 2. A
Sacerdotes cur oleo vngi ſoleant, 72. 2. A
Sacerdotes tingi ſanguine iubentur à lege, 72. 2. C
Sacerdotes ſunt medij inter homines & Deum, 73. 1. C
Sacerdotis ſymbolum Aaronis virga, 70. 1. B
Sacerdotis in fronte Dei nomen legebatur, 74. 1. C
Sacerdotis puritas quanta eſſe debeat, 74. 2. D
Sacerdoti in lege demptis calceamentis habitus corporis perſcribitur, 70. 1. D
Sacerdoti proſternitur Alexander Magnus, 71. 1. D
Sacerdoti maximum commercium cum Deo, 73. 2. D
Sacerdotum encomia ex ſanctis Patribus, 69. 1. D 74. 2. A
Sacerdotum dignitatem Deus ſuam declarat, 71. 2. C
Sacerdotum apud Æthiopes auctoritas, 72. 1. C
Sacerdotibus Angeli ſeruiunt, 71. 1. C
Sacerdotalis pilei ex Ioſepho deſcriptio, 74. 1. A
Sacerdotali dignitate indigni habebantur, vel corporis, vel animi defectu notati, 75. 1. B
Sacrificia quaenam Deo ſint offerenda, 121. 1. A
In ſacrificio Deus vult hoſtias viuas, 120. 2. D
Salomon delicijs abundat, 86. 2. B
Salomon Senecae præfertur, 215. 1. C
Salomon per libidinem labitur in idololatriam, 487. 1. A
Salomonis ferculum cum aſcenſu purpureo quid ſignificet, 146. 1. D
Salus humana Deo feſtus dies, 68. 2. B
Samſon raſus, viribus deſtituitur, 18. 1. A
Sampſon per voluptatem miſerrimus fit, 175. 1. B
Samſon oculis orbatus vinculis circumligatur, 25. 2. D
Samſon contempta gloria glorioſior quam necato leone, 329. 2. C
Samſon vinctus fortior euadit in hoſtes, 471. 2. B
Samuelis mater obiurganti Heli modeſtè reſpondet, 139. 1. D
Sancti montibus conferuntur, 341. 1. D

INDEX RERVM

Sancti inſtar montium ſterilium virtutum aurum in ſinu condunt, 341. 2. D
Sancti viri minimè redarguendi in ijs quae videntur primo aſpectu reprehendenda, 344. 1. D
Sancti nonnulli abſciſſa lingua loquuntur, 368. 2. A
Sanctorum linguae à Sancto Spiritu afflantur, 368. 2. C
A Sancto Spiritu homo mutum ſimulacrum animatur, 387. 2. B
Sapientia ſumma cum ingenti ſciendi deſiderio quàm benè copuletur in Chriſti ſchola, 213. 1. C
Sapientia diuina quò plus ſcitur eò magis ſititur, 213. 1. D
Sapientiae diuinae magiſtri nunquam debent ſeriari, 214. 2. D
Sapientiam diuinam inueniens magiſter eſt & diſcipulus, 212. 1. D
Sapientibus oculi ſunt in capite, ſtultis in pedibus. 5. 1. B
Sardanapali de ſe ipſo iudicium, 83. 1. C
Satellites leonibus collati, 12. 1. C
Saul de manibus Goliae aufert tabulas teſtimonij, 327. 2. A
Saul timet Goliam quia Rex factus, 327. 2. B
Sceptra poſthabita ligonibus à viris eximijs, 333. 1. C D
Schola Dei facit Chriſti affeclam ſimul diſcipulum & magiſtrum, 212. 1. A
Sciendi ardor perpetuus eſſe debet, & ſola morte extinguendus, 214. 2. A
Schytae non iungebant matrimonio mulierem niſi quae in bello hoſtem necauiſſet, 147. 1. B
Seianum ſuperbia abiectum demonſtrat, 332. 2. C
Selenites gemma lunae imaginem referens, augetur in candore iuxta ipſius incrementum, 354. 2. D
Septenarius numerus perfectionis numerus, 79. 2. C
Seraphim ſtans ſimul & volans quid ſignificet, 410. 2. D
Sermone ſponſus, ſponſae ſe manifeſtat, 237. 2. C
Per ſermonem guſtatur Deus, 238. 1. D
Sermone Chriſti proditur eius diuinitas, 237. 2. B
Serpentes igniti cur à Deo immiſſi, 129. 1. C
Serpentis cuiuſdam mira natura, 373. 2. A
Seruiens ſine mercede; maximam mercedem recipit, 46. 2. D
Simulatores tandem deſpicabilia ſimulacra apparent, 91. 2. B
Sinapis granum contritum magis accenditur, 345. 2. C
Societas impiorum peſtis, 443. 1. D
Societas impiorum bonos non inficit, ibidem.
Societas piorum impios ad Deum traducit, ibid.
Societas improba Bloſij Cumani cum T. Graccho, 445. 1. D
Societas malorum malos non facit iuſtos, 44. 2. A
Societas. Vide Conſuetudo.
Sol Sacerdotum & Dei Hieroglyphicum, 74. 1. D
Sol diuinæ beneficentiæ præclarum ſymbolum, 182. 2. B
Sol ſimulacrum beneficentiæ diuinæ, 291. 2. C
Solifuga venenoſum animal, 135. 2. A
Solitarius homine minor, 269. 1. B
Solitarius humanæ vitæ calamitatibus non vexatur, 269. 1. D
Solitudo eſt Dei poſſeſſio, atque ambulatorium, 265. 2. C
Solitudo Deum ex homine efficiens, 265. 2. D
Solitudo templum à Deo habitatum, 265. 2. D
Solitudo nulla aptior reperitur ſede dilectæ electæque animæ, 266. 2. B
Solitudo conditio optima orationis, 500. 1. A
Solitudo adeunda Deum inuenire volenti, 268. 2. D
Solitudo plurimum iuuat ad beatè viuendum, 268. 2. D
Solitudo amanda vt cæleſtibus fruaris bonis, 269. 1. D.
Solitudo viridarium, 269. 1. D
Solitudo cordis mentiſque commendatur, 269. 2. D
Solitudo etiam in Vrbibus inuenitur, 270. 2. B C
Solitudo cordis, & corporis à Chriſto diſcipulis commendatur, 270. 2. D
Solitudo ametur ab eo qui cupit ſolum Chriſtum excipere, 271. 1. B
Solitudinis præclara deſcriptio, 267. 2. D
Solitudinis ſpiritualis Iudith præclarum exemplum, 270. 1. B
In ſolitudine Magdalena ſanctiſſimè viuit, 207. 2. C
Sine ſolicitudine ſui Deum quaerenti Deus abundè proſpicit, 397. 2. A
Solicitudo Dei in illos qui minimè de ſe ſoliciti ſunt, 398. 2. A B C D
Seruitus infelix peccatoris, 321. 2. A
Seruitus peccatorum dura, & ſine mercede, 321. 2. C
Seruitus peccati non ferenda, 322. 2. B
Seruitus pluralitatem Dominorum non admittit, 400. 1. D
Seruitus vera peccatorum, 415. 1. C
Seruitus Dei non onerat, ſed honorat, 415. 1. D
Seruus Dei maxima ex parte mortuus ante mortem, 121. 2. C
Seruus Dei viuit mortuus, 122. 1. C
Serui Dei fideles coram Deo ſedent, 401. 1. B
Serui Dei non ligantur catena ferrea, ſed Chriſti, 471. 1. D
A ſeruitute pro Chriſto ſuſcepta, libertas vera, 414. 2. A
Silens vir philoſophiae filius, 80. 1. B
Silentium inter Chriſti opera praeſtantiſſimum, 76. 2. B
Silentium verbi nutrimentum, 76. 2. D

Silen-

NOTABILIVM.

Silentium vocale, 77. 1. A
Silentium noſtrum digna Dei retributio, 77. 1. C
Silentium amoris index, 77. 2. B
Silentium docetur ab apibus, 77. 2. C
Silentium gymnaſium benè loquendi & viuendi, 78. 1. B
Silentium cum peccato nequit coniungi, 78. 2. D
Silentium Chriſtianum perfectius Pythagorico, 79. 2. C
Silentium perfectorum virtus, 80. 2. A
Silentium plurimarum virtutum parens, 80. 2. B
Silentium conditio optima orationis, 500. 1. A
Silentij magiſter Deus, 77. 1. D
Silentij filius Ioannes, 78. 1. B
A ſilentio præſtans Dei laus, 77. 2. C
Silentio Suſanna conſulit pudori. 79. 1. B
Silentio fit anima Dei templum, 79. 1. D
Silentio Chriſti diſcipuli perficiuntur, 80. 1. A
Silentio à periculis liberamur, 80. 1. C
A ſilentio diſciplina benè loquendi, 80. 1. A
Siliqua Silueſtris ſymbolum viri probi, 443. 2. C
Simia ſimulatores adumbrat, 91. 2. A
Simiæ caro, Leonis cibus electus, 91. 2. D
Simon Magus & Elymas, cur diuerſimodè ſint puniti, 101. 1. A
Spartani cur filios cæderent ante Martis ſimulacrum, 100. 2. A
Spe peccatores periclitantur, 440. 1. B
Spiritus Sanctus quomodo repleuit orbem terrarum, 351. 2. D
Spiritus Sanctus cur dictus ſit ferri ſuper aquas 353. 2. D
Spiritus Sanctus optimus terrarum magiſter, 365. 2. D
Spiritus Sanctus cur pluribus ignitis linguis aduenerit, 366. 2. A
Spiritus Sanctus Apoſtolos docet mundum docturos, 367. 1. B
Spiritus Sanctus Apoſtolos rationales in volucres commutat, 368. 1. A
Spiritus Sanctus in nube Iſraëlitis præfulgente figuratur, 371. 2. A
Spiritu Sancto adueniente errorum tenebræ fugantur, 371. 2. D
Spiritus Sanctus Soli confertur, 372. 1. A
Spiritus Sanctus de Deo loquentes linguas tribuit, 372. 2. B
Spiritus Sanctus lapſis è cœlo linguis ad ſilentium erudit, 373. 2. D
Spiritus Sanctus cur in ſpecie ignis venerit ſuper Apoſtolos, 376. 1. B
Spiritus Sanctus cur non ſtatim poſt aſcenſionem Chriſti ſit miſſus, 376. 2. A
Spiritus Sanctus cur appareat ſub ſpecie linguarum ignearum, 377. 1. D 2. A B C D
Spiritus Sanctus cur in pluribus, & non in vna lingua apparuerit, 378. 1. D
Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, & cur 378. 2. B
Spiritus Sanctus eſt arrha futurorum bonorum 379. 2. B C D
Spiritus Sancti ignis inextinguibilis, 381. 1. D
Spiritus Sanctus vrendo non exurit, 381. 2. A
Spiritus Sancti ignis perficit omnia, 381. 2. C
Spiritus Sanctus homines Deos facit, 382. 1. C
Spiritus Sancti ſeptem dona, ſeptem mulieribus adumbrantur, 386. 2. B
Spiritus Sanctus viuificat tripliciter, 387. 1. D
Spiritus Sancti flammæ cur non reſtituant vitam mortuo ob peccatum, 388. 1. D
Spiritus Sanctus cur in ſpecie linguarum aduenerit, 388. 1. D
Spiritus Sanctus conceditur ijs, qui terrenas cupiditates calcant, 389. 2. B
Spiritus Sancti proceſſio adumbratur in aëre, 388. 2. D
Sponſa ideò hoſtibus metuenda, quia pacificus turtur, 391. 2. D
Sponſa cæleſtis cur decora vt Ieruſalem, 147. 1. A
Sponſa ſi Sponſum cæleſtem intra cor ſuum inuenire cupit, nil amet creatum, 267. 1. B
Sponſa cæleſtis non extollitur laudibus, ſed demittitur. 297. 1. A
Sponſa teſtes quærit amoris ſui, 299. 1. D
Sponſus cæleſtis cur deſiderium nominetur, 147. 1. C
Sponſus cur inter vbera ſponſæ commoretur, 353. 1. D
Struthio animal ſtolidiſſimum, 197. 1. B C. & 347. 1. B
Struthio hypocritæ ſymbolum, 346. 2. D
Stultis oculi ſunt in pedibus, 5. 1. B
Suillæ caro cur Iudæis interdicta, 149. 1. C
Suilla caro morbos gignit, 153. 1. C
Superbia ſimilis ſtatuæ Nabuchodonoſoris, 476. 1. D
Superbia ſimul linit, & laniat, 476. 2. D
Superbia elatus Herodes viuus à vermibus conſumitur, 477. 1. B
Superbia Nabuchodonoſorem in feram conuertit, 477. 1. C
Superbia ſimilis meretrici Apocalypticæ. 477. 2. D
Superbia Luciferi victima, 478. 1. C
Superbia blandè ſe inſinuans ſurit etiam in Dei ſeruos, 479. 1. B
Superbia Rabſacis à Deo punitur, 11. 2. D
Superbia quandoque humilitatis ſchola eſſe ſolet, 287. 1. B
Superbia eſt ad inferiora deſcenſus, 287. 1. C
Superbia Aulicorum humilitatis magiſterium ſæpe fit, 287. 2. A
Superbia cognata impudentiæ, 325. 2. D
Superbia Nobilia deſpiciendus, 326. 1. D
Superbia ſemper cum puſillanimitate, 332. 2. A
Superbia Seianum abiectum demonſtrat, 332. 2. C
Superbus ſemper timidus, 312. 1. D
Ob Superbiam phariſæi à conuiuio Chriſti excluduntur, 315. 1. C
Superbi à Deo eiuſque domo recedunt, 315. 2. A

Super-

Superbi viles animæ, 324. 2. D
Superbi ſe ſe circunſpicientes cornua detegunt, 326. 2. D
Superba anima latronum hoſpitium, 315. 2. B
Superbiæ pes à Deo vitæ fonte & lumine recedit & ſeparat, 315. 2. D
Superbiæ præmium genus vitæ duriſſimum, 324. 2. C
Per ſuperbiæ elata ad infima deſcenditur, 316. 1. C
Superborum via inuia, 325. 2. C
Superborum defatigatio, 326. 2. B
Supplicia inflicta à Deo beneficia ſunt, 99. 2. D.
Supplicia huius vitae ſunt Dei beneficia, 104. 1. A
Suſanna cum fœdatur integrior, 9. 2. B
Suſanna ſilentio conſulit pudori, 79. 1. B.
Sus animal pronum ad libidinem, 149. 1. D

T

TEMERARIVS quo dignus ſupplicio, 9. 1. C
In templo alij non debent eſſe nummi niſi ſpirituales, 109. 1. D
Tentatio vtilis ſanctis, 54. 1. D & 57. 2. D
Tentatio ſimilis aquae Phenei, 54. 2. A
Tentatio fortiores facit, 54. 2. A
Tentatio iuſtos à malis ſecernit, 54. 2. A
Tentatio inſtar muri nos munit, 55. 2. A
Tentatio mater virtutis, nouerca vitiorum, 56. 2. A
Tentatio iuſtos conſeruat immunes, 56. 1. A
Tentatio virtutis æmula, 57. 1. B
Tentatio noſtram fidem facit fortiorem, & generoſiorem 55. 1. B
In tentatione ſunt equi generoſi imitandi, 56. 2. B
Tentatione fit iuſtus generoſior, 57. 1. D.
Tentationis ſymbolum fons apud Garamantas, 58. 1. B
S. Thereſia viuit mortua, 123. 1. A
A terra ad cælum animus erigendus, 88. 2. B
Terror homines à Deo fugat, 380. 1. D
Thamar cur detur annulus pro dono, 105. 2. D
Theatra quàm ſint noxia, 234. 2. D
Themiſtocles toto anno linguam Perſarum diſcit vt ſine interprete cum Xerxe loquatur, 504. 1. A
Theodoricus quàm ſeuerè punierit Chiſtianæ fidei deſertorem, 186. 2. D
Tigrania in coniugem mirus amor, 401. 2. B
Timens Deum nihil timet, 252. 1. B
Timens Deum carnificum tormenta non timet, 253. 2. C D
Timentium Deum fortitudo Deus, 254. 2. B
Timor Domini virtutum pædagogus, 161. 2. B
Timor Domini diuinæ ſapientiæ Rex atque magiſter, 163. 2. D
Timor Domini homines fortes reddit, 251. 1. C
Timor Domini primogenitus virtutis, 251. 2. A
Timor Domini viſionis, ſiue conſiderationis filius, 251. 2. B
Timor Dei iuſtorum fortitudo, 251. 2. D
Timor Dei inuictos reddit, 252. 2. A B C
Timor Dei hoſtes fugat, 253. 1. C
Timor Dei inuictæ fortitudinis parens, 253. 1. D
Timor ſocius ſanctitatis, 297. 1. B
Timor abeſt à Iuda dum cæteri Apoſtoli timent, 441. 2. A
Timor Dei catena eſt qua homines à vitijs cohibentur, 473. 2. D
Timorem non habens Caln, ideò peccator, 438. 2. C
Tribulatio quò maior, eò maior in ea voluptas, 276. 2. A
Tribulatio. Vide Aduerſa. Labor.
Tubæ in ſonum, & flammas erumpere ſolitæ, 370. 1. A

V

VANITAS humana dum placet tranſit; 282. 1. C
Vento concipiunt animalia quædam, 379. 1. D
Ventos paſcere quid ſit, 90. 2. D
Veſtes muliebres viris, viriles mulieribus cur fuerint à Deo prohibitæ, 486. 2. C
Via Domini delicioſa animo à culparum tenebris extracto, 193. 2. D
Vincula nos expeditiores reddunt ad magna peragenda, 473. 2. A
Vincula ſunt Dei diſciplina, 474. 1. C
Vincula faciunt nos liberos in via Domini, 474. 2. C
Vinculis Paulus gloriatur, 472. 1. D
Virtus difficilis laboranti, amanti facilis, 23. 2. D
Virtus cur dicatur incantata, 26. 2. A
Virtus pulchra, 27. 2. A 28. 1. B
Virtus falsò immitis, & dura exiſtimata, 27. 2. A
Virtus blanda, 28. 1. B
Virtus pretioſo carbunculo æquiparatur, 109. 1. A
Virtus præcipua virtutis merces, 217. 1. B
Virtus rectè cum flore comparatur, 217. 2. D
Virtus ſe ſola contenta, 218. 1. B
Virtus vera nullo pretio æſtimari poteſt, 218. 1. D 2. B
Virtus cur luci conferatur, 218. 2. D
Virtus per ſe ipſam expetibilis, 219. 1. A
Virtus vbi eſt, ibi beatitudo, 219. 1. B
Virtus nullum habet theſaurum, qui ſibi poſſit eſſe merces, 220. 2. A
Virtute diues felix, 107. 1. B
Virtutem oderunt homines, venerantur feræ, 11. 1. D
Virtutem captiuam deplorat Dauid, 106. 2. D
Virtutes veræ diuitiæ ſunt, 108. 1. A
Virtutes chriſtianorum Ægyptiacis diuitijs locupletiores, 108. 1. D
Virtutes licet amaræ dulceſcunt, 197. 2. B. C
Virtutes hominem, veluti ſidera cælum illuſtrant, 405. 2. C
Virtutis via amœna & facilis, 23. 2. C. 24. 2. D

Virtu-

NOTABILIVM.

Virtutis theſaurus à laborantibus alacriter quærітur, 31. 2. A
Virtutis via Angelorum ope facilis, 28. 1. C
Virtutis via celeriter conficienda vt facilis ſit, 24. 1. A
Virtutis via per ſe facilis non indiget leuamine, 27. 1. A
Virtutum exercitatio corona præſtantiſſima, 217. 1. C. 220. 1. A
Virtutum onus minimè oneroſum, 196. 2. B
Virtutum ſectator verè beatus, 219. 2. A
Virtutum præclara nomina ex illuſtribus viris ſ- 106. 2. A B
Vita præſens vanitas, 83. 2. C. 85. 1. D. 2. B
Vita præſens mendacium, ibid. D
Vita dum ludit, deludit, 84. 1. A
Vita labor, morbus, mors, 84. 1. A
Vita temporalis minimè amanda, 84. 1. D
Vita breuis, & fugax, 84. 2. A B
Vita curſor, ſagitta, nauis, punctum, 84. 2. C
Vita ſomnium, fumus, flos, 85. 1. B. 2. A
Vita noſtra cur flos agri, 85. 2. D
Vita florum horaria eſt, 85. 2. D
Vita præſens meretrix turpiſſima, 87. 2. B
Vita noſtra ſcenæ ſimilis, 90. 2. B
Vita hæc perſonata, 93. 2. B
Vita omnis Chriſtiani negotiatio eſt, 111. 2. B
Vita carnalis mors animae, 120. 2. C
Vita humana miſerijs plena, mors, mare, peregrinatio calamitoſa, ſeruitium, 102. 1. C. D
Vita mundana talorum, & funambulorum ludo cõfertur, 283. 2. B
Vita breuis magna felicitas, 128. 2. C
Vitam poſt mortem cupiens viuus moriatur, 124. 2. A
Vitae germen, è ſinu mortis, 123. 2. B
Vitae breuitate damnantur ſceleſti, 85. 1. C
Vitae breuitatem Iob ſapienter definit, 85. 1. C
Vitae inconſtantia, 86. 1. B
Vitae breuitas pios pietatem, impios impietatem docet, 86. 1. C
Vitae humanae fragilitas, 417. 2. B
Vitæ huius Inſidiæ, 93. 2. C
Vitia vulnerant animam, 93. 2. D
Vitia ſæpe virtutis nomina ſortiuntur, 95. 1. D
Vitia animi morbi, 285. 2. B
Vitia ſæpius curant animi morbos, 289. 2. D
Vitium induit perſonam virtutis, 94. 1. B
Vitium eſt vitioſi Idolum, 94. 2. B & 572. 2. A
Vituli labiorum Deo non offerendi, 104. 2. B
Vlyſſes à Pallade in ſenem deformatus, 226. 1. D
Vlyſſis conatus ad vitandas Sirenum delicias, 227. 1. C
Vmbræ quædam plantas necant, 384. 2. B
Vnio cum Deo inebriat, 371. 1. D
Vnio naturæ humanæ cum diuina ineffabilis, 450. 1. C 2. C
Vnio naturæ diuinæ cum humana glutino S. Spiritus confecta, 450. 1. D
Vnio naturæ diuinæ cum humana B. Virginis ope confecta, 450. 2. D
Voluntati propriae renuntiare vtile, honeſtum, & delectabile, 410. 2. C
Voluptarij ſues, 149. 1. C
Voluptas ſomnium, 151. 2. D
Voluptas ſanguiſuga duas filias habens, 152. 1. A
Voluptas concitat rabiem, non extinguit ſitim, 152. 1. C
Voluptas pœna omnium grauiſſima, 152. 2. B
Voluptas mordet, & corrodit, 153. 2. B. & 175. 2. C
Voluptas prodit, & perimit dum blanditur, 154. 1. C
Voluptas armis ſæuior, mater inopiae; peſtis, Charybdis, Dæmon voluntarius, ſtimulus criminum, depopulatrix, ſepultura, tyranna, furia, monſtrum, venenum, carcer, 154. 2. C D
Voluptas incendium, 155. 1. C
Voluptas plena horrore, ibid.
Voluptas mundana oneroſa, 174. 2. D
Voluptas terrena tranſitoria, 175. 1. D
Voluptas oſtenditur non poſſidetur, 175. 2. D
Voluptas mundana volatum in caelum nobis adimit, 176. 1. C
Voluptas malorum & aegritudinum eſca, 177. 2 D
Voluptas mundana rectè inferno comparatur, 178. 2. A
Voluptas quàm pernicioſa, 178. 1. B C D
Voluptas cibus non nutriens ſed eneruans, 179. 1. B
Voluptas peccati, non vera voluptas, 179. 1. C
Voluptas maxima Deum timere, 179. 1. C
Voluptas carnis ſpiritus voluptati comparata dolor eſt, 179. 2. B C
Voluptas terrena facilè ſpernitur pro Chriſto, 180. 1. B
Voluptas falsò mitis & blanda exiſtimata, 27. 2. A
Voluptas inſidioſa, 72. 2. D
Voluptas vera à mundo corde, 88. 1. C
Voluptas mundana puerilis, 282. 2. D
Voluptas inſtar feræ, quam dum capimus, ſæpe capimur, 437. 1. C
Voluptas carnalis diſrumpit, 152. 1. B
Voluptas torrens eſt luto, & ſordibus omnia fœdans, 436. 2. D
Voluptas in amaritudinem conuertenda, 436. 1. D
Voluptas felle conſperſa, 436. 2. A
Voluptas angorem parit, 177. 1. A
Voluptas per mel à ſacrificijs reiectum adumbratur, 436. 2. A
Voluptas abripit nolentem, 227. 1. D
Voluptas reijcienda, 27. 1. C
Voluptas amplexu ſtrangulat, 149. 2. A
Voluptas oneroſa, ibid.
Voluptas carnifex, 150. 2. B
Voluptas quauis fera ſæuior, ibid.
Voluptas funeſta, ac feralis, 149. 2. A
Voluptas vltrix, ibidem.

Volu-

INDEX RERVM

Voluptas plena amaritudine, 151. 1. A
Voluptatem terrenam contemnenti diuina duplicatur, 174. 2. C
Voluptatem contemnere voluptas maxima, 174. 2. C
Per voluptatem *Samſon* miſerrimus fit, 175. 1. B
Voluptatum fuga voluptuoſa, 175. 1. C
Voluptatum contemptus voluptatem parit, 177. 1. A 178. 2. C 180. 1. A
Voluptatum, & virtutum diſcrimen, 27. 2. C
Voluptatum, & virtutum diuerſus aſpectus, 28. 1. A
Voluptatum fallacia, 9. 2. D
Voluptuoſi fabri ruinæ ſuæ, 150. 1. C
Voluptuoſi damnatis omnibus miſeriores, 154. 2. A
Voluptuoſus ſtolidus, 197. 1. D
Voluptuoſus ſtruthioni confertur, 197. 1. D
Vox *Dei* maximè operatrix, 77. 1. D
Vota religioſa ſunt vincula, 474. 1. D
Vultus imago animi, 38. 2. A
Vultus ſpeculum mentis, 38. 2. C
Vxores non ducuntur à Garamantibus, 30. 1. C

Z

ZELVS ſponſi proprius in ſponſam, 288. 1. A

F I N I S.

INDEX LOCORVM
SACRAE SCRIPTVRAE,
QVAE IN HOC OPERE
AVT CITANTVR, AVT EXPLICANTVR.

Primus numerus paginam, Secundus columnam, Tertius marginalem eiuſdem Columnæ literam indicat.

EX VETERI TESTAMENTO.

Geneſis.

Cap. Ve.
1 2 SPIRITVS Dei ferebatur ſuper aquas, 387. 1. B & 353. 2. D
28 Faciamus hominem ad Imaginem & ſimilitudinem noſtram, 214. 1. B
2 2 Requieuit die Septimo ab vniuerſo opere, 399. 1. B
7 Spirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, 68. 1. D. & 398. 2. B
7 Formauit Deus hominem de limo terræ, 387. 2. B
21 Tulit vnam de coſtis eius, &c & ædificauit Dominus Deus coſtam quam tulerat de Adam in mulierem, 392. 2. A
21 Cumque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea, 398. 1. B
24 Relinquet homo Patrem ſuum, & Matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, 288. 1. B
3 5 Eritis ſicut Dij, 366. 1. D
9 Adam vbi es, 441. 2. D
21 Et fecit eis tunicas pelliceas, & induit eos, 14. 1. A
4 8 Conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum, 126. 1. B
14 Omnis qui inuenerit me, occidet me, 7. 1. D. & 126. 1. A
15 Dixit Dominus nequaquam ita fiet, ſed omnis, qui occiderit Cain ſeptuplum punietur, 125. 2. B
26 Seth natus eſt filius, quem vocauit Enos, iſte cœpit inuocare nomen Domini, 13. 2. D
6 3 Dixit Deus, non permanebit Spiritus meus in homine, in æternum, quia caro eſt, 388. 1. B
9 Noë vir iuſtus, atque perfectus fuit in generationibus ſuis, 15. 1. B
7 4 Ego pluam ſuper terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, 439. 1. C
17 Multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuauerunt Arcam in ſublime à terra, 50. 1. B
8 20 Ædificauit Noë Altare Domino, 223. 2. B
9 13 Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis, 256. 1. C
18 Porrò Cham ipſe eſt pater Chanaan, 439. 2. B
10 8 Chus genuit Nemrod, ipſe cœpit eſſe potens in terra, 349. 1. A
12 6 Pertranſiuit Abraham terram, vſque ad locum Sichem, & vſque ad Conuallem illuſtrem, 302. 2. C
13 1 Aſcendit ergò Abraham de Ægypto: ipſe & vxor eius, & omnia quæ habebat, & Lot cum eo, 228. 2. D
2 Erat autem diues valde in pecore, & argento, & auro, 417. 2. D
14 22 Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum, 217. 1. A
18 20 Dixit itaque Dominus: clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, 151. 1. B
21 14 Surrexit itaque Abraham manè, & tollens panem, & vtrem aquæ, 139. 2. B
15 Abiecit puerum ſubter vnam arborem, quæ ibi erat, 310. 1. B
22 10 Extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium ſuum, 413. 1. C
23 6 Audi nos Domine, Princeps Dei es apud nos, 316. 2. B.
24 19 Væ prægnantibus, 323. 1. B
21 Protulit vir inaures aureas, 105. 2. B
27 40 In pinguedine terræ, & in rore cæli deſuper erit benedictio tua, viues in gladio & tra-

& fratri tuo ſeruies, 415. 2. B
43 Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam, & conſurgens fuge ad Laban fratrem meum, 27. 1. A
28 12 Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum, 187. 2. A
13 Dominum innixum ſcalæ, 462. 1. B & 451. 2. B
17 Quàm terribilis eſt, inquit, locus iſte, 163. 2. D
18 Surgens ergo Iacob manè, tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, 187. 2. B
29 31 Videns autem Dominus quod deſpiceret Liam, 313. 1. A
32 Quæ conceptum genuit filium: vocauitque nomen eius Ruben, 313. 1. B
31 36 Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum ſic exarſiſti poſt me, 8. 1. C
26 Quare ita egiſti, vt clam me abigeres filias meas quaſi captiuas gladio, 27. 1. B
32 1 Iacob quoque abijt in itinere quo cœperat: fueruntque ei obuiam Angeli Dei, 201. 1. B
35 20 Erexitque Iacob titulum ſuper ſepulchrum eius, 122. 1. B
37 28 Prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, 329. 1. B
38 16 Quid dabis mihi, vt fruaris concubitu meo? dixit: mittam tibi hædum de gregibus, 153. 2. A
27 Inſtante autem partu, apparuerunt gemini in vtero, 330. 2. D
39 6 Erat autem Ioſeph pulchra facie, & decorus aſpectu, 227. 2. D
14 Et introduxit virum Hebræum, vt illuderet nobis, 212. 2. B
41 50 Nati ſunt autem Ioſeph filij duo &c. 292. 2. C
45 9 Feſtinate, & aſcendite ad Patrem meum, dicetiſquè ei: hæc mandat filius tuus Ioſeph, 444. 1. A
48 22 Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo, 498. 1. B
49 3 Tu fortitudo mea, 251. 2. C
9 Catulus leonis Iuda: requieſcens accubuiſti vt leo, 330. 1. B
15 Suppoſuit humeros ſuos ad portandum, 214. 2. D

Exodus.

3 2 APPARVITQVE ei Dominus in flamma ignis de medio Rubi, & videbat quod Rubus arderet, & non combureretur 103. 1. D & 138. 2. C. & 236. 2. D
17 Educam vos de afflictione Ægypti ad terram fluentem lacte, & melle, 140. 1. A & 143. 2. D
4 3 Dixitque Dominus, proijce eam in terram. Proiecit, & verſa eſt in colubrum, 252. 2. A
6 Dixitque Dominus rurſum: mitte manum tuam in ſinum tuum, 234. 2. A
5 8 Vacant enim, idcircò vociferantur, 33. 1. D
7 1 Dixitque Dominus ad Moyſen: Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, 299. 2. B
10 Tulitque Aaron virgam coram Pharaone & ſeruis eius, quæ verſa eſt in Colubrum, 299. 2. C
12 11 Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus veſtris, 24. 1. A
11 Sic autem comedetis illum: Renes veſtros accingetis, 19. 1. C
38 Oues, & Armenta, & animantia diuerſi generis multa nimis, 116 1. C
13 12 Separabis omne quod aperit vuluam Domino, 401. 2. B
13 Primogenitum aſini mutabis oue, 142. 1. C
21 Præibat Dominus per noctem in Columna ignis, 138. 2. C
14 10 Cumque appropinquaſſet Pharao, leuantes filij Iſraël oculos viderunt Ægyptios poſt ſe, & timuerunt valdè, clamaueruntque ad Dominum, 499. 2. C
14 Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis, 499 2. D
15 Dixitque Dominus ad Moyſen, quid clamas ad me? Ibidem, & 239. 1. B
31 Viderunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris, 322. 2. C
16 6 Veſpere ſcietis quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti, 183. 1. B
17 9 Dixitque Moyſes ad Ioſue, elige viros, & egreſſus pugna contra Amalec, 501. 1. D
19 15 Vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam deſuper, immundum erit, 43. 1. C
21 28 Si bos cornu percuſſerit virum, aut mulierem & mortui fuerint, lapidibus obruetur, 289. 1. D
22 22 Dijs non detrahes, & Principi populi tui non maledices, 71. 2. A
24 1 Adorabitis procul: Soluſque Moyſes aſcendet ad Dominum, & illi non appropinquabunt, 504. 1. C
11 Videruntque Deum, & commederunt, & biberunt, 200. 2. A
25 18 Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies ex vtraque parte oraculi, 43. 1. D
28 2 Stringeſque tunicam byſſo, 70. 2. B
17 Poneſque in eo quatuor ordines lapidum, 71. 2. D
30 25 Dominus ad Moyſen: facies vnguentum compoſitum opere vnguentarij, 73. 1. B

32 6 Di-

32 6 Dimitte me, 18. 2. D
26 Stans in porta caſtrorum ait : Si quis eſt Domini iungatur mihi, 127. 2. C
33 17 Inueniſti gratiam coram me, 275. 1. B
18 Oſtende mihi gloriam tuam, ibidem.
19 Ego oſtendam omne bonum tibi, ibidem.
20 Rurſumque ait, non poteris videre faciem meam, ibidem.
23 Videbis poſteriora mea; faciem autem mea videre non poteris, ibidem.

Leuiticus.

1 4 PONETQVE manus ſuper caput hoſtiæ, & acceptabilis erit, 72. 2. C
5 2 Anima quæ tetigerit aliquid immundum, ſiue quod occiſum à beſtia eſt, 230. 1. B
8 23 Quem cùm immolaſſet Moyſes, ſumens de ſanguine eius, tetigit extremum auriculæ, 72. 2. B
13 5 Recludet eum ſacerdos ſeptem diebus, & conſiderabit die ſeptimo, 5. 2. B
45 Habebit caput nudum, 413. 2. C
16 17 Nullus hominum ſit in ſanctuario quando Pontifex ſanctuarium ingreditur, 70. 2. D
20 26 Eritis mihi ſancti, quia ſanctus ſum ego Dominus, & ſeparaui vos à cæteris populis, vt eſſetis mei, 73. 1. C
21 11 Ad omnem mortuum non ingredietur omninò, 70. 1. A

Numeri.

12 1 LOCVTAQVE eſt Maria & Aaron contra Moyſen propter vxorem eius Æthiopiſſam, 243. 1. D.
14 Si pater eius ſpuiſſet in faciem illius, nonnè debuerat ſaltem ſeptem diebus rubore ſuffundi, 104. 1. A
20 6 Demiſſa multitudine ingreſſi ſunt in tabernaculum fœderis; 205. 1. C
21 5 Anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo, 275. 2. A
23 10 Moriatur anima mea morte iuſtorum, 121. 2. A
32 1 Quis dabit nobis ad veſcendum carnes, 116. 1. B
33 21 De Lebna caſtrametati ſunt in Reſſa, 55. 2. D
52 Intrantes terram Chanaan diſperdite cunctos habitatores terræ illius, 131. 2. A

Deuteronomium.

4 29 CVM quæſieris Dominum Deum tuum, inuenies eum : ſi tamen toto corde quæſieris, 20. 2. B
9 9 Quando aſcendi in montem vt acciperem duas tabulas lapideas pacti, 30. 2. D
11 24 Omnis locus quem calcauerit pes veſter, veſter erit, 112. 1. B & 169. 1. A
13 3 Tentat vos Deus, vt palam fiat vtrum diligatis eum an non, 57. 2. A
17 16 Cum fuerit conſtitutus rex non multiplicabit ſibi equos, 232. 1. A
22 20 Non arabis in boue ſimul & Aſino, 507. 1. B
32 13 Conſtituit eum ſuper excelſam petram, vt ſugeret mel de petra, 276. 1. A
30 Quomodo ſi vnus fugaret mille, & duo fugarent decem millia, 253. 1. C
39 Ego occidam, & ego viuere faciam, 133. 1. D
33 19 Lætare Zabulon in exitu tuo, & Iſſachar in tabernaculis tuis, 278. 1. A
34 4 Vidiſti eam oculis tuis, & non tranſibis ad illam, 175. 2. B

Ioſue.

10 12 TVNC locutus eſt Ioſue Domino in die qua tradidit Amorrhæum, 411. 2. B
15 19 Cum ſuſpiraſſet ſedens in aſino, 304. 1. D

Liber Iudicum.

4 21 DA mihi obſecro paulum aquæ, quia ſitio valdè, 154. 1. C
6 24 Ædificauit Gedeon altare Domino, vocauitque illud, Domini pax, 256. 2. A
11 39 Expletiſque duobus menſibus reuerſa eſt ad patrem ſuum, & fecit ei ſicut vouerat, 413. 1. D
14 5 Cumque veniſſet ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis ſæuus, 329. 1. D
14 De edente exiuit eſca, & de potente dulcedo, 66. 2. A
16 21 Quem cum apprehendiſſent Philiſthijm ſtatim eruerunt oculos eius, 25. 2. A

1. Regum.

1 11 DABO eum Domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non aſcendet ſuper caput eius, 414. 2. D

14 Vſque quo ebria eris? digere pauliſper vinum quo mades, 139. 1. C
15 Nequaquam Domine mi: nam mulier infelix ego ſum, 139. 1. D
17 Vade in pace: & Deus Iſrael det tibi petitionem tuam, 139. 1. A
2 8 Suſcitat de puluere egenum, 459. 1. B
29 Quare calce abieciſtis victimam meam, & munera mea, 5. 1. A 13. 1. B
3 7 Porrò Samuël necdum ſciebat Dominum, neque reuelatus fuerat ei ſermo Domini, 238. 2. D
4 10 Pugnauerunt ergo Philiſthijm, & cæſus eſt Iſraël, & fugit, 327. 1. C
16 Quid actum eſt fili mi? 494. 1. A
6 19 Percuſſit autem de viris Bethſamitibus, eò quòd vidiſſent arcam Domini, 5. 2. C
10 25 Viuat Rex, 254. 1. A
26 Saul abijt in domum ſuam in Gabaa: & abijt cum eo pars exercitus, 254. 1. B
14 43 Indicauit ei Ionathas, & ait, guſtans guſtaui, 156. 1. A
16 7 Nec iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor, 9. 1. C
12 Erat autem rufus, & pulcher aſpectu, decoraque facie, 39. 2. A
17 11 Audiens autem Saul, & omnes Iſraelitæ ſermones Philiſthæi huiuſcemodi, 327. 2. B
11 Stupebant, & metuebant nimis, 312. 2. A
39 Non poſſum ſic incedere, 169. 2. B
43 Nunquid ego canis ſum, quod tu venis ad me cum baculo, 441. 1. C
21 10 Surrexit itaque Dauid, & fugit in die illa a facie Saul, 233. 1. D
24 11 Cogitaui vt occiderem te, ſed pepercit tibi oculus meus, 38. 1. C
25 3 Vir eius durus, & peſſimus, & malitioſus: erat autem de genere Caleb, 116. 2. D
16 Pro muro erant nobis tam in nocte, quàm in die, 117. 1. A
25 Ne ponat, oro, Dominus meus rex cor ſuum ſuper virum iſtum iniquum Nabal, 116. 2. D
28 3 Et Saul abſtulit magos, & hariolos de terra, 495. 1. A
5 Et vidit Saul caſtra Philiſthijm, & timuit, & expauit cor eius nimis, conſuluitque Dominum, 494. 2. D
7 Dixitque Saul ſeruis ſuis, quærite mihi mulierem habentem pythonem, & vadam ad eam, & ſciſcitabor per illam, 495. 1. A

2. Regum.

6 6 EXTENDIT Oza manum ad Arcam Dei, & tenuit eam, 9. 1. B
22 Ludam, & vilior fiam plusquàm factus ſum, 302. 1. D
7 11 Requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis, 302. 1. B
14 Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium, 101. 2. D
18 Quis ego ſum Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxiſti me hucuſque? 302. 1. A
27 Quis tu Domine exercituum Deus Iſrael reuelaſti aurem ſerui tui, 502. 2. D
10 2 Cum autem veniſſent ſerui Dauid, in terra filiorum Ammon, 10. 1. A
14 14 Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur, 85. 2. A
26 Ponderabat capillos capitis ſui ducentis ſiclis, pondere publico, 425. 1. A
17 14 Dixitque Abſalon, & omnes viri Iſrael, 80. 1. B
20 9 Dixit itaque Ioab ad Amaſam: Salue mi frater, 154. 1. B
24 12 Trium tibi datur optio, elige vnum quod volueris ex his, vt faciam tibi, 311. 1. C
17 Ego ſum qui peccaui, & ego iniquè egi, 1. 1. D

3. Regum.

3 7 ET nunc Domine Deus, tu regnare feciſti ſeruum tuum pro Dauid patre meo, 215. 1. B
6 31 In ingreſſu oraculi fecit oſtiola de lignis oliuarum, 188. 1. A
7 50 Et cardines oſtiorum domus interioris ſancti ſanctorum, & oſtiorum domus templi, ex auro erant, 188. 1. D
14 6 Ingredere Vxor Ieroboam: quare aliam te eſſe ſimulas? 349. 2. B
17 1 Viuit Dominus Deus Iſraël, in cuius conſpectu ſto, 411. 1. B
6 Corui quoque deferebant ei panem, & carnes mane, 12. 1. D 113. 1. A
9 Surge, & vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi, 224. 1. C
18 Quid mihi & tibi vir Dei? ingreſſus es ad me vt rememorarentur iniquitates meæ, 312. 2. C
18 27 Illudebat illis Elias, dicens: Clamate voce maiore, 501. 1. A
28 Clamabant ergo voce magna, & incidebant ſe iuxta ritum ſuum cultris, & lanceolis,

ceolis, donec perfunderentur ſanguine, 26. 1. D 501. 1. A
36 Domine Deus Abraham, & Iſaac, & Iſraël, oſtende hodie quia tu es Deus Iſraël, 501. 1. B
38 Cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocauſtum, 501. 1. C
40 Dixitque Elias ad eos: Apprehendite prophetas Baal, & ne vnus quidem effugiat ex eis, 22. 1. C
19 10 Filij Iſraël altaria tua deſtruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio, & ego derelictus ſum ſolus, quaerunt &c. 305. 2. D
11 Egredere, & ſta in monte coram Domino, 182. 2. C
11 Et ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis, & fortis ſubuertens montes, 79. 2. B
21 19 Occidiſti, inſuper & poſſediſti, 150. 2. A

IV. Regum.

2 9 DIXITQVE Eliſeus: Obſecro vt fiat in me duplex ſpiritus tuus. Qui reſpondit: Rem difficilem poſtulaſti, 18. 1. B
10 29 Deleuit itaque Iehu Baal de Iſraël: veruntamen à peccatis Ieroboam filij Nabat, &c. 7. 2. C
19 14 Aſcendit in domum Domini, & expandit eas coram Domino, & orauit in conſpectu eius, 20. 2. D
20 5 Reuertere, & dic Ezechiæ: Ecce ſanaui te, die tertio aſcendes templum Domini, . 2. B
23 7 Deſtruxit quoque ædiculas effeminatorum, 152. 1. D

Liber I. Paralipomenon.

15 26 CVMQVE adiuuiſſet Deus Leuitas, qui portabant arcam fœderis Domini, immolabantur ſeptem tauri, 194. 2. D

Liber II. Paralipomenon.

12 6 CONSTERNATIQVE principes Iſraël & Rex dixerunt: Iuſtus eſt Dominus, 312. 1. B
14 9 Egreſſus eſt autem contra eos Zara Æthiops cum exercitu ſuo, decies centena millia, & curribus trecentis, 498. 1. D
11 Domine non eſt apud te vlla diſtãtia, vtrum in paucis auxilieris, vel in pluribus, ibidem,
12 Exterruit itaque Dominus Æthiopes, &c. Et perſecutus eſt eos Aſa, 498. 2. A
28 21 Achaz ſpoliata domo Domini, & domo Regum, ac principum, dedit Regi Aſsyriorum munera, 310. 1. D
22 Tempore anguſtiæ ſuæ auxit contemptum in Dominum, 320. 2. A
33 12 Poſtquam coanguſtatus eſt, orauit Dominum Deum ſuum, &c. Et exaudiuit orationem eius, 20. 2. A

Tobias.

2 12 HANC autem tentationem ideò permiſit Dominus euenire illi, 53. 1. A
3 1 Perrexit in ſuperius cubiculum domus ſuæ: & tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit, 21. 1. A
5 13 Quale gaudium poteſt eſſe mihi, qui lumen cæli non video, 288. 2. B
6 1 Profectus eſt Tobias, & manſit prima manſione iuxtà fluuium Tygris, 85. 1. D

Iudith.

8 4 ERAT autem Iudith relicta vidua iam annis tribus, & menſibus ſex, 270. 1. C
10 2 Exuit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ, 107. 1. C
3 Abſtulit (Iudith) à ſe cilicium. Vnxit ſe myrrho optimo, & diſcriminauit crinem capitis ſui, 342. 2. A

Eſther.

5 4 OBSECRO vt venias ad me hodie, & Aman tecum ad conuiuium quod paraui, 293. 1. C
6 Dixitque ei Rex poſtquam vinum biberat abundanter, quid petis? 293. 2. A
14 13 Tribue Domine ſermonem compoſitum in ore meo in conſpectu leonis, 495. 1. D
15 Noſti Domine quia oderim gloriam iniquorum, 300 1. B
16 Tu ſcis Domine neceſſitatem meam, quòd abominer ſignum ſuperbiæ & gloriae meæ, 342. 1. D
15 9 Ingreſſa igitur cuncta per ordinem oſtia, ſtetit contra Regem, 37. 2. A
9 Reſidebat ſuper ſolium regni ſui, indutus veſtibus regijs, 495. 2. A
16 Vidi te Domine quaſi Angelum Dei, & conturbatum eſt cor meum præ timore gloriæ tuæ, 495. 2. B

INDEX LOCORVM

Iob.

3 14 QVI ædificauit ſibi ſolitudines, 266. 2. D
4 6 Vbi eſt timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, 152. 2. C
5 7 Homo naſcitur ad laborem, & auis ad volatum, 275. 1. A
7 2 Sicut mercenarius præſtolatur finem operis ſui, 32. 2. A
16 Parce mihi Domine, nihil enim ſunt dies mei, 86. 1. C
13 3 Sed tamen ad Omnipotentem loquar, 92. 2. D
14 1 Homo natus de muliere, breui viuens tempore, 85. 2. D
14 13 Quis mihi det vt in Inferno protegas me, 101. 1. C
15 21 Sonitus terroris ſemper in auribus illius, 440. 1. B
20 14 Panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidum, 436. 1. D
28 6 Glebæ illius aurum, 303. 2. B
29 18 Dicebamque, in nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies, 187 1. A
30 11 Ad dexteram Orientis calamitates meæ illicò ſurrexrunt, 145. 1. B
30 20 Clamo ad te & non exaudis me: ſto, & non reſpicis me, 502. 1. A
31 1 Prpigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de Virgine, 179. 2. A & 288. 2. B
35 Quis mihi tribuat, vt librum ſcribat ipſe qui iudicat, 229. 1. A & 273. 1. D
33 27 Peccaui, & verè deliqui, & vt eram dignus, non recepi, 311. 2. A
38 1 Reſpondens autem Dominus Iob de turbine, dixit, 144. 2. B
12 Nunquid volet rhinoceros ſeruire tibi, 57. 2. B
39 61 Penna ſtruthionis ſimilis eſt pennis herodij, & accipitris, 197. 1. B. & 346. 2. D

Pſalmi.

Pſ. Nu.

2 9 TANQVAM vas figuli confringes eos, 134 1. A
4 3 Filij hominum vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, 86. 1. D
6 Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, 122. 2. A
6 Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona, 175 2. C
7 Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, 135. 1 C
5 11 Sepulchrum patens eſt guttur eorum, 108. 2. C
7 15 Concepit dolorem, & peperit iniquitatem, 146. 2. A & 323. 2. B
9 5 Quoniam feciſti iudicium meum, & cauſam meam, 141. 2. C
11 9 In circuitu impij ambulant, 26. 1. A & 322. 1. B
13 4 Nonnè cognoſcent omnes qui operantur iniquitatem, 251. 1. D
15 2 Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges, 64. 2. C
9 Exultauit lingua mea, 104. 1. B
16 14 Gladium euaginauerunt peccatores, 441. 1. A
17 7 Inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui: & exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam, 19 2. C
35 Poſuiſti, vt arcum æreum, brachia mea, 497. 2. C
18 7 Exultauit vt gigas ad currendam viam, à ſummo cælo egreſſio eius, 461. 2. B
21 3 Deus, clamabo per diem, & non exaudies, 502. 1. D
7 Ego autem ſum vermis, & non homo: opprobrium hominum, 195. 1. C
18 Ipſi verò conſiderauerunt, & inſpexerunt me, 5. 1. D
23 7 Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ, 467. 2. C
24 14 Firmamentum eſt Dominus timentibus eū, 154. 2. B
26 4 Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini, 200. 2. D
9 Ne declines in ira à ſeruo tuo, 101. 1. C
30 21 Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ, 313. 1. B
31 22 Nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus, 12. 2. C. & 155. 2. B
32 20 Anima noſtra ſuſtinet Dominum, quoniam adiutor, & protector noſter eſt, 164 2. C
33 9 Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus, 238. 2. A
11 Diuites eguerunt, & eſurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono, 112. 2. A
12 Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos, 162. 2. A
16 Aures eius in preces eorū, 502. 1. D 504. 1. D
34 6 Fiat via illorum tenebræ, & lubricum: & Angelus Domini perſequens eos, 24 1. D
35 5 Torrente voluptatis tuæ potabis eos, 265. 2. B
10 Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen, 315. 2. B
36 4 Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui, 204 2. D
20 Deficientes quemadmodum fumus deficient, 294. 2. D
35 Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani, 298. 2. C

37 5 Ini-

37 5 Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue & grauatæ ſunt ſuper me, 322. 1. A
6 Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ, 127. 1. A
11 Lumen oculorum meorum & ipſum non eſt mecum, 6. 1. D
18 Ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper, 310. 2. C
38 6 Menſurabiles poſuiſti dies meos, 84. 1. D
39 7 In imagine pertranſit homo, 91. 2. B
40 2 Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, 109. 2. A
41 5 Tranſibo in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei, 200 2. D
10 Apud me oratio Deo vitæ meæ, 49. 2. A.
43 23 Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem, 292. 1. D
44 2 Lingua mea calamus ſcribæ, 241. 1. C
3 Specioſus forma præ filijs hominum, 406. 1. A
47 3 Fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Sion, 307. 2. D
49 23 Sacrificium laudis honorificabit me, 63. 2. C
50 3 Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam, 293. 2 D
58 8 Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. Expectabam eum qui ſaluum me fecit, 266. 2. B
55 3 Conculcauerunt me inimici mei, 5. 1. D
9 Deus vitam meam annunciaui tibi, 84. 2. B
59 10 Moab olla ſpei meæ, 50. 1. D
61 10 Mendaces filij hominum in ſtateris, 10. 1. B
65 2 Iubilate Deo omnis terra, 158. 2 B
68 3 Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia, 229. 2. B
13 Aduersùm me loquebantur qui ſedebant in porta, 21. 1. B
16 Neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum, 153. 2. B
70 23 Exultabunt labia mea, cùm cantauero tibi, 204. 1. B
72 23 Vt iumentum factus ſum apud te, 401. 2. C
73 13 Contribulaſti capita draconum in aquis, 131. 1. D
74 8 Deus Iudex eſt, 10. 1. B
75 6 Nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis, 111. 2. C
7 Ab increpatione tua Deus Iacob dormitauerunt, qui aſcenderunt equos, 440. 1. B
76 3 Renuit conſolari anima mea, 203. 1. B
77 61 Tradidit in captiuitatem virtutem eorum, 106. 2. C
65 Excitatus eſt tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino, &c. Opprobrium ſempiternum dedit illis, 292. 1. C
69 Ædificauit ſicut vnicornium ſanctificium ſuum in terra, 265. 2. D
78 9 Adiuua nos Deus ſalutaris noſter & propter gloriam nominis tui Domine libera nos, 67. 1. D
81 6 Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes, 243. 2. B
86 1 Fundamenta eius in montibus ſanctis, 341. 1. D
88 33 Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, 101. 2. C
90 11 Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis, 28. 1. C
94 1 Venite exultemus Domino, 204. 1. B
96 1 Dominus regnauit, exultet terra, lætentur inſulæ multæ, 273. 2. B
97 4 Iubilate Deo omnis terra, cantate, & exultate, & pſallite, 104. 1. B
98 8 Deus tu propitius fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinuentiones eorum, 102. 2. D
100 6 Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecum, 307. 2. A
102 15 Homo, ſicut fœnum dies eius, tanquam flos agri ſic efflorebit, 85. 2. B
103 10 Emittis fontes in conuallibus, 304. 1. C
111 1 Beatus vir qui timet Dominum, 253. 1. D
9 Diſperſit dedit pauperibus, 233. 1. A.
3 Gloria & diuitiæ in Domo eius, 111. 1. C
112 7 Suſcitans à terra inopem, 459. 1. B
113 5 Quid eſt tibi mare quòd fugiſti: & tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum, 193. 1. D
114 2 Inclinauit aurem ſuam mihi, 503. 1. D
6 Cuſtodiens paruulos Dominus: humiliatus ſum, & liberauit me, 309. 1. D
115 4 Calicem ſalutaris accipiam, 121. 2. D
11 Omnis homo mendax, 92. 2. A
117 12 Circumdederunt me ſicut apes, 197. 2. C & 178. 1. B
118 14 In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, 106. 2. C
32 Viam mandatorum tuorum cucurri, 396. 2. A
105 Lucerna pedibus meis verbum tuum, 396. 2. B

127 Dilexi mandata tua ſuper aurum, & topazion, 108 1. *A*
131 Os meum aperui & attraxi *Spiritum*, 398. 2. C
140 Ignitum eloquium tuum vehementer, 243. 1. C
119 1 Ad *Dominum* cùm tribularer clamaui, 163. 1. *A*
5 Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, 230. 2. C
122 2 Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus *Dominorum* ſuorum, 400. 1. C
127 2 Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & benè tibi erit, 196. 1. D. & 274. 2. *A*
130 1 Domine non eſt exaltatum cor meum, 300. 1. A & 324. 2. D.
131 18 *Super* ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea, 218. 1. *A*
136 5 *Si* oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea, 449. 2. *B*
139 1 Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me, 232. 2. D
142 6 & 7 Expandi ad te manus meas: velociter exaudi me, 506. 1. *C*
148 5 Dixit, & facta ſunt, 77. 1. A
6 Statuit ea in æternum, & in ſeculum ſeculi, 47. 2. D
149 5 Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis, 204. 1. *A*

Prouerbia.

Cap Nu.

1 22 VSQVEQVO paruuli diligitis infantiam, 283. 1. *A*
32 Proſperitas ſtultorum perdet illos, 295. 1. C
2 4 Si quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam, 106. 2. B
14 Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis, 25. 2. A
3 12 Quem enim diligit *Dominus* corripit, & quaſi pater in filio complacet ſibi 102. 2. B
14 Melior eſt acquiſitio eius negotiatione argenti, 106. 2. B
15 Pretioſior eſt cunctis opibus, 106. 2. B
17 Viæ eius pulchræ & omnes ſemitæ eius pacificæ, 23. 1. *D*
23 Ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget, 25. 1. B
4 18 Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectum diem, 14. 1. C
6 6 Vade ad formicam ò piger, 222. 2. C
12 & 13 Homo *Apoſtata*, vir inutilis, graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, 37. 1. A
27 Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo vt veſtimenta illius non ardeant, 229. 2. D
7 17 *Aſperſi* cubile meum myrrha, & aloë, & cynnamomo, 388 2. B
27 Viæ inferi domus eius penetrantes in interiora mortis, 155. 2. *B*
9 13 Mulier ſtulta, & clamoſa, plenaque illecebris, & nihil omninò ſciens, 149. 2. C
10 4 Qui nititur mendacijs, hic paſcit ventos, 90. 2. *C*
14 26 In timore Domini fiducia fortitudinis, 254. 2. B
15 13 Cor gaudens exhilarat faciem, 38. 2. B
19 Via iuſtorum abſque offendiculo, 25. 1. B
28 Mens iuſti meditabitur obedientiam, 43. 2. *D*
16 1 Hominis eſt animam præparare, & Domini gubernare linguam, 78. 1. C
32 Qui dominatur animo ſuo, fortior eſt expugnatore vrbium, 251. 1. D
22 15 Stultitia alligata eſt in corde pueri, 281. 1. D
27 19 Quomodo in aquis reſplendent vultus proſpicientium, ſic &c. 39. 1. *A*
30 4 Quis aſcendit in cælum atque deſcendit? Quis continuit ſpiritum in manibus ſuis, 388. 2. B
15 Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes affer, affer, 152. 1. *A*
26 Lepuſculus plebs inualida, qui collocat in petra cubile ſuum, 253. 2. C
31 6 Date ſiceram mœrentibus, & vinum his qui amaro ſunt animo, 102. 2. D
10 Mulierem fortem quis inueniet, 4 2. D E
14 Facta eſt quaſi nauis inſtitoris, 50. 1. C
18 Vidit quia bona eſt negotiatio eius, 109. 1. C
23 Nobilis in portis vir eius, 5. 2. B

Eccleſiaſtes.

1 2 VANITAS vanitatum, & omnia vanitas, 282. 1. C
13 Hanc occupationem peſſimam dedit Deus filijs hominum, 33. 1. C
2 14 Sapientis oculi in capite eius, 5. 2. B
4 9 Melius eſt ergo duos eſſe ſimul, quàm vnum, 460. 1. A
5 15 Quid ergo prodeſt, ei quòd laborauit in ventum, 321. 1. C
10 3 Sed & in via ſtultus ambulans, cùm ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat, 10. 2. A

Can-

Cantica Canticorum

1 1 MELIORA ſunt vbera tua vino, 191. 2. C
4 Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatem, 383. 1. C
6 Filij matris meæ pugnauerunt contra me, 393. 1. C
10 Collum tuum ſicut monilia, 47. 1. A 193. 2. B 297. 2. A
11 Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento, 47. 1. C
12 Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum, 303. 2. A 310. 2. D
13 Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur, 191. 1. D & 310. 2. A 353. 1. D
2 12 Flores apparuerunt in terra noſtra tempus putationis aduenit, 86. 1. A
12 Vox turturis audita eſt in terra noſtra, 291. 2. D
14 Sonet vox tua in auribus meis, 237. 1. B
16 Dilectus meus mihi, & egò illi, 399. 1. C
3 1 In lectulo meo per noctes quæſiui, 176. 2. B
2 Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea, 258. 1. B 285. 2. A
4 Tenui eum nec dimittam donec introducam illum in domum Matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ, 402. 1. C
4 Paululum cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea, 146. 1. B
5 Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas, ceruoſque camporum, 204. 2. B
6 Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, 508. 1. D
7 En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, 204. 1. D 258. 1. A 500. 2. A
9 Ferculum fecit ſibi rex Salomon de lignis Libani, 138. 2. A 146. 1. B
11 Egredimini & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, 258. 1. C
4 1 Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de Monte Galaad, 191 1. D
8 Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, 217. 1. C
10 Quàm pulchræ ſunt mammæ tuæ ſoror mea ſponſa, 174. 2. A
11 Fauus diſtillans labia tua ſponſa, mel & lac ſub lingua tua, 77. 2. C 176. 1. C
12 Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, 131. 1. B
5 2 Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, 502. 1. B.
7 Percuſſerunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum, 501. 2. D
8 Adiuro vos filiae Ieruſalem ſi inueneritis dilectum meum, 299. 1. B
11 Comæ eius nigræ quaſi coruus, 196. 1. B
12 Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, 6. 2. B
13 Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam, 276. 1. C
6 3 Pulchra es amica mea, ſuauis, & decora ſicut Ieruſalem, 146. 2. D
3 Terribilis vt caſtrorum acies ordinata, 391. 1. D
7 5 Comæ capitis tui ſicut purpura Regis, 121. 1. B
11 Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, 269. 2. A
12 Mane ſurgamus ad vineas, 30. 2. C
8 5 Sub arbore malo ſuſcitaui te, 460. 1. A
6 Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachiũ tuum, 37 1. C
7 Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, 140. 2. C 166. 1. A 381. 1. D
10 Egó murus, & vbera mea ſicut turris, 259. 1. B

Sapientia.

1 7 SPIRITVS Domini repleuit orbem terrarum, 351. 2. D
2 5 Vmbræ enim tranſitus eſt tempus noſtrum, 86. 1. C
5 7 Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, 28. 2. C
9 Tranſierunt omnia illa tanquam vmbra, 84 2. C
6 13 Facilè videtur ab his qui diligunt eam, & inuenitur ab his qui quærunt illam, 212. 1. D
7 7 Venit in me Spiritus Sapientiæ, 218. 1. C
8 Præpoſui illam regnis, & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius, 107. 1. B
12 24 Infantium inſenſatorum more viuentes, 280 1. C
18 15 Omnipotens ſermo tuus, 77. 1. C
20 Sed non diù permanſit ira tua. Properans enim homo ſine querela deprecari pro populis, 498. 2. C

Eccleſiaſticus.

1 25 RADIX ſapientiæ eſt timere Dominum. 262. 2. B
15 3 Aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum, 213 1. C
18 27 Homo ſapiens in omnibus metuet, 38. 2. C
19 23 Eſt qui nequiter humiliat ſe, 287. 2. A
26 Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus, 38. 1. D

20 21 Homo acharis qnaſi fabula vana in ore diſciplinatorum aſſidua erit, 82. 2. B
21 15 Pes fatui facilis in domum proximi, 8. 1. B
22 13 Luctus mortui ſeptem dies: fatui autem, & impij omnes dies vitæ illorum, 129. 1. D
27 12 Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut ſol, 266. 1. D
34 16 Qui timer Dominnm nihil trepidabit, & non pauebit, 254. 2. B
44 6 Homines diuites in virtute, 106. 1. B
47 3 Cum leonibus luſit quaſi cum agnis, & in vrſis ſimiliter fecit, 277. 2. D

Iſaias.

1 3 COGNOVIT bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, 40. 2. A & 444. 1. A
2 13 Dominus Deus exercituum ſuper omnes cedros Libani, 248. 2. C
3 12 Popule meus, qui te beatum dicunt, Ipſi te decipiunt, 273. 1. C
4 1 Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum in illa die, 386. 2. B
2 Erit germen Domini in magnificentia, 184. 2. A
6 1 Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum, 396. 1. C 307. 2. A
2 Seraphim ſtabant ſuper illud, 400. 1. A
3 Plena eſt omnis terra gloria eius, 67. 1. C
6 Et volauit ad me vnus de Seraphim 78. 2. C
9 Ecce ego, mitte me, 43. 2. A
7 15 Butyrum & mel comedet, 38. 1. D
8 12 Timorem eius ne timeatis, neque paueatis, 415. 1. C
11 1 Et egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, 68. 1. A
2 Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, 197. 2 B 377. 2. D
7 Leo quaſi bos comedet paleas, 446. 1. D
13 22 Reſpondebunt tibi vlulæ in ædibus eius, 233. 2. B
14 13 In Cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, 325. 2. C 316. 1. C
22 18 Coronans coronabit te tribulatione, 52. 1. B
26 10 Miſereamur impio, & non diſcet iuſtitiam, 297. 2. C
20 Vade populus meus, intra in cubicula tua, 313. 2. C
29 8 Sicut ſomniat eſuriens, & comedit, cum autem fuerit experge factus, &c. 151. 2. C
13 Populus iſte ore ſuo, & labijs ſuis glorificat me, cor autem eius longè eſt à me, 504. 2. B
30 18 Propterea expectat Dominus vt miſereatur veſtri, 67. 2. C
35 3 Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborare, 32. 2. D
36 20 Quis eſt ex omnibus Dijs terrarum iſtarum, qui eruerit terram ſuam ex mano mea, 11. 2. D
37 29 Ponam ergo circulum in naribus tuis, & frenum in labijs tuis, 12. 1. A
38 2 Et conuertit Ezechias faciem ſuam ad parietem, 507. 1. A
15 Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, 134. 1. C
16 Ecce in pace amaritudo mea amariſſima, 151. 1. A
40 12 Quis menſus eſt pugillo aquas, & Cælos palmo ponderauit, 103. 2. D
24 Et quidem neque plantatus, neque ſatus, neque radicatus in terra truncus eorum, 85. 2. C
42 5 Dans flatum populo qui eſt ſuper eam, & ſpiritum calcantibus eam, 389. 2. A
49 11 Et ponam omnes montes meos in viam, & ſemitæ meæ exaltabuntur, 24. 2. C
52 6 Ego ipſe qui loquebar, ecce adſum, 241. 1. B
15 Super ipſum continebunt reges os ſuum, 77 2. C
53 2 Non eſt ſpecies ei, neque decor, 298. 1. A
2 Non erat aſpectus, 237. 2. B
54 13 Vniuerſos filios tuos doctos à Domino, 212. 1. A
55 1 Omnes ſitientes venire ad aquas, & qui non habetis argentum properare, 65. 1. C & D
56 6 Filios aduenæ qui adhærent Domino vt colant eum, 202. 1. B
58 13 Dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris ſermonem, 410. 1. C
59 5 Oua aſpidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt, 126. 1. D
5 Quod confotum eſt erumpet in regulum, 126. 2. A
63 1 Quis es iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? 298. 1. B
64 1 Vtinam dirumperes Cælos, & deſcenderes, 464. 1. D

Ieremias.

1 10 ECCE dedi verba mea in ore tuo, ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, 242. 2. B
4 14 Laua à malitia cor tuum Ieruſalem, vt ſalua fias, 322. 1. A
7 16 Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi, 18. 1. D
8 5 Quare ergo auerſus eſt populus in Ieruſalem auerſione contentioſa, 92. 2. B

13 15 Vox in Rama audita eſt, 127. 1. D
16 16 Mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, 151. 2. A
22 17 Tui oculi, & cor ad curſum mali operis, 39. 1. B
31 22 Vſquequo delicijs diſſolueris filia vaga? 179. 1. B
48 28 Relinquite ciuitates, & habitate in petra habitatores Moab, 269. 2. B.

Threni.

1 12 O Vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor, ſicut dolor meus, 146. 1. C
13 Miſit ignem in oſſibus meis, & erudiuit me 162. 2. C. & 386. 1. A
2 12 Matribus ſuis dixerunt: vbi eſt triticum, & vinum? cum deficerent quaſi vulnerati in plateis ciuitatis. 382. 2. B
19 Conſurge in nocte in principio vigiliarum, 504. 1. A
3 1 Virga indignationis, 68. 1. B
28 Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia leuauit ſuper ſe, 269. 1. D
34 Vt contereret ſub pedibus ſuis omnes vinctos terræ, 164. 1. B
42 Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus, idcircò tu inexorabilis es, 22. 1. D
4 1 Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, 229. 1. C.
8 Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, 135. 1. C

Ezechiel.

1 5 SIMILITVDO quatuor animalium, quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni, 44. 2. C
23 De igne fulgor egrediens, 72. 1. A
2 1 Fili hominis ſta ſuper pedes tuos, 304. 1. B
2 Et ingreſſus eſt in me ſpiritus. 304. 1. B
3 1 Comede volumen iſtud, & vadens loquere ad filios Iſrael, 242. 2. A
9 Vt adamantem, & vt ſilicem dedi faciem tuam, 406. 2. B
5 12 Gladium euaginabo poſt eos, 291. 1. C
7 4 Non parcet oculus meus ſuper te, & non miſerebor, 102. 1. B
16 9 Et laui te aqua, & emundaui ſanguinem tuum ex te, & vnxi te oleo, 106. 1. C
42 Auferetur zelus meus à te, & quieſcam, nec iraſcar amplius, 294. 1. B
18 32 Nolo mortem morientis dicit Dominus Deus, 124. 2. D
29 18 Nabuchodonoſor Rex Babylonis ſeruire fecit exercitum ſuum ſeruitute magna aduerſus Tyrum, 320. 2. C
33 11 Nolo mortem impij, 124. 2. C
32 Et es eis quaſi carmen muſicum, 370. 1. C
37 4 Dixit ad me: vaticinare de oſſibus iſtis, & dices eis: oſſa arida audite verbum Domini, 386. 1. B
7 Factus eſt ſonitus prophetante me, & ecce commotio, 386. 1. B
9 Et dixit ad me: vaticinare ad ſpiritum, 386. 1. C

Daniel.

2 31 STATVÆ caput ex auro optimo erat, pectus autem, & brachia de argento, 227. 1. A 492. 2. B
34 Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus: & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos, 227. 2. B
46 Tunc Rex Nabuchodonoſor cecidit in faciem ſuam; & Danielem adorauit, 312. 1. C
3 8 Accedentes viri Chaldæi accuſauerunt Iudæos, 493. 2. A
14 Statuam auream quam conſtitui non adoratis? 303. 1. C
32 Tradidiſti nos in manibus inimicorum noſtrorum iniquorum & peſſimorum, 278. 1. C
92 Species quaſi ſimilis filio Dei, 137. 1. A
5 17 Munera tua ſint tibi, 218. 2. A
7 3 Quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari diuerſæ inter ſe, 36. 2. B
10 5 Leuaui oculos meos, & vidi, & ecce vir vnus veſtitus lineis, 192. 2. B
12 Ex die primo quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum, 505. 2. C
13 35 Quæ flens ſuſpexit ad cælum: erat enim cor eius fiduciam habens in Dominum, 79. 1. A
42 Exclamauit voce magna Suſanna, & dixit: Deus æterne, qui abſconditorum es cognitor, 504. 2. B

Oſee.

2 14 ECCE ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius, 285. 2. B. 269. 1. C
4 4 Populus enim tuus ſicut hi, qui contradicunt ſacerdoti, 71. 2. C
11 Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor, 13. 2. A
18 Separatum eſt conuiuium eorum. Ligauit eum ſpiritus in alis ſuis, 163. 1. C
7 11 Factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta

non

non habens cor, 504. 2. B
8 7 Qui ventum ſeminabunt, turbinem metent, 321. 2. C
12 1 Ephraim paſcit ventum, ſequitur æſtum, 3:4 2. B
3 In fortitudine ſua directus eſt cum Angelo. Et inualuit ad Angelum, 500. 2. C
13 14 Ero mors tua, ò mors, 135. 1. A
14 5 Reddemus ei vitulos labiorum noſtrorum, 504. 2. A
8 Memoriale eius ſicut vinum Libani, 203. 1. B

Ioel.

2 13 BENIGNVS, & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ, 182. 1. C

Amos.

6 7 MIGRABVNT in capite tranſmigrantium, & auferetur factio laſciuientium, 193. 1. D

Ionas.

1 8 INDICA nobis: quod eſt opus tuum? 109. 1. B
3 8 Clament ad Dominum in fortitudine, 508. 1. A
4 1 Afflictus eſt Ionas afflictione magna, & iratus eſt, 132. 2. D
6 Et præparauit Dominus Deus hederam, & aſcendit ſuper caput Ionæ, 86. 2. D & 133. 1. B

Michæas.

1 8 PLANGAM, & vlulabo: faciam luctum quaſi ſtruthionum, 197. 1. A

Nahum.

1 2 VLCISCENS Dominus, & habens furorem, 249. 1. B

Sophonias.

1 12 SCRVTABOR Ieruſalem in lucernis, 9. 1. A
2 14 Accubabunt in medio eius greges, omnes beſtiæ gentium, 319. 2. B
3 17 Dominus Deus tuus in medio tui fortis ipſe ſaluabit, 77. 1. D

Zacharias.

11 2 VLVLATE quercus Baſan, 194. 1. C
12 10 Effundam ſuper domum Dauid, & ſuper habitatores Ieruſalem ſpiritum gratiæ, & precum, 20. 1. A

Machabæorum 2.

2 4 EXIVIT in montem, in quo Moyſes aſcendit, & vidit Dei hæreditatem, 313. 2. A

SACRAE SCRIPTVRAE.
EX NOVO TESTAMENTO.

Matthæus.

Cap Nu

1 2 ABRAHAM genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Iacob, 330. 2. A

12 Reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem, 71. 1. C

13 Accipe puerum & matrem eius & fuge in Ægyptum, 137. 1. B

3 16 Aperti ſunt ei cæli, & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, 353. 2. B

4 9 Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraueris me, 187. 1. D

5 3 Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, 111. 1. D

6 Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, 213. 1. B

7 Beati miſericordes quoniam ipſi miſericordiam conſequentur, 186. 2. B

10 Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, 275. 2. C

16 Sic luceat lux veſtra coram hominibus; vt videant opera veſtra bona, 76. 2. D & 218. 2. D

6 20 Theſaurizate autem vobis theſauros in Cælo, 111. 1. C

7 13 Intrate per anguſtam portam, 306. 2. B

8 5 Cùm autem introiſſet Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio rogans eum, 316. 2. D

5 Vide nemini dixeris, 63. 1. D & 76. 1. C

8 Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum, 305. 1. B

10 Audiens autem Ieſus, miratus eſt: & ſequentibus ſe dixit, Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſraël, 286. 2. A

24 Motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, 305. 1. D

25 Domine ſalua nos, perimus, 170. 2. D

26 Quid timidi eſtis modicæ fidei, 170. 2. D

29 Quid nobis & tibi Ieſu fili Dei? veniſti huc ante tempus torquere nos, 55. 1. D

34 Rogabant vt tranſiret à finibus eorum, 296 2. C

9 11 Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat magiſter veſter, 315. 1. A

10 16 Eſtote ſimplices ſicut columbæ, 6. 2. D

11 11 Non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta, 306. 2. D

25 Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, 305. 2. C

29 Tollite iugum meum ſuper vos, 74. 1. A & B & 195. 1. A

13 25 Cùm autem dormirent homines, 12. 1. C

45 Simile eſt regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas, 283. 1. C

14 14 Et exiens vidit turbam multam: & miſertus eſt eis, & curauit languidos eorum, 397. 1. C

15 28 Magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis, 168. 2. A

17 27 Eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies ſtaterem, 243 1. B

18 3 Niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum, 45. 1. D

32 Omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me, 18 2. C

19 16 Magiſter bone, quid boni faciam vt habeam vitam æternam? 281. 2. A

21 Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, 281. 2. A

22 Cùm audiſſet autem adoleſcens verbum, abijt triſtis, 281. 2. A 418. 1. D

27 Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? 399. 2. D

28 Amen dico vobis, quòd vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, ibidem.

20 21 Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo, 317. 1. B

21 4 Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt per prophetam, 191. 2. C

12 Et menſas nummulariorum euertit, 109. 1. D

19 Et videns fici arborem vnam ſecus viam venit ad eam, 292. 2. A

22 11 Intrauit autem Rex, vt videret diſcumbentes: & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali, 6. 1. A

24 19 Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus, 347. 2. B

25 33 Statuet oues quidem à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris, 28. 2. D

40 Amen dico vobis, quandiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis, 117 1. C 223. 2. A 303. 1. D 331. 2. D

26 21 Vnus veſtrum me traditurus eſt, 441. 2. A

37 Cœpit contriſtari, & mœſtus eſſe, 17. 1. D

40 Sic? non potuiſtis vna hora vigilare mecum? 201. 1. A

50 Amice, ad quid veniſti? 295. 1. B

27 5 Et abiens, laqueo ſe ſuſpendit, 25. 1. C

40 Si filius Dei es, deſcende de cruce, 185. 1. C

99 Ha-

65 Habetis cuſtodiam: ite, cuſtodite ſicut ſcitis, 234. 1. B
28 20 Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi, 195. 1. B

Marcus.

7 33 APPREHENDENS eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas eius, 104. 1. A
8 2 Miſereor ſuper turbam: quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent, 397. 1. D
10 14 Sinite paruulos venire ad me, 315. 2. A
37 Da nobis vt vnus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram, &c. 412. 1. A
11 24 Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis, 22. 1. B
14 33 Cœpit tædere, & pauere, 17. 1. D
42 Surgite, eamus, ecce, qui me tradet propè eſt, 17. 1. A
16 17 Linguis loquentur nouis, 244. 1. B

Lucas.

1 31 VOCABIS nomen eius Ieſum; ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum, 138. 2. B
28 Ingreſſus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum, 353. 2. C
35 Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, 371. 2. C
47 Exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo, 204. 1. C
52 Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles, 316. 2. A
2 13 Facta cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Deum, 255. 2. D 408. 1. B.
46 Inuenerunt illum in templo ſedentem in medio doctorum, 212. 2. A
48 Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te, 137. 1. A
51 Venit Nazareth: & erat ſubditus illis, 43. 2. D
4 38 Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, 117. 1. D
7 6 Cùm iam non longè eſſet à domo, miſit ad eum Centurio, 316. 2. D
37 Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, 267. 2. C
50 Fides tua te ſaluam fecit: vade in pace, 305. 1. C
9 11 Loquebatur illis de Regno Dei, 244. 2. A
10 30 Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho, & incidit in latrones, 315. 1. D
39 Maria ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius, 258. 1. B
11 5 Quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, &c. 64. 1. B
7 Noli mihi moleſtus eſſe, 64. 1. B
7 Oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili, 314. 2. C
41 Quod ſupereſt, date eleemoſynam, 118. 1. A
12 18 Deſtruam horrea mea, & maiora faciam, 382. 2. B
19 Anima mea habes multa bona poſita in annos plurimos, 85. 1. C
20 Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti cuius erunt? 117. 2. C
33 Facite vobis ſacculos, 222. 1. B
13 7 Fodiam circa illam, & mittam ſtercora, 304. 2. A
14 33 Qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus, 428. 1. D
15 19 Fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis, 32. 1. D 177. 1. C
20 Vidit illum pater ipſius, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum, 177. 1. D
22 Date annulum in manu eius, 172. 1. A
31 Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt, 401. 1. C
16 19 Homo quidam erat diues, & induebatur purpura, & byſſo, 118. 1. C
24 Mitte Lazarum vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, 243. 1. D
25 Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, 293. 1. B
19 13 Negotiamini dum venio, 109. 1. D
41 Vt appropinquauit, videns ciuitatem, fleuit ſuper illam, 291. 2. C
21 1 Reſpiciens autem vidit eos, qui mittebant munera ſua in gazophylacium diuites, 108. 1. B
22 30 Et ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, 300. 2. C
23 42 Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum, 288. 2. D

Ioannes.

1 14 VERBVM caro factum eſt, & habitauit in nobis, 184. 2. C
14 Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre, 185. 1. A
14 Plenum gratiæ & veritatis, 237. 1. B
17 Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, 194. 2. B

2 4 Vinum non habent, 99 2. *A*
3 5 Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum Dei, 244. 1. A
20 Qui malè agit, odit lucem, 135. 2. C
4 8 *D*icit ei Ieſus: Da mihi bibere, 66. 1. D
13 Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, 215. 1. B
32 Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis, 66. 1. D
6 15 Ieſus autem cùm cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum, 45. 2. D
68 Verba vitæ æternæ habes, 237. 1. B
8 7 Qui ſine peccato eſt, primus in eam lapidem mittat, 7. 2. D
34 Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati, 94. 2. D
13 15 Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis, 463. 1. A
34 Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos, 213. 2. C
14 26 Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, 371. 1. D
15 1 Pater meus agricola eſt, 507. 1. C
16 32 Venit hora, vt diſpergamini vnusquiſque in propria, & me ſolum relinquatis, 366. 1. D
19 34 Continuò exiuit ſanguis, & aqua, 144. 2. D
20 15 Illa exiſtimans, quia hortulanus eſſet, dicit ei: Domine, ſi ſuſtuliſti eum, dicito mihi, 495. 2. C
19 Venit Ieſus, & ſtetit in medio, & dicit eis, Pax vobis, 356. 1. A
22 Inſufflauit, & dixit, Accipite Spiritum Sanctum, 387. 2. D

Acta Apoſtolorum.

2 3 APPARVERVNT illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, 241. 1. A 369. 2. B
4 34 Neque enim quiſquam egens erat inter illos 112. 1. *A*
6 10 Non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur, 368. 2. B
7 49 Cælum mihi ſedes eſt, 316. 1. B
55 Cùm autem eſſet plenus Spiritu Sancto, intendens in Cælum vidit gloriam Dei, 389. 2. *D*
56 Ecce video cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei, 137. 2. C
8 20 Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum ſit in perditionem, 100. 2. *D*
9 4 Cadens in terram audiuit vocem dicentem ſibi: Saule, Saule quid me perſequeris? 304 2. B
12 5 Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad *D*eum pro eo, 21. 1. C
12 *D*omum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus eſt Marcus, 274. 1 *A*
21 *S*tatuto autem die Herodes veſtitus veſte regia, ſedit pro tribunali, & concionabatur ad eos, 433. 2. B 495. 2. C
13 9 *S*aulus autem, qui & Paulus, repletus Spiritu Sancto, intuens in eum, dixit, 101. 1. A
26 12 Dum irem *D*amaſcum cum poteſtate, 304. 2. D

Epiſtola ad Romanos.

1 24 TRADIDIT illos Deus in deſideria cordis eorum, 152. 2. C
2 1 Inexcuſabilis es ò homo omnis, qui iudicas: in quo enim iudicas alterum, te ipſum condemnas, 7. 1. D 10. 1. *D*
21 Qui ergo alium doces, te ipſum non doces, 215. 2. *A*
5 3 Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, 30 1 A
6 17 Gratias autem Deo quòd fuiſtis ſerui peccati, obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi eſtis, 415. 2. A
12 1 Obſecro vos fratres per miſericordiam *Dei*, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, 120 1. D
1 Hoſtiam viuentem, 121. 1. *D*
2 Nolite conformari huic ſeculo, 280. 2. A
9 Odientes malum, adhærentes bono, 288. 1. B
11 *S*olicitudine non pigri, ſpiritu feruentes, 33. 1. A
19 Non voſmetipſos defendentes cariſſimi, ſed date locum iræ, 248. 1. B
13 11 Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere, 12. 1. C
12 Abijciamus ergo opera tenebrarum, &c Non in comeſſationibus, 24. 2. B
14 Induimini *D*ominum Ieſum Chriſtum, 266 1. C

Epiſtola 1. ad Corinthios.

1 5 IN omnibus diuites facti eſtis in illo, 107. 2. A
9 Nec oculus vidit, nec auris audiuit, 365. 1. D 303. 2. *D*
4 5 Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadvſque veniat Dominus, 9. 2. B
9 Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus, 205. 2. C
31 Præterit figura huius mundi, 82. 2. D 282. 1. A & 435. 2. D

10 13 Fi-

10 13 Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, 259. 1. B
11 32 Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, 101. 2. B
13 5 Non quærit quæ ſua ſunt, 401. 2. A
13 Fides, ſpes, charitas, tria hæc. Maior autem horum eſt charitas, 168. 1. B
15 8 Nouiſſimè autem omnium tanquam abortiuo, viſus eſt & mihi, 299. 1. D

Epiſtola 2. ad Corinthios.

2 14 DEO autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu, 51. 2. B
4 17 Momentaneum & leue tribulationis noſtræ, 259. 1. C
6 10 Sicut egentes, multos autem locupletantes, 112. 1. A
11 2 Deſpondi enim vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto, 400. 2. C
12 10 Placeo mihi in infirmitatibus, 465. 2. A
10 Cùm infirmor: tunc potens ſum, 147. 1. D

Epiſtola ad Galatas.

2 20 VIVO autem iam non ego: viuit verò in me Chriſtus, 120. 1. D
6 5 Vnuſquiſque onus ſuum portabit 273. 2. B

Epiſtola ad Epheſios.

1 21 ET conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem principatum 414. 1. D
2 4 Deus, qui diues eſt in miſericordia, 184. 1. D
5 14 Surge, qui dormis, & exurge à mortuis: & illuminabit te Chriſtus, 124. 2. D
6 12 Non eſt nobis colluctatio aduersùs carnem & ſanguinem, ſed aduersùs principes, & poteſtates, 503. 2. D

Epiſtola ad Philippenſes.

2 7 FORMAM ſerui accipiens, 406. 1. C
9 Factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis, 45. 2. D 317. 2. D
3 20 Saluatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, 307. 1. D
4 5 Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus, 408. 2. B

Epiſtola ad Coloſſenſes.

1 24 ADIMPLEO ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea, 121. 1. C

Epiſtola 2. ad Theſſalonicenſes.

3 5 DOMINVS autem dirigat corda veſtra in charitate Dei, & patientia Chriſti, 164. 2. B

Epiſtola 1. ad Timotheum.

3 1 SI quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat, 300 1. D
2 Oportet Epiſcopum doctorem eſſe, 203. 1. A
4 11 Exemplum eſto fidelium in verbo, 243. 2. D
5 6 Quæ in delitijs eſt, viuens mortua eſt, 125. 1. C
6 9 Qui volunt diuites fieri, incidunt in deſideria multa inutilia, 118. 1. D
17 Diuitibus huius ſeculi præcipe non ſublime ſapere, 100. 1. D

Epiſtola 2. ad Timotheum.

2 15 RECTE tractantem verbum veritatis, 369. 2. C
4 8 Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex, 219. 2. D

Epiſtola ad Titum.

2 14 VT mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum, 287. 2. D

Epiſtola ad Hebræos.

11 4 FIDE, plurimam hoſtiam Abel, quàm Cain obtulit Deo, 169. 1. B
24 Moyſes grandis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, 108. 1. D
12 6 Quem diligit Dominus caſtigat: flagellat autem omnem filium quem recipit, 108. 2. A
12 Remiſſas manus, & ſoluta genua erigite, 32. 2. D

Epiſto-

SACRAE SCRIPTVRAE.

Epiſtola Iacobi ·

2 4 FACTI eſtis indices cogitationum ini. quarum? 9. 2. *C*
5 1 *A*gite nunc diuites, plorate, vlulantes in miſerijs veſtris, 123. 1. D
13 Triſtatur aliquis veſtrum? oret, 202. 1. *D*

Epiſtola 1. Petri Apoſtoli.

1 7 VT fides veſtra multo pretioſior auro (quod per ignem probatur) inueniatur, 106. 1. A
1 12 In quem deſiderant Angeli proſpicere, 396. 1. C
5 8 Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, 392. 2. *D*

Epiſtola 2. Petri.

2 22 TANQVAM canis reuerſus ad vomitum, 11. 2. C
22 Sus lota in volutabro, 229. 2. *A*

Epiſtola 1· Ioannis.

2 16 QVIDQVID in mundo eſt, aut concupiſcentia carnis eſt, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ, 436. 1. *A*
17 Mundus tranſit, & concupiſcentia eius, 436. 1. A
4 16 *D*eus charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo, 196. 2. *D*

Apocalypſis.

1 10 FVI in ſpiritu in Dominica die, & audiui poſt me vocem magnam, 267. 1. C
12 *V*idi ſeptem candelabra aurea, & in medio ſeptem candelabrorum aureorum ſimilem filio hominis, 191. 2. *B* 291. 1. B
2 1 Angelo Epheſi ſcribe: hæc dicit, qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua, 8. 2. B
18 Angelo Thyatiræ Eccleſiæ ſcribe: hæc dicit filius *Dei*, qui habet oculos tanquam flammam ignis, 8. 2. B
3 18 Collyrio inunge oculos tuos, 305. 1. D
4 4 Procidebant ante ſedentem in throno, & adorabant viuentem in ſecula ſeculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum, 318. 2. *A*
5 5 Vicit leo de tribu Iuda, 330. 1. *D*
8 Habentes ſinguli phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum, 17. 2. B
7 3 Vidi alterum *A*ngelum aſcendentem ab ortu Solis, habentem ſignum Dei viui, 292. 2. *D*
9 Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, 326. 1. B
12 1 Signum magnum apparuit in cælo: mulier amicta Sole, 266. 1. C
6 Mulier fugit in ſolitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo, 266. 2. A
7 Factum eſt prælium magnum in cælo, Michaël & *A*ngeli eius præliabantur cum *Dracone*, 362. 2. A
14 2 *A*udiui vocem de cælo tanquam vocem tonitrui magni, 278. 1. A
5 In ore eorum non eſt inuentum mendacium, 88. 1. *C*
13 Beati mortui qui in Domino moriuntur, 122. 1. D
15 6 Exierunt ſeptem Angeli habentes ſeptem plagas, 102. 1. *C*
7 *V*num de quatuor animalibus dedit ſeptem Angelis ſeptem phialas aureas plenas iracundiae Dei, 17. 2. B
18 7 Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum, 154. 2. A
19 12 In capite eius diademata multa, 67. 2. A
21 7 Iam non erit amplius neque luctus neque clamor, ſed nec vllus dolor, 201. 2. *A*.

F I N I S.

Digitized by Google

1-5-3